VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Ex Libris Congr.nis S.ti Mauri Romæ

DE POLITIA ET IMMVNITATE ECCLESIASTICA

536

Tractatus Theologicus.

AD S. D. N. PAVLVM V. PONT. MAX.



Auctore Magiſtro Fr. Laurentio Ortiz de Ibarrola & Ayala,
Benedictino, Salmanticenſi,
Monaſterij Regij S. BENEDICTI Valliſoletani
Romæ iterùm Procuratore.

ROMAE,
Apud Stephanum Paulinum. MDCX.
SVPERIORVM PERMISSV.

Dom. Prof. Rom.
Digitized by Google

13 - 7 - C - 8

Digitized by Google

R. *P. Abbatis Monaſterij Regij S. Benedicti Valliſoleti, Reformatoris Generalis ſpeciali, & ſignata facultate conceſſum eſt Auctori; vt ſi R. P. M. Thomas Maluenda, Ordinis S. Dominici, approbauerit Tractatum hunc (ceteris Romæ ſeruatis ſeruandis) typis excudi poſſit: vt conſtat ex eius Autographo, in Actis Dominici Amodei Notarij Cam. Apoſt.*

TRactatum Theologicum, de Politia, & Immunitate Eccleſiaſtica, ab admodum R. & Doctiſſimo Patre Magiſtro F. Laurentio Ortiz de Ibarrola & Ayala, Ordinis S. Benedicti, compoſitum, cùm perlegerim: nihil in eo deprehendi fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus, vel Eccleſiaſticæ doctrinæ aduerſum. Quin potiùs cenſeo, Opus pium, eruditum, maximè vtile; dignumq; profectò, quod in lucem emittatur: iis cumprimis profuturum, qui libertatem, & Immunitatem Eccleſiaſticam, vt veros Eccleſiæ filios decet, ſartam & tectam conſeruari cupiunt. In quorum fidem, præſentibus manu propria ſubſcripſi. Romæ, in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam. 10. Septembris. M DC VIII.

Fr. Thomas Maluenda Ord. Prædic.

Imprimatur; ſi videbitur R. P. M. Sac. Pal. Apoſt.
Cæſar Fidelis Viceſg.

E*X Commiſsione Reuerendiſs. P. M. Fr. Ludouici Iſtella, Sacri Palatij Magiſtri, vidi, & diligenter perlegi Librum, de Politia, & Immunitate Eccleſiaſtica, editum à Reuerendo admodum P. M F. Laurentio Ortiz de Ibarrola & Ayala, Ordinis S. Benedicti: & nihil in eo reperi contra noſtram ſanctam fidem Catholicam, & bonos mores: ſed potiùs multa in eius defenſionem, ſumma Auctoris diligentia, ex ſacris Scripturis, & ſacris Canonibus, & ſanctis Patribus luculentiſsimè adducta: ideòq; cenſeo, Tractatum iſtum, in maximam Reipublicæ Chriſtianæ, & ſtudioſorum vtilitatem, in lucem prodire poſſe. Datum in Collegio S. Mariæ ſuper Mineruam. 1. die Menſis Decēb. Anno M DC IX.*

Fr. Ioannes Gonçalez de Albelda, Mag. & Regens.

Imprimatur. Fr. Ludouicus Iſtella, Magiſter
Sacri Palatij Apoſt.

Digitized by Google

AVCTORIS VOTVM.

CHRISTE, tuas leges, tua magna negotia famur;
Principibus mundi non temeranda pijs.
Caſta Sacerdotum valeat queis reddere cœtus
Iura foro ſancto, quæ viguere diù.
Quæ Patribus ſtabilita olim ſunt fœdera ſummis,
Dum populus pauper, ſecla Neronis erant.
Quando fuit capitis grandis reuerentia Romæ, &
Purpurei in pretio cura Senatus auis.
Dogmate firmamus Diuo diſcrimina rerum;
Ordinibus cunctis ſemina pacis habent.
Auſpicijs conſpira tuis: quò, ſacra profanis
Haud permiſcendum, ſint docuiſſe ſatis.

S. D. N.

PAVLO V.

PONT. MAX.

F. Laurentius Ortiz de Ibarrola & Ayala, ad humillima pedum oſcula.

ADMIRATVS D. Hieronymus prioris Tabernaculi maieſtatem, ex diuite vaſorum ſupellectile, & ampla Kimeliorum copia, quæ in eo, vel donata, vel Domini iuſſu effecta, continebantur: ſicut in Exodo referuntur: & ad altiora, quorum illa erant primæ lineæ, mentis dirigens aciem; Tanta, dixit, (Epiſt. Centeſima vigeſima octaua) & talia offeruntur in Tabernaculo Dei: vt nullus deſperet ſalutem: alium, addens, aurum ſenſuum, alium argentum eloquij, vocem æris, alium exhibere. Concurrentibus igitur, BEATISS.mo PATER, pluribus Doctoribus Catholicis, cum ſuis ſcriptis, ad ornandum, & ſartumtectum tuendum, circa ſacrorum hominum, ac bonorum Immunitatem, Tabernaculum poſterius excellentius, non manufactum, Eccleſiæ, cui V.S. præeſt, & per longa præſit tempora; mihi Diſcipulo, & ceteris deſtituto, viſum fuit, (quo poſſum)

hoc; vt præfatam Immunitatem, eſſe de iure Diuino ſtatutam, probent mecum ſimul, & confirment: quò, ad Euangelicam legem, Apoſtolorum traditionem, Primitiuorum Credentium in cęlis conſcriptorum, praxim & vſum eam redigentes; ſtatuiq; Laico, & eius Principibus explicantes, ſemel ipſis perſuadeant; (ſunt enim Catholici, & perſuaderi ſe ſinent) Eccleſiam, & eius ſupremos Pontifices Romanos, nihil præſumere: ſed id, quod à Chriſto Domino, quod ab eius Apoſtolis, quod à ſuis antiquis Patribus, & Doctoribus per manus habuerunt; conſeruare! Mouerit verò huius Thematis ſcriptores alios ſacratæ auctoritas Sedis; me certè mouit & Sedentis; quam tanti ſemper æſtimaui, (quod V. S. benè ſcit,) vt cùm olim Cardinalem Burgheſium, propter ſummam comitatem, & illuſtres animi dotes, ſummè coluerim; PAVLVM V. ſummum nunc Pontificem, propter ſummam ſuam ſanctitatem, qua ratione alia; niſi vt Chriſti IESV in terris Vicarium, ab eo haud occultis electum ſignis, venerer, non inueniam. Hanc animi mei propenſionem, volens, apud omnes eſſe teſtatam: poſt nouem perpetuos annos, quibus egi corã V. S. ſolante me conſcientia, & fine; vt in Monaſterio Valliſoletano, à maioribus noſtris vitę Monaſticę inſtitutio, cũ incluſionis perpetuę Voto, ſeruaretur; ideòq; curans, ne eius Abbatis electio, libera Monachis ab eo externis, per S. Sedem Apoſtolicam, foret concedenda: in hoc decimo anno, alterius generis maturaui fructus, quos S. V. in vicem priorum moleſtiarum conſecrarem.

Erubeſcerem P.S. ſi in Curia degens, tam Diuinæ, quàm
Humanæ ſapientiæ Theatrò; propter vnius Abbatis
nuncius remiſſus electionem; lectioni totius S. Scri-
pturæ, & Theologiæ, mea incuria, nuncium remiſiſſem.
An autem ipſi fructus Decumani ſint, ſicuti ſunt cona-
tus, V. S. erit Apoſtolico iudicio comprobandum;
Suſcipiat ſupplicò, S. V. pedibus prouolutus, qua aſſo-
let benignitate, ſcriptum hoc, pro tuenda Eccleſiaſtica
Immunitate, hauſtum ab ſpiritu præcedentium per de-
cem ſecula Monachorũ Ordinis S.P.N. BENEDICTI;
qui Eccleſiaſticę libertatis fuerunt acerrimi defenſores;
littera licet, quam mei fert ingenij tenuitas, exaratũ: &
quem me Fratres particulares à Monaſterij quiete, ſua
dictione, aduenam, & hoſpitem Romæ iterum effece-
runt, dignetur communis Pater, benedictione ſua, ſemel
ſpecialem ciuem Sanctorum, & Dei domeſticum effe-
ciſſe. Chriſtus IESVS S.V. ad piorum Chriſtianorũ, &
mea vota, Eccleſiæ ſanctæ bono, diù ſeruet incolumem.
ROMAE, Sextadecima Maij. Anno eius MDCX

LECTOR CHRISTIANE.

SVBIECTVM huius Tractatus, oſtendit eius titulus: Formam, ſeu Characterem, ipſe totus: Finem, Theoricè, incipientis ſeculi in Eccleſia ſucceſſus: Practicè, oſtendens in ſequentibus ſucceſſuri. Inſtituti noſtri rationem ſic tene. Debetur multum hominibus, qui curas, & cogitationes ſuas omnes ad ceterorum ſalutem, & commodum contulerunt: excellentem tamen illi apud omnes honorem, & gloriam ſunt adepti, qui, vel inſtituendis nouis Rebuſpublicis, vel ferendis legibus, atque adſtringendis religioni, & officio populis, inſudarunt. Huius paratæ laudis cupiditate flagrantia præclara, & magna ingenia, in omni ſeculorum memoria, & maximè apud litterarum profeſſione excultas Nationes, elaborauere: vt vel nouas efformarent Reſpublicas, vel reformarent veteres, eiſque adminiſtrandis inſiſterent: vel illarum optimè gerendarum præcepta deſcriberent, quæ tam præſentibus Igumenis, ſeu Ductoribus, quam poſteris inſeruirent. Fuiſſet autem multò illorum induſtria vtilior, ac illuſtrior; ſi quod humano ingenio, ac ſtudio conati ſunt adumbrare: id ipſum priùs ſingulari, ac præcipua ſummi Dei cura, & ſapientia expreſſum præceſſiſſe, apud Hebræorum gentem, cognoſcerent: quò, ad illius vnius Iuris ſtabiliti rationem, ſua & ipſi in Republica erigenda, ſiue adminiſtranda, conſilia, & monita conuertiſſent. Veri enim, (Deo ignorato vero) neceſſaria ad rem tantam, orbati Cognitione; quæ altera eſt ala homines ad cæleſtia ſubleuans: & in Boni Actione, quæ altera ala eſt, etiam in Documentis tradendis Theoricis errauerunt.

Attamen indotatis illis hoc ingenti Dei munere prætermiſſis, ad noſtra feraciſſima, ſi quæ alia, horum Politicorum ſecula deuenientes; quibus veri Dei cognitio cum Euangelij affulſit luce: miramur, ſicuti dolemus, Chriſtianos homines, adeò circa priſcorum Philoſophorum doctrinam Politicam diſtineri: vt eius, quæ deberet eſſe vltima illis, ad Imperiorum, Regnorum, Principatuumq; inſtitutionem, ſeu gubernationem ſit quaſi prima cura: & cum in Artibus, ſit poſteris glorioſum,

inuenta

inuēta, noua acceſſione, reddere perfectiora: in hac Artium Arte, hominū directione, quæ, ad ſui vltimam lineā, erat Euangelicis præceptis nedum amplificanda, ſed etiam firmiſſimè ſtabilienda, nihil æſtimetur; Philo ſophia Politica in ſua Ethnica perſtante inuentione, ac origine, illis quaſi liberam miſſionem conceſſiſſe.

Inuentis, glandem quis non faſtidit, ariſtis: *Politici?*

Chriſtus paſſus eſt pro vobis: ex 1. Petri cap. 2. non Cornelius Tacitus: vt ſequamini veſtigia eius: non Tiberij Cæſaris: Chriſtus eſt vobis Doctor iuſtitiæ, ex Ioele, c. 2. nō Ariſtoteles contributus. Neq; dubitamus, quin ſi Principes omnes Chriſtiani ſemel intelligerent, quò ſtudia eorū collimant, qui, ſub Politiæ ſecularis conſeruandæ prætextu, Politicis eos inſtruunt conſilijs, Eccleſiaſticam Rempublicam perturbantibus, cane peius & angue illa vitarent; & Chriſtianiſmi natiuā ſimplicitatem amplexantes, æternis illa flāmis, ſiue ſcripta, ſiue ſuggeſta, deuouerent. Διάπειρά τοι, βροτῶν ἔλεγχος: experientiam quam, rerum matrem, quidam eſſe dixerunt, mortalium examen, nuncupauit Pindarus, cùm quod neque Ariſtotelis Syllogiſticæ demonſtrationes, neque Archimedis proportiones forſan efficerent, res oculis hauriendas, & manibus præbeat contrectandas. Hæreſis, & Politica diſciplina, vltimi ſeculi, apud aliquot Nationes, & Prouincias, Dominatrices, promiſſa pro felicitate, miſeriam; ſperata pro libertate, ſeruitutem; pro rerum omnium ſomniata copia, extremam eis egeſtatem adduxerunt. Lapidem altera geſtantes manu, altera panem oſtentant: & ſub ſpecioſo ſeu Euangelij, ſeu regiminis Ciuilis prætextu, non pacis nuncium, ſed ſeditionum diſſeminandarum originem præ ſe ferunt: omnibus latam aperientes portam turbis; vnde popularis confuſio exoritur, ad quam, conuulſis antiquis Principum legibus, peruenitur. Ergo, Principes Chriſtiani, ἀμέραι δ᾽ ἐπίλοιποι, μάρτυρες σοφώτατοι, idē docuit Pindarus; teſtes ſapiētiſſimos, inde poſteriores iudicans dies, quòd diſcipuli ſint priorum: ſub qua diſciplina Magiſterium tutiſſimum continetur. Hinc eſt conſequens, vt dies doctrinæ de Eccleſiaſtica Immunitate, diſcipulus diei ſacræ Scripturæ, eructet verbum ſalutis diebus veſtrorum Imperiorum; nox verò noctis Hæreticorum, ac Politicorum conſiliorum, contra Eccleſiaſtica inſtituta, diſcipula, nocti eorumdem indicet ſcientiā prætercurſi boni, & incurſi mali; tam miſeris, quàm antiquis experientijs, humano generi comprobatam. Hinc Chriſti IESV, Dei & hominis,

mundi,

undi, qua Deus, Conditoris, qua vtrumque Reparatoris, ſapientia ſicuti conditi ſumus, & reparati, ſunt, ſi ſapitis, gubernanda Imperia, Regna, & Dominia; immò ſi deſipiatis.

Hoc igitur toto Tractatu inſtituimus: hoc mõſtramus: quo, videlicet, acto Principes ſeculares Chriſtiani, ſpheram ſuorum Principatuum in medio ſpheræ, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quaſi rotam in medio rotæ, ex Ezechiele cap. 1. agant: quo modo, ſpiritus oris eorum, in ſuis condendis legibus, Chriſtus Dominus ſit futurus: ex Thren. c. 4. vt ſub huius vmbra ſecuri inter Gentes viuant: tuti inter Paganos, & Hæreticos com morentur. Actum, dices Lector, me agere: ſed quid, ſi forſan plus hauſerim hauriendo in ſacrorum Bibliorum fonte, quàm è riuulis aquam deriuando? Lege precor; elige quæ placent; quæ diſplicent relega, alteri placitura; vel relega; modò ne diſpliceat, nobis potiùs placuiſſe, propria edere, quantumuis minus ſapida, quàm aliena recudere, quæ eſſent maiori cum voluptate perlegenda. Doctorem neminem lædimus, cum nemine velitamus, dummodo ſit Catholicus: Monaſticè ſcribimus; eoſq; omnes ſuo ordine veneramur, qui de ſubiecta ſcripſere materia, ſiue Theologiæ, ſiue Iuris vtriuſq; prudentiæ fundamentis innixi; ſperantes, ſuperſtitibus noſtram dicendi diſpoſitionem ſatisfacturam: quæ, vt credimus, præcedentibus ſatisfeciſſet: nam cum Xenophane, apud Plutarchum lib. 9. Con. quæſt. 14.

Ταῦτα δὲ δοξάσθαι μὲν ἐοικότα τοῖς ἐτύμοισιν;

Hæc verò, remur, ſancire affinia veris.

Cum Hæreticis, ac Politicis eſt nobis res ſolùm; quos habemus infenſos grauiſſimè: illos, quia poſt irritam factam primam fidem, quod eſt primum, felicia aliàs ingenia, quibus, Catholica excultis doctrina, Eccleſiæ potuiſſent faciles partem ponderis, & æſtus ſuſtinuiſſe: ſpinis & tribulis errorum, quæ illa producere ſolùm patiuntur, ponderoſiſſimi ſunt: Politicos autem, quia ſub Catholicæ Religionis velo, propriam vtilitatẽ agentes, volunt Ethniciſmum Chriſtianiſmo ſufficere: & ab Imperijs, Regnis, Principatibus Chriſtianis originariam Euangelicæ profeſsionis ſinceritatem exſulare. Hi exſtitere cauſſa, vt Opus hoc, quod aliàs εὐχερὲς*, ſeu facile currebat, laborem, immò moleſtiam nobis incredibilem pepererit: & glorioſius reputamus, eius defectum, ex ingenij tarditate, quàm effectũ, ex facilitate, ſeu breuitate temporis æſtimari: illud enim, vt quod in nobis nõ eſſet, poena, culpa hoc, vt quod fuerit, cẽſeretur.*

Neque

Neque, vt ſperamus, offendet, occaſione rerum Angliæ, Tractatum
in Quarta illius Parte aliquantulum ampliaſſe; immò vendentium
humanitatem quammaximè commendat, ſi ad id, quod certo pretio
appenſum emptori eſt, corollarium, vile licèt, & exiguum, liberali ac-
cedat manu venditoris. Optauimus hoc vnum præcipuè; vt imperantes
Eccleſiaſtici inuenirent in hoc ſcripto auctoritatem humilem, Laici de-
uotam, vtrique prudentem: pauperes ſolatium; diuites, Eccleſiaſtici iu-
ſtitiam, ſeculares condolentiam: Theologi, Paginæ Diuinæ Concluſio-
nes: Iuriſprudentes ſuarum Deciſionum fundamenta: Principes, &
eorum Politici Cõſultores, quouſq; perueniant in ſuis conſilijs, ſicuti
mare apud Iob, cap.38. & non procedant ampliùs; ſed ibi tumentes eo
rum fluctus, quibus Chriſtianas quatiunt Reſpublicas, confringantur.
Hucuſque Lector, tibi, & tuis cantauimus Muſis: ſed quia exteri
ſumus, ſi de Scribentis vltimò aues aliquid ſcire, lege vlterius: ſin minus
ſiſte. Natione ſum Hiſpanus, ortus Salmanticæ, altera Cariath-ſepher,
ſeu Litterarum ciuitate; oriundus Cantabria, iuga Romanorum, ex
Horatio, indocta ferre; vſque ad Auguſti tempora; tres ſumus reſidui
germani fratres, Martino, & Franciſca, honeſtis, nobilibus, ac pijſſimis
nati parentibus: alter Ioannes, Trilinguis, & Iuriſprudens, & huius
Tractatus Typographiæ Corrector eſt: tertius, Placidus, etiam Bene-
dictinus, in celebri, ac religione inſigni Monaſterio S. Martini Compo-
ſtellæ, Theologus, & Concionator: ego prior natu, poſtquam duo de
viginti annos agens, Latinam, & Græcam linguas Salmanticæ Collega
Trilinguis, Almæ Vniuerſitatis beneficio, publicè prælegerã, Valliſoleti
Monaſticã indui veſtem, 26. Septembris, Anno 1573. in Monaſterio
Regio S. Benedicti, quod olim, Beatorum, nuncupabatur: quia Auctore
R. P. Lope de Frias Abbate Monaſterii, & religione, & antiquitate
illuſtris S. Petri de Cardegna, in Hiſtoria, quam de eodem ſcripſit Mo-
naſterio: ſi S. Hieronymus vidiſſet Monachos, qui in Monaſterio Val-
l ſoletan. morati ſunt, ab Anno ſuæ Fundationis 1390. per Ioannem
I. Caſtellæ Regem Clar. Mem. vſquequo ſuis induſtria, & impenſis
plura eiuſdem Ordinis reformauit Monaſteria per Hiſpaniam, quæ vl-
timò Congregationem Valliſoletanam effecerunt, haud inferiores me-
ritis eos æſtimaſſet, quàm Thebaidos regionis Monachos: neque mino-
ribus hos, quàm illos, fuiſſet laudibus proſequutus. Cùm ergo ab ineunte
ætate, ex parentum, ac propinquorum voto, ac proprii animi impulſu in

litte-

litterarum incubuiſſem ſtudia, & humaniores diſciplinas, ſub optimis, ac doctiſſimis præceptoribus, didiciſſem: ex antiquorum illorum Beatorum reliquijs, habui Monachos viuos, quos imitari potuiſſem, ac debuiſſem; in Monaſticæ vitæ ſanctitate, in Linguarum cognitione, in Philoſophiæ notitia, in ſacræ Theologiæ intelligentia, in verbi Dei excellẽti prædicatione, in ſcientiarũ omnium Encyclopædia, & tãdem in Diuinæ, & humanæ prudentiæ praxi & vſu, cuiuſque reſpectu, Reuerendiſſ. Patres, Rodericũ de Vadillo, qui Siciliæ obijt Epiſcopus Cephalunen. Placidum de Salinas, qui me induit veſtem, Ferdinandum de Medina, Benedictum de Gaona, Chriſtophorum de Aguero, Petrum Docampo, Abbates Monaſterij noſtri, & Reformatores Generales, & Petrum de Ponte pium, & eruditum Magiſtrum in Academia Salmanticenſi: habui & commonachos, doctiſſimos, ac religioſiſſimos Patres, Maurum de Salazar Magiſtrum etiam in præfata Schola, Alfonſum de Xuara, & Hieronymum Marthon: quorum ceteri vixerunt, vltimus viuit, ſpes maxima reformationis noſtri Monaſterij, & conſeruationis perpetuæ incluſionis, in eo ab omnibus ſuis Monachis ſpeciali Voto ſuſceptæ, & à futuris, ſi imitatores Patrum ſuorum eſſe voluerint, & Regum, quorum redditibus viuunt, votis ſint correſponſuri, ſuſcipiendæ.

Scias vltimò, Lector candide, à me non proprii, aut priuati vllius commodi, compendii, nominiſvè cauſſa, ſed communis ac publicæ vtilitatis, quo ardemus incenſo ſtudio, Opus hoc ſuſceptum, & hac in parte exantlatum fuiſſe: hinc exoratum te velim; vt apud Chriſtum Dominum pro me ores. Bene vale. Romæ, Anno à Virginis partu M D C X. Sextadecima Maij.

B I B L I O P O L A,

VBIQVE terrarum ſis, bene feceris; ſi, Auctore inconſulto, Tractatum hunc ne recuderis: vt forſan & illius, & tui experiaris augmentum. Quòd ſi, hac prætermiſſa cautione, recudes; (exceptis pauculis Typographiæ erratis) præcipio, nihil mutes: & adde; [Ad exemplar Romanæ editionis; Septimadecima Maij. Anni Domini M D C X.] Scriptum, vel dictum quodcunq; ſecus; proſcriptum à me, indictumque eſto. *Auctor.*

DE POLITIA ET IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

Tractatus Theologicus.

SEPTEM PRINCIPIA & Prolegomena totius Tractatus.

PRIMVM PRINCIPIVM.

DE IMMVNITATE perſonarum Eccleſiaſticarum, quatenùs concernit res Diuinas, & ſpirituales, non eſt quæſtio: certum namq; eſt, in ijs Clericos eſſe de Iure diuino immunes, & liberos à ciuili Principum Laicorum Poteſtate: videlicèt, in Sacramentorum adminiſtratione: in ſuis ſpiritualibus muneribus obeundis: in cultus Diuini exercitio: in condendis legibus Diuina & ſpiritualia concernentibus: in explicandis Litteris ſacris: in puniendis peccatis contrà hæc commiſſis: in ſanctione pœnarum Eccleſiaſticarum, vt excommunicationibus, ſuſpenſionibus, interdictis, irregularitatibus, depoſitionibus, degradationibus: in Miniſtrorum examine, creatione, inſtitutione; approbatione, confirmatione, ad Ordines promotione: & huiuſmodi alijs.

Ergò præſentem Tractatum in quatuor diuidemus partes. In prima, prępoſitis alijs ſex Principijs, explicabitur quęſtio. Ad quid ſe extẽdat Eccleſiaſtica Politia circà leges humanas, & ciuiles ſecularis Poteſtatis.

In ſecunda declarabitur primò, qualis fuerit ciuilis Chriſtianorum adminiſtratio in Euangelio præſcripta, & deinde quæſtio, An perſonæ Eccleſiaſticæ ſint immunes & liberę, Iure diuino, à ciuili Principum Laicorum Poteſtate, in ijs, quæ criminalia, & ciuilia ſunt, ſiuè quocumque modo temporalia: quæ breuitatis cauſſa, ſub nomine cauſſarum ciuilium, ſeu ciuilis Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis, ſeu Eccleſiaſticæ Politiæ temporalis, comprehendentur.

Digitized by Google

In tertia explanabitur tertia quæſtio: An immunitas bonorum Eccleſiaſticorum ad Eccleſias, Loca pia, & Clericos pertinētium, quæ quo modocumque miniſterijs & vſibus Diuinis deputantur, ſit ſtatuta Diuino iure: accipiendo in hiſce quæſtionibus Ius diuinum ſtrictè, prout diſtinguitur contra quodcunq; Ius humanum ſcriptum, ſiue Ciuile, ſiue Pontificium, & Canonicum.

In quarta, ad quaſdam particulares obiectiones, quorūdam Scriptorum ſtatus ſecularis Principibus blandientium, reſpondebitur, & de Poteſtate Eccleſiaſtica ac Profana tractabitur.

TRACTATVS PRIMA PARS.

II. PRINCIPIVM.

CHRISTIANISMVS ex S. Baſilio Homil. 10. in Hexamer. eſt [Dei ſimilitudo, quam humana natura capere poteſt.] Et cùm res definita ad Chriſtum relationem importet, hanc ſimilitudinem in definitione comprehenſam, non Dei ſolùm; ſed Chriſti, Dei & hominis futuram eſſe intelligimus: iuxtà S. Auguſtinum dicentem Homil. 80. in Ioan: [Iſte locus Euangelicus, vbi ſe dicit Dominus vitem; & Diſcipulos ſuos palmites, ſecundùm hoc dicit, quòd eſt Caput Eccleſiæ, noſque membra eius, Mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS, Vnius quippè naturæ ſunt vitis & palmites. Propter quod cū eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus.] Quod ipſum confirmat Paulus Apoſtolus, nunc Chriſtianos ſic exhortans ad Epheſ. cap. 5. [Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi] nunc verò ſic ſe explicans 1. Corinth. cap. 11. [Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.]

III. PRINCIPIVM CONSEQVENS.

CHRISTVS fuit perfectiſſimus Legislator, & eius Chriſtianiſmi lex fuit, & eſt iuſtiſſima, & perfectiſſima. Prima pars probatur ex dignitate, & excellentia perſonæ Diuinæ, humanam in Chriſto naturam ſuſtentantis; Eſt enim vir cohærens Deo: Zachar. cap. 13. [Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi.] Et iuxtà quod, nomine ipſo, Gabriel, Angelus ad Virginem Sacram miſſus, id referebat, cùm ſignificet idiomate Hebræo: Homo Deus. Eſt tandem [ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ eius,] ideſt, Patris æterni: ex Paul. ad Hebr. cap. 1. & eſt [Emmanuel:] id eſt, Nobiſcum Deus. ex Iſai. cap. 7. & 8. Vndè [Fuit ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à

pecca-

peccatoribus, & excelſior cælis,] ideſt, ipſis Angelicis ſpiritibus, ex Paul. ad Hebr. cap. 7. & ſolus [Peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius,] ex Petro 1. cap. 2.

Secunda pars probatur ex Iſaia, de Chriſto dicente cap. 11. [Erit iuſtitia cingulum lumborum eius.] Ex Ioele cap. 2 de eodem dicente. [Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis Doctorem iuſtitiæ.] Et ratione probatur: quia lex Chriſtiana non ſolùm perficit legem naturæ, hominum mentibus innatam, verùmetiam eſt excellentior omnibus humanis legibus, Officio, Fine, & Præmio.

Nam legum humanarum, & ciuilium Officium eſt, facere homines morigeros, & obſequentes, patriæque amatores; Finis eſt, pacem publicam ciuibus quærere: quod ſuum eſt cuique tribuere: ciues & eorum familias & fortunas ab hoſtium iniurijs tueri: diſſidia & bella ciuilia tollere: omniaq; quæ ad amplitudinem, & Reipublicæ ſplendorem, & vtilitatem conducunt, procurare: & ijs aduerſantia repellere: Præmium tandem eſt, ciues honeſtos, morigeros, & de Republica benemerentes honorare: immunitatibus, & prærogatiuis decorare: malos verò homines, quique Rempublicam dehoneſtant, & perturbant, ſupplicijs afficere, & infamia notare.

Legis verò Chriſtianæ eſt Officium, Chriſtianos homines iuſtitia intrinſeca, & fidei Sacramentis inſtitutos, iuſtiores efficere; & ipſos ſanctarum actionum officijs ſanctificatos, vberiori gratia, æternæq; beatitudinis præmio digniores facere; Finis eſt, pax intrinſeca, [quæ exſuperat omnem ſenſum: quæ cuſtodit corda noſtra, & intelligentias noſtras:] ex Paulo ad Philip. cap. 4. Vndè qui legem hanc Chriſtianam ex charitate obſeruant, comparant ſibi Dei gratiam, amicitiam, & fauorem; Præmium tandem huius legis eſt, vita & requies cæleſtis promiſſa à Deo, iam à mundi conditione, leges ſuas cuſtodientibus.

IV. PRINCIPIVM CONSEQVENS.

OMNES leges humanæ & ciuiles eatenùs ſunt æquæ & iuſtæ, quatenùs vel in lege Chriſtiana expreſsè continentur, vel ex ea legitima conſequentia deducuntur, vel illi ſunt conformes, vel ſaltim non contrariæ: Euangelium enim, ſaltim implicitè, ſufficientiſſimas leges continet, ad omnium, qui vnquam emergere poſſunt, caſuum deciſionem. Conſtat hoc ex illo Prouerb. cap. 8. vbi Verbum & Sapientia Dei Patris ſic introducitur, loquens. [Per me Reges regnant, & legum Conditores iuſta decernunt.]

Sed eſt inſignis locus ad litteram de hoc intellectus, Pſalm. 2. Cùm enim Reges terræ cum ſuis populis, initio naſcentis Chriſtianiſmi, ad uerſus illum, & Chriſtum eius Auctorem adſtitiſſent: videlicet, Hebræi

populi rex Herodes, Gentium autem nomine, & Imperatoris Romani, & illius Imperij, quod orbis ambiebat principatum, cum ipſis Gentibus, Pilatus Iudçæ Procurator, ſicuti ad litteram Pſalm. 2. explicat S. Petrus, Act. cap. 4. dicens, ad Deum Patrem : [Qui Spiritu ſancto, per os patris noſtri Dauid dixiſti : Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania : Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus puerum ſanctum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & P. Pilatus cum Gentibus, & populis Iſrael, &c.] ſequitur Chriſtus, dicens in Pſal. [Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius :] Ecce regnum Chriſti, vt omnes Chriſtianos faciat reges, & regnum (Sic enim eos appellat Petrus. 1. cap. 2. [Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.] Sic loquitur Ioannes Apocal. cap. 1. [Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.] & cap. 5. [Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes : & regnabimus ſuper terram,) prædicare illis Dei præcepta, quæ cuſtodiant, quæ ſequantur. Inſuper adiudicatis Chriſto conſequenter à Patre Gentibus, pro hæreditate, & terminis terræ, pro poſſeſſione, conuertitur ad Reges ad Principes, ad ſeculares Poteſtates; dicens : [Et nunc reges intelligite : erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.] Sequitur, quod noſtrum concludit Principium : [Apprehendite diſciplinam :] ſiue, Adorate filium, ſiue, Oſculamini filium; omnia enim hæc ſignificantur Hebraico ſermone. Itaq; Reges terræ populos regendo, iudices iudicando, Principes gubernando, reſpublicæ ſtatuendo, Poteſtates laicæ, leges dando, tenentur Chriſtianam apprehendere diſciplinam; Chriſtum oſculari, & adorare docentem præcepta æterni Patris [ne, quando] ab hac Chriſtiana diſciplina deuiantibus [iraſcatur Dominus, & pereant de via iuſta,] vt Dauid ibi concluſit. Et hinc graues Iuriſperi ti quandocumque dictarunt, quod in vulgus eſſet proferendum, ſiue circa legum ciuilium naturam, ſiue circa earum declarationem, & ordinationem, ſemper ex ſacris Scripturis antiquioribus; & ex Euangelij doctrina, ſuis Scriptis firmum, & certum iecerunt fundamentum, à quo ſolo fonte prudenter, & piè intellexerunt, poſſe veram Politiam, æquitatem, & rectitudinem deriuari.

V. PRINCIPIVM.

HIC Chriſtianiſmus, ſiue Eccleſia cum lege Chriſtiana, Chriſtum imitando, tam quoad actiones Monaſticas, quibus homines cum obſeruantia mandatorum, ſiue etiam Euangelicorum conſiliorum, ad cælum tēdunt; quàm quoad actiones OEconomicas, quibus familię con-

ſerua-

ſeruatio dirigitur; quàm quoad actiones Politicas, quibus verſus ciuilem Laicum, ſiue Eccleſiaſticum Magiſtratum obedientia continetur; Talis igitur Eccleſia non ſolùm eſt vſque ad finem ſeculi duratura; verùm etiam extitit perfecta à ſui initio, ante editionem cuiuſcunque Scripturæ noui Teſtamenti.

Prima pars conſtat, ex illa promiſſione Chriſti apud Matth. cap. 16. ad Petrum facta: [Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.] Et cap. 28. [Ecce, inquit, ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.] Iuxta illud Iſai. cap. 59. [Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò, & vſque in ſempiternum.] Vnde Apoſtolus Paulus, hanc perfectam, dixit, eſſe Eccleſiæ OEconomiam, & Politiam, ſcribens, ſic ad Epheſ. cap. 4. de Chriſto: [Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei.]

Secunda pars probatur; quia Chriſtus nullum ſcripſit librum, neque legem ſcriptam mundo tulit; ſed in illum mittens Apoſtolos, & Diſcipulos, ſic illis præcepit: Marc. cap. vlt. [Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.] Ideſt, quod ipſe fecerat, & docuerat, vt explicuit S. Luc. Act. cap. 1. eſſe ſuum, & Chriſti Euangelium. Et hanc differentiam veteris & nouæ legis, vt quarum illa in tabulis lapideis, hæc in hominum cordibus eſſet ſcribenda, adnotauit Apoſtolus 2. Corinth. cap. 3. dicens; [Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris: quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus manifeſtati, quoniam epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis; ſed in tabulis cordis carnalibus.] Vbi Apoſtolus oſtendit, adimpletum fuiſſe illud quod per Ierem. cap. 31. Deus promiſerat; ſic: [Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cũ patribus veſtris, &c.] & paulò poſt ſubdit: [Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael: Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.] De quo Chryſoſtomus videndus Homil. 1. in Matth.

VI. PRINCIPIVM CONSEQVENS.

AD indicandum quid ſit de Iure diuino circa ea, quæ tractanda propoſita ſunt, recurrendum eſt omnino ad illum primitiuæ Eccleſiæ

ſtatum,

ſtatum, & ad factum & exercitium illius, circa Eccleſiæ Politiam, circa perſonarũ Eccleſiaſticarum, circa bonorũ Eccleſiæ immunitatem. Probatur: quia cùm vltima conſummatio gratiæ facta ſit per Chriſtum. Ioan.cap.1.dicente: [Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.] Vnde & eius tempus appellat Paulus ad Galat.c.4. plenitudinem temporis: ideò qui fuerunt propinquiores Chriſto, ſicuti Apoſtoli, plenius cognouerunt myſteria fidei, & factum, ſtatum, & exercitium legis Chriſtianæ; & qualiter de illius Eccleſiaſtica Politia, & Eccleſiaſticarum perſonarum Iure, de Sacri, & Profani Magiſtratus Poteſtate, de bonis Eccleſiæ adiudicatis, eſſet cenſendum. Hæc eſt doctrina S.Thom.2.2.q.1.art.7.ad 4.quam ibi optimè explicat Card.Caiet.

VII. PRINCIPIVM.

LICET per traditionem Apoſtolicam multę habeantur Eccleſiaſticæ leges, quæ ſemper & vbique, & ab omnibus creditæ & obſeruatæ fuerunt in Chriſtianis Prouincijs; à quibus arguendo, Politia Eccleſiaſtica, & immunitas Eccleſiaſticarum perſonarum, & bonorum Eccleſiæ poſſet ſufficiétiſſimè confirmari; nihilominùs, vt quicumque intellectus, non diſcolus, & inhumanus, conuincatur: ex Scripturis expreſſis, & maximè noui Teſtamenti colligendum eſt, qualem Chriſtus in iis, Eccleſiæ ſtatum ordinauerit, & qualiter à primitiua Eccleſia fuerit hic ordo ad praxim redactus: & qualiter de iure harum rerum cenſendum ſit, & eſſet, etiam nullis Scripturis noui Teſtamenti exſtantibus: vt Chriſtianiſmi vera facies vniformis conſeruaretur: & qualiter tandem hæc immunitas ſit Diuina traditio, & de Iure diuino.

QVAESTIO PRIMA.

Ad quid ſe extendat Eccleſiaſtica Politia circa leges humanas, & ciuiles ſecularis Poteſtatis?

VNICA CONCLVSIO.

OMnes leges humanæ, & ciuiles cuiuſcumque laicæ Poteſtatis, ad normam Politiæ, & legis Chriſtianę ſunt condendę; qua non ſeruata, per Politiam Eccleſiæ, & eius Pręlatos, & pręcipuè ſummum Pontificẽ, ſunt corrigendæ: etiam adhibitis pœnis Eccleſiaſticis coerçiuis; & in dubijs, tam in particularibus, & vniuerſalibus iudicijs, quàm in earum conditione, ſubſidio dictæ legis, & dictorum Eccleſiaſticorum Prælatorum, & maximè Pontificis ſupremi, ſunt explicandæ.

PRobatur primò in genere concluſio,ex doctrina illa Chriſti, Matth. c.18.[Si peccauerit in te frater tuus &c.]vſque:[Si Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.] Ex qua Doctores omnes colligunt hanc concluſionem.

Sed probatur ſpecificè, quoad primam partem: Chriſtus ordinauit Politiam perfectiorem omnibus alijs Politijs;quæ omnes alias perficit, eas omnes ad finem ſuperiorem acquirendæ beatitudinis, per officia congrua, cum præmijs aptis, eleuat; ergo adamuſſim legis illius ſuperior s ſunt omnes aliæ, tanquam inferiores, regulandæ. Antecedens conſtat ex 3.& 4. principijs in genere: Conſtat etiam ex ſimili ad res naturales: de quibus dixit Ariſt. 1. Meteor. [Neceſſe eſt mundum inferiorem contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde eius omnis vis regatur, & gubernetur.] Sic Politiam ciuilem neceſſe eſt contiguam eſſe Eccleſiaſticæ Politiæ, vnde eius regiminis æquitas, & iuſtitia dirigatur, & gubernetur. Sed in ſpecie probatur ex eo, quia vbi ſupremus Legiſlator Chriſtus, & eius Spiritus Politicas leges edidit, vel earum proxima fundamenta iecit, inferiores Legumlatores ad illarũ formam, in legibus ferendis, debent ſe accommodare: Sed Chriſtus & Apoſtoli ab eo Orbi prędicatores cõſtituti,ex eius doctrina tulerunt Politicas leges, eaſque ordinarunt, vel earum poſuerunt fundamenta proxima: Ergo ad eas eſt ab alijs legum Politicarum conditoribus attendendum. Minor conſtat inductione: ſic; Nam

De vnitate & congregatione ciuium, re prima ad Rempub. neceſſaria, habetur primò ex antiqua Pagina Iſai. cap. 56. [Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate,venite,& emite, abſque vlla commutatione,&c.] & Pſal.33.[Venite filij,audite me: timorem Domini docebo vos.] Sed ipſe Chriſtus dixit Matth. cap. 15. [Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos.] Venite ad me, videlicet, tanquam ad Caput congregationis hominum, immò & Angelorum, ex Paulo ad Epheſ.c.1.& 4.& ad Coloſſ. c.1.& 2.tanquam ad fundamentũ Eccleſiæ,ſcilicet, congregationis fideliũ:ex 1.ad Cor.c.3.& Luc.c.11.[Regnũ in ſeipſum diuiſũ deſolabitur.

De auctoritate Magiſtratuum in ciues iam vnitos,Luc.cap.22.[Reges Gentium, dixit Chriſtus, dominantur eorum, &c.] & Matth. capit. 22. [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.]

De ſubueniendo egenis, & miſeris in ciuitate, docuit Chriſtus Luc.c. 10. [Quod ſupereſt date eleemoſinam.] & cap.6.[Date,& dabitur vobis.]Huc ſpectant ratiotinia de operibus miſericordię danda Mat.c.25.

De reddendis tributis & vectigalibus, & exigendis, & de menſarijs, ipſe Chriſtus etiam,ad vitandum ſcandalum,reddidit pro ſe,& Petro ſtaterem fiſci Imperialis receptoribus, Matth. cap. 17. & publicanos ſic docuit Ioannes Baptiſta Luc. cap. 3.[Nihil amplius quam quod conſti-

tutum eſt vobis,faciatis.] Paulus ad Roman. cap. 13. [Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal,vectigal.]

De obedientia debita Magiſtratibus,ad Roman. cap. 13. Paulus ait. [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit :] cum multis alijs ibi ſequentibus, quæ faciunt ad ea quæ Poteſtati ſeculari ſunt à Chriſtianis præſtanda. Et ad Tit. cap. 3. [Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe.]

De charitate & amore mutuo ciuium, Ioan. cap. 15. inquit Chriſtus: [Hæc mando vobis vt diligatis inuicem : ſicut dilexi vos. Manete in dilectione mea,] Et pro Apoſtolis, & omnibus Chriſtianis ſic orabat Patrem,Ioan.cap.17. [Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi : vt ſint vnum, ſicut & nos.]

De inimicorum dilectione ipſe docuit,Matth.cap.5. [Diligite inimicos veſtros : benè facite ijs, qui oderunt vos,&c.]

De ex pluribus nationibus, & gentibus vna republica Chriſtiana erigenda;Paul.ibi ad Galat.c.3.[Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis : non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus, neq; liber, non eſt maſculus, neque femina : omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.]

De iuſtitia ſeruanda, & inter ciues ſibi inuicem ope ferenda : Matth. cap.7. & Luc.cap.6. [Omnia inquit Chriſtus, quæ vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.] & Paulus ad Galat. cap.6. [Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.]

De conditione ciuium cognoſcenda, & vnoquoque,iuxta ſuum ſtatum,in officio continendo : Petrus 1.cap.2. dicit. [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ,propter Deum ; ſiuè Regi,quaſi præcellenti, ſiue Ducibus,tamquàm ab eo miſſis,ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.] & Paul. ad Tit. cap. 3. [Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe.]

De vitanda eorum hominum communione, qui rempublicam perturbant, quoad Iudæos,propter ſuam perfidiam, Paulus & Barnabas Apoſtoli, Actuum cap. 13. illis dixerunt. [Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei ; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus :] Quo ad Hæreticos,propter ſuam pernicioſam conuerſationem, & fidei Catholicæ abnegationem : Paulus ad Tit. cap. 3. [Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita : ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt,& delinquit : cùm ſit proprio iudicio condemnatus.]

De honore inuicem deferendo, & modeſtia, & ordine in actibus publicis ſeruandis,Chriſtus docuit.Luc.cap.14. [Cùm inuitatus fueris ad nuptias,non diſcumbas in primo loco: ne fortè honoratior te ſit inuita-

tus

tus ab illo, & veniens is, qui te & illum inuitauit, dicat tibi: Da huic locum, &c. Sed recumbe in nouiſsimo loco: vt, cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius &c.] & Paulus ad Roman. cap. 12. [Honore inuicem præuenientes.] & cap. 13. [Cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.]

De obedientia ſeruorum versùs dominos, Petrus 1. cap. 3. ait. [Serui, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.]

De reuerentia vxorum versùs viros, & de horum amore versùs vxores, Petrus ibidem: [Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam; quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.] Et Paul. ad Coloſſ. cap. 3. [Mulieres, ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino: Viri, diligite vxores, & nolite amari eſſe ad illas.] & ad Epheſ. c. 5. [Mulieres, viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino.] & poſtea: [Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.]

De obedientia filiorum versùs parentes, & de eorum educatione paterna, & ſeruorum versùs heros etiam obedientia. Paul. ait ad Coloſſ. cap. 3. [Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino: Patres, nolite ad indignationem prouocare filios veſtros: vt non puſillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis carnalibus.] Idem habetur ad Tit. cap. 2. ad Epheſ. cap. 6. & 1. Petri c. 2.

De matrimonijs Matth. cap. 19. Chriſtus docuit: [Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.] Item: [Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.] Item c. 5. [Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.] & infra: [Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.] & Paul. 1. Corinth. c. 6. [De quibus autem ſcripſiſtis mihi: bonum eſt homini mulierem non tangere: cum multis ibi ſequentibus. & Petrus 1. c. 3. [Mulieres, ſubditæ ſint, &c.] vt ſupra.

De vſuris. Matth cap. 5. docuit Chriſtus: [Qui autem petit à te, da ei, & volenti mutuare à te, ne auertaris.] & item: [Mutuum date, & nihil inde accipientes.] Luc c. 6.

De ædificiorum modeſtia, iuxta ciuiũ fortunas, attendenda, Luc. c. 14. ſimilitudo à Chriſto adducta, de turrim ædificanti, ſumptibus in ea faciendis non computatis.

De ineundo bello, ſeu pacis conditionibus exquirendis, habetur ibidem alia ſimilitudo à Chriſto adducta de rege, copijs, ad bello, cum alio rege confligendum, minus inſtructo. & Ioannes Baptiſta ſic docuit milites: Luc. cap. 3. [Neminem concutiatis: neque calumniam faciatis:

B & con-

& contenti eſtote ſtipendijs veſtris.]

Circa generalem vitę conuerſationem, præceptum dedit Chriſtus Dominus dilectionis, dicens Ioan.cap.15. [Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.] Præcipere autem eſt, habentis iuriſdictionem coactiuam: vt docet Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & habetur cap. Quiſquis.14. quæſt. 1. §. Quod præcipitur, imperatur: & quod imperatur, nec eſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet: vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt, vbi præceptum, neceſſitas eſt ſeruientis. Circa quod videndus Turrecrem. in Sum. de Eccleſ. c.47. verſ. Primò in eodem. lib. 2.

Immò ſicuti Romani Gentiles lumine tantùm ducti rationis naturalis, omnes leges ad vnam hanc prudentiſſimè reducebant: [Salus populi ſuprema lex eſto:] Sic in Chriſtiana excellentiori Republica, cæleſti ac ſupernaturali illuſtrata luce, leges omnes ad vnam rediguntur charitatis legem, dicente Paulo 1. ad Timot. c. 1. [Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.]

De generali forma in ciuilibus cauſſis Chriſtianorum agitandis ſeruanda, eſt Chriſti inſtitutio, Matth. cap. 18. [Si autem peccauerit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium, ſtet omne verbum: quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſię: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.]

De ſpeciali forma accuſationes aduerſus graues perſonas, & ſeniores recipiendi, docet Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 5. [Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.]

De bonorum cõmunium partitione, iuſtitia diſtributiua media intercedente, docuit idem Paulus ibidem dicens: [Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina.] id eſt, duplici bonorum Eccleſię portione cohoneſtentur. ex Hieronymo, & alijs.

Huc ſpectat illa generalis doctrina Apoſtoli 1. ad Timoth. cap. 3. ſic ſcribentis: [Hæc tibi ſcribo Timothee, ſperans me ad te venire citò: vt ſcias, quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui.] item & illa ad Philip. cap. 4. [De cætero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſiqua virtus, ſiqua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.] Vbi plures leges ciuiles, nedum Monaſticas, & OEconomicas, Paulum tradidiſſe facillimè intelligitur. item & illud 1. ad Theſſal. c. 2. [Tenete traditiones, quas audiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.] Item

& illud ad Titum c.1. [Id circo reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas.] Item illud 1. ad Corinth. c. 11. [Cetera cùm venero diſponã.] & cap. 14. [Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſijs Sanctorum doceo.] & item ibi concludit: [Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem, fiant in vobis.]

In quibus locis colligitur clarè, Apoſtolum conſtituiſſe nedum modũ conueniendi in Eccleſiam, miniſtrandi in ea, cõcionandi, orandi, pſallendi, ſedendi, ſeſſum recipiendi aduentantes, communicandi, bona Eccleſiaſtica diſpenſandi, eiſq; vtendi: verùm leges pudicitiæ, in aſpectu, in ſermone, in cultu corporis, in balneatione, in habitatione miniſtrorum ordinis ſacri cum ſuis coniugibus: item leges, & decreta pij, erga Deum: ſobrij, erga ſeipſum: iuſti, erga parentes, vicinos, ciues, peregrinos, Magiſtratus populi, Eccleſiæ Præſules, ſeruos & dominos, peccatores, & pœnitentes: ac denique eorum omnium, quæ ad quodcumque virtutis genus & officium, & actionis laudabilis, rationem ſpectant. Paulus enim qui hæc docuit, & Apoſtoli, qui eodem, quo ille ſpiritu, & loquebantur, & agebant, diſpoſuerunt quæcumque ad ordinem, & honeſtatem, ad pacem, & diſciplinam vitæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ, ac ciuilis æquæ, ac modeſtæ conuerſationis, & ad prouidendum bona coram Deo, & hominibus, pertinebant. De quibus idem Paulus ad Titum c. 1. ſcripſit. vt modo retulimus: [Idcirco reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas.] Multas autem ex ijs Apoſtolicis legibus, Clemens in libris ſuarum Conſtitutionum Apoſtolorum comprehendit.

Et tandem ne longiùs per Euangelica, & Apoſtolica ſcripta euagemur, Chriſtus docuit Matth. c. 19. [Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.] ex quo habetur, nullam legem ciuilem eſſe iuſtam, nullam eſſe æquam, quæ vel ad Dei amorem, & cultum, quæ in tribus primis Decalogi præceptis continentur, vel ad proximi amorem, & vtilitatem, quæ in ſeptem alijs præceptis comprehenduntur, non referatur. Nam ſicuti ad duodecim fidei articulos omnia credenda reducuntur: ſic ad decem illa mandata ſunt omnes iuſtæ leges reducendæ. Manet ergò firmum & certum, quòd quæcumque iuſtitia in legibus Politicis, & à ſeculari editis Poteſtate, comprehenſa, ſiue exemplaris ſit, ſiue purgatoria, ſiue ſit Politica, ſiue formata, vt cum Iuriſperitis loquamur, quidquid iuſti, & æqui, quidquid boni habet, id ex Diuina lege oriatur, & dimanet, neceſſe eſt, cuius fauore, & ſubſidio egent, vt ſciatur, quę ſint leges ciuiles habendę iuſtę, & obſeruandæ, quę verò contra, iniquę ſint, & abolendę.

Secunda pars concluſionis, quòd ſcilicet, leges ciuiles editæ contra formam legis Chriſtianæ ſint per Eccleſiam, & eius Prælatos, & præcipuè per ſummum Pontificem corrigendæ, conſtat; quia leges humanæ legi æternæ, & Diuinæ debent famulari, vt dictum eſt: Sed ad Eccleſiam, & eius Prælatos, & præcipuè ſummum Pontificem pertinet le-

gis æternæ, & Diuinæ declaratio: Ergo ad eam,& eius Prælatos pertinet legum humanarum correctio. Maior præter ea,quæ adducta ſuperiùs pro illa veritate ſunt,adhuc ex naturali Philoſophia eſt manifeſta: [Primum, inquit, Ariſt. in lib. *Μετὰ τὰ φυσικὰ* in vnoquoque genere, eſt aliorum menſura.] Ergo lex Chriſtiana & Diuina,vt legum præcipua, & excellentior, legum omnium debet eſſe menſura: Minor habetur ex promiſſione Chriſti ad Petrum facta, Matth. c. 16. [Tibi dabo claues regni cælorum,&c.] & cap. 18. idem Chriſtus ait: [Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus, &c.] Et eſt doctrina Pauli Apoſtoli ad Epheſios cap. 4. dicentis de Chriſto: [Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos,quoſdam autem Prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.] Ecce Eccleſiæ, & eius Paſtorum & Doctorum,& maximè ſummi Pontificis munus: docere quid ſpectet ad homines in ſanctitate conſummandos, & doctrina ſancta eos paſcere: & docere quid ſpectet ad homines à ſanctitate auertendos; & nullo modo permittere, vt paſcantur legum doctrina, & directione, quæ ab vnitate fidei, & ab agnitione filij Dei, ab Euangelicę doctrinę charitate, pace; & iuſtitia valeat deterrere.

Alterum membrum ſecundæ partis concluſionis, ſcilicet, quòd pœnis ſpiritualibus ſint coerciuis puniendi ciuiles Legiſlatores,ab orbita legis Chriſtianæ deuiantes, probatur ab omnibus Doctoribus ex illo Matth. cap. 18. [Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.] ex quo loco communi conſenſu eliciunt poteſtatem Eccleſiæ,ad Principes etiam ſeculares ab ea extrudendos, ſi legibus iniquis ſuos ſubditos inquietent.

Tertia pars concluſionis, quòd ſcilicet tam in particularibus, & vniuerſalibus iudicijs, quàm in legum ciuilium cõditione,opus ſit ſubſidio legis Chriſtianæ & Eccleſiæ;eiuſque Prælatorum,& præcipuè Sum. Pontificis iudicio, vt illas explicent, probatur quidem primò ex inſigni loco antiquæ Paginæ,Deut.cap. 17. [Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem; cauſſam & cauſſam, lepram & lepram, & iudicum intrà portas tuas videris verba variari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæreſq; ab eis,qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint,qui præſunt loco, quem elegerit Dominus: & docuerint te,iuxtà legem eius: ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit,nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael,

cun-

cunctuſq; populus audiens timebit ; vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia] Qui locus probat optimè etiam concluſionis ſecundam partem. Deinde Sap. cap. 3. ſic habetur. [Audite reges ; & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.] Qui locus adeò probat dictum concluſionis, & Poteſtatem ſæcularem id ſolùm poſſe ſtatuere ſeruandum ſuis ſubditis, quod ſit cum lege Chriſtiana coniunctum, quę eſt ſimpliciter lex iuſtitiæ, & eſſe miniſtros regni Chriſti, idelt, Eccleſiæ, & hanc eſſe audiendam ab eis, vt certò teneant, quid ſit iuſtum in iudicijs iudicandis, & legibus, iuxtà voluntatem Domini, condendis, vt nihil clarius poſſit dici. Idem probatur Aggæi cap. 2. [Hæc dicit Dominus, Interroga Sacerdotes legem,] & Malach. cap. 2. [Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.] Ex nouo Teſtamento probatur dictum: quia [Eccleſia Dei viui,] ex Paulo 1. ad Timoth. cap. 3. [eſt columna. & firmamentum veritatis,] ergo quid verum ſit, quid iuſtum, per eam eſt explicandum. Matth. cap. 16. dixit Chriſtus Petro Eccleſiæ ſummo Pontifici futuro. [Tibi dabo claues regni cælorum,] quas hodie ſui legitimi habent ſucceſſores Romani Pontifices. Si ergo ex illo loco Sapientiæ, poteſtas ſecularis, ſiuè à Regibus, ſiuè à Ducibus, ſiuè à quocumq; Rempub. gubernante exerceatur, miniſtra eſt regni Dei ; & ſummus Eccleſiæ Pontifex habet illius regni claues ſcientiæ, ad diſcernendum inter leges & leges, media, & media regnum Dei acquirendi : ad ipſum dubio procul pertinet, dubia, circa leges ferendas ciuiles, explicare. Vltimò Matth. cap. 23. dixit Chriſtus. [Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæcumq; dixerint vobis, ſeruate, & facite:] quod autem dixit Dominus de Cathedra Moyſi, à fortiori de Cathedra Petri, & Eccleſiæ eſſe intelligendum, docent Doctores cum S. Auguſt. Epiſt. 165.

Tamdem doctrina cõcluſionis hac efficaciſſima ratione, ex ſacra etiam educta Scriptura, probatur: Omnes homines inſtituti ſunt vt eſſent, & viuerent, non ſolùm ſecundùm propriam rationalem naturam, ſed etiam ſecundùm Diuinæ naturæ conſortium. Vndè dicebat S. Auguſtinus. [Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec veniat ad te.] Ergo omnes homines de Iure diuino ſubijciuntur præcepto ſupernaturali de lege Chriſtiana credenda, & ſeruanda, ni velint æterna damnatione puniri: iuxtà illud Marc. cap. vlt. [Qui verò non crediderit condemnabitur.] Ergo laica Poteſtas nequit aliquod impedimen-

um per leges ciuiles, vel alias ponere, quominùs ſubditi ad conſortium illud Diuinæ naturæ perueniant per gratiam, quæ fiat in cælo gloria conſummata. Ergò omnes leges humanæ, omne humanum & ciuile regimen, omnes humanæ conſtitutiones ad legem Chriſtianam, & Eccleſiæ, & eius Prælatorum, qui illius ſcientiæ habent clauem, iudicium, quaſi ad lapidem Lydium, applicandæ ſunt, vt ſic vel approbentur, vel iudicentur reprobandæ.

Hæc concluſio tandem eſt apud Doctores Theologos omnes, & Iuris prudentes, quædam communis ſcientis animi conceptio, vnde ab illis in ſpeciali allegandis erit operæpretium ſuperſedere: cùm paſſim ab Auctoribus eam tractantibus inducantur, nos verò ad res difficiliores explicandas properamus.

TRACTATVS

SECVNDA PARS.

QVAESTIO II.

An perſonæ Eccleſiaſticæ ſint immunes, & liberæ Iure diuino à ciuili Principum laicorum Poteſtate, in ijs, quæ criminalia, & ciuilia, ſiue quocumque modo temporalia ſunt?

Attamen eius occaſione, primo qualis adminiſtratio cauſſarũ apud Chriſtianos, ex Euangelij forma præſcripta fuerit, explicemus.

PRIMA CONCLVSIO.

LEX Chriſtiana prouidit ſufficienter, quo pacto omnes lites, quæ inter Chriſtianos poterant exoriri, inter ipſos abſq; illo ſtrepitu, & figura iudicij, & maximè per Prælatos Eccleſiaſticos, ex æquo & bono, determinarentur.

HAEC concluſio intelligenda eſt de omni lite, quæ ſuboriri poteſt inter fideles, ſiuè illa ortum habuerit ex crimine, ſiuè non, ſiuè crimen fuerit publicum, ſiuè occultum: ſi tamen, quod attinet ad hoc vltimũ membrum, præmittantur ea, quæ Chriſtus Dominus Matth. cap. 18. præcepit: ex quo loco ſpecialiter, quia fortè in praxi modus illic præſcriptus accommodatior eſt, volumus ex profeſſo, veritatem hanc firmiter ſtabilire.

Dixe-

Dixerimus item, [abſque illo ſtrepitu, & ſigura iudicij:] vt ordinem illum inſinuemus iudicij, quem tam noui, quàm antiqui & deſiderant, & expoſtulant ſacri Canones in anfractibus litium amputatis; iuxta Clement. 2. de Verborum ſignificatione.

Concluſio ergò videtur expreſſa doctrina Chriſti Domini Mat. c. 18. ſic docentis: [Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos; vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.] Et quidèm venerando ſanctorum Patrum & Doctorum de hoc loco explicationes plures, & eam, quam ex illis ſuperius adduximus, concluſione vnica, in illo loqui etiam Chriſtum ad litteram, ad concluſionis ſenſum, probatur. Nam Chriſtus qui Chriſtianam Rempub. excellentius inſtituit, ordinauit, & informauit, quàm quicumque alij Legumlatores ſuas Reſpublicas ordinarunt: vt conſtat ex 3. principio: clamaret, maximam ſibi iniuriam fieri ab aſſerentibus, quòd qui circa mores hominum ſingulorum, circa OEconomiam, circa Politiam plura præcepta, & conſilia dederat, de quibus Euangeliſtæ, & Apoſtoli faciunt mentionem; nuſquam meminiſſet, adhibendi remedium litium ciuilium anfractibus, quibus ſciebat Chriſtianos grauiſſimè fore torquendos. Igitur ſi ex alijs Euangelij locis, ex hoc maximè colligitur, qualem Chriſtus reliquerit formam, omnes lites inter Chriſtianos componendi.

Primò videlicèt, vt merita cuiuſcumque temporalis litis, & cauſſæ, alter Chriſtianus frater alteri Chriſtiano repræſentet; & quaſi conteſtetur ipſum, per Chriſtum, vt ab iniuria deſiſtat inferenda, vel iniuriæ faciat ſatis illatæ: qua diligentia in caſſum vertente; voluit vt ad vnum vel duos Chriſtianos, quaſi arbitros, res deduceretur: vt, illius, vel illorum ſententia, omne negotium, duobus vel tribus auſcultatis teſtibus, ſtaret, & componeretur: id enim ſignificat (ſtet omne verbum) ideſt negotium omne (Hebraica phraſi) componatur; neque vlterius cauſſa procedat: quo remedio irrito ſuccedente, voluit vt ad Eccleſiæ Prælatos pergeretur; id enim ſignificat illud, [Dic Eccleſiæ,] ideſt, ex Chryſoſtomo, ijs, qui Eccleſiæ præſident; vt illi ſua auctoritate & reuerentia ſummariè iuſtitiam læſæ parti adminiſtrarent.

Cùm tamen legis Chriſtianæ non eſſet finis; aut opus, hanc ciuilem adminiſtrationem iuſtitiæ à Poteſtatibus, & Magiſtratibus auferre, ſi rigiroſo opponendi, & excipiendi iure partes vellent agere, vel ſibi agendum eſſe neceſſarium duxiſſent: quo caſu nollet Chriſtianus Eccleſiæ Prælatis, lites, charitate media, & Chriſtiana legis modeſtia, inter ſummum ius componentibus, obtemperare: voluit Chriſtus, vt inte-

grum

grum eſſet iniuriam patienti Chriſtiano, iniuriarum agere cum altero Chriſtiano, à congreſſu fidelium, per excommunicationem, eiecto, coram ciuili Poteſtate, eo modò, quo cum illo ageret, ſi eſſet Gentilis, Infidelis, vel publicus vectigalium exactor, quorum iuſtitia malè audiebat: & quibuſcum fuiſſet inutile agere per viam charitatiuæ, vel admonitionis, vel correptionis, vel arbitrariæ compoſitionis; vel obedientiæ, & reſpectus ad Eccleſiæ Prælatos; quos Ethnici, & publicani, vel maximè cõtemnebant. Hæc eſt doctrina Antiochenæ Synodi, annis quinque poſt Nicænam habitæ: renouans enim, eiſdem ferè verbis, ſententiã Canonis Apoſtolorum. 32. in eum presbyterum, qui contempto Epiſcopo, alioqui pio, & fideli, ambitioſè & tyrannicè aliud altare erigit, ſi vocatus ab Epiſcopo ſemel, iterùm, & tertiò parere nolit, & deiectus de gradu, adhùc tumultus, & turbas excitet: iubet in 5. Canone Synodus, vt corrigatur per ciuilem Poteſtatem, quam Pius Pont. Epiſt. 2. decret. Curiam vocat. Vtrumque Canonem, Apoſtolorum ſcilicet, & Synodi Antiochenę citauit Synodus Conſtantinop. quę vocata eſt, Prima & ſecũda, & habetur Græcè in Bibliotheca Vaticana, ſic dicẽs, extrema parte Canonis 9. Si qui verò fuerint, qui neque monitis, neque ſupplicijs Eccleſiaſticis corrigi voluerint: nemo hos per Magiſtratus loci corrigi prohibuerit: ſiquidem Synodus Antiochena Can. 5. ſanxit: vt, qui ſeditiones in Eccleſia mouerent, manu externa, ideſt, per ciuilem Poteſtatem, corrigerentur. Et licet hæc Synodus careat auctoritate, cùm tamen ex ea Gratianus 7. quæſt. 1. cap. Hoc nequaquam. in Decretorum corpus contulerit, nihil facimus nouum, ſi hunc Canonem 9. ex ea citamus: ſaltim vt videatur 383. Epiſcopos, ex quibus conſtabat Synodus, illam doctrinam edidiſſe, quaſi legitimo fundamento Canonum, & Apoſtolorum, & Antiochenæ Synodi, ſuperſtructam. Quod etiam infra parte 3. arg. 3. contra 1. concluſionem 12. Notando. erit amplius explicandum.

Neque obſtat, ſi dicatur, Chriſtum Dominum hic de illis peccatis ſolùm fuiſſe loquutum, quæ frater Chriſtianus ſecretò omnino cõmiſiſſet: Reſpondetur enim ex communi ſanctorum Patrum explicatione, etiam de alijs non tam ſecretis, & de quacumque iniuria inſtituiſſe ſermonem. Nam ſicuti de peccatis ſic ſecretò in fratrẽ admiſſis poſſet frater ſecretò illum corripere, admonere, & ab illo ſatisfactionem poſtulare, via fraternæ correctionis; de illis tamen neutiquàm poſſet ab eo coram vno, vel duobus arbitris, per teſtes conuinci, quanto minus poſſet obtinere, vt Eccleſiæ Prælatis delatus, illis in ſatisfaciendo obtemperaret. Ergo Chriſtus hic loquitur etiam de peccatis, de quibus frater ſecretò correptus, adhuc patienter ſuſtinet, vel ſuſtinere debet, coram Chriſtianis vno, vel duobus, adhùc etiam argui teſtimonio duorum, vel trium teſtium; immò tandem conſentit Eccleſiæ Prælatis, circa illorum emendationem, obſequi. Loquitur etiam de fratribus Chriſtianis lites quaſ-

cum-

cumque, & cauſſas, quacumque occaſione habentibus, de eorum iniurijs, negotijsq; ſecularibus, vt facillimè ex Chriſtianę legis præſcripto, Chriſtiana charitate, modeſtia, & æquitate dirimerentur. Sic intellexere hanc Euangelij doctrinam Clemens lib. 2. Conſtit. Apoſtol. c. 37. 38. & 46. & Felix. II. Epiſt. 1. decret. agens de Epiſcoporum accuſationibus, & Innocen. III. c. nouit. de iudic. & alij inferius referendi.

Explicatur locus Euangelij; [Si peccauerit, &c.]

ATTAMEN, cùm huius Euangelici loci explicatio, ſit totius futuri noſtri, & ſermonis, & Tractatus firmiſſimum fundamentum; priuſquam dictos Pontifices ſuiſmet verbis loquentes proferamus: adhuc quædam non ſpernenda, in ipſis Chriſti Domini verbis explicandis, inducemus. [Si peccauerit in te, inquit, frater tuus;] in te, videlicet, contra te ipſum, vt explicant Auguſtinus, Hieronymus, & Chryſoſtomus infra referendi, vel in alium, vel alios, coram te, vel, te vidente, vt multi Doctores explicant. Item, ſi peccauerit coram te, vel, te vidente, contra Deum, vt graues Doctores interpretantur: vt ſit ſermo Chriſti de omni peccatorum genere; ſiue ſint contra nos, ſiue contra Deum. Id enim Chriſti præceptum, eò tendit, vt peccatorem, non acerbè ſubitò accuſemus: ſed benignè, ſi peccatorum circumſtantiæ id admiſerint, corrigamus. Ea autem ratione dixit ſpecificè, [Si peccauerit in te,] quia tunc, & acres, & diſerti reprehenſores euadimus, cùm eos, qui nos quacumque ratione lęſerunt, obiurgamus. Ibi ergo Chriſtus nobis frænum adhibuit, vbi inſtabat veriſimiliter periculum, ne in corripiendo præcipites ageremur. Ergo ab vna peccatorum ſpecie, totum eſt intelligendum genus, niſi quid aliundè obſtet, quo minùs hæc corripiendi gradatio ſit adhibenda, & ad Eccleſię Prælatos, ea prætermiſſa, ſit peccator, nulla interiecta mora, deducendus.

Si peccauerit in te,] vbi Gloſſa interlin. ſic habet; [iniuria, vel contumelia affecerit,] Certum eſt autem, hoc dupliciter poſſe contingere; vel eum priuatè lædendo formaliter, vel ſolùm materialiter: errore puta aliquo offendendo: errorem autem appellamus ignorantiam, vel fragilitatem, ſiue infirmitatem humanam: quod ex verbo Græco ibi appoſito, ἁμαρτήσῃ, ſic deprehenditur explicandum; Ἀμαρτάνω enim errore etiam, & ignoratione delinquere, ſignificat. Huiuſmodi igitur peccata, charitate, æquitate, ac lenitate priuatim corrigenda ſunt: eſtque de eis frater, & proximus inuicem admonendus: quæ agendi ratio numquam eſt prætermittenda, quoad manifeſta ſit obſtinatio, proteruia, & inobedientia: ſed ſumma modeſtia, & prudentia agendũ eſt: ne ad vlteriorem agendi formã deueniatur. Ecce ex pręſcripto Euangelico, hoc primũ, hoc antiquiſſimũ eſſe debet conſiliũ: vt frater reſtituatur.

Adiungit Chriſtus Dominus, [Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum,] quod eſt dictū e fratre, ſeu proximo peccante, & te, vel alium iniuria afficiente quacumque, ſiue etiam errore, aut ignoratione, offendente per ſecretamque tuam admonitionem, correctionemuè non reſipiſcente: vnus vel duo arbitri indices accerſantur, qui in ore, id eſt, ſermone, declaratione, vel depoſitione duorum vel trium teſtium, de cauſſa illa teſtimonium ferentium, illam firment, illius merita decernant, ita vt contumax frater conuincatur, & ad faciendū ſatis læſę parti pręparetur.

Pergit Dominus. [Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ,] id eſt, ijs qui Eccleſiæ præſident, Prelatis: vt ex Chryſoſtomo diximus, quem Euthimius, ac Theophilactus ſequuntur: rem defer ad Eccleſiæ Paſtores, eiuſque legitimos Magiſtratus reſpectiuè, quorum voluit Chriſtus Legiſlator, vt ſumma iudiciaria auctoritas eſſe debeat, in Chriſtianæ religionis diſciplina: maxima etiam dignitas ad componenda fratrum diſſidia, offenſiones amouendas, inimicitias diluendas, gratiamque reconciliandam: ac denique ad omnem pacis, & charitatis mutuam commoditatem procurandam.

Additur [Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus,] id eſt, ſi Prælatorum Eccleſiæ diſciplinam, ſenſum, & iudicium, ſuſcipere, ſuſpicere, & ſubire recuſauerit, vitandus eſt: atq; à conſuetudine piorum arcendus, tamquam Ethnici olim, & publicani: hoc eſt, vt manifeſtus, & mali exempli peccator, quales publicani habebantur: vel omnino à veræ religionis communione alienus, quales Ethnici Idololatræ erant: Ethnici, inquam, qui errorem ſuum tueri, & defendere, atque Iſraelitarum religioni, ac cognitæ veritati anteponere ſtudebant. Fratre ergo in ſuo iniquo propoſito perſeuerante, eum vitabis, tamquam Ethnicum & publicanum: vnde geminus tibi ſic creſcat fructus: alter, nam non dabitur deinceps occaſio frequens te, vel alium coram te, lædendi: alter verò, nam ſi læſi adhuc ab illo, tu, vel alius fueritis, non tantùm admiraberis, aut offenderis, quippe cùm nec nouum, nec mirum videri debeat, ſi quis te lædat, vel alium fratrem, qui à veſtra ſit omnino alienus religione.

Hæc tamen verba Chriſti, [Sit tibi ſicut Ethnicus, &c.] non vetant iudicialem maiorem vel minorem, præter excommunicationem Magiſtratus cuiuſcumque legitimi Eccleſiaſtici, vel ſecularis, vindictam in peccantem fratrem: immo ad eam, ab eis procurandam, liberam læſo relinquunt electionem: ſed priuatas ſingulorum vltiones, quæ prorſus Chriſti hac doctrina Euangelica prohibentur; iuxta expreſſam illā Eccleſiaſt. cap. 19. [Non oderis fratrem tuum in corde tuo; ſed publicè argue eum: ne habeas ſuper illo peccatum.]

Et vt facilior aditus integræ huius loci expoſitioni pateſiat, & conſtet,

iudi-

iudiciariam hic à Chriſto Eccleſiæ Prelatorum, quo ad omnes cauſas, inſtitutam fuiſſe facultatem: fingamus naſcentis Eccleſiæ initio in Vrbe, in qua hæc ſcribimus orbis capite, Romanum populum ſub Imperatoribus degentem Ethnicis; ex ſeptem ſuis, pro ſex partibus Chriſti Domini fidem ſuſcepiſſe, & Euangelicæ colla ſubdidiſſe diſciplinæ. Neque eſt vana, aut forſan neceſſaria fictio; cùm Tertulliani tempore, ipſo atteſtante in Apologetico, maior iam Romanæ ciuitatis & gentis pars Chriſtiana effecta, ſub Imperatore Idololatra, illius iugum pacatè ſufferens, conuerſaretur. Fingamus etiam illam ſeptimam Ethnicorum partem ambire Imperatorem, & Senatores, omneſque vrbis rectores, ac Iuri dicundo præfectas Poteſtates. Supponamus etiam id, quòd humana conſiderata fragilitate, omninò tamquàm certum ſupponendum eſt, inter illam ingentem Chriſtianorum hominum multitudinem, plures intercedere litium occaſiones, & lites, plura adeſſe diſſidia, offenſiones, ac læſiones plures particulares non deeſſe. Et tandem firmemus Chriſtianam hanc vrbis maximam partem, votis omnibus exoptare, vt Chriſtus lux vera, quæ eam ab errorum eduxerat tenebris, ſeptimam illam Ethnicorum etiam illuminaret partem, vt vnanimes, vno ore, omnis Romanus populus, vna in Chriſto facta ſocietas, vnum Chriſtum, eſſe verum Deum, & verum Dominum fateretur.

Hac præuia fictione, quærimus à quocumque ad rationis amuſſim, intellectu conſtituto: ſi multitudo illa Chriſtianorum cum ſuis illis litium ſiue ciuilium, ſiue criminalium anfractibus, & labyrinthis, ſubitò, & hac Euangelica Chriſti intermiſſa doctrina, Poteſtates illas Ethnicas adiret, & eas in eis rigoroſè decidendis diſtineret; quod nomen, quem honorem, quam gloriam Chriſto ſuo Legiſlatori compararet? Hæccine eſſet via Ethnicam illam turbam, ad fidem rectam, & Chriſtianam diſciplinam conuertendi? Dicerent certè, nec immeritò, Imperator, Senatores, Iudices, illæque vniuerſæ Poteſtates: [Quæ gens tam barbara noſtris ſucceſſit terris? [Deum pacis, Chriſtum per ſanguinem ſuum pacificatorem, ac totius charitatis, concordiæ, & vnanimitatis vos iactatis habere Legiſlatorem: cùm tamen apud vos diſſidia perpetua, offenſiones, læſiones, ac lites continuæ commorentur? Vel Chriſtus veſter Auctor nequiuit, vel neſciuit ſtatuere, ſuamque rempublicam politicè condere, vel aliquis alius hic latet error, nos, abſque dubio, æqua ratione detenturus, quo minùs eius legi Euangelicæ concredamus. Decuit igitur omninò Chriſtianę legis perfectioné, hanc à Chriſto Domino viam regiam, offenſiones, læſiones, lites, & cauſſas quaſcumque inter Chriſtianos exortas, dirimendi ac diluendi, cum poteſtate iudiciaria Eccleſiæ Prælatis fuiſſe conceſſam, verbis hiſce expoſitis, & adhuc exponendis: vt quando ad Magiſtratum, etiam Ethnicum lites fratrum Chriſtianorum, ex iurium apicibus terminandæ,

deferrentur, intelligeret id non Chriſti Legiſlatoris, & eius Euangelicæ legis defectu, ſed culpa, malè eam excipientium, ſuboriri.

Accedit dictis hæc fortiſſima ratio: nam ſicuti in quarta parte Tractatus, inferius probandum eſt, & nunc illud ſupponimus: ab orbe condito, vſque ad annum præſentem 1610. perpetua ſucceſſione ſemper fuit vnus Eccleſiæ Præſes, ac Monarcha: vt in prima Monarchia conſtat, deducta à Protoplaſto Adamo, per Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Mathuſalem, Noe, Sem; & in ſecunda ab Abrahamo, ſeu potius Iſaac eius filio (nam Sem Abrahamo ſuperuixit) per Iacob, Leui, Caath, Amram patrem Moyſi, & Aaronis, quod totum longum annorum interſtitium Legis naturę tempus nuncupatur. De ſtatu verò legis ſcriptæ poſtea dicendum. Ad hos autem Præſides & Monarchas pertinuit ſemper, in medio nationis cuiuſque prauæ, vitia eradicare à ſuis ſubditis, eorum delicta punire, de eorum cauſſis cognoſcere; ac denique omnem Politicam viuendi formam inter eos exercere; quò nomen Domini in terra inuocaretur, & iuſtitiæ omnes intenderent conſeruandæ. Rogamus igitur attentè conſiderari, quanto interuallo legem naturæ lex antecedat Euangelica? quæ eam non deſtructura, ſed perfectura, lex legum vltima ſuperuenit. Eſſet ergo abſurdiſſimum, poteſtatem hanc iudiciariam Eccleſiæ Prælatis, à Chriſto eſſe contributam, negare: quæ in Præſidibus legis naturę, tanto ad Euangelicam inferioris, à Deo ipſis concredita pręceſſiſſet.

Ad hęc ſupponamus, Chriſtianorum Eccleſiam aliquam, in ea ſecularis alicuius Principis Ethnici, vel quocumque modo infidelis, exiſtere ditione, in qua Magiſtratus non ſolùm cæleſti, ac naturę vires excedente luce vera, ſint orbati: verùm ipſo naturę lumine in eis offuſcato, publicè ea crimina in republica graſſari permittant, quę ſint enormia, atrocia, immò ipſi infenſa naturę: quę ſuppoſitio non eſt vana, cùm Lacedæmones olim latrocinia admitterent ſecreta; & infideles hodierna die aliquot Principes, nefanda in ſuis dominijs patrari vitia impunè patiantur. Nonne eſſet abſurdiſſimum aſſerere, Chriſtianam legem adeò mancam à Chriſto fuiſſe ſuis aſſeclis inſtitutam, vt extirpandis, in ſuis Chriſtianis hominibus, ſimilibus non ſufficeret vitijs: ac libertate Infidelibus communi, Chriſtianus, & Chriſtianæ, puræ ſcilicet, ſanctæ, ac caſtæ legis profeſſor, poſſet impunè ſimiliter congaudere?

Argumentum graue diluitur.

POSSET hic aliquem, hæc conſideratio, circa hanc Euangelici huius loci explicationem, retardare: nam Chriſtus Dominus id pręmittit, vt in fratre corrigendo, vel admonendo, vel coram vno, vel duobus, per teſtes, conuincendo: vel tamdem ad iudicium Eccleſiæ deferendo,

rendo, peccatum omninò præcedat: [Si peccauerit, inquit, in te, &c.] Contingit autem ſæpè, vt in litis vel cauſſę alicuius conteſtatione, iuſtitia ſtet pro illa parte, quam pars altera ſibi eſſe iniuriam exiſtimat; ac iuxta Chriſti Domini doctrinam, & admonendam, & corripiendam, vt ab inſtituta ſileat prætenſione: nullo igitur intercedente peccato, nulla præuia læſione, quid vanius, quàm opus eſſe, aſſerere, iuſtum fratrem ab iniuſto corrigi, vel moneri, argui, aut accuſari? Sed reſpondendum eſt, delicta, peccata, læſiones, & offenſiones intelligere, eſſe rem arduam, Spiritu ſancto per regium Vatem ſic aſſerente, Pſalm. 18. [Delicta quis intelligit?] Ergo illud dictum Chriſti: [Si peccauerit, &c.] non tam obiectum, & materiam peccato incluſam, non tam actum ipſum peccati reſpicit, quàm potentiam, & dictamen intelligentis de actu, & materia peccati, ſiue illud ibi adſit, vel abſit, illud tamen adeſſe iudicantis: quo caſu ſtante, inſurgit reciproca obligatio fratribus Chriſtianis inuicem charitate, & lenitate ſeipſos admonendi, cùmque neuter ab intentione in cauſſa deſiſtet, ſuccedens per arbitros Iudices, vel Prælatos deinde Eccleſiaſticos, iudicium, cauſſam fine concludet debito, diſcuſſa partis iniquè intelligentis, & ſatagentis nebula; vel res tamdem tota ad alium legitimum etiam Magiſtratum ſpectabit terminanda.

Secundò reſpondemus; propter hoc argumentum, fuiſſe in ea ſententia Molinęum; vt putaret, hanc Chriſti legem: [Si peccauerit, &c.] In perſpicuis tantum peccatis, habere locum, ſed certè toto cęlo errauit: ſi enim ſic ſe res haberet, nulla ratione eſſent teſtes adhibendi: peruulgata namque, & perſpicua, ſiue, vt Canoniſtę loquuntur, notoria, teſtibus tantùm egent, quantùm ſol face; & tamen Chriſti lege illa cautum eſt: vt duo, aut tres proferantur: non ſunt igitur nota tantùm, clara, vel publica, ſed etiam occulta: Chriſtus enim Dominus ait: Argue eum priuatim, arbitris remotis; deinde teſtes adhibe; poſtremò, ſi nolit ſic audire, dic Eccleſiæ: Non eſt igitur ibi ſermo ſolùm de publicis, ſeu de omninò vulgatis; euidentia enim patrati ſceleris, accuſatoris clamore non indiget: vt docet Auguſtinus, citatus de Accuſ. c. Euidentia: quod ipſũ confirmat Ambroſius 2. q. 1. dicens, Manifeſta, accuſatione non indigent: de quibus multa habentur, de cohabitatione Cler. c. vlt. Neque eſt cur Eccleſię dicatur, aut nuncietur, quod ipſa ſatis nouit. Et cùm tres ſint, quaſi legitimæ vię ad delicta, & maleficia coercenda; Accuſatio, Denunciatio, & Inquiſitio: prima, non, niſi antecedente inſcriptione, fieri debet; ſecunda exhortatione, vel admonitione beneuola, & fraterna: vltima verò Inquiſitio, famam, ſeu clamoſam inſinuationem ſequi debet: in notorijs, neque inquiſitionem, neque denunciationem, neque accuſationem deſideremus, oportet; quæ omnia tradita ſunt expreſsè, de Simonia c. 31. Aſſerebat ergo Molinæus, legem præfatam, quæ de accuſatione, vel denunciatione reuera agit; ad notoria, & perſpicua ſo-

lum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lium referri : & minimè ad iudicialem cauſæ cognitionem pertinere. Attamen hoc Chriſti diſciplinæ contrarium omninò eſt; qui iubet, reum ab Eccleſia audiri; aliàs quò ſunt teſtes, ſi nolit? Cur enim reum, cuius partes æquiores ſunt, quàm accuſatorem, non audiat? Vocabit ergo eum; ecce iudicij, initium: vt ait Iuſtinianus, de pœna temerè litigantium; propoſitoq; per accuſatorem flagitio, ſi reus id neget, à ſe admiſſum, eius exceptiones audiet Eccleſia; cùm defenſio propria, naturalis iuris ſit: iuxta doctrinam Iuriſperitorum: quæ certè omnia iudicij actiones ſunt: ac per hoc, an præceſſerit peccatum, vel ſcelus illud in reo, an fuerit, errore, ignorantia, vel malitia ab accuſatore conceptum, protinus apparebit: Vt ſciatur ex iudicio, an ſit pro Ethnico habendus, ſi non pareat, vel aliter emendandus, vel abſoluendus.

Conſtat igitur, quo ſenſu accipiendum ſit, illud prius, ſcilicet: [Si peccauerit in te, &c.] Neque reperietur vnquam ratio aliqua alia, vel commodior, vel congruentior, vel æquior, vel iuſtior; (etiam ſi totius orbis, tàm antiqui, quàm noui Legumlatores, eſſent de illa iudiciũ ſuum interpoſituri,) quàm ſequi Eccleſiam oporteret; præter illum iudicij ordinem, quem Chriſtus edidit Dominus; quemque ex ipſius doctrina, & nouiſſimi, & antiquiſſimi ſacri deſcribunt Canones. Diximus, ordinem iudicij, tàm in breui illa explicatione concluſionis, quàm hic ſæpius; non autem inordinatos, & importunos æternarum litium anfractus: ſed vt vocato primùm reo, eius exceptiones peremptoriæ, ſeu dilatoriæ, & omnes defenſiones, quæ iuſtæ viſæ fuerint, admittantur; fiatq; probandi copia; denique id quod, ſine illo ſtrepitu, ac figura iudicij, ex Clementina ſupra citata, diximus intelligendum.

Summorum Pontificum doctrina pro explicatione: [Si peccauerit, &c.]

QVIBVS ſuppoſitis, iam erit operæpretium, priuſquam cetera, quæ ſuper hunc Euangelij locum, dicenda reſtant, adiungantur: vt illius explicationem, ex ore Clementis, Felicis, ac Innocentij ſummorum Pontificum, ſuperius citatam, proponamus. Clemens ergo, lib. 2. conſtit. Apoſt. c. 37. ſic ait: [Oportet Epiſcopũ rectè iudicare, &c. & quæ vitijs carent, retinere, vitioſa verò, vel curare, vel, ſi eſt ægritudo inſanabilis, expellere: & non celeriter amputare, neque quibuſuis credere.] & addito de ijs, qui per calumniam, aut aliàs, iniquè ſuos, coràm Epiſcopo, accuſant fratres; addit: [Tu igitur conſidera eum, qui accuſatus eſt, ſapienter animaduertens, quæ eius vita ſit, & qualis; & ſi reperè ris accuſatorem dicere verum, fac, quod Dominus faciendum eſſe docuit. (Matth. ſcilicet, c. 18.) conueni accuſatum ſeorſum, & argue eum, nemine præſente; vt eum pœniteat: ſin autem non paruerit, adhibito vno aut altero, indica ei erratum, monens eum, adhibitis manſuetudi-

ne, & diſciplina: quoniam in corde bono requieſcet ſapientia, in corde autem inſipientium non dignoſcitur.] Deinde cap. 38. addit: [Si autem vobis tribus crediderit, bene habet; ſin aliquis durus, obſtinatuſq; erit, dic Eccleſiæ: hanc ſi contempſerit, neque audire voluerit; ſit tibi, vt Ethnicus, & publicanus: & ne eum ad Eccleſiam, tamquam Chriſtianum, admittas: immò tamquàm publicanum deuita. Si autem vult agere pœnitentiam, aſſume eum; neque enim Ethnicum, aut publicanum ad communionem Eccleſia admittit, priuſquam eos, eorum, quæ impie commiſerunt, pœniteat: pœnitentia enim ductis Dominus noſter Ieſus Chriſtus locum pœnitentiæ conſtituit.]

Item c. 46. ſequenti: [Ne igitur diſceptationes veſtras Gentiles cognoſcant: neque ad dicendum contra vos teſtimonium, adhibeantur; neque ab eis iudicemini; neque quicquam eis debeatis, quod ad tributum, & timorem pertineat: Quin potius reddite quæ ſunt Cęſaris, Cęſari: & quæ ſunt Dei, Deo: vt vectigal, aut cenſum, &c.] Ecce, iudicari omnes Chriſtianos à iudicibus Eccleſiaſticis, ſeu ab ipſis conſtitutis, intelligit Clemens eſſe, reddi Deo, quę Dei ſunt. Addit infra: [Si verò fratres habuerint aliquid alius aduerſus alium, quod Deus auertat, indidem intelligere debetis, qui Prępoſiti eſtis, quòd, qui huiuſmodi ſunt, non faciunt opus fraternitatis in Domino, &c. qui igitur conuictus fuerit, obiurgetur, eijciatur, & pœnas odij fraterni luat; deinde ſi eum peccati pœnituerit, recipiatur: atque ita caſtigati, tribunal veſtrum alleuabunt. Oportet autem mutuò iniurias condonare, non quidem iudices, ſed eos ipſos, qui inter ſe querelas habent; ſicut Dominus dixit: cùm ego Petrus ſic eum percontarer: Quoties in me peccabit frater, & dimittam ei? Vſque ſepties? & reſpondit, Non dico tibi, vſque ſepties. ſed, vſque ſeptuagies ſepties. Sic enim vult Dominus eſſe veros diſcipulos ſuos, nihilque eſſe alteri in alterum, &c.] Ecce locũ Euangelij, conſequentem præfatum, de quo agimus, locum, explicat Clemens, ex ore Petri, etiam conſequenter; vt qui in doctrina Chriſti priori, intellexerat, de diſſidijs fratrum, in foro contentioſo, coram ſuperiori Eccleſiaſtico Prælato, agi; in poſteriori parte, qua Petrus ſcrupulis rogauit ſuis à Chriſto fieri ſatis, intelligat, de illa agi etiam condonatione alterna delictorum, ac noxarum; per fratres ipſos, non per iudices, eorum ſedandis diſcordijs præſidentes, facienda.

Ex quibus locis Conſt. Apoſt. tria ſingulariter ſeſe nobis offerunt adnotanda: eſt primum ex c. 38. in hoc ordine iudiciario, à Chriſto Domino diuinitùs inſtituto, & ab eius Apoſtolis, & obſeruato, & vt à poſteris obſeruaretur, pluribus explicato, etiam Prælatis, Epiſcopis, ſeu Preſbyteris, ſeu Iudicibus quibuſcumque, per eos, quibus iudicium præcipuè competebat, delegatis, vel aſſignatis, à Chriſto Domino fuiſſe illam trinam gradationem præceptam; vt conſtante iam per teſtes, vel inſtru-

menta,

menta, ſeu tabulas, vel aliis de corpore delicti, ipſi Iudices, priùs ſecretò, & arbitris ſemotis, delinquentem admoneant, corripiant, & arguant; deinde, ſi non paruerit, adhibeant ſecum vnum, vel duos, coram quibus, & cum quibus adhùc arguatur: quo in ſua contumacia adhùc perſeuerante, rem totam coram Eccleſia, multitudine, ſcilicet, fideliũ, ad illum diſtrictum pertinentium, deducant, vt reo interim obſtinato, ſeparatio, tamquam Ethnico, & publicano, à fidelium conſortio nuncietur. Confirmat hanc explicationem Eucherius Lugdunenſis Homil. Fer. 3. poſt 3. Dominicam Quadrageſimæ, ſic ſcribens: [Quęcumque alligaueritis, &c. Hoc Epiſcopi audiant, & hunc ligandi, & ſoluendi ordinē teneant. Priùs ſingulariter, aut per ſe, aut per alium, peccantes conueniant; deinde, cum paucis; poſtmodum verò, cum tota Eccleſia, quam ſi audire contempſerint, iam tunc eos ligare non dubitent. Qui enim ſic ligantur, & in cælo, & in terra ligati ſunt.] Quem ordinem arguendi, & iudicandi, obſeruaſſe Auguſtinum inferiùs apparebit.

Secundò eſt obſeruanda ex c. 46. cohęrentia, & continuatio Chriſtianæ doctrinæ, ab illo exordio, Matth. c. 18. [Si peccauerit in te, &c.] quouſq; Dominus, ac Legiſlator, dubitationi Petri, ad quem, reſpiciendo primò ſuos condiſcipulos, tamquam ad eorum, & omnium fidelium futurum caput, & Paſtorem fuit loquutus, pleniſſimè ſatisfecit. Ergò in eius continuatæ legis conditione, adiecit Chriſtus maius quiddam, id autem fuit, ratihabitio ipſa Dei; (quæ, vt habetur c. Quotiens, de pact. mandato comparatur; in eo, videlicet, ex Gloſſ. ibi verb. ratihabitio. ratum habente, qui ab initio, mandare, vel conſtituere potuit:) & comprobatio ſententiæ ipſius Eccleſiæ per eum facta. [Quæcumque, inquit Chriſtus, alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo.] Quæ lex, vt eſt generalis, ſic generaliter omnes Chriſtianos, cuiuſcumque ſint conditionis, tenet; ſententiaq; Eccleſiæ, eius, videlicet, Præfectorum, quæ Dei etiam eſt, huius legis facultate lata, ſummum imperium erit in Chriſtiana Republica, cui, aut parere fideles omnes oporteat, aut ab Eccleſiæ cœtu, eijci, expelli, exterminari.

Tertiò aduertimus, legis manſuetudinē, lenitatem, ac facilitatem, quæ tantam æquitatem, & iuſtitiam, eo diſpoſuit modo, adminiſtrandam; vt ſine, vel minima, ſecularium Principum iniuria; immò cum eorum ditionum ſumma vtilitate, in praxi à fidelibus præſtaretur. Licet enim cuicumque Congregationi, cœtui, aut ſocietati, etiam artis cuiuſcumq; Mechanicæ, abſque Principis, eiuſue ditionis iniuria, aut pręiudicio, inter ceteras, talis Congregationis, iuſtas leges, hanc etiam rogare: vt tot, vel tot boni, ex ſocietate, viri iudices cauſſarum deligātur, ad quos confratres, ac conſocij, congregiq; omnes, in ſuis quibuſcumq; diſcordijs, litibus, diſſenſionibus, aut differentijs, conueniant, vltimam ea-

rum compoſitionem, & ſententiam, ab eis expectaturi; addito, vt, ni illorum iudicio, etiam per congregationem approbato, ſtare voluerint ab ea protinus, ſeu aliquot præmiſſis admonitionibus, arceantur; & non licuiſſet Chriſto Legiſlatori, hanc vtilem, & grauem legem, abſque Principum laicorum præiudicio, aut iniuria, immò pro eorumdem rerum publicarum ſummo bono, & æquo, Eccleſiæ Catholicæ reliquiſſe. Reliquit certè, ſicuti licuit: eamque, verbis propoſitis, conceptam, ſtatuit ſemel; & ſi non ſtatuiſſet, millies ab Eccleſia eſſet eius nomine, ex Spiritus ſancti, qui eam dirigit, inſpiratione, ſtatuenda.

Sed iam accedat Felix II. Epiſtol. 1. decret. ſic formaliter ſcribens [Si quis aduersùs Epiſcopum cauſſam habuerit; non priùs alios Epiſcopos adeat, vt eum accuſet, quàm formaliter ei ſuam indicet querelā & ab eo, aut iuſtam emendationem, aut rationabilem percipiat excuſationem: ipſa nos inſtruente Veritate: Si peccauerit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si te non audierit adhibe duos, vel tres tecum: & ſi non hos audierit, dic Eccleſiæ; ideſt, accuſa eum publicè. non priùs, &c.] Ecce Felix explicat manifeſtè hunc Euangelij locum, de litibus, iniurijs, offenſionibus, læſionibus, & cauſſis, quæ aduersùs Epiſcopum, à quocumque poterant fratre Chriſtiano, coram alijs Epiſcopis, in iudicio publico, dici, proponi, aut conteſtari. Cui doctrinę Alexander etiam Pontifex I. & habetur 2.q.7.cap. Siquis erga. adſtipulatur.

Colligitur autem perſpicuè ex hac Pontificum doctrina, Chriſtum Dominum loquutum fuiſſe in illa lege, etiam de litium, cauſſarumque quacumque materia, in iudicium, & forum contentioſum producenda; quis enim dubitabit, eamdem rationem præfatæ doctrinæ futuram, ſi ad ſeculares materias, inter laicos fratres, & proximos, tractandas applicetur, quæ eſt ad ſeculares, ſeu Eccleſiaſticos, contra Epiſcopos, quorum ſolùm Felix Papa meminit, applicatæ?

Accedat iam Innocentius III. & doctiſſimus, & iuxta nomen ſuum, ab omnibus innocens æſtimatus. Referentibus igitur Annalibus Gallicis, & AEmilij, & Gaguini, Conſtantia mater Arturi Britonum Comitis interfecti, Ioannem Angliæ regem parricidij accuſauit, apud Philippum Auguſtum regem Franciæ, eo titulo, quòd Angliæ reges, à regibus Franciæ beneficij, & clientelæ nomine, multa in Gallia poſſidebant; vnde & iuriſdictionis erant eorum. Ioannes rex legitimis vocatus edictis, ad iudicium venire recuſans, reus parricidij peragitur, & damnatur, eaq; omnia, quæ habebat in Gallia, commiſſa, fiſcoq; addicta, pronunciantur. Inter rei iudicatæ, etiam per arma, executionem, Ioannes coram Pontifice, de fœdere conqueritur per Philippum violato, quod paulo antea erat inter reges illos ictum: & tacito parricidio, inſtat Innocentio, vt Philippum, quaſi neglecti fœderis reum, ſua coerceat auctoritate; pa-

ratum ſe eſſe apud eum, vel eius Legatos, cauſſam agere. Pontifex miſit Legatum in Galliam, ac ſimul ad omnes Prouinciæ Antiſtites Epiſtolã, ex qua cap. Nouit. de iudicijs, exceptum eſt: ſic incipiens: [Nouit ille, qui nihil ignorat.] & infra: [Non putet aliquis, quòd iuriſdictionem Illuſtris regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus: cùm ipſe iuriſdictionem noſtram, nec velit, nec debeat impedire. Sed cum Dominus dicat in Euangelio, Si peccauerit in te frater tuus: vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt, in ore duorũ, vel trium teſtium, ſtet omne verbum; quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus: & rex Angliæ ſit paratus, ſufficienter oſtendere, quod rex Francorum peccat in ipſum, & ipſe circa eum in correptione proceſſit, ſecundùm regulam Euangelicam; & tandem, quia nullo modo profecit, dixit Eccleſiæ; quomodo nos, qui ſumus ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum Diuinum poſſumus non exaudire: vt non procedamus ſecundùm formam ipſius? niſi forſitam ipſe coram nobis, vel Legato noſtro, ſufficientem in contrariũ rationem oſtendat. &c.] Ecce clariſſima, ex Euangelica illa auctoritate, iudicialis cauſſæ cognitio, non ab Innocen tio detorta, vt dixit Molinæus calumnioſè, aut præſumpta, ſed iure exequutioni mandata: vt conſtat ibi: [& rex Angliæ ſit paratus ſufficienter oſtendere, quod rex Franciæ peccat in ipſum.] Nam quia non conſtabat de peccato, ſeu offenſione, de qua Ioannes querebatur, Iudex, & Legatus fuit in Galliam à Pontifice tranſmiſſus, quò, per teſtes, inſtrumenta, vel tabulas, tandem fieret notum, qui rex potiori iure niteretur, in cauſſa illa foeciali, de qua erat quæſtio, cuius notio, cùm de pactionibus fœderis ageretur, ad neutrum ſpectabat regem: cùm neuter alteri pareret; vnde per regem Angliç fuerat coram Papa inſtituta actio: veluti, ad quem, cùm non ageretur de ineundo, ſed de iam inito fœdere, eiuſque obſeruandis pactionibus, cauſſæ cognitio omninò pertinebat; cum eius ſit huiuſmodi rebus intercedere, ob pacẽ Reipublicæ Chriſtianæ: niſi hoc vinculum, quo Principes Chriſtiani in ea contineri poſſunt, & ſuauiter, & fortiter, quoque nullum eſt aliud; vt pacatior ea degat, impiè, ac nefariè cum Hæreticis diſrumpi patiamur.

Sanctorum Patrum doctrina pro eadem loci Euangelici explicatione.

PERGAMVS tamen, & in loco hoc difficili enodando, SS. Patrum, quæ ad rem faciant, explicationes indagemus. Et quidem Reuerendiſs. Epiſcopus, ac doctiſſimus Toſtatus ad hoc Matth. cap. 18. quæſt. 84. de explicatione verborum: [Si peccauerit in te frater tuus.] ſic ait: [Accipiendum quiddam dicunt: [Peccauerit in te,] ideſt, contra te. Contra aliquem verò eſſe, vel fieri dicitur, quod in eius damnum, vel

iniu-

iniuriam cedit. Et ita videtur, illud dictum Chriſti eſſe contra iniuriatores aliquorum. Ita videntur exponere omnes antiqui Doctores: vnde Auguſtinus lib. de verbis Domini, ait: [Si neglexeris, peior eo effectus es: ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo, graui ſe vulnere percuſſit: tu vulnera fortiùs contemnis; peior es tacendo, quàm ille conuiciando.] Et ita de iniurijs, & conuicijs accepit: hoc dictum eſſe. Chryſoſtomus etiam dicit: [Ideo præcipit arguere ei, qui iniuriam paſſus eſt.] Hieronymus etiam dicit: [Sciendum, quòd ſi peccauerit in nos frater noſter, ſeu qualibet cauſa læſerit, &c.] in quo voluit intelligi, tàm de damnis, quàm de iniuria.] Huc vſque Toſtatus. Quæ doctrina eſt adeò certa, vt addat idem Auctor ibi: [Alij exponunt: [Si peccauerit in te, &c.] ideſt, te ſciente: & iſta expoſitio, videtur introducta eſſe, ne putetur, correctionem ſolùm fieri debere ab eo, qui paſſus eſt iniuriam; nam tunc in alijs peccatis, quæ non ſunt contra nos; non haberet locum iſta correctio, quod videtur inconueniens.] Quibus in verbis huius grauiſſimi Doctoris duo ſunt conſideranda: primò eum aſſerere, hanc expoſitionem ſecundam, introductam videri: quaſi ſentiat, ſicuti ſentiendum videtur, illam priorem eſſe, ab ipſis Euangelij verbis ſimpliciter, vti ſonant, ductam: vt de iniurijs contra nos factis, fuerit ibi primò, ac principaliter à Chriſto inſtitutus ſermo. Secundò conſiderandum eſt, explicationi poſteriori, eſſe attributum argumentum, ab inconuenienti, quod ſequeretur, niſi etiam ſic locus hic intelligeretur. Immò cùm difficultatem explicationis vltimæ ſentiret Auctor, ſi ſanctorum Patrum eſt primò, circa loci expoſitionem, ſententia recipienda, in fine quæſtionis, argumentum ſubiungit hoc: [Sed adhùc dicitur contra: quia Auguſtinus, Hieronymus, & Chryſoſtomus ponunt exemplum correctionis huius ſolùm in iniurijs.] & reſpôdet, quòd accipitur largè iniuria, pro omni eo, quod contra nos ſit, ſiue ſit damnum, ſiue iniuria, vel quoddam nocumentum, quale eſt ſcandalum, quod ex fratris patimur peccato, etiam ſi non ſit, vnde actio ſpecialis iniuriarum contra nos oriatur.

Teneant ergo, & firmæ ſint hæ diſtinctiones, & ne illud inconueniens ſequatur, cum grauibus illarum Auctoribus admittantur; attamen firmum ſemper, pro noſtra allata explicatione huius loci, perſtet cum Auguſtino, Hieronymo, & Chryſoſtomo, Chriſtum ibi fuiſſe loquutum de offenſis, læſionibus, damnis, iniurijs, generaliter, & in vniuerſum, quibus Chriſtianus frater, Chriſtianum afficit fratrem: aduersùs quas, qui prætermitteret agendi ordinem à Chriſto hic præſcriptum, peior ipſe facienti iniuriam, ac damnum, eſſet cenſendus, inferenti.

Hoc ſtante ſolido fundamento, ſit fratris, qua me afficit, iniuria, occupare domum integram, cuius altera pars ad me, ex patris ſpectabat teſtamento: ſit, pallij pretioſi ablatio: dehoneſtatio famæ propriæ; pecuniarum interceptio: Teneor primò illum ſecretò, vt ab iniuria ceſſet in-

ferenda, admonere; nihil proficio, adhibeo vnum, vel duos, & teſtibus ius meum contra illius tueor iniuriam: egi incaſſum, Eccleſiæ dico, hoc eſt, eius legitimo Prælato; vel frater obedit, vel non obedit Eccleſiæ: Quęro nunc ab omnibus Theologis, ac Iuris vtriuſq; prudētibus, quid ex hac gradatione, vel ego intendo, vel Chriſtus Dominus, à me, vel ab arbitris, vel ab ipſo voluit intendi Eccleſiaſtico Prælato? Id certè credimus reſpondebunt; vt inter alia, frater ab iniuria, & damno deſiſtat faciēdis, & ego domum pro mea poſſideam parte, pallium recipiam, reſtituar famæ, pecuniæ mihi liberè conſignentur. Hæc autem non ad denunciationem ſolam, non ad correctionem fratris ſolam, pertinent: ſed ad veram accuſationem; vt vel ille ceſſet à lędendo, & mihi fiat læſionis acceptæ ſatisfactio; vel à fidelium conſortio, per Prælatum Eccleſiaſticum ſeparetur; & ego illum, altera poſſim via, tamquam Ethnicum, & publicanum, cum vltimo ſtrepitu, ac ſolemni figura iudicij, coram quacumque alia Poteſtate legitima, conuenire.

Quo ſuppoſito, vel ceſſat illa quæſtio, quam mouet ibidem Toſtatus, vel facillimè alio, quàm ipſe reſpondet, modo, fit illi ſatis: [Quare videlicet, Chriſtus non dixit: Si peccauerit in te frater tuus, dimitte ei; ſicuti alibi docuerat?] ceſſat, inquam, quæſtio, vel reſpondetur: quia hæc Chriſti doctrina, haud peccatorum tantùm adducebatur remiſſioni: ſed ſuæ etiam nouæ Reipublicę ſtatuendo regimini; vt apud Principum ditiones conuerſans, iuſtitia Euangelica, abſque Principum ſcandalo, regeretur. Iuſſit quidem Chriſtus, dimittere munus ad altare, quouſque fratri reconciliaremur: iuſſit, dimittere iniurias, ac in nos commiſſa delicta; vt noſtra, nobis, à Deo dimitterentur: hæc doctrina ſtare debet, quam neutiquam violat, docere, vt ſi peccauerit in nos frater, eum admoneamus, & teſtibus conueniamus coram alijs, & vltimò eum accuſemus: quia remoto rancore, ira excluſa, odio profligato, quod priora ordinant præcepta, latus reſtat campus iuſtitiæ, vt cum poſteriori præcepto, Reipublicæ Chriſtianæ decus, fas, & ius, in medio etiam nationis cuiuſque prauæ, comparerent.

Ergo optimè hic ſuccedit doctrina Anacleti Papæ, quæ habetur. 24. q. 3. [Tam ſacerdotes, inquit, quàm reliqui fideles omnes ſummam debent habere curam de ijs, qui pereunt; quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur.] Quò loco Gloſſa. verbo, fideles, ait: [idest, Prælati: ſic non eſt hic argumentum, quòd iſtud: [Si peccauerit, &c.] ſpectat ad omnes.] Monet autem Toſtatus loco citato, ab hac Gloſſa cauendum, & merito: cùm omninò, & textui, & Euangelij loco contraria ſit. Quis enim non videat, dum dicit, [reliqui fideles omnes,] de promiſcua Chriſtianorum multitudine, non de Prælatis eſſe ſermonem, quos, ſub nomine ſacerdotum, iam Anacletus comprehenderat?

Præ-

Præterea quia ex Hieronymo, & Chryſoſtomo, & Auguſtino habuimus ſupra, peccatum fratris in nos, eſſe intelligendum, quodcumque damnum, quo nos affecerit, & iniuriam, quacumque nos læſerit: vnde collegimus, illum Euangelicum ordinem ſeruandum, reſpectu etiam rei noſtræ vindicationis, vel honoris reſtitutionis: vel denique, in foro contentioſo per Prælatos Eccleſiæ adminiſtrato, cuiuſcumque contra fratrem actionis intentandæ: audiendus eſt ipſe Hieronymus in lib. Iudicum, & habetur, 11. q. 3. cap. Audi denique. Sic ſcribens: [Cùm ergò per ſententiam quis nominatus fuerit, cum eo communicare non debemus, &c.] & infra. [Vnde Dominus in Euangelio, tunc demum peccatorē dixit habendum ſicut Ethnicum, & publicanum, cùm Eccleſiam audire contempſerit. Apoſtolus quoque non ait; Si quis frater eſt fornicator: ſed, ſi quis frater nominatur fornicator: ſententiæ nominationem intelligens.] Similiter Chryſoſtomus in Epiſt. ad Hebræos, & habetur, ead. cauſ. & q. cap. Ad menſam. ait: [Si quis, inquit, nominatus fuerit frater fornicator, aut auarus, aut ebrioſus, cum huiuſmodi, neque cibum ſumere debetis.] Ex quibus ſanctorū Patrum locis ſic colligimus: Si ille frater nominaretur maledicus, aut rapax, quæ ſunt etiam exempla adducta à Paulo. 1. ad Corint. cap. 5. ita vt nominatim excommunicaretur ab Eccleſia, eius videlicet legitimo Prælato, quia famam & honorem fratris, in re grauiſſima, denigraſſet, vel furto illi quingenta ſurripuiſſet ſcuta aurea: & neque honorem, neque pecunias reſtituere vellet: rogamus, an frater, qui illum ad eas coegit anguſtias, vt à fidelium communione ſegregaretur, pro fine habuiſſet ſolùm, fratris correctionem, an ſui etiam honoris, ac nummorum recuperationem? Tunc vltra rogamus, ſtante regula Auguſtini, [Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum,] an quando Prælatus illum, nomine proprio, per ſententiam à cœtu Chriſtianorum expulit, priùs illi indixerit: vt effectu ipſo ſcuta fratri reſtitueret, famamue reſarciret, vt ab inſtantia abſolueretur, an ſolùm? vt, in poſterum à ſimilibus perpetrandis facinoribus abſtineret? Quis non videt, ſanctos Hieronymum, & Chryſoſtomum, aſſerentes, actionem iniuriarum, ac damni nobis contra fratrem in Euangelio ordinari, ex conſequio tenere, per accuſationem vt procedamus, aditum nobis patefieri? vt Prælatus Eccleſiæ, vel cui ipſe commiſerit, tamquam legitimus Iudex, iuriſdictione, ac poteſtate ſibi à Chriſto tradita, nobis iuſtitiam adminiſtret?

Tertius accedat Auguſtinus hoc ipſum clarè demonſtrans Homil. de pœnitentia: & refertur 2. q. 1. cap. Multi corriguntur. [Nos verò, inquit, prohibere à communione quemquam nòn poſſumus (quamuis hęc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis,) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſiuè ſeculari, ſiuè Eccleſiaſtico iudicio nominatum, aut conuictum, &c.] & infra citato Paulo. 1. ad Corint. cap. 5.

de

de non communicando cum fratribus peccatoribus, &c. dum concludit. [Auferte malum de medio veſtri :] addit Auguſtinus : [Quibus verbis ſatis oſtendit, non temerè, aut quomodolibet, ſed per iudicium auferendos eſſe malos ab Eccleſiæ communione, &c.] & infra. [Non enim contrarium eſt illud huic loco, quod dicit Apoſtolus ; Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? ſuo Domino ſtat, aut cadit : noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario, & vſurpato iudicio ; ſed potiùs ex lege Dei, ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſiuè vltro confeſſum, ſiuè accuſatum, atq; conuictum.] Vbi Gloſſa, verbo, extraordinario, dicit : [Agendo contra eum denunciatiuè, vel inquiſitiuè, qui modus agendi nouus eſt, & extraordinarius, ſecundùm quoſdam.] Sentit ergo Auguſtinus, per accuſationem, fratrem delinquentem conuincendum, vt excommunicetur, quando non fuerit aliàs conuictus : & hoc appellat iudicium ex lege Dei, ſecundùm ordinem Eccleſiæ : ideſt, ſeruata lege illa, [Si peccauerit in te, &c.] quæ conſummatum ordinem iudicialem Eccleſiæ comprehendit. Conſtat hoc dilucidiùs ex ipſo Auguſtino, eadem Homil. & habetur apud Gratianum eodem loco, cap. Si peccauerit, vbi ſic diſcurrit : [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum ; quare ? quia in te peccauit : quid eſt in te peccauit ? tu ſcis quia peccauit : quia enim ſecretum fuit, quando in te peccauit, ſecretum quære, cùm corrigis, quod peccauit in te ; nam ſi ſolus noſti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non eris corrector erroris, ſed proditor. Attende quemadmodum iuſtus Ioſeph tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpectus, tanta benignitate pepercit, antequam ſciret, vnde illa conceperat, quam grauidam ſenſerat, & ſe, ad illam non acceſſiſſe, nouerat. Reſtabat igitur certa adulterij ſuſpitio, & tamen ipſe, quia non nouerat, quid dicit Euangelium ? Ioſeph autem cùm eſſet iuſtus, & nollet eam diuulgare, vel traducere, voluit occultè dimittere eam. Ergo corripienda ipſa ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipſa vero corripienda ſunt ſecretiùs, quæ peccantur ſecretiùs. Diſtingue tempora, & concordabit ſcriptura. Sic agamus, & ſic agendum eſt, non ſolum quando in nos peccatur : ſed etiam quando peccatur ab aliquo, & ab altero neſciatur.] Ecce Auguſtini mens clara eſt, vt omnino priuſquàm fratrem prodamus, ſeu accuſemus lædentem nos, vel quacumque nos afficientem iniuria, illum corripiamus : ſi ſecretum hoc eſt : ideſt, quòd etiam pauci illud ſciant : nam illud, [tu ſcis,] multitudinem excludit, non autem paucos : vt ibi notat Gloſſa verbo, Si peccauerit, circa medium : & eſt conforme legi Chriſti, qui, quem ſecretò admonere, ſeu corripere, iuſſit, ſubdit vt, teſtibus etiam adhibitis, coram alio, vel aliis conueniamus, &c. Quod ſi ſolus læſus, vel iniuria affectus frater, conſcius eſſet delicti, haud illum fratrem coram

alijs, quaſi delinquentem, poſſet conuincere, aut conuenire.

Pergit Auguſtinus dicens. [Neſcio quem homicidam nouerit Epiſcopus, (loquitur de ſe Auguſtinus) & nemo alius illum nouit, ego nolo eum publicè corrigere, & tu quæris inſcribere prorſus. Nec prodo, nec tamen negligo: corripio tamen in ſecreto: porio ante oculos eius Dei iudicium: terreo cruentam conſcientiam; perſuadeo pœnitentiam: hac auctoritate præditi eſſe debemus. Vnde aliquando homines reprehendunt nos, quòd quaſi non reprehendamus; aut putant nos ſcire quod neſcimus, aut putant nos tacere, quod ſcimus: forte quod ſcis, & ego ſcio, non tamen coram te corripio, quia curare volo, non accuſare.] Et hic Auguſtinus illos reprehendit, qui prætermiſſa Euangelica accuſandi forma, abſque correctione ſecreta, ſecretum peccatum propalant, quod, inuicem arguendo, potuiſſent forſitan emendare. Verbum enim illud, [& tu quæris inſcribere,] eſt conceptum, & iudiciale, & ſumitur pro accuſare: cùm ad accuſationem inſcriptio, ex Clemen. 2 de verbo. ſignific. requiratur. Quod & explicat clariùs, dicens: [quia curare volo, non accuſare.]

Procedit vlterius. [Sunt homines adulteri, in domibus ſuis ſecretò peccantes: aliquando nobis, ab vxoribus ſuis plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus, produntur: nos non prodimus, ſed ſecretò arguimus: vt vbi contigerit malum, ibi moriatur: nō tamen vulnus illud negligimus: ante omnia oſtendentes homini, in tali peccato conſtituto, ſauciatamque gerenti conſcientiam, illud vulnus eſſe mortiferum, &c.] Hic notandum, quali ratione diſtinguat Auguſtinus inter mulieres maritos de adulterio deferentes, vel ob zelotypiam, & ſic accuſatione procedentes, ad illorum pœnam, vel ob ſalutem maritorum, & ſic denunciatione ſola vtentes. Vnde Gloſſa verbo, Zelantibus, ait [Argum. malo zelo denunciantem crimen fratris, audiendum: hoc eſt verum, ſi proſequatur ſuam iniuriam: vt infra q. 7. Si quis erga,] Vbi denunciantem, ideſt accuſantem intelligit; cùm accuſans, non autem denuncians, in iure, ſuam iniuriam proſequatur. Ex quibus omnibus primò colligimus, Auguſtinum, legem illā Chriſti integram, de iuriſdictione Eccleſiaſtica intellexiſſe; ita vt accuſaturus quis, iuxta eam, fratrem ſuum, ad proprium commodum, & vtilitatem particularem, eoque fine, vt de læſione, damnòue quocumque ſibi fiat debita ſatisfactio, primò illum ſecretò ad ſatisfactionem præſtandam cohortetur. Habemus ſecundò, quod ſuperius ex conſtitutionibus Apoſtolicis, & ex Eucherio admonuimus, nedum partes, ad illam formam Euangelij ſeruandam, adſtringi, in hac iuriſdictione Eccleſiaſtica adeunda: vt gradatione, à ſecreta correctione vſq; ad publicam accuſationem perueniatur: verum etiā iudices ipſos ab admonitione, & ſecreta correptione incepturos, vt delinquentibus amplior via ad emendationem aperiatur.

Explicatio eiuſdem loci ex Euangelio Lucæ, & Fabiano Papa.

QVID ſenſerint hi ſancti Patres vidimus, at qualiter omnino ſic ſentire debuerint, ex ipſo ſacro Euangelio depromamus. Et primò, vbi noſtra Latina lectio habet. [Si peccauerit in te frater tuus.] Syriaca lectio, quæ eſt magnæ auctoritatis, habet, [Si errauerit in te frater tuus.] Vbi iam conſtat, quàm ad litteram ſuperiùs, hoc peccatum, errorem aliquem, ſiue materialem, ſiue formalem eſſe poſſe, explicuerimus. Deinde quia quæſiuimus, an de errore in noſmetipſos commiſſo Dominus fuerit loquutus? & affirmatiuè cum Patribus reſpondimus: nunc eam eſſe Chriſti ipſius doctrinam videamus, ex Luca Euangeliſta cap. 17. ſic ſcribente, Magiſtrum cæleſtem docuiſſe: [Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccauerit in te, (ex translatione Syriaca, offenderit te,) & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.] Nullus certè iam reſtat dubitandi locus, Chriſtum Dominum de peccatis, ſeu erroribus, à noſtris fratribus in nos ipſos, commiſſis, inſtituiſſe ſermonem: cùm remiſſionis eorum gratiam, quæ à nobis exſpectari poteſt, à nobis, per errantes ipſos, docuerit poſtulandam, qui, de noſtris, non de alienis iniurijs, remittere potes ſumus. Quod ſi huic litterali contextui Euangelij, ac Symphoniæ Lucæ cum Matthæo adhùc eſſet quærenda confirmatio, ea eſſet illuſtris, Apoſtolorum Chriſti Domini ad eiuſdem hanc propoſitionem: ſuggeſtio. Quaſi enim in ecſtaſim rapti, tantæ præuiſæ in Chriſtianiſmo futuræ fraternæ charitatis, vt Chriſtianus frater fratri Chriſtiano proprias iniurias, (nam de alienis non erat cur tantum mirarentur,) ſepties in die, *ideſt*, ſine numero condonaret, odio omni, animique rancore prorſus depoſito, quantumcumque in externo iudicio, actione iniuriarum cum illo ageret; ad tam ingentis doctrinæ, humanamq́; conditionem excellentis, praxim, à Magiſtro ſupplices ſic fidei acceſionem poſtularunt: [Adauge nobis fidem.] Chriſtus ergo Dominus de quibuſcumque erroribus, quo modocumque in nos commiſſis, docuit, & illis per nos remiſſionem faciendam, in omni euentu, quo ad animi puritatem, conſcientiæque ſecuritatem; & quo caſu ad propriæ iniuriæ ſatisfactionem vellemus agere, remedium intra Eccleſiæ limites illud eſſe relictum, quod, gradatione per Matthæum relata, & huc uſque explicata, continetur.

Huic doctrinæ fauet inſigniter in genere, ac vniuerſè loqnens, Fabianus Papa & Martyr Epiſt. 2, decretali cap. 2. & habetur 6. q. 1. illi qui, dum dicit. [Illi verò qui illa peccata perpetrant, de quibus Apoſtolus, ait, (ad Gal. cap. 5.) quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur, valdè cauendi ſunt, & ad emendationem, ſi voluntariè noluerint, compellendi: quia infamiæ maculis ſunt aſperſi, & in barathrum

dilabun-

dilabuntur: niſi ei Sacerdotali auctoritate ſubuentum fuerit.] Et vt intelligatur, quibus peccatis, ac delictis Sacerdotali iudiciaria poteſtate ſit in Eccleſia obuiandum,& qualiter eorum auctores,per pœnas congruas, ſint ad emendationem compellendi; ecce ea formaliter ab Apoſtolo, loco citato, relata: [Manifeſta ſunt, inquit, opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis,ſicut prædixi,quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.]

Doct. Driedonis doctrina pro eodem loco, [Si peccauerit,&c.]

SED quò noſtra aſſerta ſententia de præſenti loco Euangelij,confirmetur, viſum eſt, inducere doctiſſimum Driedonem lib. 4. de Dogmat.&c. cap.5.part.3. cap. ſic docentem: [Primùm ex ſcripturis diſcimus, quoniam in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſit graduum,& Poteſtatum, tàm ſecularium, quàm ſpiritualium diſtinctio, facta ex ordinatione, ac prouidentia Dei, qui dedit quoſdam Apoſtolos, (hoc colligit Driedo ex 1. ad Corint. cap.12.ad Roman.cap.13.ad Epheſ.c. 3. & ex Ioan. cap.20.) alios Prophetas,alios Euangeliſtas,alios Paſtores, alios Doctores, alios linguarum interpretes, alios gubernatores, & ſublimiores Poteſtates, in ædificationem corporis Chriſti,donec occurramus omnes in vnitatem Fidei.

Item, quòd gemina ſit Poteſtas, vna ſecularis, quæ gladium ad vindictam malorum portat, cui, oportet, vnumquemque eſſe ſubditum, non ſolùm propter timorem, ſed & propter conſcientiam; de qua Apoſtolus ad Rom. 13. Altera Eccleſiaſtica, quæ eſt ſuper corpus Chriſti verum, in ſacrificio altaris; ſuper ipſum,videlicet, panem, & vinum, in corpus, & ſanguinem Chriſti benedictio: & ſuper corpus Chriſti myſticum,quod eſt Eccleſia:ſuper membra,videlicet,in ligando, & ſoluendo in terris, quæ ligata, & ſoluta ſint in cælis, remittendo, & retinendo,peccata; de qua poteſtate Ioan.20.& 21. & Matth.16.& 18.

Et quod hæc poteſtas Epiſcopalis, aut Sacerdotalis, aut Diaconalis, non eſt ſecundùm inſtitutionem, aut adinuentionem humanam: ſed diuinitus inſtituta, Eccleſiæ data à Chriſto, qui, dixit, Tibi dabo claues regni cælorum. Item, Quorum remiſeritis,&c.

Et quòd Chriſtus hoc non ad omnes, qui erant crediturí, loquutus eſt, patet; quia præmiſit: ſicut miſit me viuens pater, ego mitto vos: non autem tunc futuri credentes intelliguntur in illo verbo miſſi, ſicut Apoſtoli: vnde & poſt reſurrectionem multi erant credentes Eccleſiæ membra, & tamen ſolus Matthias,diuina ſorte,iunctus eſt Apoſtolorum collegio, ex Act. cap. 1.] & pauló poſt ſubdit.

E Deinde

Deinde, ex Scripturis ſacris habemus, (colligit hoc ex Matth. cap. 10. ad Rom. c. 13, & ad Hebr. cap. 13.) quòd membra in corpore Chriſti debent obedire, & ſubdita eſſe Præpoſitis Epiſcopis, & etiam ſublimioribus Poteſtatibus ſecularibus: & vnicuique quod ſuum eſt tribuere, cui honorem, honorem; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.

Item (notetur valde) quòd officium Eccleſiaſticæ Poteſtatis ſit, non ſolùm docere verbum Dei, orare pro populo, & miniſtrare Sacramenta; ſed & criminoſos, aut ſuſpectos in ius vocare, ab officio deſtituere, alijſque vijs coercere contumaces. Eſt enim, ſecundùm claues Eccleſiæ datas, iuriſdictio, & Poteſtas Eccleſiaſtica, & iudiciaria Poteſtas in Eccleſiæ Præpoſitis; quæ valeant fermentum, ſeu zizania, ideſt, facinoroſa, atque ſcelerata membra à corpore Eccleſiæ reijcere, ac reſecare: partim, ne illorum communione cæteri aut inficiantur, aut foueantur in malo, partim, quò ipſi correcti pudore, reſipiſcant. Et quòd, in reijciendis membris à communione fidelium, ſeruandus ſit ordo quidam iudiciarius; vt non criminoſus occultus, ſed teſtibus conuictus eijciatur. Et hanc iudiciariam Poteſtatem docuit Chriſtus Matth. cap. 18.] Hucuſque Driedo.

Quattuor dogmata quæ ex illo loco, [Si peccauerit, &c.] colliguntur.

SEQVAMVR igitur, & luce ſolis clariùs demonſtremus, Chriſtum Dominum in illis verbis ſequentia dogmata Apoſtolis prædixiſſe, quæ poſtea Spiritus veritatis, quem illis à Patre miſit, illos latiùs, ac dilucidiùs docuerit, eiſque illa ſuggeſſerit, ab eiſdem ſuis poſteris, ac ſucceſſoribus; & ſuggerenda, & prædicenda, & prædicanda.

Ex illa quidem prudenti, ac ſucceſſiua gradatione, dum ad id occaſionis ventum eſt; vt neque vno, neque duobus fratribus Chriſtianis arbitris negotium, de quo inquiritur, tranſigatur, & ad Eccleſiam vult Legislator illud iam eſſe deuolutum; docuit nos primò, Eccleſiam eſſe Principatum quemdam viſibilem, quam plures Hæretici, quaſi ſolùm ex prædeſtinatis, vel ex bonis, vel ex perfectis, qui occulti ſunt, ac inuiſibiles, vel aliàs ex quodam ab illis hominum genere conſtantem, inuiſibilem, aut potiùs nullam faciunt; abſque dubio videri poſſe nolentes; quia Eccleſiæ ſeuerum, quod ſubire meriti ſunt, iudicium, reformident. [Dic Eccleſiæ] ait Chriſtus: Ecce relatio alicuius exteriore ac ſenſili loquutione dicturi, ad aliquem, vel aliquos, exteriori ac ſenſili auditione eum excepturos.

Si enim numerus prædeſtinatorum, aut bonorum, aut perfectorum, aut eorum, qui ſolùm ſunt in gratia conſtituti, eſſet Eccleſia Catholica ſiue in ſe, ſiue in ſuis partibus, tunc nulla eſſet ipſius certitudo: quod nullo modo de Eccleſia, ciuitate ſuper montem poſita, ideſt, ſuper Chri-

ſtum ædificata, dicendum eſt. Vnde Auctor imperfecti apud Chryſoſtomum Homil. 10. in Matth. ait : [Hæc ciuitas Eccleſia Sanctorum eſt, de qua dictum in Pſalmo: Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Ciues eius ſunt omnes fideles , quibus Apoſtolus , ait ; Vos eſtis ciues Sanctorum; hæc ergo ciuitas poſita eſt ſuper montem Chriſti, de quo Danielis 2. dicitur, Lapis abſciſſus ſine manibus , factus eſt mons magnus : ſanè non poteſt abſcondi ſupra Chriſtum poſita , etiamſi ipſa voluerit : Mons enim , qui eam portat , facit eam omnibus manifeſtam : ſic & Apoſtoli, & Sacerdotes , qui fundati ſunt in Chriſto , non poſſunt eſſe abſconditi, etiamſi voluerint : quia Chriſtus eos manifeſtat.] In hac ergò Eccleſia, licèt Dei gratia, multi exiſtant, vt firmiter credimus, prædeſtinati, multi in gratia conſtituti; quorum etiam meritis adhuc durat mundus: non tamen propter prædeſtinationem , aut gratiam , quæ occulta ſunt, Sancta Eccleſia dicitur Catholica, ſed propter vnius fidei communionem, ac Sacramentorum , & præceptorum , quæ in omnibus, & bonis , & malis, & prædeſtinatis , & reprobis , nota, & communia poſſunt eſſe ; ex quibus Eccleſia viſibilis viſibiliter integratur.

Præterea aut Chriſtus hoc loco remiſit nos ad aliquem certum iudicem , aut incertum : non eſt dicendum , incertum : quia tunc , numquam fratris peccantis correctio , emendatio , vel punitio ſequeretur : oportet igitur , vt ad certum nos tranſmiſerit iudicem : cumque Eccleſia prædeſtinatorum , ſeu in gratia exiſtentium , ſit incerta , neceſſum eſt, quòd huiuſmodi remiſſio ſit ad Eccleſiam , quæ ſit nota , & certa viatoribus, ſecundum vitæ præſentis ſtatum ; cuiuſmodi eſt Eccleſia Catholica in vnitate fidei , & Sacramentorum, vbique , tàm in ſe , quàm in ſuis ſingulis partibus perſeuerans.

Illud autem [Dic Eccleſiæ ,] haud credendum eſt eum reddere ſenſum , vt ad Rempublicam Chriſtus voluerit cauſſam talem eſſe reuocandam , quæ eſt mens Hæreticorum huius ſæculi , ac Politicorum, qui Eccleſiam in Rempublicam , ſeu , vt clarius loquamur , in Politicam hominum Atheorum, & nihil credentium, Congregationem conuertere.

Neque eſt intelligendum eum iiſdem interpretibus, illud, [Dic Eccleſiæ] eum facere ſenſum, vt Eccleſiam quidem intelligant Chriſtianam, attamen omnium Chriſtianorum multitudinem, eam fore interpretetur, quod eſt abſurdum ; tunc enim cauſſa , vel negotium omni multitudini dici haud quamquam poſſet : & eſto poſſet ; quid inde expediendę cauſſæ accederet iuuamenti? Certè id non ad exitum , ſed ad exitium illius tenderet : dum non ad finem pacis optatatum inter fratres obtinendum conduceret ; quinimo in perpetuas cauſſam coniiceret tenebras : quid enim imperiti artifices , quid ignorantes ibi efficerent feminæ peccatori, & delinquenti , vel à iuſtitiæ orbita , modo quolibet , deuianti? Inde nouis , ac continuis tribunalia ſimilia querimonijs replerentur , dum ſi

hi, vel illi Chriſtiani, ad hanc, vel illam Eccleſiam, ſeu eius multitudinem pertinentes, ſe ſpretis, ac non vocatis, cauſſæ iudicium eſſe definitum, quererentur. Chriſtus autem Dominus, illa gradatione, eo rem voluit omnino reduci, ac cauſſam quamcumque inter Chriſtianos fratres motam; vt ſi neque inuicem, neque coram vno, vel duobus fratribus, de ea conuenirent, eam Eccleſia cauſſam dijudicaret; ideſt, certus, aut certi Prælati Eccleſiæ; non quidem hominum, ac mulierum adunata confuſio, à qua non expreſſa, & conſentiens ſententia, ſed vulgi cuiuſdam in contraria ſtudia, deberet, ſciſſio ſecurius exſpectari.

Accedit his, Chriſtum legis Moſaicæ finem in ſalutem omni credenti, ex Paulo ad Rom. cap. 10. haud, imperfectiori ordine, nouæ legis Statuta fuiſſe diſpoſiturum, quàm in antiqua diſciplina, ſimilem materiam attingente, ea vel diſpoſuiſſet, vel à legis Doctoribus diſponi permiſiſſet. Certum eſt autem ipſis Rabinis, Iudęorumque magiſtris id ſentientibus, apud eos non totam Synagogam, non totam illius communitatem, ſed Archiſynagogos, & iudiciorum, & excommunicationum, actiones, & munia exercuiſſe.

Verbum igitur hoc, [Dic Eccleſiæ:] dogma iſtud ſecundum nobis proponit: vt Eccleſiæ Prælatis, ac Superioribus, reſpectiuè, cauſſa, de qua controuertitur, dicatur: vt ex Doctoribus, & Patribus explicatum eſt; eo dicendi vtente hic Chriſto charactere, quo Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cap. 9. docuit id ſolitum eſſe attribui ciuitati, quod Optimates, & Principes agunt; nihil enim eſt magis in vſu, & praxi loquendi hominum, quàm Magiſtratus, qui Rempublicam gerunt, Rempublicam nominare, & quod ab illis fit, à Republica aſſerere factum eſſe.

Immò verò ſi rectè rem hanc perpendamus, non niſi propter Paſtores & Præpoſitos, Eccleſiæ nomine, vocari debet aliqua multitudo. Vnde Cyprianus lib. 4. Epiſt. 7. [Eccleſiam eſſe in Epiſcopo,] & Hieronymus Dialog. aduerſus Luciferianos, [vbi non ſunt Sacerdotes Eccleſiam non eſſe,] ſapienter, & verè ſcripſerunt. Cui dicto Paginæ antiquæ præit loquendi vſus; Exod. enim cap. 19. legitur Moyſes conuocans omnes maiores natu populi; exponenſque illis omnes ſermones, quos mandauit Dominus: & additur, [Reſponditque omnis populus ſimul: &c,] vbi vocat Scriptura omnem populum, qui tantùm maiores natu ipſius populi cenſebantur.

Eſſe autem hanc litteralem, ac genuinam huius loci expoſitionem, id eſt argumento, quòd Chriſtus, peccatorem ad eam Eccleſiam deferendum, docuit, de qua, verſu ſtatim ſequenti, ſic fuit loquutus: [Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cælo:] hoc autem non omni multitudini, ſed ſolis Apoſtolis, cum quibus Chriſtus loquebatur, & ijs, qui in eorum locum ſucceſſuri erant, in Eccleſia, legitimis Prælatis, dictum eſt. Hoc idem Dionyſius Areopagita,

&

& Ambroſius ſenſerunt, & ex Concil. Carthaginen. 3. & Ancyrano. 2. & ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 16. confirmatur. Hinc Hieronymus ſic loquitur ſuper Matth. [Habent iudiciariam poteſtatem omnes Apoſtoli, habet etiam omnis Eccleſia in Epiſcopis, & Sacerdotibus.] Sic Eccleſia Romana edocta ab Spiritu ſancto, vt inſtrueret fideles, ad Eccleſiæ Prælatos illud Chriſti dictum ſpectare, tùm in Breuiario, tùm in Miſſali, addidit hæc verba, quæ apud Matthæum non habentur, ſcilicet: [Reſpiciens IESVS Diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro;] [Si peccauerit in te, &c.] Etenim (quod diligenter animaduerti debet) vbicumque Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ, vel poteſtatem, vel ſtabilitatem perpetuam in Euangelio promittit, non niſi Apoſtolis ſuis loquitur. Et hinc duo colligere licet, & poteſtatem ipſam Apoſtolicam, ſiue Epiſcopalem perpetuam, & ſtabilem eſſe, & hanc perpetuam poteſtatem, ac ſtabilitatem, non toti corpori immediatè, ſed propriè ipſis Paſtoribus, ac Eccleſię Pręlatis à Chriſto Domino fuiſſe in Euangelio, & promiſſam, & contributam.

Eſt iam hoc tertium dogma hiſce concluſum Chriſti verbis; illam, videlicet, poteſtatem iudiciariam, cauſſas quaſcumque, ſuo ordine, inter Chriſtianos cognoſcendi, perpetuò in futuris legitimis Eccleſiæ Paſtoribus manſuram; ita vt perenni ſucceſſione, ad nouos, & nouos indies ſit Prælatos deuentura; ea, inquam, Paſtorum ſucceſſione, cui tãtum, contra Hæreticorum confuſionem, tribuendum putauerunt doctiſſimi, antiquiſſimi, & ex ijs quidam ſanctiſſimi Patres, Origenes, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, Optatus, & alij, quos longum eſſet enumerando recenſere. Sicut ergo in promiſcua Eccleſiæ multitudine numquam defuturæ erant quæſtiones variæ, quæ poſſent Chriſtianorum, vel ſpecialem, vel vniuerſam pacem turbare; ſic voluit Chriſtus, vt numquam Eccleſiæ deeſſent Paſtores, & Præſules, qui eas in Eccleſiæ gremio, iudiciaria Poteſtate, vel in ſpeciali, vel vniuersùm, quòd in ſe eſſet, iuſtitia, ratione, & æquitate media, conſopirent. Et qui legem impoſuit, peccatum, ſuo ordine ſeruato, Eccleſię Prælatis dicturo, Eccleſiæ Prælatos perpetuò præparauit audituros.

Quod vt clariùs, ac profundiùs intelligatur, & ad maiorem huius ſententiæ, de Prælatorum in Eccleſia poteſtate, corroborationem, valdè aduertendum eſt; regnum Chriſti Domini, quod in Eccleſia perpetuum eſt, vt quarta parte commodius oſtendemus; propriè in Eccleſiæ Paſtoribus & Prælatis perpetuum eſſe. Cùm enim Chriſti regnum, eo ſic teſtificante, Ioan. c. 18. non ſit de hoc mundo, ſed ſpirituale; huiuſmodi tamen, quod ad domum, & ſceptrum Dauid pertineat, ſic annunciante Virgini ſacræ Angelo Gabriele, Luc. c. 2. [Dabit ei Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum:] certè tranſlato illo temporali regno, ſpirituale vt erigeretur neceſſum fuit, quod eſt per-

petuum Eccleſiæ ſacerdotium, neque hoc ſacerdotium illud eſt intelligendum, quod, & quale omnibus fidelibus eſt commune, propter fidei obedientiam, & Spiritus ſancti vnctionem; vnde appellat nos omnes Petrus 1. Epiſt. c. 2. [Regale ſacerdotium:] ſicut & Ioan. in Apocalypſi c. 1. (hæc enim eſt mens, & explicatio præſentium Hæreticorum:) ſed eſt intelligendum illud ſacerdotium, vnde propriè in Eccleſia Sacerdotes dicuntur, iuxta quod loquitur Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei c. 10. In hoc namque ſacerdotio, Chriſtus Dominus propriè regnat, hoc eſt poteſtatem, & iuriſdictionem exercet; docet; leges fert; peccata ſoluit, & ligat; ſontes punit: mundum reconciliat: diſſidentes homines ad mutuam charitatem reducit; denique hoc ſacerdotium comprehēdit omne illud, per quod Chriſtus Dei filius à Patre rex conſtitutus, ſuper homines regnum adminiſtrat,

Vocauit hoc Auguſtinus lib. 2. contra Creſcon. c. 36. [Chriſtum per Eccleſiam dominari à mare vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.] Hoc etiam ſic ſe habere docuit optimè Epiphanius Hæreſi. 29. contra Nazaræos; ſic ſcribens: [Thronus Dauid, & regale ſacerdotium, eſt ſacerdotium, quod in Eccleſia ſancta eſt. Chriſtus enim Dominus Rex, & Sacerdos (Rex, quia in ſtirpe Dauid, Deiq; vnigenitus; Sacerdos, quia ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſacrificium obtulit:) ipſum hoc ſuum regnum vnà cum ſummo ſacerdotio ſeruis ſuis ſummis Pontificibus Eccleſiæ Catholicę largitus eſt.] Iuxta hoc regnum omnis Chriſto poteſtas data eſt in cælo, & in terra, Matth. c. vlt. de qua ipſe loquitur Apoſtolis, Actuum c. 1. quam ipſe, quantam, & qualem illorum requirebat munus, & officium, tantam, ac talem ipſis contulit ſacerdotibus: vt Chryſoſt. 3. lib. de ſacerdotio affirmat. Dedit illis etiam clauem Dauid, tamquam huius regni ſceptrum portandam, quod ſibi oneroſum fuerat, vtpote ſuper humeros in cruce geſtatum, ipſis perpetuo honori futurum. Sicuti enim de Chriſto propheticè per Iſaiam dictum fuerat c. 22. [Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius; aperiet, & non erit qui claudat, claudet, & non erit qui aperiat,] quod totidem verbis de Chriſti perſona in Apocalypſi. Ioan. c. 3. repetitur; idq; pro validiſſimo argumento, hunc illum eſſe, qui regnaturus eſſet in domo Iacob in æternum; iuxta Angeli promiſſa ad S. Virginem. Luc. cap. 2. ſic Petro ſummo Paſtori, ac Chriſti Vicario in Eccleſia futuro, ac in eo ſuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, ab ipſo Chriſto viciſſim claues regni cælorum datæ ſunt, quibus clauderet, & aperiret; ideſt, ligaret, & ſolueret, ea firmitate; vt eodem modo, ligaretur, & ſolueretur in cælo: ideſt, ab eo clauſum, nemo aperiret; & ab eo apertum, nemo clauderet. Sic Eccleſiæ per orbem diſperſæ, futuris, legitima ſucceſſione, Prelatis dedit poteſtatem iudiciariam, de cauſſis quibuſcumq; Chriſtianorum cognoſcendi, ceteris ſeruatis ſeruandis; his quidem legem dans, vt Prelatos adirent,

pradi-

prędictas cauſſas illis dicerēt, ac proponerent,ab eiſq;earū deciſionem, & ſententiam expectarent : illis autem viciſſim legem ferens; vt Chriſtianos ſubditos benignè audirent, eis ſatisfacerent, eos ad concordiam reducerent, vnicuiq; quod ſuum erat ex æquo & bono, tribuendo; vt ſic non ſolùm, propter lites frequentes Chriſtianorum, Chriſti nomen non blaſphemaretur apud Gentes, quas inter erant conuerſaturi;verum etiā eorum à Gentibus perſpecta facili via pace fruendi,& concordiam conſeruandi, eas ad Chriſti propenſius ſuſcipiendam & fidem, & legem inuitarent.

Propter hanc cauſſam (quod notatione maximè dignum eſt) Auguſt. lib.20.de Ciuit. Dei c.9. illud, quod de hoc Chriſti regno ſcriptum eſt. Apocal.c.20. [Vidi ſedes,& ſedentes ſuper eas,& iudicium datum eſt illis :] de hoc Prelatorum,ac Præpoſitorum in Eccleſię regno interpretatur, ſic dicens: [Non hoc putandum eſt de vltimo Iudicio dici: ſed Præpoſitorum ſedes,& ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nūc gubernātur.] Quibus addendum eſt, quòd cùm de hoc Prelatorum regno prędixiſſet regius Vates Pſal.44. [Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij &c.] protinus ſubiecit: [conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.]

Ex his omnibus hoc tamdem conſequens fit, Eccleſiam Chriſti, non aliam ob cauſſam propriè, & proximè, ſtabilem in fide, perpetuam in duratione, regnum Chriſti in poteſtate; & cum poteſtate eſſe, & Politica, Hierarchica,& ordinata conſtitutione eſſe firmatam, quàm quia de Paſtoribus, Prelatis, ac Magiſtris, Eccleſię proſpectum eſt;à quorum ore veritas non recedet, ex Iſaia. c.2.quia etiam horum Prelatorum, & Paſtorum ſucceſſio, certa, atque perpetua futura eſt;quia tamdem in his Prælatis & Paſtoribus, excellentiori quodam modo, regnat Chriſtus, eamque poteſtatem, vſque ad ſeculi finem, per eos exercet, quam à Patre accepit; paſcendi, regendi, ac gubernandi, docendi, in veritatem inducendi, Deum hominibus manifeſtandi, mundum reconciliandi,peccata ſoluendi, ceteráq; omnia ad ſalutem neceſſaria diſpenſandi. Hos enim Paſtores ac Prelatos Doctores conſtituit;ex Paulo ad Epheſ.cap.4. in his verbum reconciliationis poſuit, 2.ad Corinth. c.4. hos diſpenſatores myſteriorum Dei, qui vice, & loco ſuo, pro illo legatione fungerentur, effecit, 1.ad Corinth.c.4.hos denique conſtituit teſtes veritatis, vſque ad extremum terræ, Act.c.1.& vaſa electionis, vt portarent nomen eius in Gentibus,Act.c.9.Et quia per vniuerſos terræ fines regnum Chriſti propagandum fuit; propter ipſius Chriſti Domini gloriam, ipſi tamquam homini, ex merito paſſionis ſuæ, debitam; propterea quoque Paſtores, ac Prælati populorum, & Eccleſiarum Magiſtri (per quos, & & in quorum miniſterio propriè regnat) per vniuerſum mundum Euangelium prædicaturi erant, ex Matth.c.28.& in omnem terram eorum

ſonus

ſonus erat exiturus, ex Paul. ad Rom. c. 10. præeunte Pſalm. 18. prophetia, idq; vt ipſe Saluator dixit, Matth. c. 23. in teſtimonium omnibus gentibus ſucceſſurum.

Sequitur quartum dogma certum, quod ex enarratis Chriſti verbis colligitur: eum, videlicet, in eis abſtrahere ab hoc, quòd Eccleſia, & eius fideles ſub Ethnicorum, ſiue ſub Chriſtianorum Principum continerẽtur dominatu: & ad huius doctrinę exercitiũ, illis eſſe omninò accidentariũ, ſub horum, vel illorum regum, vel quorumcumq; ſuperiorum Magiſtratuum ſecularium, ditionibus conuerſari. Voluit ergo Chriſtus, Eccleſiam cum ſua Politia, & Hierarchia, cùm ſuis congruis, & competentibus inſtitutam Miniſtris, internè, nihil interim præiudicij, quibuſcumq; ſecularibus Principibus, & eorum regimini inferendo, ſua Monaſtica, ſua OEconomica, ſua Politica viuendi inſtructione, quoſcumq; inter Principes, ſiue Infideles, ſiue Fideles eſſent, iuſtè, fortiter, ac ſuauiter gubernari. Inde ſubiungit Chriſtus; [Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.] Ideſt, ſi Eccleſiæ Prælatis cauſſam decidentibus, non crediderit, ſi eis non obtemperauerit, (id enim, ex Hebraica phraſi, hoc loco, audire, ſignificat:) cum [Qui eos audit, me audiat; qui eos ſpernit, me ſpernat:] vt dixit Luc. c. 10. eum deuitabis, tamquam à meò regno ſciſſum, ac ſequeſtratum, eamq; inſuper cum eo agendi liberè inibis rationem, ac ſi Gentilis ſit, deorumq; falſorum cultor: quales multi erunt Principes, & eorum ſubditi, ſub quorum prememini imperio: vel ſit tibi eo ipſo loco, quo erant Gentiles, & Idololatræ, quando ſub eorum dominijs Eccleſia premebatur. In referendis autem ſimul publicanis, ad Iudæorum alluſit Chriſtus conſuetudinem, qui eos, ſicuti & Ethnicos, pro publicis peccatoribus, reputabant, & ab eorum conſuetudine religioſiùs abſtinebant.

Quòd autem intellexerit Eccleſia, in illis Chriſti verbis, [ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus;] non ſolùm ſeparationem Chriſtiani fratris, Prælato non obſequentis, ab aliorum Chriſtianorum cœtu, per excommunicationem, vel aliàs; ſed etiam Chriſtum, liberam, ac apertam reliquiſſe ianuam, vt cum contumace fratre, (ne delictum eius remaneret impunitum) alius teneretur agendi modus, etiam extra Eccleſiam, ius, ac iuſtitiam contra illum poſtulando, eſto illuſtre exemplum Pauli Samoſateni ab Eccleſia, propriaq; domo, inſignis expulſio, quam Euſebius lib. 7. c. 30. Hiſtor. Eccleſiaſticæ æternæ memoriæ commendatuit.

Fuerat à Catholicis Epiſcopis in Antiochena Synodo, propter hæreſim, à communione piorum eiectus, & Epiſcopatu priuatus Paulus Samoſatenus; quo tempore Imperij regebat habenas Aurelianus Imperator, Idolorum cultui, ſi quis alius, ſuperſtitioſiſsimè deditus, ac Chriſtianæ fidei acerrimus perſequutor, Paulus conſiderans Imperatorem eſſe Ethnicum, ac inde præſumens, Eccleſiam coram eo haud vlteriùs proceſſu-

rum,

ram, Epiſcoporum, contempſit decretum; neque ab Eccleſiæ domo propria voluit abſtinere. Tunc Catholici, ea ratione, Paulum ſibi quaſi Ethnicum, & publicanum, habuerunt; vt etiam Imperatorem adeundum putarent, qui ſuperbos illius conatus infringeret, Eccleſiæq; iudicium; ad effectum, ſua reduceret auctoritate. Ergo rogatus ſententiam Aurelianus, quamuis Ethnicus, intellexit tamen, haud ſui muneris eſſe inter Epiſcopos iudicare. Et ecce ab impio Imperatore hoc ſanctiſsimum emanauit decretum; vt illis domus ea adiudicaretur, quibus Epiſcopi Italiæ, & Vrbis Romæ in dogmate concordes, per litteras reſcriberent, tribuendam.

Pauli Apoſtoli doctrina circa prædicta.

SED tempus iam, & occaſio poſtulant, vt qualiter Apoſtolus Paulus hanc Euangelij theoriam ad praxim reduxerit, demonſtremus. Is enim 1. ad Cor. c. 5. cùm, præcedente iā partim, (vt veroſimile eſt) gradatione illa à Chriſto ſignata, crimina corrigendi, crimen cuiuſdam inceſtuoſi Corinthij ad Eccleſiæ aures, & notitiam perueniſſet: neque interim Presbyterorum quiſpiam, vt par erat, quò Euangelicæ fieret ſatis diſciplinæ, de eo curaret: Apoſtolus Corinthiorum Eccleſiæ legitimus Iudex, breui, atq; acri tantæ negligentiæ praua reprehenſione vſus in Corinthios: ſic contra crimiroſum ſuam protulit verbis conceptis, diffinitiuam ſententiam, ſcribens illis: [Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt. In nomine Domini noſtri IESV Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, in virtute Domini noſtri IESV Chriſti, tradere huiuſmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis: vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri IESV Chriſti.] Ecce Paulus diſertè dicit, ſe, non autem totam Corinthiorum Eccleſiam, ſceleſtum illum hominem Sathanæ tradidiſſe. Neque dum aliqui ex Tertulliano in Apolegetico probare contendunt, vſu fuiſſe receptum, vt in Chriſtianorum congregationibus de peccantibus iudicaretur, aliquid aliud vmquam probabunt, quàm coram multitudine, propter Eccleſiæ ſatisfactionem, ſed non à tota multitudine, iudicia exerceri conſueuiſſe.

Circa quem locum primò, pro Eccleſiæ declarata iudiciaria poteſtate, & vt intelligatur Paulus hic Corinthios percellere voluiſſe, quaſi Chriſti Domini doctrinæ Matth. cap. 18. de corripiēdis peccatoribus, vel immemores, vel contemptores eſſent; qui fratrem ſceleratum Eccleſiæ iudicio non ſiſterent, ab eius Prælatis, iuxta menſuram delicti, pro temporis ratione, cōdemnandum; audiendus eſt Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. cap. 16. dicens: [Neque enim viſcera dilectionis maiora geſtamus, quàm Paulus, qui docet 1. ad Theſſal. cap. 1. Corripite inquietos: conſolamini puſillanimes: ſuſcipite infirmos: patientes eſtote ad omnes:

videre, ne quis malum pro malo alicui reddat. Vbi intelligendum eſt, tunc malum pro malo reddi, ſi corripiendus non corripiatur, ſed graui diſſimulatione negligatur: (rara Auguſtini explicatio) Si peccauerit in te frater tuus, Matth.c.18. corripe eum inter te, & ipſum: & ſeueritatem correptionis eo vſque perducit, vt dicat: ſi neque Eccleſiam audierit, ſit tibi vt Ethnicus, & publicanus.] Ecce, Auguſtinus ſeueritatem correptionis delicti cuiuſq; fratris, ad punitionem extendit illius, faciendam in tribunali Prælati, iudiciaria poteſtate: oſtendens etiam, accuſatorẽ proximo delinquenti inueniendum: niſi velit illius delicti conſcius, & diſſimulans, illi miſero malum pro malo reddidiſſe. Et lib. de Vera relig. c. 6. ſic docet: [Sunt etiam in Eccleſia carnales quidam, ideſt, viuentes, aut ſentientes carnaliter; quos tamquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt: donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area, pro voluntate, quiſq; vel palea, vel frumentum eſt: tamdiu ſuſtinetur peccatum, aut error cuiuſlibet, donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem, pertinaci animoſitate, defendat. [Vbi pulchrè docet Auguſtinus, & apud Eccleſiam eſſe ius, ſontes, & noxios, carnaliterq; viuentes, puniendi, ac deinceps, tamdiu peccatum, aut errorem cuiuſlibet ſuſtineri, donec inueniat accuſatorem. Inuenit ergo eum inceſtuoſus hic Corinthius, vnde non debuit ab Eccleſia amplius tolerari.

Eſt ſecundò aduertendum, qualiter initio naſcentis Eccleſiæ (quando, vt in ſequẽtibus fusè diſputabimus, haud poterat, neque eã decebat, pœnis corporalibus in peccantes, ſontes, & noxios vti) ſimul atque accuſati erant, & conuicti, tamquam putrida membra, ab Eccleſiæ corpore reſecti, pro ea poteſtate, quæ data fuit Apoſtolis, & Eccleſiæ ſucceſſuris Prælatis, declarabantur, vt pro Ethnicis, & publicanis, iuxta Chriſti præceptum, haberentur. Itaque à fidelium communione reijciebantur; vnde dicebantur excommunicati, quòd neque Chriſti, neque Sanctorum cùm illis vlla merita communicarentur. Quamobrem, & à Sacramentis arcebantur, & eorum conſuetudine pijs omnibus interdicebatur. Hoc, ſi quis rectè expendat, incomparabile erat damnum; tradebantur enim huiuſmodi Sathanæ, qui cùm & Chriſti meritis, & Eccleſiæ eſſent ſuffragiis deſtituti, plenam in eos, corporali etiam nonnumquam interceden te vexatione, accipiebat poteſtatem. Qua ſimili excommunicatione, quoties opus eſt, iuxta præſcriptos Canones, Eccleſia in peccatores, ac nocentes, ſemper vti perſeuerat: [Hoc nunc agit in Eccleſia excommunicatio,] dicit Auguſtinus, [quod agebat in veteri Teſtamento interfectio,] & alludit ad c. 37. & 39. Deuteron. Ac, vt eſt apud Cyprianum lib. 1. Epiſt. 11. [tunc gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat: nunc autem, quia circumciſio ſpiritualis eſſe ad fideles Dei ſeruos cœpit, ſpirituali gladio ſuperbi, & contumaces ne-

cantur: dum ab Eccleſia eijciuntur: neque enim viuere foris poſſunt; cùm domus Dei vna ſit, & nemini ſalus niſi in Eccleſia eſſe poſſit. Indiſciplinatos autem perire, dum non audiunt (Ecce alluſio ad verbum Chriſti: Si Eccleſiam non audierit:) neque obtemperant conſilijs ſalubribus, teſtatur Scriptura, quæ dicit: Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe; qui autem oderunt correptionem, conſumentur turpiter.] Sic etiam ſcriptum legimus à Hieronymo Epiſt. 1. ad Heliod. [In veteri quidem lege, quicumque ſacerdotibus, non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptum expiabat cruore: nunc verò inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Eccleſia rabido Dæmonum ore diſcerpitur.] Formidandum certè, neque aliquid aliud æquè homini Chriſtiano tremendum, quàm à Chriſti corpore, quæ eſt Eccleſia, ſeparari, & fieri tamquam Ethnicum, & publicanum: quod ex Auguſtino, contra aduerſ. legis & Prophet. cap. 17. [multò grauius eſt, quàm ſi gladio feriretur, ſi flamma abſumeretur, ſi focis ſubijceretur.]

Tertiò obſeruandum eſt, id quod ex doctrina fundamentali Chriſti ſupra notabamus, in iis omnibus, eum ſemper finem, quibuſcumq; fratribus Chriſtianis, & tamdem Eccleſiæ Prælatis præfixum eſſe debere; vt frater peccans omninò reſtituatur. Quamquam ergo hæc ſit pœnarum grauiſſima, quoniam tamen, ſicut ſummus Philoſophus optimè docuit. 10. Ethic. [medicinæ quoque pœnæ ſunt,] prædicta punitio, medicinæ prorſus cauſſa, debet adhiberi. Numquam enim hac animaduerſione vtendum eſt; vt, qui è cœtu piorum eijcitur, perpetuò iam condemnatus, ac gehennæ ſupplicijs traditus prætendatur. Illud ergo magis propoſitum eſſe oportet Prælatis, vt ad hunc modum caſtigatus, ad mentem aliquando ſuam redeat, atque ab eo, quo ligatus eſt, vinculo petat abſolui: quod à Paulo loco præſenti diſcimus faciendum: [Iudicaui, inquit, tradere huiuſmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis; vt ſpiritus ſaluus ſit, &c.] non ad ſpiritus, ſed ad carnis interitum tradidit inceſtuoſum hominem Sathanæ; hoc eſt, vt libido, tumor, ſuperbia, contumacia, & ſi quæ erant alia carnis opera ſic domarentur, ac penitus mortificarentur, quò iis domitis, tantò minore negotio ſpiritus poſſet ſaluus fieri. Sic ad Theſſalonicenſes ſcribens idem Apoſtolus 1. cap. 7. [Quod ſi quis, inquit, non obedierit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate; & non commiſceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem.] Ecce cui ſeparationem indixit, dilectionem non præcidit, tali modo vetari eum volens, vt erubeſceret, & ad mentem ſanam eſſet aliquando rediturus. Quod ſi pudore correptus Chriſtianus talis non fuerit, tunc ipſe ſibi cauſſa eſt mortis, non is, qui ſanatum eum, hoc remedij genere, cupiebat. Tamdem docet Auguſtinus de Corrept. & grat. cap. 15. [Corripiendo nihil

aliud agere nos debere: niſi vt ab illa pace, quæ eſt ad Deum, non recedatur, aut ad eum, qui receſſerat reuertatur.]

Qualiter tamen, in hoc indiuiduo inceſtuoſi illius Corinthij caſu, hoc doceat idem Paulus 2. ad Corinth. c. 2. videamus. [Si quis autem, inquit, contriſtauit me; non me contriſtauit, ſed ex parte: vt non onerem omnes vos. Sufficit illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita vt è contrariò magis donetis, & conſolemini: ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, vt confirmetis in illum charitatem, &c.] Ergo in vniuerſum ſic docuit Apoſtolus illud ex Deuter. c. 13. & 19. [Auferes malum de medio tui,] ad noſtram Eccleſiam pertinere: vt eiectum ex illa propter peccatum, non oporteat negligere; quod Ezechiel cap. 34. in malis paſtoribus damnat, dicens: [Quod eiectum erat, non reduxiſtis.] De quo habentur plura apud Clementem, in Conſtit. Apoſtolicis, & maximè lib. 2. à cap. 12. & deinceps.

Quartò eſt ponderandum, ſimul, & grauiſſimam hanc eſſe Eccleſiæ aduersùs delinquentes enormiter punitionem, & eam cum ſuis Prælatis ſemper, in animi præparatione, fuiſſe prõptam, vt nedum ſpiritualibus pœnis, verum etiam corporalibus, cùm maiores vires colligeret, vteretur. Hæc eſt doctrina antiquorum Patrum multorum, & inter eos Vrbani Pontificis & ſanctiſſimi Martyris, qui prohibens Epiſt. decretali, ne facultates Eccleſiæ in alios raperentur vſus conuertendæ, (de quo inferius multus erit nobis ſermo) diripienti eas cuicumque excommunicationem minatus: [Hæc, inquit, fratres valdè cauenda ſunt, & timenda; quia res Eccleſiæ, non quaſi propriç, ſed vt communes, & Domino oblatæ, cum ſummo timore, non in alios, quàm in præfatos vſus, fideliter ſunt diſpenſandæ: ne ſacrilegij reatum incurrant, qui eas inde abſtrahunt, vbi traditæ ſunt, in pœnam, & mortem Ananiæ & Saphyrç incurrant: & (quod peius eſt) anathema, maranatha fiant: & ſi non corpore, vt Ananias, & Saphyra mortui ceciderint, anima tamen, quæ potior eſt corpore, mortua, & à conſortio fidelium aliena, cadat, & in profundum barathri labatur. Vnde attendendum eſt omnibus, & fideliter cuſtodiendum, & vſurpationis illius contumelia depellenda; ne prædia, vſibus ſacrorum cæleſtium dedicata, à quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quis fecerit, poſt debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos iure promenda eſt, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis ſeruetur: quoniam iuxta Apoſtolum, tradere oportet huiuſmodi hominem Sathanæ.] 17. q. 4.

Quintò eſt valdè conſiderandum, qualiter poſt latam ſententiam illam, Corinthijs in eodem capite ſcribat Paulus: vt iam nimium contumax ſit, oporteat, qui Eccleſiæ, aſſertam à nobis iudiciariam poteſtatem, ampliùs audeat denegare. [Scripſi vobis, inquit, in Epiſtola ne

commiſceamini fornicarijs; non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut Idolis ſeruientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri, ſi is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus; aut rapax; cum eiuſmodi, neque cibum ſumere. Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare? Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum de medio veſtri.] Ecce de quibus criminibus docet expreſsè Paulus, iudicium ad Eccleſiæ legitimos Prælatos pertinere: ac idem, de ceteris omnibus delictis inter Chriſtianos accidentibus, iudicium ferendum eſt. Manifeſtè igitur docet Paulus in Eccleſia eſſe Politiam, & facultatem iudiciariam, qua, criminum inter Chriſtianos graſſationi, eatur obuiam; ſiue inter Principes ſeculares Ethnicos, ſiue inter Catholicos, ac ſui generis Principes conuerſetur: eorum interim nihil præiudicando ditionibus, ſi de criminoſis velint cognoſcere Chriſtianis; ſed Chriſti Domini explicando Euangelium, quo docuit, ſiuè Principes, in continendis in officio ſuis ſubditis, ſint negligentes, & vecordes, ſiuè præſint in ſolicitudine, eam tamen Eccleſiæ eſſe maieſtatem, vt interna gaudeat, ab ipſo Chriſto ſibi conceſſa, facultate, ac poteſtate: vt, per iudicium ſuorum Prælatorum legitimum, auferre poſſit malum de medio ſui: ad quod Paulus Corinthiorum Eccleſiam, & in illa ceteras per orbem Eccleſias hortabatur.

Ex eodem Paulo dicta confirmantur.

TAMDEM hanc quam verſamus, & reuerſamus doctrinam tradidit idem Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 13. & eſt mirum, quo exordio ad illam tradendam fuerit vſus. [An experimentum quæritis, inquit, eius qui in me loquitur Chriſtus? Qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis, &c.] Chriſti ipſius, ſe profitetur doctrinam illis expoſiturum, certus, & Chriſtum per eius loqui os: & certus, ipſum Chriſtum adeo potenter in Corinthiorum regnare cordibus, per fidem: vt certiſſimè crederent, & in Paulo loqui Chriſtũ, & ad ipſos loqui Chriſtũ: & certus, piiſſima affectione Chriſti ſermonem eſſe ſuſcepturos. Capite ergo præcedenti, dum, de quibuſdam ab eis commiſſis delictis, ageret, per pœnitentiam nondum purgatis, ſic ſcripſerat: [Ecce iam tertiò hoc paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis vobis.] & infra; [Omnia enim, chariſſimi, propter ædificationem veſtram. Timeo enim, ne cùm venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos: ne iterum cùm venero humiliet me Deus, apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper im-

munditia,

munditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.] Pergit iam Apoſtolus dicto cap. vltimo ſignificando Corinthijs inſtantem ſuum aduentum, ad caſtiganda præfata illorum delicta, ſic ſcribens: [Ecce hoc tertiò venio ad vos: in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi enim, & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens ijs, qui peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam.] & infra. [Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate;] & infra. [Hoc & oramus veſtram conſummationem: ideo hoc abſens ſcribo, vt non præſens durius agam: ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.]

Quo loco primò obſeruatione dignum eſt, Paulum minari ſe vltorem criminum, ac iudicem ad Corinthios venturum: neque interim illis ſe futurum grauem: Epiſcopus namque, & Eccleſiaſticus Prælatus, ad præſcriptam legis Euangelicæ normam, actiones dirigens ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam pertinentes, neque actiuè, præter functionis ſuæ exequutionem, vlli eſſe grauis, neque paſſiuè ab vllo ſubditorum debet grauis iudicari: hæc enim omnia præmittit Paulus, ad ædificium Eccleſiæ ſartum, & tectum conſeruandum, ab eo ferè præſtanda, ad ſubditorum, videlicet, ædificationem.

Præcauet ſecūdò Apoſtolus, & ſibi veretur, ea apud Corinthios peccata reperienda, quę ipſum apud Deum humilient, cui quaſi vadem ſe præſtiterat, illam nuperam ad Chriſtianiſmum conuerſam gētem talia crimina neutiquam admiſſuram. Ecce Chriſtiani gregis tranſgreſſio, & ſuperbia, humilitas eſt paſtoris.

Memor tertiò Euangelicæ doctrinæ, quam explicauimus, Matth. cap. 18. ſecuros reddit Corinthios, eius Auctorem Chriſtum Dominum eamdem per eius os denuo docere: cùm ipſe teſtetur ad Galat. c. 1. ſe Euangelium per reuelationē Ieſu Chriſti didiciſſe: vnde ipſiſmet verbis Chriſti conceptis addit; [In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum:] Corinthijs ad memoriam reducens, vt iuxtà Chriſti inſtitutum, ac iuxta quod illos præmonuerat, ac inſtruxerat 1. ad eos Epiſt. cap. 6. (de quo loco ſtatim erit ſermo) coram ſapientibus vno, vel duobus Presbyteris, offenſionibus, litibus, tranſgreſſionibus finem imponerent, ſalutari, leni, æqua, ac charitatem ſpirante pœnitentia, eam commeritis, adhibita.

Prædictione hac quarto rem omnem concludit: vt ſi nec per ſecretam correctionem, neque per ſapientes Presbyteros, duobus vel tribus interuenientibus teſtibus, quæſtiones, & offenſiones apud illos excitatæ, componerentur, ſibi perſuaderent, ad vltimum eſſe remedium accedendum; vt Eccleſię dictę, eius, videlicet, Prælato ipſi Paulo ſigillatim propoſitę, apud earum auctores, criminoſoſque conuictos, inueniretur qua-

lis ipſi nollent; iudex ſcilicet, durius agens, prædicta peccata promi ſcuè ſiuè ſecularia, ſiuè Eccleſiaſtica, tàm in ſecularibus, quàm in Eccleſiaſticis, rigoroſiùs caſtigando. Quod omne ſe effecturum ſubiungit, pro tuenda, & ad praxim reducenda Euangelica veritate, contra quam nihil poſſet, & pro qua ſe eſſe potentem, ad quiduis iuſtè efficiendum, ſentiebat.

Quinto, ne aliquis animo conciperet, Paulum, aut Chriſtum per eius os loquentem, ditioni ſecularium iudicum inſidiari, vel à Magiſtratuum ciuilium ordinibus vires auferre, vel eas modo eneruare quocumque, addit. [Hoc & oramus veſtram conſummationem:] eſt ſenſus, hoc oramus veſtram coagmentationem, veſtram Politiam, Euangelica viuendi, degendi, regendi, ac gubernandi Rempublicam Chriſtianam, ratione, numeris abſolutam omnibus, & quæ eius profeſſores reddit omnino conſummatos; nulla interim exſpectata Principum ſecularium in Chriſtianos directione: cùm ipſi internè, ex vi legis Euangelicæ, ſufficientiſſimè habeant, vndè moraliter ac Politicè, abſque vel Principum, vel publicæ rei, vel Chriſtiani ſtatus fraude, iuſtè valeant gubernari. Id enim ſignificat nomen καταρτισμὸν Græcè ab Apoſtolo hic poſitum, coagmentationem, videlicet, perfectam, ac conſummatam. Et hoc omne, & propono, & oro, concludit Apoſtolus, [ſecundùm poteſtatem, quã Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem;] ideſt iuxta eam facultatem, quam à Chriſto Domino omnes Eccleſiaſtici recepere Prælati, vt cùm circa Chriſtianorum tranſgreſſiones, ſeu lites, percurſis alijs præcurrendis, ſuam ipſi eſſent laturi ſententiam: ea illam cautione proferrent, vt ſi minus audirentur, eſſet integrum vel ipſi Eccleſiæ, ſi rei eſſet communis, vel cuicumque Chriſtiano, propter alterius inobedientiam, vim patienti, ad Magiſtratus ſecularis legitimum tribunal prouocare.

Ex eodem Apoſtolo comprobantur prædicta.

HANC huius loci expoſitionem, & totam ſubiectam materiam, de qua eſt noſter multus inſtitutus ſermo, confirmat idem Apoſtolus, ſcribens ſic ad Epheſios, cap. 4. de hac Politica Chriſtiana inſtitutione. [Et ipſe (loquitur de Chriſto) dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.] Quo loco oportet, meminerimus regulæ Ticonij ab antiquis Patribus ſatis commendatæ, de duplici corpore Chriſti, reali & vero, de quo hic non agebat Paulus, & myſtico, tota videlicet, Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus, de quo loquebatur: quod corpus per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, vt habetur infra eo-

dem

dem cap. compingendum erat ex duobus his ſtatibus, videlicet, ſeculari, qui Apoſtolos exciperet, qui ex eodem Paulo 2. ad Corint. cap. 5. legatione pro Chriſto per mundum vniuerſum fungebantur; vt Deo reconciliaretur: audiret Prophetas linguarum donis diuites legationem illam explicantes; crederet Euangeliſtis Chriſti Domini geſta enarrantibus; Paſtoribus denique, ideſt, Prælatis docentibus, & exequentibus Chriſtianam iuriſdictionem præmio ac pœna contentam, obtemperaret: item & ex alio ſtatu, Eccleſiaſtico, videlicet, excellentiori, qui ex præfatis Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, ac Paſtoribus & Doctoribus erat integrandus: quod corpus ſic compactum, ac connexum, vel corporis Chriſti myſtici ædificium, & augebatur, & erigebatur, & ſurgebat ad conſummationem Sanctorum: (Sancti appellabantur fideles, naſcentis Eccleſiæ initio: de quo infra fuſe dicemus 3. parte). Eſt ſenſus vltimus huius loci, vt Sancti, & fideles, per eorum regimen, & inſtructionem, conſummati, & perfecti euadant; eſt ſenſus primus litteræ, ad conſummationem Sanctorum, ideſt, vt habeat Eccleſia coagmentationem integram, atque perfectam corporis, etiam Politico regimine iuſto firmoq; conſtantis; idem enim hoc ſignificat dictum verbum Græcè appoſitum, καταρτισμὸς: quo alludit Paulus, ſibi ſimilis, ad locum 2. ad Corinth. c. 13. [Oramus veſtram κατάρτισιν, ideſt, conſummationem. Vnde ad maiorem explicationem addidit, [in opus miniſterij;] ideſt, ad omnem adminiſtrandam in Eccleſia ſuperioritatis rationem.

Verbũ enim miniſtrandi, & miniſtri, & miniſterij, eſt in Euangelio verbum conceptum, à Chriſto Domino ſingulari captum ratione, & ab eius Apoſtolis intellectum, cùm aperuit illis ſenſum, vt intelligerent, & Scripturas, & multa, quæ illos primò docuerat, & adhuc ab eis ignorata, poſt illius à mortuis reſurrectionem, pleniſſimè perceperunt. Significat ergo Euangelico vſu miniſter, miniſterium, & miniſtrare, ſuperioritatem prælationem, & eius exercitium: quo verbo vſus fuit Chriſtus, vt, qualis deberet eſſe omnis in Eccleſia dominij; ac prælationis ratio, Eccleſiaſticos doceret futuros Prælatos, quæ miniſterium, omnem videlicet humilitatem, præſeferret: de quo erit infra fuſiùs agendum. Sic faſſus fuit Chriſtus Matth. cap. 20. & Marc. cap. 10. [Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. & Luc. cap. 10. [Quis maior eſt, qui recumbit, an, qui miniſtrat? Egò autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. [Sic Paulus loquitur ad Rom. c. 4. [Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, &c.] & 2. ad Corint. cap. 3. [Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, &c.] & alibi ſæpe. Act. cap. 1. ſucceſſionem Matthiæ, in Apoſtolatus dignitatem, appellarunt, miniſterium, reliqui Apoſtoli, ſic de Iuda loquentes. [Qui ſortitus erat ſortem miniſterij huius.] de Matthia autem: [oſtende quem elegeris ex his duobus accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, &c.] quo verbo ſæpe ad

hoc

hoc propoſitum vtitur Paulus: vt cùm Timotheum exhortatur, vt partes integerrimi præſtet Prælati, ſiue humilitate, ſiue ſeueritate ſit opus, ſic ſcripſit. 2. ad illum cap. 4. [Miniſterium tuum imple.] Ergo hinc clarè perſpicitur, Apoſtolum, cùm dixit, [ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij:] hoc omnino voluiſſe ſignificare, Apoſtolos, & reliquos ibi nominatos, attributos fuiſſe à Chriſto Legislatore Eccleſiæ, vt in ea regiminis, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis, temporalis, ac ciuilis, ratio conſtaret: vt illi adeſſet Cæleſtis, Politica, & terrena conſtitutio, ad Chriſtianos homines moraliter, ac ciuiliter bonos efficiendos, & ad finem ſupernaturalem, ſibi per Euangelium oſtenſum, deſtinandos. Hinc ipſe Apoſtolus tantæ ſuæ, & Prælatorum Eccleſię, ciuilis poteſtatis memor, Timotheum 1. ad illũ, c. 5. ſic, ad eam exercendam, hortabatur. [Peccantes, ideſt cõuictos, corã omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant,] & 2. cap. 4. [Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.] Et ad Tit. cap. 2. [Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.]

Inſignis locus Pauli pro eadem doctrina.

IMMO tanta Euangelij tuba, & in eo cõtentæ Politicæ facultatis annunciatrix buccina, idem Paulus, ſolita ſua, in grauioribus cauſſis, dicendi vſus Apoſtolica παῤῥησίᾳ, libertate, ſcilicet, (quam Latinus Interpres ad Epheſ. cap. 3. fiduciam, tranſtulit:) ſic ad Corinthios ſcripſit, 1. cap. 6. quem locum conſultò huc uſque afferre diſtulimus. [Audet aliquis veſtrum, habens negotium aduerſùs alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis ſecularia? Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?]

Inſignis locus! circa quem aliquantulum immorabimur, dum priùs illum hac Paraphraſi, ex Doctoribus deprompta Catholicis, illuſtremus. Optaſſem quidem Corinthij, inquit Paulus, factum meum apud vos, dum inceſtuoſum hominem, in veſtro repertum coetu, ab eo ſeiunctum Sathanæ tradidi, lata ſuper negotio iudiciali ſententia, eam legis rationem ſubijſſe: vt nihil apud vos certiùs conſtaret, quàm Prælatos à Chriſto ſuper vos conſtitutos, illam ab ipſo ſuſcepiſſe poteſtatem, vt ab eis, ſecluſo ſeculari tribunali quocumque, de Chriſtianorum cauſſis iudicaretur. Optaſſem & veſtris animis firmiter inſediſſe, ex vi mei ad vos directi præcepti, fuiſſe adſtrictos, cum fratribus, per ſententiam

e communicationis, nominatis fornicatoribus, auaris, Idolis ſeruientibus, maledicis, ebrioſis, rapacibus; nulla vti communione; quos veſtrorũ Presbyterorum ſapientum, ad id electorum, & meo ſtare iudicio neceſſum eſt: cùm erga criminoſos alios, qui Chriſto, eiuſque legi nomina non dederunt, vt, qui Dei iudicio reſeruati ſint, nullam prorſus nos habeamus de illis iudicandi facultatem. Hæc omnia præcedenti concluſa huius Epiſtolę capite, & geſta fuiſſe per me, eâ Chriſto Domino faciente, & eſſe dicta per me, eo in me loquente, quoties oportuerit, vel vobis libuerit, experimento comprobabo. Maius tamen iam mihi vobiſcum negotium hoc capite intercedit; neque vel inſolentis poſſum vos audaciæ excuſare crimine, quòd Eccleſiæ conſtanti, clara, à nobis prædicata, nec vobis vllo modo incognita, ſpretâ Politia, quæ in promptu eſt, quarumcumque materiarum, ad vſus humanæ vitæ pertinentium, litigia compeſcere, Chriſtianaque cum & lenitate, & æquitate componere, in ius frater fratrem vocet, cauſſam dicturum apud ſeculare forum, eumque iudicio ſiſtat, apud infideles iudicandum Magiſtratus, & non apud Chriſtianos, ac fideles homines, iudices aſſignatos. An ignoratis, quoniam Chriſti fideles conſtituti ſunt iudices infidelibus, ac huius mundi ſectatoribus: ſiue in præſentiarum innocenti ſuâ vita, ad illorum comparata, impiam, ac ſceleratam, corruptamque conuerſationem; Chriſtiani enim, ac iuſti mundo mortui, & vitam ſuam abſconditam cum Chriſto ſeruãtes in Deo, impios, mundo ſolum viuos, perpetuò condemnãt: ſiue quia in poſterùm, extremo aduenĩẽte iudicio, peccatores, videntes, & iraſcentes, iudicio approbationis damnabunt, læti ſuper eorum ſanguinem manus lauantes, ac eorum vindictam intuentes.

Quòd ſi homines carnales, ac ſuis traditi deſiderijs, quales ſunt infideles, inter quos conuerſamini, eſtis iudicaturi, indigni ne eritis, qui inter vos de negotijs minimis, pecunias, vel ſimilium rerum quæſtiones tangentibus; iudicetis? vel certè, indigni eſtis prorſus abiecto illo Gentilium foro, in quo ij ſunt digni iudicari, qui eiſdem, cum in eo iudicantibus, vitijs inuoluuntur. Quid dixerim; vos eſſe à Chriſti & fide, & moribus deuiantium iudices conſtitutos? hucuſque ad veſtram non peruenit notitiam, Angelos ipſos, qui Principatum ſuum non ſeruauerunt, ſuumque deſeruerunt domicilium, ſanctorum Chriſtianorum eſſe iudicio ſubiectos? vel dum totum Eccleſiæ corpus myſticum, per Chriſtum ſuum Caput, eos iudicabit, qui eſt à patre, & hominum, & Angelorum Caput, & Iudex conſtitutus: vel dum, immaculata vita, Chriſtiani humiles illorum damnant ſuperbiam, contra Deum, quem perpetuo proſequuntur odio, ſemper aſcendentem. Quanto ergo potiori ratione idonei ſumus, cõtentiones, & rixas, de vitę neceſſarijs, inter nos ortas diſſoluere? Perſtet igitur deinceps apud vos hoc firmum; vt ſi ne-

ceſſe fuerit eiuſmodi iudicia introducere, eorũ quæ ad cõmunem hominũ vſum pertinẽt, ipſos abiectiores ex veſtro coetu homines,ad ea decidenda,præficiatis. Sit dictum hoc à me, vt vos pudore ſuffundam: quaſi non ſit in tanta Chriſtianorum congregatione, qui componere inter vos huiuſmodi litigia norit; vt opus ſit Chriſtianum fratrem, cùm litem fratri intendit Chriſtiano, quod excuſari omnino voluiſſemus, eam in foro ſeculari iudicum infidelium conteſtari? Hæc,conſultis Pauli Enarratoribus, ſuæ doctrinæ videtur conſona interpretatio.

Abſit ergo primò omnium, vt Apoſtolus, qui obedientiam verſus ſuperiores Poteſtates, Chriſti imitator, ſæpius Chriſtianis inculcabat, voluerit ciuili, & ſeculari Magiſtratui derogare, vel ab illo, per vim, tribunal cognitionis ſecularium cauſſarum,inter Chriſtianos ſuborientium, ad Eccleſiaſticos transferri iudices: etiamſi Principes ſeculares à Chriſtiana eſſent alieni diſciplina. Nouerat enim optimè, iudiciariam poteſtatem Eccleſiaſticis Prælatis fuiſſe collatam, vt Politicum ſeculare regnum noluerit Chriſtus Dominus eſſe ſublatum: nam idem ipſe, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: Matth. cap. 22. & ipſe Paulus ad Roman. cap. 13. Principibus,vectigal, & tributum eſſe reddenda,præceperunt. Titumque Epiſt. ad eum cap. 3. docuit, vt ſuaderet Chriſtianis, ſubditos eſſe Principibus, & Poteſtatibus: quod & Petrus præcipit 1. Epiſt. cap. 2. cum dicit, [Subditi eſtote omni humanæ Creaturæ, propter Deum: ſiue Regi,quaſi præcellẽti,&c.]& paulo poſt.[Deum timete, Regem honorificate.] Sed expreſsè rubore affecit Paulus Corinthios,eo quòd, contempta legis Chriſtianæ directione, & diuina ordinatione, qua Chriſtus inſtituit, vt fraternè,vel amicabiliter, vel tandem paternè per Prælatos Eccleſię,quæſtiones,& lites Chriſtianorum componerentur,& iudicarẽtur,ea vellent, Ethnico more,& rigore,apud infideles iudices agitare.

Nam in reliquis,priores illi Eccleſiæ Patres, Iuſtinus Apolog. 2. Clemens Alexandrinus 4. lib. Stromat. & Auguſtinus Epiſt. 5. & 54. & ſuper Pſalm. 118. conc. 31. in id valde laborarunt; vt Ethnicæ, immo ſeculari Poteſtati perſuaderent,Chriſtianos ſeculares,illius tribunal, in ſecularibus cauſſis non ſolùm non contemnere, aut ſubterfugere, immo quoties, ſeruata lege Euangelica, opus eſſet, ab illo iuſtitiæ ciuilis cõgruam adminiſtrationem exſpectare.

Secundò eſt inſpiciendum, quòd contemptibiles Chriſtianos, ideſt, infimos, & abiectos,cenſuit Paulus digniores & aptiores, qui lites ſopirent ſummariè,ex æquo & bono, & apud quos, nobiliores Chriſtiani cauſſam dicerent, cum charitate audiendi, quàm peritiſſimos, vel eminẽtiſſimos Vlpianos, Tribonianos,&c. in iuris prudentia Iudices infideles, de eis ſecundùm iuſtitiæ rigoroſos apices, deciſuros. Hoc & Theodoretus ſuper hunc locum adnotauit. Et hoc de induſtria addidit

Paulus, vt Chriſtianos auerteret à litigando: nam alias omnino ad aliquem ſapientem voluit iudicium illud, quaſi arbitrarium, reduci: illius abſque dubio Chriſti doctrinę ſectator,& interpres: [Si te non audierit,adhibe tecum vnum, vel duos : vt in ore duorum, vel trium teſtium,] negotium quodcumque breuiter,ac facilè transigeretur. Notat autem Ambroſius ſuper hunc locum,nullam hic à Paulo fieri mentionem Epiſcopi; cùm tam ex ipſius mente, & facto, quàm ex Chriſti præcepto, ad Eccleſię Prælatos,Epiſcopos videlicet,præcipuè huius iuriſdictionis exercitium pertineret; ſed fratrem iudicem eligendum ſcripſiſſet quia certè adhuc Corinthiorum Eccleſiæ nòn erat rector Epiſcopus ordinatus. Licèt ex Auguſtino infra, morem alium, dictos iudices aſſignandi, ex Apoſtolorum conſtitutione, ſimus producturi.

Sed omnino eſt hic audiendus Chryſoſtomus, ſic ſuper hunc locum ſcribens: [Cùm hyperbole, & exſuperatione, nos volens docere: quòd quidquid ſit, non oporteat externis dare: mota, quæ videbatur eſſe, obiectione, antè eam ſoluit. Nam quod dicit,eſt huiuſmodi. Fortaſſe dicet quiſpiam, nullum eſſe inter vos ſapientem, neque qui ad diſcernendum, & iudicandum ſit idoneus, & quid tum? Nam etſi nullus, inquit, ſit ſapiens, vos minimis permittite.] & paulò infra. [Eſt enim admodum turpe, ſi ne fratribus quidem Sacerdos poſſit eſſe auctor reconciliationis: ſed neceſſe ſit, recurrere ad externos. Quamobrem dicens,[contemptibiles,qui ſunt,]non hoc dicit præcipuè, quòd oporteat eos, qui ſunt abiecti conſtituere: ſed eos tangens; nam quòd eos, qui poſſunt diſcernere, ac iudicare, præmittere oporteat, ſignificauit dicens, ſic nec eſt inter vos ſapiens quiſquam.]

Eſt tertiò aduertendum, quàm miro Dei conſilio, quàm maxima eius prouidentia effectum ſit: vt dum Paulus in vna Corinthiorum Eccleſia collapſam iam reſtituere conatus fuit Euangelicam diſciplinam, quid in poſterum eſſet agendum circa ſimilia, vniuerſam, per orbem, Eccleſiam informaret. Erat quidem res magni ponderis,in Eccleſia iudicij tribunal erigere, quo tamen ipſa,cum eodem Apoſtolo,potius carere poſſe, votis omnibus exoptaſſet. Si enim omnes Chriſti fideles,ex æquo, eam, qua ſemel erant imbuti, excoluiſſent Euangelicam pietatem, incaſſum, ad eorum lites dirimendas, quodcumque fuiſſet tribunal conſtitutum,Et hoc eſt quod dolebat ipſe Paulus,hoc eodem loco, dum dixit. [Sed frater cum fratre iudicio contendit?] & infra: [Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus?&c.] Quo per Paulum conſiderato, & quòd eſſent ſemper futuri nonnulli Chriſtiani rerum auidi temporalium,non tantùm ſua cupidè retinere volentes, verùm & in aliena procaciter inhiantes, vel alijs ſe ſe ſimilibus vi-

tijs

tijs contaminaturi; quod præſens illum experientia,apud vnum Corinthiacum populum,edocebat; opus fuit, Apoſtolum his conſulere, & quæ ad optimum reipublicæ Chriſtianæ ſtatum attinent, Chriſti inhęrendo veſtigijs, ordinare.

Quartò, haud dubitandum videtur, quin Apoſtolus; qui cetera humanæ conniuens fragilitati, circa quæſtionum, ac litium originem, ac proſecutionem; iuxta præſentis ſui temporis ſtatum, arguebat Corinthios, quòd ſecularia negotia ad Infideles deferrent Poteſtates, ſanctos, & fideles ſubterfugiendo arbitros, vel iudices: iuxta inſtantem Eccleſiæ ſtatum, Chriſtianos grauiter argueret, lites ex litibus, & cauſſas ex cauſſis, apud ciuilem ferentes Poteſtatem, iiſdem verbis,quibus Corinthios,ad verecundiam, obiurgauit. Nam de Eccleſiaſticarum perſonarum cauſſis, ac prolixioribus litibus,acriùs certiſſimè ſentiret, & acerrimè fuiſſet proculdubio loquuturus.

SS. Patrum doctrina circa locum præfatum Pauli.

QVINTO, quid ſancti Doctores,quid Patres antiqui de hac Apoſtolica doctrina ſenſerint,paucis proponamus. S.Clemens Pontifex Epiſt. 1. ſic habet ex ipſius Petri doctrina, & refertur 12.q.1.[Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non iudicentur; ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid illud eſt, dirimatur; & omni modo obediant ſtatutis eorum.] Item ibidem iniungit Petrus Clementi, vt ſecularibus commendet iudicandi munus inter laicos: [Quod ſi, inquit, non omnes ea facere ſcient,&c. à Diaconis diſcant, &c.] Et 2. lib.Conſtit.Apoſt. ſic habet, c.45.[Pulchra quidem Chriſtiani hominis laus eſt, cum nemine litigare; ſin autem alicuius opera,aut tentatione quapiam factum fuerit,vt incidat ei lis, det operam,vt dirimatur; quãuis opus ſit aliquid damni facere: ne adeat ad iudicium Gentilium: immo ne patiamini, vt ſeculares Magiſtratus de cauſſis veſtris iudicent; per eos enim Diabolus ſtudet, vt famulis Dei probrum etiam excitet: quaſi non habeatis vos quempiam ſapientem, qui poſſit inter vos ius dicere, aut controuerſias dirimere.] Et c.46.ſic habet.[Ne igitur diſceptationes veſtras Gentiles cognoſcant; neque ad dicendum contra vos teſtimonium adhibeãtur:neque ab eis iudicemini,&c.]Et c.47.ſic habet: [Fiant iudicia veſtra ſecunda feria,vt ſi fuerit diſceſſum à ſententia,poſſitis liberè vſque ad Sabbatum ſedare controuerſiam, & pacificare diſceptationes in diem Dominicum. Aſſiſtant autem iudicio Diaconi, & Presbyteri, qui, citra acceptationem perſonarum, tamquam homines Dei, iuſtè iudicent. Cùm igitur vtraque perſona, ſicut lex iubet, in iudicium venerit, ſtabit vterque diſceptantium in medio iudicio: quibus auditis, ferte ſanctè, & incorruptè ſuffragia; & date operam, vt antequam Epiſcopus pronunciet, fiant amici; ne exeat Epiſcopi ſententia

ſuper terram, contra eum, qui deliquit; quia habet ſui, in tribunali, Chriſtum Dei filium, iudicij comprobatorem, & cognitorem, &c.]

Anacletus Pontifex ſummus Epiſt. 1. decret. ſic conſtituit: [Leges Eccleſiæ Apoſtolica firmamus auctoritate, & peregrina iudicia ſubmouemus. Vnde & Dominus mentionem faciens Loth, per Moſem loquitur, dicens: Ingreſſus es quidem, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices? Vnaquæq; Prouincia, tam iuxta Eccleſiæ, quàm iuxta ſeculi leges, ſuos debet iuſtos, & non iniquos, habere iudices: & non externos, niſi Apoſtolicę Sedis huius decreuerit auctoritas; quatenus quicumq; cauſſam habuerit, apud ſuos iudices iudicetur, & non ad alienos cauſſas vagando, ſtimulante proteruia, ſuam deſpiciens patriam, tranſeat; ſed ad duodecim eiuſdem Prouinciæ iudices, ad quorum iudicium omnes cauſſæ ciuitatum referuntur, deferatur negotium. Si autem fuerit Eccleſiaſticum, apud Epiſcopos, interueniente Primate, ſiquidem maior cauſſa fuerit: ſi verò minor, Metropolitano: ſi verò fuerit ſeculare, apud eiuſdem ordinis viros, iudicio tamen Epiſcoporum: cùm Apoſtolus, priuatorum Chriſtianorum cauſſas, magis Eccleſijs deferri, & ibidem ſacerdotali iudicio, terminari voluit. Omnis enim oppreſſus liberè ſacerdotum (ſi voluerit) appellet iudicium, & à nullo prohibeatur; ſed ab his fulciatur, & liberetur.]

Alexander item I. Epiſt. 1. decret. & refertur 11. q. 1. c. Relatum. reprehendens ſacerdotes Dei apud iudices publicos accuſari, illudq; prohibens, adiunxit: [Cùm magis Apoſtolus Chriſtianorum cauſſas ad Eccleſias deferri, & ibi terminari præcipiat.] Qualiter autem horum Pontificum tempore, ex Pauli Apoſtoli doctrina, opus fuerit auctoritate Epiſcopi, in iudicandis ſecularibus cauſſis, qui præerat Magiſtratibus laicis in iuredicundo Chriſtianorum laicorum negotijs, & qua ratione id fieret, dicemus infra 3. parte, argumento 3. principali.

Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, & habetur 95. d. Ecce ego. ſic ait: [Presbyteri verò ab initio Iudices negotiorum eſſe mandati ſunt.]

De S. Ambroſio teſtatur Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. c. 3. tantùm fuiſſe obrutum cognitione alienarum cauſſarum, vt vix daretur ei reſpirandi facultas: atque adeò, vt toto tempore, quo ipſe Auguſtinus Mediolani reſedit, numquam nactus ſit Ambroſium ab his liberum, & otioſum: vt quod ſæpius exoptauerat, mentis ſuæ tricas, quæ animum illius in diuerſa diſtrahebant, prolixiori ſermone, apud illum poſſet explicare.

Immo duę cõcurrebant rationes, vt Epiſcopi populi cauſſas diſcuterẽt, & iudicarent: vel, cùm à diſſidentibus inter ſe partibus, iudices eligerentur; vel, vt malè à ſecularibus iudicibus diſcuſſa, ac indicata reſcinderent, ac retractarent. Hoc innuit Anacletus nunc relatus, vltimis illis verbis: [Omnis enim oppreſſus liberè ſacerdotum (ſi voluerit) appel-

let iudicium,&c] Et de vtroq; exſtant apud Ambroſiũ exempla, qui de cauſſa, ex conſenſu partium, ſibi delata, ſic ait: Epiſt.49. ad Marcel. Tom. 5. Rom. edit. [Cognoui autem, ſecũdùm ſanæ formam præceptionis, qua me induit B. Apoſtoli auctoritas, & tuæ doctrinæ, & vitæ fama, ac diſciplina. Nam cùm ipſe arguerem, quòd adhuc inter vos maneret veternoſum iurgium, cognoſcendi mihi neceſſitatem partes impoſuerunt.] Dicit autem neceſſitatem, quòd (vt paulò inferiùs repetet) Pauli Apoſtoli, hæc præcipientis, mandato teneretur adſtrictus. Rurſum verò Magiſtratuum iniqua iudicia, immo & quæ Imperatorum iniuſto eſſent firmata reſcripto, ſe irritaſſe teſtatur. de Offic. lib. 2. c. 29.

Auguſtinus ipſe Epiſt. 87. ad Hieronymum, Tom. 2. ſic ſcribit. [Quamquàm negotiorum alienorum, eorumq; ſecularium, curis circumſtemur ingentibus, Epiſtolæ tuæ breuitati non facile ignoſcerem, niſi cogitarem, quàm paucioribus verbis meis redderetur.] Et in Pſalm. 118. conc. 24. ſic ait: [Maligni homines efflagitant, aut certè infirmos premunt: vt cauſſas ſuas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus; Dic homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos? Conſtituit enim talibus cauſſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores.] & paulò poſt: [Igitur noſcant obedientes fideles, qui pro ſuis ſecularibus cauſſis non rarò nos quærunt, & iudicijs noſtris facillimè acquieſcunt; nec nos conterunt litigando; ſed obtemperando potiùs conſolantur.] Et ſcribens ad Proculianum Donatiſtam, Epiſt. 147. de vnitate, & concordia Eccleſiæ procuranda; hæc ſubdit: [Et homines quidem cauſſas ſuas ſeculares apud nos finire cupientes, quando eis neceſſarij fuerimus, ſic nos Sanctos, & Dei ſeruos appellant: vt negotia terrę ſuæ peragant: aliquando agamus & nos negotia ſalutis noſtræ, & ſalutis ipſorum: nõ de auro, non de argento, non de pecoribus, pro quibus rebus quotidie, ſubmiſſo capite, ſalutamur: ſed vt diſſenſiones hominum terminemus.]

Attamen in libro, quem ſcripſit idem Auguſtinus, de Opere Monachorum, c. 20. Epiſcopis eiuſmodi iniunctum eſſe iudicium, teſtatur pleniſſimè, cùm ait: [Dominum IESVM, in cuius nomine ſecurus hæc dico, teſtem inuoco ſuper animam meam; quoniam quantùm attinet ad meum commodũ, multum mallem, per ſingulos dies, certis horis, quantũ in bene moderatis Monaſterijs conſtitutũ eſt, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum, liberas; quàm tumultuoſiſſimas perplexitates alienarum cauſſarum pati, de negotijs ſecularibus, vel iudicando, dirimendis; vel interueniendo, præcidendis; quibus nos moleſtijs idem affixit Apoſtolus, non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio: quæ tamen ipſum perpeſſum eſſe non legimus. Aliter enim ſe habebat Apoſtolicus eius diſcurſus; nec dixit, ſecularia iudicia ſi habueritis, ad nos deferte, aut nos conſtituite ad iudicandum; ſed eos, qui contemptibiles ſunt in

Eccle-

Eccleſia,eos, inquit,collocate. Ad reuerentiam vobis dico; ſic non eſt inter vos quiſpiam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum iudicare: ſed cum fratre iudicatur,& hoc apud Infideles? Sapientes ergo qui in locis conſiſtebant, fideles, & ſanctos, non qui huc atque illuc, propter Euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores eſſe voluit;vnde nunquam de illo ſcriptum eſt,quòd aliquando talibus vacauerit;à quibus nos ceſſare non poſſumus, etiamſi contemptibiles ſimus; quia & hos collocari voluit, ſi defeciſſent ſapientes, potiùs quàm negotia Chriſtianorum deferrentur in forum: quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus, pro ſpe vitæ æternę: vt fructum feramus cum tolerantia: ſerui enim ſumus eius Eccleſiæ, &c.]

Quòd ſi antiquiora euoluamus exempla, de Magno Gregorio Thaumaturgo Neocæſareæ in Ponto Epiſcopo, Decij temporibus,refert Gregorius Nyſſenus Orat.vlt.de eius rebus geſtis,eum negotijs cognoſcendarum cauſſarum, litiumq; ſecularium definiendarum, fuiſſe ſatis implicitum, dum ait: [Nec ſecularium quidem,ac temporalium controuerſiarum aliud vllum iudicium ſibi magis ratum, ac firmum,maioriſq; auctoritatis eſſe probabant; ſed omnis quæſtio, diſceptatioq́,& omnis intricatus,difficiliſq; negotiorum nexus, illius conſilijs, & admonitionibus reſoluebatur, ac dirimebatur: vnde cùm communiter vniuerſis, tùm ſingulis, illius beneficio, tàm æquitas, rectaq; iuris conſtitutio, quàm pax erat.] Addit mox,de lite inter germanos oborta, occaſione diuidendæ hæreditatis paternæ, eiuſdem arbitrio, ad eorum poſtulationem definienda; deque miraculo,ab eo tunc lata ſententia,comprobata. Habetur etiam eiuſdem grauis Epiſtola,à Græcis Canonica nuncupata, vbi inter alia refert, quòd diſcuſſurus de cauſſa eorum, qui bonis fuerant ab alijs ſpoliati,Euphroſynum miſit,vt cognoſceret ex legibus Eccleſiaſticis, quorumnam accuſationes eſſent recipiendæ, quorumue refutandæ.

Exſtant,de hiſce occupationibus,Epiſcoporū ſimiles querelę illis,quas ex Auguſtino retulimus.Sed antiquam illam,ac potiſſimam Synęſij Ptolemaidis Cyrenēſis Pentapolitanæ Prouinciæ in AEgypto Epiſcopi,conſultò,vt poſtea videbitur, haud prætereundam ducimus. Fuerat homo Philoſophus Gentilis; tùm Chriſtianus effectus, inuitus licèt,Epiſcopus fuit creatus. Cuius muneris dum integras obiret partes, iudicandarum ſecularium cauſſarum onere preſſus, Epiſcopatu, ſi licuiſſet, ſe procurauit abdicare. Suam hanc mentem,tùm multis alijs,tùm maximè litteris contra Andronicum ſcriptis,quibus miſſionem petit,Epiſt.57.hiſce verbis declarauit: [Priſcum ſeculum eoſdem tulit ſacerdotes, & iudices:nam & AEgyptij,& Hebręorum gens,multo tempore ſacerdotes reges habuerunt. Deinde (vt mihi videtur) cùm diuinum opus humano modo perageretur; ſeiunxit Deus vitæ conditiones, & alius ſacerdos,

alius Dux effectus eſt: alios enim ad materiam direxit, alios ſibi ipſi collocauit. Ordinatum quidem eſt, vt illi quidem in rerum negotijs, nos autem in precibus verſaremur: quod verò bonum eſt, ab ambobus exigit Deus; Quid igitur reducis? Quid ſeparatum à Deo coniungere conaris? qui neque vt gubernemus, ſed falsò vt gubernemus expetis. quare quid miſeriùs fieri poteſt? Opus eſt tibi Præfecto? ito ad procuratorem legum Reipublicæ. Opus habes aliqua re Deo? ito ad ſacerdotem ciuitatis.]& infra.[Otio opus eſt ei, qui cum Philoſophia ſacerdotio fungitur. Non condemno Epiſcopos, qui in rerum negotijs verſantur; ſed magis miror eos, qui vtrumq; poſſunt: mea facultas non eſt duobus dominis ſeruire. Si verò ſunt aliqui, qui neque à condeſcenſu lęduntur, poterunt ſanè & ſacerdotio fungi, & ciuitatum Præfecti eſſe. Radius enim ſolis, ſi cum ſtercore verſabitur, purus manet, non inquinatur: ego verò cùm idem hoc fecero, fontibus & mari opus habeo.]Hæc cum multis, id genus, in Epiſcoporum conuentu Syneſius perorauit; cùm peteret miſſionē, quam, reclamantibus, ac meliora ſentientibus, & frequentibus in alia omnia euntibus, ſuis Coepiſcopis, fuit numquam conſequutus.

Parergon de Eccleſiaſticis Iudicibus, & Conſulteribus.

QVO loco, ſiue per parergon; ſiue rei præſentis id exigat occaſiō; lectorem Chriſtianum exoratum deſideramus: vt primò attendat Syneſium à ſecularibus negotijs, vt vidimus, abhorrentem, adhùc tamen cùm neceſſitas imperauit, non tantùm illa ſuſcepiſſe, ſed & ipſos Prouinciarum Præſides, in adminiſtratione iniuſtè ſe gerentes, acerrimo iudicio condemnaſſe. In Andronicum enim Præfectum Prouinciæ Pentapolitanæ, quòd nouis, ac ſæuis cruciatibus in reos vteretur, quòd edictum pro Eccleſiæ foribus affixiſſet, quòd ſacerdotibus grauia multa fuiſſet comminatus, quòdque plura alia enormia delicta perpetraſſet: cùm etiam in Tonantem, ibidem Magiſtratum iniquè adminiſtrātem, excommunicationis protulit ſententiam, his verbis conceptam, quæ Epiſt. eius 58. habentur. quibus intelligi poſſit, quanta eſſet grauitas, auctoritas, & conſtantia ſanctorum Epiſcoporum, in ſecularibus ſecularium etiam Magiſtratuum negotijs, à iuſtitiæ & iuris fontibus deuiantibus: vt ea ad eos, rurſus, cura ſacerdotali, deriuarent.

Notetur ſecundò, Syneſium modeſtia ſingulari, demiſſaq; humilitate poſtulaſſe à ſecularibus adminiſtrandis litibus, miſſionem: quaſi in ſua perſona indiuiduè tantarum moles rerum, cum otio ſpirituali, ac occupationibus Deo ab ipſo impendendis, locum non inueniret; eorum nihilominus Epiſcoporum exercitijs inſigniter commendatis, qui vtrique parti & Deo, & proximis, in ſuis ſecularibus quæſtionibus decidendis, ſatisfacere potuiſſent. Neque enim Syneſius Chriſti, & eius Apoſtoli

Pauli expoſitam doctrinam ignorabat,plus ab Epiſcopis,quàm ipſe præſtare optabat, expetentem.

Adnotetur hinc tertiò, illam Syneſij diſtinctionem, ſcilicet, opus eſſe Præfecto, vel opus eſſe Deo, ſi rectè conſideretur, fuiſſe ad propoſitum, quaſi quamdam ſubtilem, & Metaphyſicam, aut cum melancholico ſpiritu coniunctam theoriam.Nam quia,quando Chriſtiano fratri opus erat Præfecto, ac Præſide, in ſuo ſeculari diſcutiendo negotio, tùm maximè opus erat Deo: idcirco Chriſtus, & per eum loquens Apoſtolus, voluerunt ad Eccleſiæ Prælatum, quaſi ad Deum, in hiſce quæſtionibus eſſe confugiendum:(cùm de Prelatis ſit ſcriptum ſit:[Ego dixi dij eſtis.] Pſalm.81.) vt legis Chriſtianæ maieſtas, & excellentia refulgeret, quæ diuina ordinatione prouiderat, vt cauſſæ illæ ſeculares breuiter, cum æquitate, & charitate, ab Epiſcopis, & Eccleſiæ Prælatis,vel à Chriſtianis bonis viris, per eos aſſignatis,diſcuterentur: quæ, apud ſeculares ciuilis Poteſtatis iudices, eſſent,vix multo labore præcedente,multo etiam tempore terminandæ.

Ponderetur quartò exemplum, de priſco ſeculo, à Syneſio adductum; in quo apud Aegyptios, & Hebræos primò,in eamdem perſonam, & ſacerdotis & Regis,ſeu Ducis munera concurrebant,quæ poſtea fuerint à Deo in diuerſas ſecreta perſonas, ad legis gratiæ, & noui Teſtamenti, ſanguine Chriſti mortui, & poſtea perpetuò viuentis, conſecrati, comparationem, non tenere. Haud enim eadem fuit ratio gratiæ Chriſti præſtitæ, vel præſtandæ: nam olim fidem Chriſti venturi profitentibus, cùm ad menſuram Spiritus ſancti donaretur gratia, aduenіente temporis plenitudine, Chriſtoq; nobis à Patre dato, quomodo cum illo non omnia nobis donaret? Certè charitas eius diffuſa fuit, in Apoſtolorum,& Prælatorum Eccleſiæ cordibus, per Spiritum ſanctum illis cælitus miſſum: vt primitias illius habentes, & precibus vacare potentes eſſent, Deo quotidianis eas ab illis exactionibus petente, & precibus ſubditorum attenderent,ſecularia negotia,per ipſos componi, poſtulantibus. Sic ergo eos Chriſtus voluit ex charitate Dei,orationibus intereſſe, vt rationibus Chriſtianorum fratrum, ex eorum charitate, non deeſſent: certos eos reddens, ſe illis os,& ſapientiam daturum; os, quò, Deo quaſi coniuncti & mente, & corpore, diuinas illius laudes perſonarent: ſapientiam, quò, hominibus quaſi coniuncti miſericordię in viſceribus,eorum diſcuſſioni ſecularium cauſſarum præualerent. Et hæc eſt etiam iuſtitia illa abundantior,quàm Phariſęorum,& ſcribarum fuiſſet, à Chriſto Domino, Matth.c.5. Apoſtolis commendata.Hæc eſt etiam gratia abundans Chriſti, ab Apoſtolo ſæpius commemorata: eſt item iuſtitia nouæ legis excellentior,ac glorioſior legis antiquæ diſpoſitionibus: de quà idem Paulus, 1.ad Corinth.c.3. ſcripſit: [Nam ſi miniſtratio damnationis in gloria eſt, multò magis abundat miniſterium iuſtitiæ

in gloria.] Hinc Auguſtinus, loco vltimo citatus,poſtquam, ſecundùm inferiorem rationem, ſeculares has deplorauerat occupationes, iuxta ſuperiorem,quaſi ſeipſum corrigens,ac imbuens gaudio,dicebat:[Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus, pro ſpe vitæ æternæ: vt fructum feramus cùm tolerantia; ſerui enim ſumus eius Eccleſiæ.]

Intelligatur quintò, nihil eſſe faciliùs, quàm Rhetoricè de hac materia declamare: & hanc ornare eloquentiæ floribus propoſitionem, à Syneſio,Epiſt.57.prolatam, ſcilicet: [Ciuilem virtutem iungere cum ſacerdotio velle,eſt miſcere omninò non miſcenda:] Quis enim ignorat, ſimili conſideratione Cęſares, Principes, ſacroſq; Canones Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Monachis,& alijs Eccleſiaſticis perſonis, vacationem,& immunitatem à pluribus ſecularibus perſonalibus negotijs, & muneribus dediſſe? ne eſſent, videlicet, circa diuina officia deſides, ac humano more,(quod dixit Syneſius) diuinum opus perageretur; immo vt, omnibus alijs derelictis, Dei Omnipotentis miniſterijs inſeruirent. Vbicumq;terrarum Chriſti nomen colitur. vt liquet ex Conſtit. Iuſtiniani,l.Generaliter ſancimus.52.C.de Epiſc.& Cler. datæ ſunt ijſdem immunitates à tutela, curatela, &c. vt & in c. Generaliter.16.q.1. c.Si cupis.c. De pręſentium.& c.Placuit.& c.Monachi à Monaſterio.ibi:c. Epiſcopus.88.d. extra: per totum tit.Ne Cler.vel Monach. ſecul. neg. ſe immiſ.21.q.3.per totam.cap.6.nouel.123.C.de ſanctiſſ.Epiſc.Hæc certè ſunt loca communia, & quæ nullus, vel ſecularis, vel Eccleſiaſticus,modò, quid ad cuiuſuis ſtatus munia perfectè præſtanda opus ſit, intelligat, ignorabit. Et quid opus eſt, vel Syneſio, vel quocumq;alio, vel Rhetore, vel Philoſopho, aut Theologo, aut Politico, contra Eccleſiaſticos, vt ſolos intra ſuos ſe contineant limites, declamante? Vnus pro omnibus Apoſtolus intonat Paulus,1.ad Timoth.c.2.dicens:[Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus.] Terribilis,ſicut breuis, propoſitio: immo quæ non ſolùm Syneſij videatur mentem, & doctrinã, confirmare,verumetiã totius à nobis,immo ab ipſo Apoſtolo, & ab ipſo Chriſto etiam ſupra alta, erectæ fabricæ, de Epiſcoporum poteſtate iudiciaria, circa ſeculares Chriſtianorum cauſſas, fundamenta conuellere.

Aliter tamen omnis ſe res habet: Spiritus enim ſanctus ſibi ſimilis, quæ ſupra docuit, hic confirmat; & Apoſtolus ipſe voluit Chriſti Domini,& prænarrati textus proprij,propriùs exiſtere Commentator. Aliud eſt ergo, (quod optamus maximè animaduerti)aliquem Eccleſiaſticum, à Chriſto Domino,& ab Eccleſia eiuſdem ſponſa, negotijs decidendis ſecularibus implicari, aliud longè eſt, aliquem Eccleſiaſticum, ſeipſum negotijs tractandis ſecularibus implicare. Et quidem quod ad verba formalia Pauli pertinet, Græco idiomate ſic loquitur: [Nemo militans

Deo ἐμπλέκεται, ideſt, implicatur negotijs ſecularibus.] quod verò ad ſenſum ſpectat, optimè Latinus interpres, [implicat ſe,] tranſtulit; quaſi vice commentarij, de illo abſque dubio Apoſtolum loqui inſinuans, qui neque à Chriſto, neque ab eius Eccleſia vocatus, dum Eccleſiaſticis, ac religioſis munijs obeundis inhærere debuiſſet, ſecularibus ſe immiſcet, ingerit, intrudit, adeò, in ſacris citatis Canonibus, reprobatis.

Accedant igitur Eccleſiaſtici docti, & pij intrepidi, Principum ſecularium, quoties eis vſu fuerit, (erit autem ſæpius, ſi ſapiunt, vt diximus,) conſultationibus dirigendis, non Ariſtotelicam, non Liuicam, non Tacitam ſpirantes Politicam conſulendi rationem; ſed expreſſam Dei legem, quæ conſiliorum gubernaculum eſt futura. Accedant hauſto alto, ideſt, ex Scripturæ ſacræ, & Euangelij fontibus deriuato, ſpiritu ciuili, non vili, quæ ſua ſunt, non quæ Principum quæſituri. Accedant Chriſti IESV, qui manet heri, & hodie, & in perpetuum, gloria, non ſuo triſti eſu, quem deſtruet Deus, conſilia metientes; & nihil dubitent, Apoſtoli Pauli textu dicto non comprehendi: immo certò ſciant, tunc ſe, vt bonos milites Chriſti IESV, bonam militiam certaturos, cùm à cæleſtibus proprijs otijs obtenta miſſione ad tempus, malitiæ præſentis diei, quæ, iam non ſibi ſufficiens, dies poſteros conatur inficere, ciuilibus ſuis ſanis conſilijs, condeſcendant occurſuri.

Obſeruetur hinc ſextò, propter Syneſij præfatam propoſitionem, & aliam Nicephori Gregoræ lib. 3. Hiſtor. dicentis: [Non enim ſpiritualis contemplatio, & ciuilis adminiſtratio, vt plurimum, inter ſe iunguntur:] aliquos Ciuilis doctrinæ Tractatores, contra aliorum meliùs ſentientium placitum, ſenſiſſe, Principum conſilijs haud intereſſe debere viros ſacros, religioſoſque, hoc eſt, legis eius peritos: quaſi, qui ſint ad deliberandum de ciuilibus, ac ſecularibus imperiti. Et quidem ſi hæc quæſtio inter Ethnicos actitaretur, præiudicata ſententia, ij cauſſa caderent; Plinio in Panegyr. ſic rem decidente: [Nihil rectè, nihilque prouidenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicari:] Vnde fit conſequens, ad auſpicata conſilia, eos, qui à Deorum ſecretis eſſent, eorum, videlicet, ſacerdotes, cultores præcipuos, & miniſtros, fuiſſe in primis conuocandos. Attamen cùm quæſtio Chriſtiani ſtatus Politicam tangat rationem, meminerint, oramus, Principes Chriſtiani, Cyprianum in Epiſt. ſic breuiter docuiſſe: [Conſiliorum gubernaculum, lex diuina.] Ergo viros ſacros, qui eam explicare norint, vt conſilijs adhibeant ſuis eſt neceſſe: docente Eccleſiaſtico c. 37. [Anima viri ſancti enunciat aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſis.] Quis ergo damnet, quaſi inutilem, illam mixturam, qua ex viris, & ſecularibus, & Eccleſiaſticis ſelectis conſilium Chriſtiani Principis coaleſcat: niſi qui velit eum, in deliberando à lege Dei inſigniter aberrare? Quod ſi Eccleſiaſticorum patrocinium, vt Monachi

ſuſci-

ſuſciperemus, nihil indignum à noſtro gereremus inſtituto. Haud tamen illo egent homines à Chriſto, & Apoſtolo Paulo ſelecti, quibus concrederent vniuerſæ Eccleſiæ ciuilia, ac ſecularia negotia iudicanda. Hi certè non erunt idonei, qui conſilijs interſint Reipublicæ, qui Principum adhibeantur conſultationibus, qui rogari de rebus ciuilibus mereantur?

Timent nihilominus aliqui ex pientioribus, ne Eccleſiaſtici, ac religioſi viri, diſtracti terrenis curis, cæleſtia deferant; cùm potiùs deberent ſperare, quòd, ad diſtrictos terrenis curis Principes, cæleſtia deferant, quæ ſuis conſultationibus certam ſecuritatem, ac præclaram afferant dignitatem. Metuunt etiam, ne terrena ipſa (cùm ſit aliud illorum munus) ſatis commodè, aut decorè ab eis ſint adminiſtranda. Quibus, cùm rationibus multis, & præcipuè cùm infinitis poſſemus ſatisfacere exemplis Eccleſiaſticorum, qui res magnas, magnè, magni ipſi confecerunt: legant precamur, ſolùm quid temporibus difficillimis, Gregorius Papa VII. noſter olim Monachus Benedictinus, pro Eccleſia, contra Imperatorum effecerit furias: & quid nudiuſtertius Pius Papa V. ex Dominicana quondam familia, contra Turcarum geſſerit effrænem potentiam. Legant quid Bernardus, etiam Monachus noſter, Abbas primùm, tota Hiſpania Monaſtico ſplendore celebris, Monaſterij Regij SS. Facundi & Primitiui, & poſtea Archiepiſcopus Toletanus ſeculo Ildefonſi Regis VI. & Franciſcus Cardinalis Ximenez Ciſneros Minorita primò, & deinde eiuſdem Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, præcedenti ſeculo, bello paceque mira patrauerint: & videbunt, an commodè & decorè, cũ opus eſt, terrenę res ab Eccleſiaſticis adminiſtrentur.

Sciant interim vniuerſi Principes ſeculares, plura eorũ imperia poſtquam Eccleſia reſpirare cœpit, Eccleſiaſticorum fuiſſe conſilijs, ope, opibus, & manibus firmata, eorumque publicas res, armis etiam tutatas, moribus ornatas, emendatas legibus: vti tàm ex profanis, quàm ex Eccleſiaſticis conſtat Hiſtorijs, & ex ſanctis Concilijs; & Prouincialibus præcipuè in quarum, quorumque lectione parùm, & in electione minimùm eſſe verſatos oportet, nouos quoſdam Politicos Principum laicorum Monitores, qui ab illorum conſultationibus, Eccleſiaſticas perſonas, & maximè rerum vſu exercitas, & cum eis legem Dei, immò ipſum Deum; ipſi inſigniter Athei, & optant, & cohortantur exulare.

Diluitur quædam obiectio.

VT tamen vnde digreſſa eſt, noſtra reuertatur oratio, ſcrupulum eximamus ex lectoris mente oportet: qui nos arguet forſan inconſtantiæ: dum ex Ambroſio, ad Epiſcopos hanc iudiciariam poteſtatem Eccleſiæ oſtendimus pertinere; ex Chryſoſtomo ad Sacerdotes ex

Clemente, & Anacleto ad quoſdam iudices ab Epiſcopis conſtitutos; quæ varietatem arguere videntur; ac non firmum in Eccleſia iudiciorum ſecularium fuiſſe tribunal conſtitutum. Cui obiectioni reſpondemus, quomodocumque in praxi, vſu, & exercitio ſe res habuerit, hoc iudicium, à Chriſto Eccleſiæ Prælatis fuiſſe conceſſum, & contributum Cùmque naſcentis Eccleſiæ initio, Presbyteri maiores natu illius eodem ferè, quo Epiſcopi, gauderent honore, ac Prælati in ſuis parœcijs ceterorum exiſterent Chriſtianorum, hanc iudiciariam poteſtatem exercebant. Deinde Epiſcopi, vt quibus haud vacaret moli tantorum intereſſe ſecularium negotiorum, diſpartitis curis, in Presbyteros, Diaconos, & Archidiaconos eam ſolicitudinem diuiſerunt. Vltimo quid mirum, quòd vbi pondere negotiorum premebantur, Deum timẽtes & qui odiſſent auaritiam ſeculares, qui ſeculares deciderent quæſtiones, Iudices aſſignarent? quod cùm ex Eccleſiæ, & eius Prælatorum fieret commiſſione, iudicium hoc, Eccleſiaſticum, oportuit, ſemper exiſtimari. Sed tertia parte inferiùs longiorem de hoc ſermonem inſtituemus.

Eccleſiaſticorum hoc iudiciarium tribunal adhuc oſtenditur.

CVM plura verò poſſemus adducere ſanctorum Patrum, ac Scripturæ ſacræ Interpretũ, & præcipuè huius Paulini loci, 1. ad Corinth. cap. 6. ne tædio lectori ſimus, hoc ex illis omnibus tamdem colligimus: Epiſcopis impoſitam fuiſſe præcipuè neceſſitatem, cauſſas quaſcumque Chriſtianorum ſuarum Diœceſeon cognoſcendi, & ſine debito per ſe, vel, à ſe nominatos iudices, terminandi: ſi eorum iudicium dicti fideles poſtularent. Cui doctrinæ inhærẽdo Patres in concilio Triburien. anno Domini 895. celebrato, cap. 21. ſic ſtatuerunt: & habetur, 2. q. 5. cap. [Si quis Presbyter contra laicum, vel laicus contra Presbyterum, aliquam habet querimoniæ controuerſiam: Epiſcopo præcipiente, ſine perſonarum acceptione, finiatur.] Quo loco Gloſſa, verbo, præcipiente. Sic habet. [Sed quare hic actor non ſequitur forum rei; contra id 11. q. 1. Experientiæ. & C. de iuriſd. omn. iud. in l. Iuris ordinem? Sed dic quòd loquitur ſecundùm tempora, quando omnes cauſſæ determinabantur ab Eccleſia: vt 11. q. 1. Relatum. & q. 3. Cùm apud.] Qui Canon, ſcilicet, Relatum. vt ſupra diximus, eſt Alexandri I. ſuper quem Gloſſa, verbo, Chriſtianorum. ſic ait; [Hoc obtinuit, ſecundùm primitiuum ſtatum Eccleſiæ: vt 2. q. 5. Si quis Presbyter. & 95. d. Ecce. Vnde adhuc ſecundùm legem, ſi iudex ſecularis eſt ſuſpectus, Epiſcopus ei adiungitur: vel cauſſa transfertur ad iudicem Eccleſiaſticum: vt in Authent. vt dif. in §. ſi tamen. Collat. 9. In criminalibus cauſſis tamen, ſcilicet, ſanguinis, non ſunt Clerici iudices: 32. q. 6. His à quibus,]

Vbi minimè prætermittendum eſt, hanc praxim, lites inter Chriſtianos dirimendi, appellatam fuiſſe, IVS APOSTOLICVM:

Immò

Immò cùm eiuſdem occaſione, negotium quandoque partes faceſſerent ijs iudicibus Eccleſiaſticis, quaſi ſuas, in iure reddendo, non integras præſtitiſſent partes; Concilium Africanum, ſub Bonifacij & Cæleſtini ſumm. Pontificum habitum temporibus, ſic Can. 26. ſtatuit, ab Imperatoribus poſtulandum: & eſt Canon notatu digniſſimus.

Petendum etiam: vt ſtatuere dignentur: vt ſi fortè in Eccleſia quamlibet cauſſam, IVRE APOSTOLICO Eccleſijs impoſito, agere voluerint: & fortaſſe deciſio Clericorum vni parti diſplicuerit: non liceat Clericum ad iudicium deuocari eum, qui cognitor, vel præſens fuerit. Et nulla ad teſtimonium dicẽdum Eccleſiaſtici cuiuslibet perſona pulſetur.]

Ex eodem Paulo prædicta roborantur.

ADHVC tamen, hanc in Eccleſia eſſe iudiciariam poteſtatem, ex ipſo Apoſtolo probatur, qui alludens certiſſimè ad illum Pſalmi 44. locum, hanc Chriſti, & eius Eccleſiæ poteſtatem innuentis, dum ibi dicitur, [Virga directionis, virga regni tui;] & ſciens huius virgæ duplicem eſſe vſum, alium ad vlciſcendum, alium verò ad docendum: iuxtà primum ſic ipſos Corinthios, 2. Epiſt. c. 10. alloquitur: [In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam:] & in hac 1. Epiſt. cap. 4. [Quid vultis? in virga veniam ad vos:] iuxta ſecundum verò ſtatim ſubdit, [an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?] De quibus locis, & ſimilibus, quia aliquis ea, ad meram ſpiritualem eius poteſtatem, poſſet detorquere, cùm de eis inferius agemus, adhuc plurimus redibit ſermo, veritatem concluſionis confirmaturus.

Locus Euangelij, [Si peccauerit, &c.] ex Paulo Apoſtolo explicatur.

VLTIMO idem Apoſtolus interpres accedat loci Euangelici, ex Matth. cap. 18. Ad Galat. enim ſcribens cap. 6. ſic eos exhortatur. [Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, corripite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis: conſiderans te ipſum; ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti.] Præoccupatum inducit Paulus Chriſtianum fratrem in delicto, Græcè, προληφθῇ, id eſt, ſi frater præſumitur, & exiſtimatur eſſe in aliquo delicto, coniecturis, quæ id ſuadeant vehementibus accedentibus; nolite ſtatim illum, vel traducere, vel acriter obiurgare; ſed qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi leniter, ac manſuetè inſtruite, ſimilis proprij poſſibilis lapſus memores. Vel is omnino eſt ſenſus, ex verbo Græco hic appoſito, καταρτίζετε, quod ſignificat, hominem, animo perturbato, componere, ac ſibi reſtituere. Si aliquis frater, antequam cauere valeat, in delicto fuerit deprehenſus, [*cogido con el hurto en las manos*,] dicitur Hiſpanè, vel, [*cogido entre puertas*;] Ita-

licè

licè [*colto all'improuiſo,*] nolite duriter illum reprehendere ; ſed potiùs in ſpiritu lenitatis eum componite, qui eſtis ſpirituales Patres, ne acerbiùs obiurgatus, mentem, animumque deſpondeat : quo pacto, altero alterius onera ſufferente, lex Chriſti eſt à vobis adimplenda.

In quo loco ad noſtrum intentum, primò notandum eſt, Apoſtolum Paulum, nedum fratrem a ſtu delinquentem, ſed etiam illum, de quo, vehementi ſuſpicione delictum præſumebatur; docuiſſe, leniter, ex charitate, corripiendum : vel omninò, ſi fuiſſet actu in delicto inuentus, quaſi non inuentus : vt qui voluiſſet præcauere, tamen non potuiſſet, quin aliqui fratres iniquum eius reſcierent, & deprehenderent factum, ex eadem charitate manſuetè, dixiſſe, corripiendum : ita tamen, vt hæc correptio ad ſpirituales Patres pertineret. Et meritò quidem, nam cùm res neque eſſet ſecreta, aut fratris aduerſùm fratrem ſingularis, vnde primæ ſcalæ Dominicæ ordinationis, ſcilicet, [corripe eum inter te, & ipſum ſolum,] non erat locus : ſed neque ſecundæ, vt ſcilicet, vnus, vel duo, de re deliberarent arbitri : quia præſumptum ſolùm delictum eſſet : vel quia eo modo commiſſum, vt leni obiurgatione ſuperioris Prælati potiùs, quàm, vel arbitrantium iudicio, vel alia maiori punitione, fratris emendatio ſequeretur : dicti ſuperiores Prælati ſoli talem delinquentem, in ſpiritu manſuetudinis, obiurgarent.

Secundò eſt aduertendum loco verbi, ſpirituales, Græcè habere, πνευματικοὶ, quod eſt verbum ab Apoſtolo, & Eccleſia factum ſingulare, ac conceptum : per quod ſacrum myſterium Sacramentalis auricularis confeſſionis, & Prælatorum, ac Superiorum in Eccleſia auctoritas noſceretur. Vocabantur enim Confeſſarij, quos nunc Patres etiam ſpirituales Hiſpanè vocamus, Pneumatici : vel ab effectu, quaſi qui ſpiritum Chriſti in ſe haberent, quo inſufflauit ſuper Apoſtolos, cùm illis remittendi peccata contulit poteſtatem, Ioan. cap. 20. ad peccatorum, ſibi confitentium, remittenda crimina : vel Pneumatici dicebantur à cauſſa ; videlicet, quia ad abluendas ſordes animarum filiarum Sion, ex Iſaia cap. 14. & ſanguinem conſcientiarum Ieſuralem lauandum, de medio eius, iudicioſa, ac inſigni charitate, ſpiritu ſcilicet iudicij, & ſpiritu ardoris, ſicut indigebant, vtebantur. Hæc ex Baſilio Magno conſtant, qui illud, [Alter alterius onera portate,] quaſi ſit idem ac illud Iacobi Apoſtoli in ſua Canonica cap. 5. [Confitemini alterutrum peccata veſtra :] de confeſſione intellexit etiam Sacramentali, aſſerens verbum βαστάζετε, quod Latinus explicuit Interpres, portate, ſignificare item, tollite, vel auferte, & facere ſenſum, alter alteri onera peccatorum, per Sacramentalem tollite, vel auferte, abſolutionem : ſed hoc Pneumatici, id eſt, Confeſſarij, ac ſpirituales Patres ad id deputati. Item Pneumatici dicebantur Presbyteri, in Eccleſia ſapientes homines ad hoc electi munus, vt iuxta Apoſtoli præſcriptum ad

Corin-

Corinthios, ſapienter cauſſas Chriſtianorum iudicarent.

Tertiò eſt obſeruandum iam ſtrictè ad locum Euangelij, de quo eſt hucuſque actum: eumdem Baſilium, ſic ex hoc loco Pauli, illum explicare, Interrogatus enim, Interrog. 178. [Quid eſt, alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti? & qualem legem adimplebimus, ſi hoc faciamus? ait: Hoc inter nos onus viciſſim alij ab alijs tollimus, atque amputamus: quotieſcumque operam damus, vt reſipiſcant, qui peccant. Legem autem Domini adimplebimus, qui dicit, Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam; ex Luc. cap. 8. & nobis, quid faceremus lege illa, præcepit, cùm dixit, Matth. c. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.]

Idem Baſilius Interrogat. 47. interrogans, [An aduerſus peccantes diſſimulatione vti conueniret? ſic ait. Sanè, quòd hoc fieri non debeat, perſpicuum eſt, ex præceptis Domini, qui, in veteri Teſtamento, dixerit: Correptione corripies fratrem tuum: & non ſumes propter illum peccatum. In Euangelio autem Matth. cap. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit lucratus eris fratrem tuum, &c.] Et ſtatim adhibitis exemplis Achan furis, & eorum, qui cum eo perierunt, Ioſue cap. 7. & Heli Sacerdotis, 1. Reg. cap. 2. non meritas pœnas de filijs peccatoribus ſumentis, ideoque morte puniti, &c. addit infra. [Quod ſi aduerſus eos, qui ſceleris auctoris conſcij non fuerant, Dei vehemens adeò ira exarſit, quid de ijs dicendum eſt, qui, & conſcij ſunt, & tacentes diſſimulant? Qui, niſi ea præſtiterint, quæ ad Corinthios ſcripta ſunt, his verbis, 1. cap. 5. Quare non magis luctum habuiſtis, vt tolleretur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit? & quæ deinceps ipſos feciſſe, idem Apoſtolus, teſtatur; ſcilicet Epiſt. ſequenti, cap. 7. Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtatos eſſe vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam? Hi, inquam, niſi hæc omnia præſtiterint, prorſus periculum eſt, ne nunc etiam omnes ſimile exitium incurrant: vel eò grauius etiam, quò grauius peccat is, qui Dominum ſpernit, quàm qui legem Moyſi irritam fecerit, ad Hebræ. cap. 10. & qui idem audet cum eo, qui, ob eamdem cauſſam, ante damnatus ſit: ſeptuplum enim vltio data eſt de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties, qui in ſimili peccato lapſus fuerat.]

Quartò eſt ponderandum, ex Baſilio colligi manifeſtè, Chriſtum Dominum hanc legem Eccleſiæ inſtituiſſe, vt primò omnium in quacumq; quorumcumque peccatorum expiatione facienda, ſi aliæ circumſtantiæ non ſint impedimento, per ſecretam admonitionem, frater deuians à lege Chriſtiana, ad viam reducatur; deinde, ſi illa non ſufficiat, ſapien-

tes arbitri illum reducant: tertiò, ſi neque hoc ſucceſſerit, Eccleſiæ Prælatis negotium omne dicatur: vt de illo, cum facultate, ac poteſtate iudiciaria, pronuncient: & delinquentis obedientia ſubſequuta, cauſſa ſidat: inobedientem verò ſeiungant, per excommunicationem, à piorum cœtu: vel congrua alia vrgeant caſtigatione; vel omnino ad ſecularem eum liceat deferre Magiſtratum; pœnis, ſi oportuerit, corporalibus coercendum: & tandem habemus, hoc eſſe alterum Chriſtianum alterius onera portare, & legem Domini per Matth. cap. 18. explicatam, adimplere, & Politiam, ſacram ac iuſtam ab eo inſtitutam, vſu, & praxi ſolemniter venerari.

Pro Eccleſiaſticis, circa iudicia ſecularia occupatis, ex officio.

VLTIMO ſit hic conſiderandum, non ſolùm nimium eſſe delicatos, & moroſos cenſores, verumetiam eſſe duros, ac proteruos legis Euangelicę detortores, eos, qui prætextu pio, in faciē, intus tamen aſtuto, ac reuera malitioſo, Eccleſiaſticos, prorſus à ſecularium negotiorum, arcendos eſſe docent, tractatione. Legem enim Chriſti tunc impleri docet Paulus, explicantibus Eccleſiæ Doctoribus; cùm illud præſcriptū apud Matthæum ſtatutum, [Si peccauerit in te, &c. à Chriſtianis opere exercetur: quo ſtatuto inſignis illa doctrina, vt Paſtores Eccleſiæ negotia, etiā ſecularia, ſuis expediant ouibus, eo modo, quo diximus, & infra dicemus, & vt, oues eos, in ſuis diſcutiendis difficultatibus, adeant, continetur. Qui ſunt ergo, precamur, audiendi? hi noui Ariſtarchi, Eccleſiaſticos, ad ſola Eccleſiaſtica munia peragenda, remittentes, an Chriſtus, qui terrenarum etiam dirimendarum quæſtionum onus, certa ratione, illorum impoſuit humeris ſufferendum? Quod vidimus in Concilio Africano appellatum fuiſſe, IVS APOSTOLICVM ECCLESIIS IMPOSITVM. Certè crediderimus, Chriſtum Dominum eſſe auſcultandum, qui ſua lege, nihil iniunxit vnquam alicui ſtatui, ſeu perſonæ impoſſibile, aut cum inconuenienti graui coniunctum. Vnde ipſe illam, iugum ſuaue, & onus leue, nuncupauit, Matth. cap. 11. & ipſius mandata grauia non eſſe, affirmat Ioan. 1, cap. 5. & de lege ea verè prædixerat regius Vates, Pſalm. 18. [Lex Domini immaculata; conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis: iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.]

Non equidem negamus, ſub hiſce aquis, Gygantes quondam gemuiſſe. Sic Moſes ad Deum clamabat, Numer. cap. 11. [Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum: quia grauis eſt mihi.] Sic Dauid rex negotiorum oppreſſus pondere, Pſal. 54. optabat, [Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam.] Sic legimus Auguſtinum, & alios ſanctos Prælatos, occupationes ſecularium negotiorum deploran-

tes;

tes. Interim tamen neque Moyſes ſibi deerat, quin inter populi negotiorum explicandas curas, cæleſtis cum Deo conuerſationis dulcedine frueretur: neque Dauid intermittebat, quin media nocte conſurgeret, ad Domino confitendum; neque Auguſtinus, & alij ſancti Prælati Eccleſiæ, ſuis congruis temporibus, Rachelis contemplatricis amplexibus priuabantur. Doleant ergo, ac defleant ſancti Eccleſiæ Prælati, ſe hiſce terrenis negotijs occupari, quaſi à cæleſtibus integrè curandis otijs abſtrahantur: id admittimus, id laudamus: vellent tamen illis dare miſſionem, id non admittimus: immò vituperatione dignum exiſtimaremus, eorumq; fore ingentem puſillanimitatem, immo diffidentiam incuſandam: vt qui non crederent, Deum, (in quo numquam Eccleſiæ Prælatis defuit,) & ipſis illud onus imponere, & ipſummet gratiæ ſuæ adiutricis medio, maiorem partem oneris ſuis humeris ſupportare. Quid prædictis aliàs poſſet obſtare, vel præſentis ſeculi deterioris occaſione, vel ob ſtatuum Eccleſiaſtici, & ſecularis quandoque inſtantem, in ſuis functionibus obeundis, deſidiam, vel negligentiam, non ponimus: nihil diſputamus de facto: legem tantùm Euangelicam, eſſe affirmamus illam, concluſionis ergò, in ſuperioribus explicatam.

Sacerdotes apud Gentiles erant Iudices.

HABEMVS ecce ex Euangelio, & Apoſtolo Paulo, & Patribus, in Eccleſia hanc Politicam fuiſſe à Chriſto inſtitutam viuendi normam: vt negotia Chriſtianorum quæcumque inter ipſos, ac tamdem per eorum Prælatos, iudicari poſſent. Et quid mirantur hoc ſeculares Principes, eorumque Conſiliarij? quid frontes contrahunt? Athenienſium Rempublicam, ſapientum videlicet, & potentum, rogamus, conſiderent; in celebri enim illo, omnium calculis approbato, iudicio, apud Areopagum, Sacerdotes itidem iudices erant: ac ſummus eorum Sacerdos, rogans ſingulorum ſententias, ſuffragia colligebat: quod conſtat expreſsè ex ipſorum decreto, à Ioſepho, Antiq. lib. 14. cap. 16. recitato. De Druidis, Gallorum ſacerdotibus, ſic refert Cæſar, Commen. de bello Gallico lib. 6. [Magno hi ſunt apud eos honore; nam ferè de omnibus controuerſijs publicis, priuatiſque conſtituunt; &, ſi quòd eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, ſi de finibus cõtrouerſia eſt, ijdem decernunt, præmium pœnaſque conſtituunt.] Et paulò poſt: [Hi, certo anni tempore, in finibus Carnutum; quę regio totius Gallię habetur media, conſident in loco conſecrato; huc omnes vndique, qui controuerſias habent, concurrunt, eorumq; iudicijs, decretiſq; parent.] In Romana Republica, quæ legibus fuit alijs ornatior, ſicuti celebrior, quantum fuerit Augurum ius, (qui Prophetis, ac ſacratis Deo hominibus in Hebræorum Republica, & noſtra etiam Chriſtiana, reſpondebãt,) præ Magiſtratibus ceteris, Cicero 2. de Legibus luculenter hiſce verbis

declarat : [Maximum autem, & præſtantiſſimum in Republica ius eſt Augurum, cùm eſt auctoritati coniunctum. Neque vero hoc, quia ſum ipſe Augur, ita ſentio: ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quàm poſſe à ſummis Imperijs, & ſummis Poteſtatibus comitia tollere? Concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid magnificentius, quàm poſſe decernere, vt Magiſtratu ſe abdicent Conſules? Quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius, aut dare, aut non dare? Quid legem, ſi non iure rogata eſt, tollere?] His ſimilia plura habet ibi Cicero, & Orat. de domo ſua, quale etiam eſſet Pontificum ius, demonſtrat coram eis, contra Clodium, perorans: & de Aruſpicum reſponſis eoſdem habuiſſe, iuriſdictionem, quamdam ciuilem atteſtatur.

Apud Hebræos erant Iudices Sacerdotes.

HEBRAEORVM Rempublicam, lege diuinitus data, optimè conſtitutam, etiam poſt introductos Reges, certum eſt habuiſſe, magnum illud Septuaginta duorum ſeniorum Iudicum Concilium, à tempore Moſis, quod Sanhedrín dicebatur, cui Sacerdos & Pontifex præſidebat, eiuſq; erat munus, & officium, de lege, Rege, & Propheta iudicare. Quamobrem Herodes maior, maiorem non ferens, ſi illud Concilium, ex Ioſepho, Antiq. lib. 14. c. 17. non præſumpſit penitùs antiquare, at grauioribus ex illo amotis Conſiliarijs, viles alios in eorum locum ſubrogauit. Hæc modò, ad intentum, ex Hebræo regimine retuliſſe ſufficiant: de quo vberiùs varijs locis, eſt à nobis infra pertractandũ.

Primum Conſectarium ex prædictis notandum.

HABEMVS primò ex his tamdem cum Socrate apud Xenophontem, lib. 4. de illius factis, & dictis: Quod ab omnibus gẽtibus obſeruatum eſt, id omninò à Deo ſancitum eſſe. Vide ſi nulla exſtaret in ſacris Codicibus de præfatis ſcripta lex, ex tot ſapientum Nationum, in ſacerdotum auctoritatem, conueniente iudicio, iudiciaria ſacerdotum Chriſtianorum poteſtas, Diuino iure conceſſa, pleniſſimè probaretur. Benè tamen factum! cùm Chriſtus Dominus noſter Legiſlator, clariſſimè, ac manifeſtiſſimè voluit illam in Euangelio perpetuæ memoriæ conſignare: ne vltimis hiſce calamitoſis temporibus, apud Principes ſeculares, iuriſdictionis, ac imperij auidos, ſolùm ex conſequentijs, exemplis, & ſimilibus, aut ex veroſimilibus rationibus, iudiciaria Eccleſiaſticorum tanta poteſtas dependeret.

Obiectioni cuidam reſpondetur.

VNVS ex prædictis adhuc ſcrupulus videbatur ſuperandus; quid videlicet, tunc opus eſſet facto, ſi Prælati Eccleſiæ in hac admi-

niſtranda iudiciaria præfata poteſtate, ea abuterentur? neque ſe eos præſtarēt, quales optat Apoſtolus, 1.ad Timoth.c.3. & alibi: ſed percuſſores, & vagos per reliqua vitia, quæ ibi enumerat, exhiberent. Reſpondemus tamen, hoc, nullo modo, ad noſtrum præſens ſpectare inſtitutum; vſus Eccleſiæ, & eius miniſtrorum expendimus, abuſus non expandimus: de quibus, ſi placuerit, aliquid intelligere, conſulat lector Origenem homil. 14. in Leuiticum, & Hieronymum in Ezechielem, c.34. Infra tamen aliquā hoc argumentum attingentia deducemus.

Conſectarium ſecundum notandum.

CONSTAT ſecundò ex ſuperioribus, Eccleſiam, & eius Politiam eſſe ædificationem conſtructam in Chriſto, ex Matth.cap.17. & ad Epheſ.c.2. in qua, ne Chriſtiani eſſent paruuli fluctuantes, & circumferrentur omni vento doctrinæ, ſiue dæmoniorum, ſiuè Hæreticorum, ſiue Principum leges iniquas contra Chriſti præcepta condentium, vel de facto mores hominum bonos corrumpi tolerantium, dedit Eccleſiæ ſuæ ad Epheſ.c.4. Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores & Doctores, quorum miniſterio ædificaretur in corpus eius; donec omnes fideles creſceremus in virum perfectum. Quibus Paſtoribus & Doctoribus ſic ab omnibus obediri voluit: vt ex Luc.c.10. qui eos audiret, Chriſtum audiret, qui eos ſperneret, Chriſtum ſperneret: & qui illis, vitia Chriſtianorum quæcumq. corrigentibus, & iudiciaria Euangelica dicta poteſtate, vindicantibus, non obtemperaret, quaſi Ethnicus, & publicanus à ceteris haberetur.

Confirmatur ultimo Concluſio.

ASSIGNATAM loci Euangelici, Matth.c.18. explicationem eſſe germanam, immo communi vſu & praxi in Eccleſia receptam, hac tamdem euidentiſſima ratione confirmamus; quòd plures Reges & Principes Catholici, plures Chriſtiani nobiles, & genere illuſtres, & infinitus vtriuſque ſexus Chriſtianorum numerus, ab initio naſcentis Eccleſiæ, ad noſtra vſque tempora, cauſſas grauiſſimas, grauiores, & graues, ſeu etiam minores, de quibus inuicem non conueniret, Chriſtianis viris prudentibus arbitrandas, ſeu Prælatis Eccleſiæ terminandas, charitate, & iuſtitia, Chriſtianaq; æquitate commiſerunt, & quotidie committunt. Hoc autē hinc oriri fateamur neceſſum eſt, quòd lex Chriſtiana ſcripta in cordibus noſtris, iuxta quintum Principium, ſit ea, quam referimus, hoc loco Chriſtum, & poſtea Apoſtolum Paulum, ab ipſo inſtitutum, docuiſſe. Et ad hanc Chriſti doctrinam ſe conformauerunt Arcad. & Honor. Imperator. in l. Si qui ex conſenſu. & in l. Si quando. C. de Epiſc. aud. reſcribentes, Seculares propagantes iuriſdictionem Epiſcopi, teneri eius iudicio ſtare. Quod idem plenius conſtituit Theodoſ. Imper.

vt

vt in c. Quicumque, & in c. Omnes. 11.q. 1. & à Carolo Magno poſtea renouatum, & confirmatum fuit, c. Volumus. ead cauſſ. & q.

Et vt Innoc. c. Nouit. de iud. arguit ab hac lege, nō vt confirmet eā, ſed vt oſtendat, quantam affectionem Imperatores habuerunt erga ſacerdotium, vt inquit Gloſſ. d. c. Quicumque. ſic nos ab ea arguimus, ad demonſtrandum, legem tam liberalem, in hac materia, à ſeculari editam Poteſtate, omninò à legis Chriſtianæ dictamine, & Chriſti hac doctrina, iuxta dictum Principium, dimanaſſe. Et illam fuiſſe prioribus illis felicibus Eccleſiæ ſeculis, immo & ſuccedentibus medijs, in manuali praxi, id valdè declarat, quòd S. Iſidorus in Epiſt. ad Ludefredum, & refertur 25. d. Perlectis. & adducitur ab Innocent. III. de Officio Archidiaconi. c. 7. Archidiaconi deſcribens officium, ſic inter alia ſubdit: [Solicitudo quoque Paroeciarum, & ordinatio, & iurgia ad eiuſdem pertinent curam.] Quibus duobus in locis Gloſſa verbum: iurgia, minus aptè explicuit: nam intelligenda ſunt, videlicet, omnium Chriſtianorum ſuæ Parœciæ; non ſolùm autem Eccleſiaſticorum, de quo exſtat Canon expreſſus 57. Concilij Nicæni. Inimo hoc habet fundamentum in ea lege, quam Clemens in illa Epiſt. ad Iacobum fratrem Domini, & refertur 93. d. dixit ſe à Petro accepiſſe de Diaconis, dum ait [Diaconi Eccleſiæ, ſunt tamquam oculi Epiſcopi, oberrantes, & circumluſtrantes verecundè actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentiùs, ſi quem videant vicinum eſſe præcipitio, & proximum eſſe peccato, vt referant hoc ad Epiſcopum, & commoneri ab eo poſſit is, qui in præcipitium lapſurus eſt, & reuocetur, & non corruat in peccatum.] Item eadem Epiſt. habetur, vt Chriſtiani ab Epiſcopo nominati ad ſolicitudines ſeculares ſuſcipiendas, inter quas erant præcipua pars ordinariæ controuerſiæ, à Diaconis diſcant, quod ad id obeundum munus ignorarint: & refertur. cap. Sicut enim. 11 q. 1. Sed de his Theodoſij, & Caroli Magni legibus, infra redibit longior ſermo. 10. probatione ſequentis Concluſionis, & 3. par. 3. argumento principali contra primam Concluſionem.

Argumenta duo ex Euangelio ſoluuntur.

POSTREMO non obſtat ſi explicationi huius loci opponatur, Luc. c. 12. fratrem quemdam Chriſto, contra iniuſtum fratrem, ſupplicaſſe; vt illum iuberet ab iniuria deſiſtere: nihilominus ab eo fuiſſe illius reiectam ſupplicationem: qui tamen factis prælucebat ſemper ei, quam ſpargere doctrinam nitebatur.

Quia reſpondetur, partem læſam hic Chriſtum, tamquam proprium iudicem compellaſſe, dicendo: [Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem:] id eſt, phraſi Hebræa: iube, impera, & diffinitiuam profer ſententiam, à qua, tamquàm à te iuſto, & legitimo iudice probata, nequeat iniquus meus frater appellare. Hoc autem facere Chriſtum,

fuiſſet

fuiſſet à ſuo extraneum inſtituto: licèt, vt poſtea dicemus, à ſua non fuiſſet alienum poteſtate. Quo circa, qui frater contra fratrem, ſi alia ratione, à Chriſto auxilium in caſu popoſciſſet, forſan illo minimè fruſtraretur: rem quaſi iudiciaria peragi poſtulans poteſtate, ab intento omninò debuit excludi; vt intelligerent auditores verbi, Chriſtum benè terrena declinare, qui propter diuina deſcenderat: ex Ambroſio: & ne Chriſti malitioſis obſeruatoribus anſa, ipſum accuſandi, quaſi ſecularem dominationem affectantem, præberetur.

Hinc eſt etiam, quòd cùm, Ioan. c. 6. cognouiſſet IESVS, quia venturi erant illi homines, quos pauerat in deſerto, vt facerent eum regem: fugit in montem: ceſſit enim dominio regali, oblato ſibi per homines, quia noluit rex per homines fieri, qui regnum dabat hominibus: vt ait Auguſtinus: vel propter exemplum noſtræ humilitatis: quia homines ambitioſè honoribus, & imperijs inhiabant, rex fieri noluit: quia verò diuitias perniciosè appetebant, pauper eſſe voluit: & quia mortem, & contumelias homines ſuperſtitioſiſſimè horrebant, crucē, & omne genus contumeliarum ſuſtinuit: & vt ſemel dictum ſit, quidquid Dei filius in terris per hominem, quem ſuſcepit, dignatus eſt operari, diſciplina noſtrorum fuit morum; ex dicto Auguſtino libro de vera Religione.

Aliud maius enodandum reſtat argumentum, quod conſultò ad vltimum locum, inter argumenta contra concluſionem 1. parte 3. Tractatus, relegamus.

SECVNDA CONCLVSIO.

CHRISTVS Dominus inſtituit in Eccleſia, & Chriſtiana Politia Magiſtratum Eccleſiaſticum Politicum, ſeu ciuilem, condiſtinctum omninò à Magiſtratu ciuili laico, ſiuè à Chriſtianis, ſiuè ab Infidelibus, adminiſtrato; cui perſonæ Eccleſiaſticæ parere debent: vndè de Iure diuino liberæ ſunt, & immunes à ciuili laica Poteſtate.

HAEC concluſio probatur primò in genere, ex illa Chriſti reſponſione data Iudæis, dum de negotio ciuilis, iuriſdictionis fuiſſet ab illis malitioſè requiſitus: Matth. c. 22. videlicet: [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.] Sed ſpecificè habetur doctrina concluſionis, Matth. c. 20. Marc. c. 10. & Luc. c. 22. dum inſtituit Chriſtus Apoſtolos, videlicet, Eccleſiaſticas perſonas, & in illis omnem ſtatum Eccleſiaſticum, de maioritate, ac primatu in Eccleſiaſtica Iuriſdictione adminiſtrandis contendentes, circa modum, & formam illa adminiſtrandi. Sic enim omnes Patres Græci, immò & multi Latini, intelligunt,

Apo-

Apoſtolorum illam contentionem indè ortam, quòd Chriſto è viuis migraturo, oporteret, aliquem ex eis illius vicem gerere, in Eccleſiaſtico tractando Magiſtratu, & ceteris è Chriſti ſchola, eorumque actionibus gubernandis.

Primò igitur Chriſtus non arguit illos, vt dicit Gloſſa, initæ contentionis; ſed formam humilitatis, quam ſequantur, vt ad honores adminiſtrandos perueniant, præſcripſit: ſtatum quidem Magiſtratus, & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis confirmans: ſolùm circa modum illam maioritatem in illo obtinendi, & gerendi, ſatagens: qui ſit talis, vt, iuxta Ambroſium: [Non ſit de prælatione iactantia, ſed de humilitate contentio:] dum ſic docuit: [Reges Gentium dominantur eorum:] ideſt, Gentibus, quod nomen ἔθνη, Græcè neutrum eſt: [& qui poteſtatem habent ſuper eos,] ideſt, ſuper Gentes, [beneficì vocantur:] ideſt, quantumuis malè ſubditos tractent, ab eis vel adulantibus, vel timentibus, [benefici vocantur;] ideſt, affectant ſpecioſos titulos, vt habeantur munifici, ſeu beneficiorum auctores, quantumuis ſubditos iniquis habeant modis. Nam licet apud Hebræos, ij, qui ſui non erant generis, Gentes dicebantur; tamen feroces, ſuperbi, ſæui, impij, & tyranni, Gentes dici, ſolebant: vt cap. 10. Eccleſiaſtici dicitur: [Terras Gentium ſubuertit Dominus, & perdidit eas vſque ad fundamenta.] Vos autem, inquit Chriſtus, non ſic:] ideſt, ſtatus Eccleſiaſtici Iuriſdictionis ſuperioritas, & poteſtas aliter eſt, & quærenda, & adminiſtranda: videlicet: [ſed qui maior eſt in vobis,] ideſt, qui appetit eſſe Pontifex, Epiſcopus, Iudex, Rector, is humilitate, [fiat ſicut iunior,] ideſt, quaſi minor natu, [& qui præceſſor eſt,] Græcè ἡγούμενος, ideſt, Dux, & Rector, [ſicut miniſtrator.] Sit igitur omnium à nobis dicendorum hoc firmiſſimum fundamentū: Chriſtum Dominum hic non ſolùm nō Eccleſiaſticam Hierarchiam, & Politiam voluiſſe confundere, verùm eam maximè erigere, & inſtituere. Voluit tamen curare in Eccleſiaſticis Prælatis mentis tumorem, & ſuperbiam, (grande in eis malum futurum) amputare.

Nec obſtat, ſi dicatur, Chriſtum hic genericè fuiſſe loquutum cum ſtatu Politico Chriſtiano, prout comprehendit tam ſacrum, quàm profanum Magiſtratum, cōdiſtinguendo illum à ſtatu Politico, ſeu ciuili regum Gentium, ſeu Infidelium; vt faceret ſenſum: quamcumque ſuperioritatem, ſiuè ſecularem, ſiuè Eccleſiaſticam eſſe quærendam, & gerendam inter Chriſtianos, media humilitatis contentione, contra quàm Gentes illam, vel quærebant, vel adminiſtrabant.

Reſpondetur enim, Chriſtum ibi dicendo: [Vos autem non ſic,] præciſè de Eccleſiaſtica Poteſtate, & Prælatione ſermonem feciſſe, prout diſtinguitur à ciuili & laica Poteſtate: ſiue illa à Gentibus, & Infidelibus Principibus, ſiue à Chriſtianis exerceretur: licèt regum Gentium, quaſi qui tyrannicè ferè populos gubernarent, fecerit ſolùm mentionem. Nā

ibi ad perſonas expreſsè Apoſtolorum, qui erant futuri Epiſcopi in Eccleſia, & ad eorum ſucceſſores, direxit ſermonem: ac ſi diceret: An neſcitis, hoc quod facitis, ambitioſorum eſſe proprium Principum? neque omnium quidem, ſed Gentium: apud quas, non iuſtitia, non virtus, non dignitas; ſed ambitio, ſed vis, ſed tyrannis regna obtinet, & Principatus: & vbi Principes, non quæ ſuis populis, ſed quæ ſibi ſunt vtilia, & honorifica, quærunt? Quæ videtur eſſe Euthimij, ſuper Matth. c. 20. interpretatio. Tantùm igitur monet hoc loco Chriſtus, non debere Apoſtolos, & eorum ſucceſſores Epiſcopos, & vniuersè, Prælatos Eccleſiaſticos, qui ad Eccleſiæ gubernationem ſunt vocati, Gentilium Principum ambitionem & tyrannidem imitari. Vndè non quoſlibet, ſed Gentium Principes nominauit, qui ambitioſiores, & crudeles magis ſoliti erant eſſe, quàm Iudæorum, qui, vel dabantur à Deo, vel eius timore, & religione, in officio continebantur. Quo ſenſu Petrus, vt ſtatim dicetur, admonet eos, qui Eccleſiam gubernant, ne in Clerum dominentur. Reſtat igitur, vt Chriſtus de iuriſdictione Eccleſiaſtica tanta, quo ad perſonas, iuxta illam, iudicandas, & iudicaturas, & de illa maioritate in ſtatu Eccleſiaſtico, & Politico, quem diſtinctum à laico ſtatu inſtituebat, fuerit ibi clariſsimè loquutus.

Neque hanc Apoſtolorum contentionem, fuiſſe ſubortam de primatu, ſeu maioritate, tantùm circa res ſpirituales, & diuinas, inter ipſos, & per ipſos in Chriſtianiſmo adminiſtrandas, vt inde colligatur, hanc maioritatem ſolùm fuiſſe à Chriſto inſtitutam, & approbatum, in rebus tantùm ſpiritualibus, & diuinis; id clarè conuincit, quod cùm Chriſtus nondum eſſet per crucis ignominiam glorificatus, neque Diſcipulis erat datus Spiritus ſanctus, neque aperti eorum ſenſus erant, vt intelligerent Scripturas, & de diuinis, & ſpiritualibus, quæ per illos erant adminiſtrāda, adeò enixè vel agerent, vel cogitarent. Erat igitur contentio de ciuili adhuc, iuriſdictione, & de poteſtate, & præfectura etiam in temporalibus, Chriſto abſente, inter ipſos exercenda. De hac non ſemel tractauerant; & ſibi Petrum in ea præficiendum, Iacobo, & Ioanne fratribus verentibus, Matth. c. 20. matrem, vt à Chriſto huic dexteram, huic ſiniſtram, importuna petitione, in ſuo regno impetraret, ſubornarunt. Ergo Chriſtus ad Diſcipulorum attendit maximè intentionem, curans, animis, ambientium etiam temporalem hanc, & ciuilem ſuperioritatem, medicinam adhibere.

Explicatur fundamentaliter Concluſio, ex Petri Primatu.

VERVMTAMEN pro explicatione radicali huius Politicæ præfecturæ, in hoc loco à Chriſto Domino expreſsè, & formaliter inſtitutæ, notandum eſt: Matth. c. 16. eumdem Dominum promiſiſſe Petro, ædificaturum ſe fore Eccleſiam ſuam ſuper illam petram: ideſt, ſuper

Petrum in fide roborandum,& roboratum:& hoc in ſempiternum: ſiquidem ipſam Eccleſiam perpetuam eſſe voluit: portis ipſis inferi inuictis, ac,contra eam,nihil vmquam præualituris. Vnde debuit Petri fides in perpetuum ſtabiliri,tamquam medium omninò neceſſarium, ad firmum & ædificium, & tanti ædificij fundamentum; ideſt, ad tantam in ædificanda, propaganda, & regenda Dei Eccleſia futuram docendi certitudinem,& paſcendi, atque regendi poteſtatem.

Hanc igitur geminam functionem priuſquam Dominus Petro effectu conferret, robori illi fidei, in eo neceſſario requiſito fundamento, diligenter prouidit; vt eo iacto, totius Eccleſiæ ſurrectura moles conſiſteret, nullis iam, inuidiæ Dæmonis, aſtus mundi, fallaciæ carnis, Hæreticorum perfidiæ, Infidelium ceterorum potentiæ, quantumcumque agitata tempeſtatibus, obruenda.

Ergo cœna facta, turbati Apoſtoli, propter verba Chriſti, aſſeuerantis fore, vt vnus ex ipſis læſæ Maieſtatis crimine, iam animo, & pacto, præpeditus, ipſum eſſet magiſtrum, ipſum eſſet Dominum traditurus, inter ſe quærere cœperunt, quis ex eis, inſolens factum animo concepiſſet; & quis ad effectum Magiſtri mortem eſſet reducturus. Mox, vt in ſubitis caſibus, animorum ſuccedente perturbatione graui, fieri ſolet; ex illa lite, in aliam inciderunt: dicente Luca, vt vidimus: [Facta eſt contentio inter eos,quis eorum videretur eſſe maior.] Hanc illorum intempeſtiuam contentionem cùm ſedaſſet Chriſtus Dominus, dicens: [Reges Gentium dominantur eorum,&c. Vos autem non ſic,&c.]docẽs, videlicet,omnẽ dominandi appetitum,& libidinẽ,à ſuis miniſtris,quàm longiſſimè abeſſe debere:ne tamen omnẽ dominandi poteſtatem pariter prohibuiſſe,aut ſuſtuliſſe exiſtimaretur;ad Petrũ conuerſus,alijs Apoſtolis attentè audientibus,dixit:[Simon ecce Sathanas expetiuit vos,vt cribraret ſicut triticum:ego autẽ rogaui pro te:vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos.] Quæ verba apertiſſimè demonſtrarunt, illum fore maiorem,primum, caput,& Præfectum corũ, de quo erat ſuborta contentio; & ex conſequenti, maioritatem, prælationem, ac præfecturam Politicam Eccleſiaſticam, nedum illis à magiſtro non interdici,verùm ipſius vltimis verbis, ipſius tandem ſanguine, ad noui Teſtamenti confirmationem, inſigniter roborari.

Expendamus Chriſti verba diligenter, & qualiter prædicta ſibi conſtent clarè perſpiciemus. Duo igitur in illis Chriſtus fecit; nam primò in communi omnium periculo, ſolùm Petrum ſic confirmat: [Simon ecce Sathanas expetiuit vos,vt cribraret, ſicut triticum: ego autem rogaui pro te: vt non deficiat fides tua.] Deinde ne, illa confirmatio ſolius Petri cauſſa facta fuiſſe:aut, ad perſonalem fidem Petri, videretur ſolùm pertinere, addidit: [& tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos:] declarans nimirum ea illum ratione in fide præcipuè confirmari,

vt, omnium aliorum fidem, ipſe poſtea futurus omnium Paſtor, confirmaret; illumque verè fore firmam petram, ſuper quam Eccleſia ædificaretur. Cùm enim fides ſit baſis, & fundamentum ad Eccleſiæ ſtructuram, eiuſque integrum ſtatum: ſic eam Apoſtolo, ad Hebr. c. 11. definiente: [Eſt fides ὑπόστασις, id eſt, ſubſtantia, ſeu baſis rerum ſperandarum:] poſiturus Chriſtus Petrum, ad Eccleſiam erigendam, pro fundamento, & baſi, eum, ante omnia, in fide roborat, & confirmat.

Nam cùm fides ſit Dei donum, non ex nobis: ex Paulo, ad Epheſ. c. 2. indeque verè ſolus Deus eius Auctor fidem infundat, & præueniente gratia cor hominis illuminet, excitet, atque moueat: eadem tamen quo ad nos, miniſterio Prædicatorum ædificatur. [Fides enim ex auditu; & quomodo audient ſine prædicante?] ad Rom. c. 10. Huius autem prædicationis duæ ſunt præcipuè partes; docere, & confirmare; vel, vt loquitur Paul. 1. ad Corinth. c. 3. plantare, id eſt, docere: & rigare, id eſt, regere, ſeu firmare; Chriſtus Dominus, cui excellenter fuit data à Patre, Matth. c. vlt. poteſtas ædificandi, & confirmandi Eccleſiam, hanc poteſtatem vni Petro eminenter, & per eum aliis communicaturus: ne fides vmquam in Eccleſia, vſque ad ſeculi conſummationem, deeſſet: de prima illa initiali prædicatione, ac plantatione, dixit ſoli Petro: [ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:] de altera verò parte, nempè ipſorum fidelium confirmatione, & gubernatione, quia hoc opus erat etiam miniſteriale, ſicut ipſum prædicare, dicit ſoli Petro: [tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos:] hoc eſt illos, qui iam ſunt, & erunt fideles. Hoc enim eſt alterum, & præcipuum etiam, circa fidei miniſterium, officium: de quo genere ſcripſit Apoſtolus, 1. ad Corinth. c. 1. [Sitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia:] id eſt, in veritate fidei, vna mente, vnaq; volũtate confirmati. Et hæc quidẽ circa huius loci explicationẽ, ſunt nobis cõmunia, cùm doctiſſimis Theologis, qui præcedẽti ſeculo contra Hæreticos, primatus Petri oppugnatores, conſcripſerunt.

Sed vt myſterium adhuc hic latens aperiamus, concluſionis valdè cõfirmans veritatem, hæc omnino coniungenda ſunt; & Chriſti promiſſio facta Petro, ibi, [ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã,] & Chriſti rogatio Patri facta, pro fide Petri, vt, iam ſolidatus in ea, alios deinde ſuos fratres faciliùs confirmaret. Hinc eſt ad litteram, ſic philoſophandum. Eccleſiæ ædificium fide firmatum, ad ſuum regimen, nedum Hierarchicum, ſed etiam Politicum, conſtat ex Apoſtolis, Euangeliſtis, Prophetis, Paſtoribus & Doctoribus, qui omnes erant neceſſarij, ad Eccleſiæ molem ſtruendam, & vt eſſent miniſtri, atque, vt aliàs explicuimus, Prælati in Eccleſia, ad eius corpus myſticum, interius & exterius ædificandum: & vt omnis in ea Politica, & Hierarchica viuendi norma conſtaret: ergo dum iubetur Petrus à Chriſto, ſuos confirmare fratres, iam ipſe petra firmiſſima effectus, id eſt, fidei dono excellenter & dona-

tus,& firmatus: iubetur,ex conſequio,hoc ędificiū pręfatum Eccleſię ordinare,inſtruere,componere,inſtaurare,ac fartum,ac tectū conſeruare.

Antecedens eſt doctrina expreſſa Apoſtoli Pauli ſæpius citata, ad Epheſ.c.4. dicentis: [Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios autem Euangeliſtas, alios autem Prophetas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti,&c.] Conſequentia inde probatur;quia ex ſuppoſitione,quòd ſuper Petrum Eccleſia, cum ſua Hierarchia, Politicaq; adminiſtratione,erat ædificanda: item quòd Eccleſia plurium erat fidelium, ſub vnius fidei,ac eorumdem Sacramentorum profeſſione, ac ſub vno capite militantium, adunata Congregatio: oportebat, vt Petrus omninò ipſius fundamentum, eam confirmaret: ideſt, nedum fidei plantatione, ac irrigatione, prædicatione, & in eadem confirmatione,eam ſolidaret; verùm illius confirmaret columnas Prælatorum: in ea diſtribuens munia Epiſcoporum; inſtaurans verbi prædicandi adminiſtrationem: Presbyterorum ordinans exercitia: Diaconorum inſtituens miniſteria: ac totius Politici regiminis diſponens regulam: quò quaſſa licèt Eccleſia, futurarum in ea tempeſtatum vndis, neutiquam flecteretur. Oportebat inſuper, vt moralem viuendi normam,quam à Chriſto exceperat,quo ad Monaſticen,& OEconomicen, fideles inſtrueret: quæ omnia ſimul Eccleſiæ fortiſſimum efficerent ædificium, & mundi totius Principibus fidelibus verendum, infidelibus formidandum.

Et notandum valdè eſt, Apoſtolum Paulum,eo loco ad Epheſios, adducta illa omnia munia coniunxiſſe; & prædicationis fidei; & confirmationis in fide, & coagmentationis, ſeu inſtaurationis ſtatuum, & Ordinum Eccleſiæ, totiuſque adminiſtrationis Politicæ, cùm dixit: [ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti,&c.]hæc enim ſunt ex quibus Eccleſia conſtat,fide, & Sacramentis, & capitis,ac membrorum connexu;in quibus omnibus à Petro erat, Chriſti iuſſu,confirmanda; vt ſancti, ac fideles conſummati, perfecti, ac omnibus numeris euaderent abſoluti. Inſuper conſiderandū ad litteram eſt, Paulum id expreſſiſſe verbo, conſummandi, quod Chriſtus expreſſerat, confirmandi verbo: cùm καταρτίζω, quo Paulus, & ϛηρίζω, quo Lucas,Chriſti nomine vſus eſt, idem ferè ſignificent. Deinde cum Paulus dixit, [ad conſummationem Sanctorum;] vel vt transferri etiam poteſt[ad inſtaurationem,ſeu coagmētationem Sanctorum:] immo,vt habet Syriaca lectio,[ad complementum Sanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificium Meſchiacho,] præcedentia omnia munera à varijs Eccleſiæ miniſtris docuit eſſe obeunda; vt conſurgeret integrum Eccleſiæ ædificium, & corpus cum perfecta,& Spirituali,& Politica adminiſtratione; ſimul etiam viam nobis aperuiſſe videtur, hunc locum Euangelij, iuxta præfatam expoſitionem, vberiùs explicandi.

Cum

Cum enim Dæmonis ea eſſet intentio, vt cribrãdo Chriſti Diſcipulos, ab eorum animis, ſi poſſet, fidem in Chriſtum eriperet, & eos quaſi grana, in terram aridam, & incultam, non vlterius fructum allaturam, diſijceret: paleas autem, & tegmina ſuperiùs conſeruaret: Iudã, ſcilicet, pecunijs, & Magiſtri morte ouãtem, & famam de diſcipulis iniquam apud Iudæos ſparſam, quaſi ipſi corpus Chriſti, monumentorum impij effoſſores, ſuſtuliſſent; & hæc omnia, ad Chriſti memoriam efficeret abolendam: cùm etiam Chriſtus ipſe prædixiſſet, protinus completum iri antiquum illud Zachariæ, c. 13. vaticinium: [Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis;] his ſic ſe habentibus; illud ad Petrum Chriſti præceptum: [Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos:] hunc omninò ſenſum, vt efficiat, eſt conſequens. Petre, tu es Eccleſiæ meæ ædificio præſtitutum iam à me fundamentum: mutabis quidem; ſed mutaberis in virum alterum; id meis precibus à Patre obtinentibus, vt in fide vlterius immobilis perſeueres: oportet ergò, vt tunc diſperſas oues congreges, & congregatas conſerues: eas confirmes: deſtructam in meo grege, & fidei confeſſionem explicitam, & Politicam meæ ſcholæ, & reipublicæ, conuerſationem inſtaurãdo. Confirma ergo cõuerſus fratres tuos, ad priſtinum nempè ſtatum præfecturæ, & obſequij ſcholam Eccleſiaſticam reſtituendo; prædictum enim fuit etiam de præſenti occaſione, ſeu ſcandalo, per Prophetam Iſaiam, c. 54. In modico eam à me derelictam, in miſerationibus magnis fore congregandam.

Executio præcepti: [Confirma fratres tuos,] per Petrum facta theoricè.

TALE fuiſſe hoc Chriſti Domini præceptum; ex ipſius præcepti executione per Petrum facta, clariſſimè intelligemus ex ſequẽtibus. Sicuti enim regulam generalem, diuinas Prophetias, & earum ſenſus intimos, penetrandi, ſancti Doctores illorum realem, dicunt, eſſe exhibitionem, quæ in eis futura prædicebantur; quando, ſcilicet, dicitur verè: Vide prædictum, ecce completum: quoſcumque infideles, qui eas aliò detorquerent, coarguendo: ſic regula infallibili, videbimur vti, præfatum Chriſti præceptum, [confirma fratres tuos,] intelligendi, illius praxim & vſum, ex ipſa executione, per Apoſtolum Petrum præſtita, demonſtratã. Is ergo Epiſt. 1. ad ſuos fratres, & præcipuè, qui erant generis Abraham, diſperſos per varias regiones directa, quinque capitibus comprehenſa, hoc maximè agit: fidem in Dominum IESVM Chriſtum illis annunciat, & in ea confirmat eos diligentiſſimè: multa etiam de charitate, ac patientia, Chriſtiq; imitatione addens, ad eiuſdem fidei viuæ robur oſtendendum: tamdem Politicum omnem Eccleſiæ ſtatum, eiuſque rationem luculentiſſimè, & deſcribit, & diſponit: vt eã attentè legentibus apparebit.

Primò enim capite, [per fidẽ aſſerit, aduenas diſperſionis, ſuos fratres,

cuſtodiri in ſalutem paratam reuelari, in tempore nouiſſimo:] eoſque per tentationes probatos, reportaturos finem fidei propriæ,ſuarum animarum ſalutem. Ecce fidei prædicatio; in ipſa autem confirmatio toto capite efficaciſſimis argumentis pertractatur. Capite deinde 2. memor ædificij totius Eccleſiæ. quod ex tot, ac tantis fratribus fidelibus erat conſurrecturum, ſuis humeris à Chriſto impoſiti, qui erat principium illius, ac primum fundamentum: ſic ad eos loquitur: [Ad quem accedentes lapidem viuum,ab hominibus quidem reprobatum,à Deo autem electum, & honorificatum, & ipſi, tamquam lapides viui, ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, &c.] Quo argumento profundè proſequuto; conuertit ſe ad confirmandos fratres, Politicam hanc, neceſſariam vniuerſæ Eccleſiæ,regulam afferendo. [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum: ſiue regi, tamquam præcellenti, ſiue Ducibus,&c.] & infra: [Deum timete, regem honorificate.] Hoc ſubiectionis ſubditorum ad ſuos Principes præiacto fundamento, & in quo totius Politici regiminis cardo verſatur: ad alias inferiores regulas deſcendit, OEconomicas ſcilicet, dicens: [Serui ſubditi eſtote in omnibus,dominis,&c.] Capite deinceps 3. OEconomicam etiam edocens viuendi rationem ipſorum patrum familias, ſic docet: [Similiter & mulieres ſubditę ſint viris ſuis,&c.]& circa earum cultus modeſtiam, aliquantulum protrahens ſermonem, ſubdit: [Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam; quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem,&c.] Reliquum capitis, cum magna parte ſequentis 4. capitis, in generalibus, ad vitam Chriſtianè degendam, exhortationibus expendens: memor etiam in Eccleſiæ corpore non omnia membra,eumdem actum, inſtar humani corporis,habere:vt quiſque gratiæ à Deo acceptæ exercitio ſit contentus, à fratribus poſtulat,dicens: [Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes; ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, tamquam ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tamquam ex virtute, quam adminiſtrat ei Deus.] Chriſti autem ibi, & Chriſtianorum nomen magnificando concludit.

Quibus expoſitis, hoc vnum deerat ex præcipuis capitibus, incluſis in confirmatione, per Petrum,ſuorum fratrum perficienda: vt Politiam Eccleſiaſticam coagmentaret, & illius,diuulſam olim tempore Chriſti paſſionis,inſtauraret harmoniam: quò,præceptę à Chriſto confirmationi, eſſet penitùs ſatisfactum. Ecce igitur capite 5. (ò diuinum Chriſti Ieſu Saluatoris præceptorum, & præceptorem, & interpretem,& executorem!) ſic intonat: [Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum; qui & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt gregem Dei,&c.] ſicuti ſtatim fuſius eſt à nobis explicandum. Et infra, [Adoleſcentes ſub-

diti

diti, eſtote ſenioribus: omnes enim inuicem humilitatem inſinuate, &c.] ac concludit, [Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam, in Chriſto IESV, modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque, &c.] Alloquitur toto capite, vſque ad hæc verba, Eccleſiaſticos ſiue Prælatos, ſiue ſubditos: Seniores, hoc eſt, Epiſcopos, ac Presbyteros: quod ex eo conſtat, cùm ſe illis conſeniorem adnumeret: hoc eſt compresbyterum, ſiue Coepiſcopum, ex nimia humilitate: cùm eis, omnibuſque aliis Epiſcopis, & Presbyteris, eſſet dignitate ſummi Pontificis antecellens. Sic habet communis SS. Patrum, & Interpretum huius Epiſtolæ conſenſus, Petrum hic de Eccleſiaſticis præciſe agere perſonis. Captat deinde ad ea, quæ confirmare volebat, ordinem puta, ac ſtatum Politicum Eccleſiaſticum inſtauraturus, eorum, ad quos ſcribebat, & attentionem, & beneuolentiam: reddens eos certos, ſe duobus Chriſti Saluatoris functionibus ſolemnibus interfuiſſe; de quibus reddens teſtimonium, mereretur, vt ea quæ laboris, ac oneris illis iniungeret, humiliter exciperent, & ea, quæ in poſterum ipſis erogandа promitteret, magnanimiter exſpectarent. Cùm & Chriſti paſſionum teſtis fuiſſet, quæ ad eius humilem, incitabant fratres, & maximè Eccleſiaſticos, imitationem: ſimiliter & adſtitiſſet in mõte Thabor Chriſti gloriæ admirator, & particeps: cuius tranſiens illa prælibatio, futuræ æternæ, & Chriſti, & eius imitatorum glorificationis, certum præſagium oſtendebat.

Vſus fuit Petrus hiſce prolegomenis hoc capite; quia tantæ molis erat, Eccleſiaſticam condere Politiam: eam inſtaurare; ac, iuxta Chriſti præceptum, ſuos in ea fratres perficere, ac confirmare. Hinc cùm toto capite normam Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruandæ, ac Politiæ eiuſdem ſtatuendæ, quo ad regimen, & quo ad mores, & ſenioribus, Epiſcopis, ac Presbyteris, & adoleſcentibus, Diaconibus, & alijs inferioribus miniſtris tradidiſſet: quaſi ſuo, in fratribus vndique confirmandis, functus munere, præceptoque Dominico ſeſe liberans, & abſoluens, in ipſum Dominum reciprocam, illa omnia, quæ ordinauerat, confirmandi curam regerens, ad fratres ſuos Eccleſiaſticos, ea vſus fuit concluſione, [Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos in æternum Euangelium Chriſti IESV, (illud, videlicet, profeſſuros, prædicaturos, & Politica imperandi, & parendi ratione, perpetua ſucceſſione conſeruaturos.) modicum paſſos,] ideſt, vt 1. dixerat capite, [modicum nunc ſi oporteat contriſtari,] tempus opportunius exſpectando, quo, non obſtantibus infidelibus Principibus, Eccleſia, & eius Politica emergat gubernatio, [perficiet, confirmabit, ſolidabitque.] Et quod Latinus Interpres, affeuerando, atque promittendo, tranſtulit, Græcè, optando, & per quattuor effertur verba: duo priora ſunt illa concepta, quibus aliàs Chriſtum, Luc. cap. 22. & Paulum vſos fuiſſe oſtendimus,

καταρτίσει ὑμᾶς, iuxtà Paulum, perficiet, conſummabit, coagmentabit, & inſtaurabit: & *στηρίξαι*, confirmabit, iuxta Chriſti verbum: inſuper *σθενώσαι* roborabit, & *θεμελιώσαι* fundabit: vt Eccleſia tamdem & numero, & fidelium merito aucta, Paſtorum ordine ſtabilita, cum ſua conſpicua, ac veneranda Politia, illuſtri per orbem fulgeat maieſtate.

Executio præcepti, [Confirma fratres tuos,] per Petrum facta practicè.

SVNT hæc poſteriora, quæ Petrus geſſit præceptum Dominicum ad vnguem impleturus, præpoſterè à nobis hic inducta: vt ſymphonia promiſſionis Propheticæ de Eccleſia, ſtatim relata; ſcilicet. [In modico dereliqui te, &c.] & ſenſus illius Apoſtolicæ Petri monitionis, ſcilicet, [modicum nunc ſi oporteat contriſtari, &c.] & item, [modicum paſſos ipſe perficiet, &c.] proximè ſentiretur, competenti alluſione ad locum Euangelij, quem expendimus, applicata. Nam ſi de prioribus Petri geſtis, quibus præceptum Chriſti adimpleuerit, inquiratur: dum Ioan. c. 20. refertur Thomas Apoſtolus reſurrectioni Chriſti fidem ſubtrahens, ab alijs diſcipulis de Chriſti ſuſcitati viſione, ac manifeſtatione teſtimonium reddentibus, inſtrui ad idem credendum; quis dubitet, Petrum per octo continuos dies, non nimio ſudore cum Thoma laboraſſe, vt ab eo incredulitatis rubigine deterſa, ipſum in fide tanti myſterij roboraret? Act. deinde cap. 1. conſiderans Petrus vnam ex duodecim Eccleſiæ columnis, Iuda, videlicet, humanæ diuinæque læſę Maieſtatis obnoxio crimine, iam ſuſpenſo, locò motam dvt Politiam confirmaret à Chriſto inſtitutam, ad Eccleſiam per orbem colligendam, ipſe fratres ceteros conuocauit, Matthiam nouam columnam in Apoſtolica fabrica ſuffecturus.

Item cap. 2. in die Pentecoſtes Spiritu ſancto in linguis igneis ſuper Diſcipulos effuſo: ipſiſque varijs idiomatibus, ad varias loquentibus Nationes, cùm illarum vulgus in contraria ſtudia ſcinderetur, quibuſdam malè ſanis hominibus, ebrietatem, cæleſtem Apoſtolicam eloquentiam, interpretantibus: Petrus inter, & ante omnes, ſtans, aſſumpta parabola, ad ingentem auditorum frequentiam habuit concionem, tanta verborum grauitate, ſententiarum pondere, Prophetiarum declaratione, ac myſterij præſentis, & Chriſti IESV illud efficientis, in illorum animis inſinuatione: vt appoſitæ fuerint illa die animæ circiter tria millia, Petri ſermone excepto, & Chriſti baptiſmate conſignatæ.

Et cap. 3. aſcendentibus Petro, ac Ioanne in templum, Petrus claudum à ſuæ matris vtero, ad templi portam Specioſam, ſtipitem expectantem, dextera illius apprehenſa, in nomine Chriſti IESV, ſanum reddidit, plantis eius ac baſibus ſolidatis. Quem locum tractans diuinè piè, ac verè Ambroſius, ſerm. 68. ſic conſiderat: [Primum ſignum mirabilium ſuorum Petrus fecit, claudo pedum reſtaurando veſtigia.] &

relato

relato Chriſti promiſſo,[Tu es Petrus,& ſuper hanc petram,&c.]addit: [Si ergo Petrus petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, rectè prius pedes ſanat: vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.] Ergo ſi verè, ſi piè,ſuus locus ſpirituali hic ſenſui aſſeruandus eſt; omnes fideles intelligant hinc,oportet, ad Petrum, & illius ſucceſſores Romanos Pontifices ſpectaſſe,perpetuoque ſpectare, ſiue in doctrina fidei, ſiue in moribus Chriſtianæ Reipublicæ, tam in vniuerſum,quàm particulariter,ſtatum claudicantem ſolidare.

Petrus item, occaſione tanti ab eo patrati miraculi, populum Hebræum conuenientem, grauiſſima etiam,ac pijſſima concione erudiuit, de Chriſto ipſi olim promiſſo, ac tandem exhibito; fratres eos compellans, ac fidem Chriſti procurans in illorum animis plantare, ac confirmare: quouſque, ob prædictam prædicationem, Apoſtoli illi carceribus mancipati, imperio Sacerdotum, ac Templi Magiſtratuum, cum illa tentatione Deum tantum ſenſere feciſſe prouentum: vt multis ex concionis auſcultatoribus fidem ſuſcipientibus, credentium ad quinque virorum millia numerus augeretur. Poſt hæc Petrus, ſi vnquam alias,ſe præſtitit admirandum: cùm Spiritu ſancto repletus, Principum populi æterna obliuione IESV nomen ſepelire volentium:ſicut illius,hac etiam mente,ſepultum iri corpus vanè exiſtimauerant: ac Apoſtolis IESV doctrinæ, ac inuocationis, ſeu nominationis, interdictum perpetuum imponentium, retudit conatus: ac interdicto iniuſto, ſe ſuoſque liberans Coapoſtolos; ſui propoſiti iudicium, rectum nec ne eſſet: vt, qui Deum pluſquam homines cenſeret auſcultandum, corruptiſſimis ipſis iudicibus, liberè reliquit æſtimandum.

Petrus cap. 5. Ananiam, & Saphiram mendaces coniuges in traditione pretij venditi agri, ad ceterorum etiam terrorem Chriſtianorum, ſubita morte mulctauit. Petri vmbra ſaltim contegi,proiecti per plateas, & in grabbatis, infirmi deſiderabant: certi, ea ſola, à quibuſcumque ſe eſſe infirmitatibus liberandos. Petrus ibidem denuò Magiſtratuum conatibus viriliter reſtitit: ac primus inter omnes Apoſtolos in carcerem coniectos, ac tandem cæſos, efficaci defenſione, cauſſam agens: & Patris æterni, qui IESVM filium ſuum, in mundum à ſe miſſum, à mortuis ſuſcitauerat, & IESV ipſius, qui pro mundo fuerat mortuus; & Spiritus ſancti ſibi obedientibus dati, qui ſuorum verborum teſtis erat: id vltimò conſequutus fuit, vt Magiſtratus rabidè irati, de Apoſtolis omnibus de medio tollendis, cogitarent.

Poſtea cap. 8. [cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Ieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei,]laudãtes eum, quòd non eſſet cum illa gente amplius agendum interdicto reticendæ Euangelicæ prædicationis, à Chriſto impoſito, cùm dixit: [In Ciuitates Samaritanorum ne

intraueritis:] Matth.cap. 10. miſerunt ad illos Petrum,& Ioannem: ad vnam enim Prouinciam in fide confirmandam, Petrus erat omnino,tamquàm ſummus Pontifex, ipſomet cum Eccleſia tota illud ordinante,deſtinandus. Præterea cùm Ioannes apud Luc.cap.9. poſtulaſſet à Chriſto facultatem, ignem de cælo ſuper Samaritanos, illum, in ſuam ciuitatem cum ſuis Diſcipulis,non recipientes euocandi; quando fuit à manſuetiſſimo Domino, ob vindictæ illius appetitionem,reprehenſus: oportuit, vt Ioannes etiam Petro comes adiungeretur: vt ambo ſcientes, iā cuius Spiritus eſſent filij; ignem alium deſcendere ſuper Samaritanos ſupplicarent, orantes pro illis,vt Spiritu ſancto replerentur. Petrus ibidem Simonem, donum Spiritus ſancti hominibus per manuum impoſitionem conferendi, pecunia poſſidere tentantem, cum ipſa pecunia perpetuę perditioni, niſi reſipiſceret,erogauit.

Petrus cap. 10. Angeli hortatu,ſolus,inter omnes Apoſtolos, a Cornelio accerſitur, vt in fide eum inſtruat; cuius occaſione, vidit vas linteum è cælo deſcendens, volatilibus, quadrupedibus, reptilibuſque terræ oppletum: quæ omnia delicatus, immo,& ſuperſtitioſus Petrus manducare fuit iuſſus: ſuperſtitioſus, inquam, quod à Deo animalia mundata, Gentes, ſcilicet, ad Eccleſiam vocatas, ipſe Eccleſiæ factus fundamentum, eas ſuper ſuos humeros portaturus, adhuc immunda, adhuc & communia reputaret. De quibus omnibus, opus fuit, vt fratribus ex Iudæis ſuperſtitioſis cap. 11. faceret ſatis, ingenti illum exiſtimantibus piaculo conſtrictum, quòd ad viros præputium habentes, cum illis etiam manducaturus, introiret. Et cap. 12. licet Herodes Iacobum occidiſſet Apoſtolum, cùm tamen conſideraſſet ſtudia, ac Iudæorum placita eo collimare; vt vnus tum Petrus omninò interficeretur: eo apprehenſo, in carceremque coniecto, Hebræorum deſideria ſatiaſſet: niſi Deus ſummum Eccleſiæ Pontificem, pluribus, ac grauioribus efficiendis in Eccleſia negotijs, Angelico miniſterio, è carcere, è catenis,è quattuor militum,vigilibus in eo cuſtodiendo, quaternionibus ſubduxiſſet.

Magna ſunt quidem hæc cum Petro, & à Petro geſta Scripturæ ſacræ teſtimonijs comprobata: ex quibus clarè conſtet, inter ſplendorem, quem dabant Deo ceteri candidi Nazarçi eius, Apoſtoli videlicet,eſſe, vel quaſi tot ſydera, totve ſoles, declarantia, Petro olim à Chriſto Eccleſiæ prælationem,& primatum, ſeu maioritatem, vt Apoſtoli loquebantur,promiſſam, dum Matth. cap. 16. dixit illi: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum,&c.] tamdem,pridie quàm pateretur,illi exhibitam, dictis verbis. [Et tu aliquando conuerſus,confirma fratres tuos.] Oſtendunt etiam ab Apoſtolis ipſis, de maioritate, ac primatu contendentibus, perſpicuè ex illis adiunctis verbis Chriſti pro forma exercen-

dæ dictæ maioritatis, quam præſcripſerat, dicens, [Reges Gentium, &c. vos autem non ſic, &c. Simon, &c. aliquando conuerſus, confirma fratres tuos:] fuiſſe intellectum, Magiſtri conſtare voluntatem, vt Petrus omnibus eſſet maior, ac prælatus: cùm in longo relato Apoſtolorum Ieroſolymis diſcurſu, vel vbicumque alibi, vel omnes ſimul, vel ſeqneſtri incederent, vnanimi tamen conſenſu, in grauioribus, & difficilioribus rebus, primas, tamquam primo, ſemper Petro detulerint partes: ipſeque, totius propagandi Chriſtiani ædificij, pars magna, referatur, exſtitiſſe.

Magnum certè eſt argumentum ad præfata roboranda, Petrum Antiochiæ poſtea per ſeptem annos Eccleſiæ vniuerſæ, ex Cathedra Apoſtolica, ac ſuprema, eius adminiſtraſſe. Magnum eſt etiam, inde orbis caput Romam Sedem eamdē tranſtuliſſe, ac in animum induxiſſe ſuum, magnaque ex parte effeciſſe, vt ciuitas errorum omnium mater, ac magiſtra, eſſet filia, ac vnius diſcipula veritatis. Magnum fuit, inde ad orbis varia loca, variaſque nationes plures Apoſtolos, Epiſcopos, Presbyteros, ac fidei Chriſtianæ prædicatores, Petrum deſtinaſſe: quæ, cùm prolixam eius vitæ narrationem contineant, ab eius Hiſtoriographis ſunt petenda. Sic tandem magnum fuit, Petrum, & ipſam Romam, iuxta nomen ſuum, & Iſaiæ vaticinium, cap. 26. ciuitatem ſublimem ſic humiliaſſe: vt quam orbis ferè vniuerſus terrarum, pro capite ſuo, & ſuper caput ſuum, veneratione humili, agnoſcebat conſtitutam, pauperis, & egeni Petri peditis pes ac pedes conculcauerit viuens, conculcauerit moriens, eius ſummum Imperium temporale in ſummi Sacerdotij commutans Imperium, vt quicquid in orbe non poſſidebat armis, Chriſtiana religione contineret.

Maximum exemplum quoddam in Petro exſequutionis mandati, [Confirma fratres tuos.]

MAGNA ſunt quidem hæc cum Petro, & à Petro geſta: ſed adhuc reſtant, maxima quædam Petri acta declaranda, quæ doceāt Chriſtum ad hunc vſum rogaſſe pro fide Petri immediatè, pro fide verò fratrum mediante Petro: eorum ſcilicet fratrum, qui à Petro firmandi eſſent: nec enim caput eſſe poterat, niſi aliquorum caput eſſet, eorum putà, quos Petrus in fide ſolidaret. Quòd ſi pro fide Petri, & eorum, qui per verbum Petri firmandi erant in fide, orauit Chriſtus Dominus, & orando exauditus eſt: conſequens eſt neceſſario, vt cùm dixit, poſt magnificam illam fidei Petri confeſſionem: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,] quæ, ſcilicet, eſſet vſque ad conſummationem ſeculi duratura: non aliam fidem intellexerit, nec alium, in quo eiuſmodi fides eſſet, præter fidem Petri, & eius in fide, & Cathedra firma ſucceſſorem; quam Cathedram ea nocte cœnæ, occaſione quæ-

ſtionis, & contentionis Diſcipulorum, Petro, & eius legitimis ſucceſſoribus confirmauit.

Sint ergo hæc duo ſequentia exempla maxima, exercitij Petri in confirmandis fratribus: primum quorum habetur Act.cap.15. Habita fuit Synodus Ieroſolimitana de relinquenda legis Moſaicæ obſeruatione: in qua Petrus ſuam propoſuerat diffinitiuam ſententiam, de dicta lege abroganda. Et quia Iacobus erat Epiſcopus Ieroſolimitanæ Eccleſiæ, in qua ſurrexerant ex hæreſi Phariſæorum quidam, qui dicebant, oportere ſeruari legem Moyſis: neceſſariumque videbatur, vt quid ipſe ſentiret, populus, cui præerat cognoſceret, & vtrum cum capite ſuo concordaret: poſtquam Petrus perorauit, & tacuerunt Paulus, & Barnabas, qui cum Petro conſentientia, de conuerſione Gentium, narrauerant: reſpondit Iacobus, dicens: [Viri fratres, audite me: Simon narrauit, quemadmodum primùm Deus viſitauit ſumere ex Gentibus populum ſuum nomini ſuo: & huic concordant verba Prophetarum.] & paulò poſt: [Propter quod, ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum:] & quæ ſequuntur. Iacobus igitur auctoritatem Petri citat, cum Prophetico teſtimonio conſentientem: quo confirmatus, audet dicere conſtanter; [Propter quod ego iudico, &c.] id eſt, quia Simon ſic expoſuit, & cum eius expoſitione, vt à Deo reuelata, concurrunt verba Prophetarum: [iudico, non inquietari eos, qui ex Gentibus côuertuntur ad Deum.] ſcilicet, cogendo eos ad obſeruantiam legis: quod dixerat prius ipſe Petrus: [Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum,] ſcilicet legis Moſaicæ, [ſuper ceruices Diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?] Addidit deinceps Lucas: [Tacuit autem omnis multitudo;] quod ſatis explicat, auctoritati Petri omnem Synodum acquieuiſſe, in fide illius dogmatis confirmatam.

Sed de hac Petri ſententia, quid ſcribat Tertullianus in libro de Pudicitià, videamus. Poſtquàm dixit, in Petro extructam eſſe Eccleſiam, volens exemplis id oſtendere, exitum, & experientiam rei manifeſtantibus, ſubiungit. [Ipſe denique primus in Chriſti baptiſmo reſerauit aditum cæleſtis regni, quo ſoluuntur alligata retrò delicta; & alligantur, quæ non fuerant ſoluta ſecundùm veram ſalutem; & Ananiam vinxit vinculo mortis, & debilem pedibus abſoluit vitio valetudinis,] & infra. [Sed, & in illa diſceptatione cuſtodiendæ legis, primus omnium Petrus Spiritu inſtinctus, & de nationum vocatione præfatus, etiam nunc, inquit, quid tentaſtis Dominum, de imponendo iugo fratribus, quod neque vos, neque Patres veſtri ſufferre valuerunt? Sed enim per gratiam Dei credimus ſalutem conſequuturos, ſicut illi.] Vltimò addit Tertullianus hanc ſententiam. [Et ſoluit quæ omiſſa ſunt legis, & alligauit quæ ſeruata ſunt.]

Verum

Verùm conſideremus, pro hac confirmatione fidei à Petro exſpectanda, quod Lucas poſt Iacobi perorationem ſubiunxit: [Tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam, &c.] Tunc, ſcilicet, cùm Iacobus propter expoſitionem Petri Apoſtolorum Coriphæi, & verba Prophetarum illi conſona, iudicauit, non eſſe legis obſeruationem à Gentibus requirendam. Ecce quemadmodum tam Apoſtoli, quàm Presbyteri, & omnis Eccleſia firmitatem ſententiæ ex Petri explicatione, & diffinitione, cùm teſtimonijs conſentiente Prophetarum, eduxerunt. Cui formæ, Synodum ratam habendi, vniuerſa deinde Concilia ritè celebrata inſtiterunt: vt eorum Decreta, non niſi Pontificis auctoritate, firma eſſent; vt ſicut Benedictus III. ad Igmarum Rhemenſem Archiepiſcopum, de Synodo eius à Pontifice confirmanda, ante ſeptingentos annos ſcripſit: [quæſtio inde nullis aliquando temporibus oriatur, & aſpirantes in Deo anhelitus, compreſſi funditùs perpetuò maneant: ne ampliùs illorum contradicentium aduerſitatibus Dei conturbetur Eccleſia.] Ob hanc cauſſam etiam Leo Magnus Chalcedonenſem Synodum confirmauit: vt ipſe in Epiſt. ad Marcianum Imperatorem teſtatur, dicens: [Ne, per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrùm, quæ in Synodo Chalcedonenſi, per vnanimitatem veſtram, de fide ſtatuta ſunt, approbem: hæc ad omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, qui prædicto Concilio interfuerunt, ſcripta direxi, &c.] Eadem quoque fuit cauſſa cur Tridentina Synodus, contra ætatis noſtræ Hæreticos, habita præcedenti ſeculo, à Pio IV. Romano Pontifice confirmaretur: ad quem, ex dictis, ſpectat confirmare, ac ratam habere Concilij ſententiam: vt etiam Phocius Conſtantinopolitanus ad Nicolaum I. ſcripſit, & Baſilius Magnus, cum poſtularet à Romano Pontifice, vt tranſmitteret Legatos ſuos ad Orientem, cum actis Concilij Ariminenſis, vt ea reſcinderet; confitetur, Romanum Pontificem ἀεὶ ταῦτα αὐθεντεῖν, (hoc enim verbo vtitur,) ideſt, ius, & auctoritatem habere in his: vt ex eius epiſtola ad Athanaſium, in qua hæc ſcribit, intelligi poteſt.

Neq; prętereamus, pro vſu huius maximę functionis Apoſtoli Petri, eſſe obſeruatione dignum, cum rem omnem controuerſam ſic diffiniſſe: [Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum, audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut nobis, & nihil diſcreuit inter nos, & illos: fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices Diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus? Sed per gratiam Domini IESV Chriſti credimus ſaluari, quemadmodū & illi.] Vnde eſt conſequens, in illis verbis, [Vos ſcitis:] & item in illis, [elegit per os meū:] Petrum ſignificaſſe, τὸ αὐθεντικόν, ideſt, auctoritatē ſibi à Deo

Digitized by Google

tributam, quæ,eis ſcientibus, conuenienter Scripturæ ſanctæ, ad confirmandam Chriſtianorum omnium fratrum fidem, & verbi promulgationem, pertineret. Hac enim ratione ἴσε αὐθεντίας, ideſt, auctoritatis excepta, æquè omnes Apoſtolos ad prædicandum Euangelij verbum Chriſtus elegerat: ſed ratione, vti diximus, huius eminentis auctoritatis, Petrus ſolus fuerat, os omnium, conſtitutus.

Maximum aliud ſecundum exemplum exſecutionis, per Petrum factæ, mandati, [Confirma fratres tuos.].

MAXIMVM tamen Petri geſtum, ſecundum pro exſecutione tanti præcepti, cum Pontificij, ac primatus munere, ſibi à Chriſto iniuncti, ex Apoſtolo Paulo, Epiſt. ad Galat. c. 1. reſtat explicandum. Gloriatur apud illos, ibi Paulus, id Euangelium prædicaſſe, quod non ab hominibus, neque per hominem, ſed per ipſius Chriſti reuelationem didiciſſet. Hinc hominum quorumcumque ad illius notitiam, conſuetudine, ac magiſterio prætermiſſo; Apoſtolorum etiam ſibi priorum, Ieroſolymæ aſſiſtentium, conuerſatione non curata: cum Arabiam, euangelizando Dei verbum, pertranſiſſet, & Damaſcum, vbi Chriſtus IESVS illum vas electionis, hoc eſt, electum, illi miniſterio deſignarat, illud fideliter exſequẽdo, reuerſus eſſet: hiſcè ſic addit: [Deinde poſt annos tres (à conuerſione, ſcilicet,) veni (è Damaſco, nempè fugiens, de quo Act. c. 9. vt quidam interpretantur) Ieroſolymam, videre Petrum: & manſi apud eum diebus quindecim.] Maximum iam hic elucet Petri geſtum: per tot annos Chriſti Euangelium, illud ſibi Chriſto ipſo reuelante, prædicauit Paulus: Apoſtolorum alium vidit neminem, niſi obiter Iacobum fratrem Domini; quos non adijt, quia, ad ſui muneris exſecutionem, illis, neque theoricè, neque practicè, ſibi perſuaſit, indigere: & tamen poſt tres annos, Petrum vt videret, aſcendit Ieroſolymam, & cũ eo fuit per plures dies commoratus.

Hic notat Ambroſius, Paulum ad Petrum veniſſe, veluti primum inter Apoſtolos: & ſic opus erat, vt Paulus cum Petro Euangelium conferret: vt dum ab eo, & illud, & eius prædicatio eſſent comprobata, Petrus præcepto, de Eccleſiæ vniuerſis munijs confirmandis, eſſet par, & Paulus obligationi, de Eccleſiæ, & ipſi ſummo Pontifici ſuam doctrinam ſubijciendo, non deeſſet. Aduertit etiam Theophylactus Paulum, tamquàm ad ſe maiorem honorandum, ad Petrum veniſſe: & ideò non dixiſſe, ἰδεῖν, ideſt, cernere, ſimpliciter: ſed ἱστορῆσαι: ideſt, videre & cum obſeruatione intueri.

Affirmauimus Paulum cum Petro illis quindecim totis diebus, ſuam doctrinam Euangelicam contuliſſe, hiſcè moti fortiſſimis litteralibus argumentis. Primò, nam cùm c. ſequenti fateatur Paulus, poſt annos quattuordecim ſibi reuelatum fuiſſe, vt aſcenderet Ieroſolymam: illuc

aduen-

aduentus illa fuit præcipua cauſſa; vt cum Eccleſiæ columnis Petro, Iacobo, & Ioanne Euangelium, quod prædicabat, conferret: ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Qui licèt nullam acceſſionem, ad doctrinam, quam docebat, feciſſent, eam tamen hæc res inde habuit vtilitatem; vt cognita per Apoſtolos gratia, à Chriſto Paulo communicata, eiuſq; prædicatione inuenta purè Euangelica, ac omni digna & confirmatione, & laude, iunctis dextris inter eos, concordiæ, & amicitiæ, ſcilicet, Symbolo, in Eccleſiæ Ieroſolymitanæ facie, liberiùs poſſet Paulus munere vti Apoſtolatus in Gentibus, Euangelium illud nempè annunciando, quod Iacobus, quod Ioannes, & quod ipſe Petrus omnium Apoſtolorum vertex, ac Coryphæus, ſuis ex circumciſione chariſſimis fratribus, nunciarent.

Hoc ergo præiacto fundamento; certo certius colligitur, quando primùm Paulus adijt Petrum ſolum, & apud eum quindecim egit dies, hoc præcipuè in illis ab vtroque fuiſſe geſtum; vt Paulus, quod per reuelationem IESV Chriſti, ad Patris dexteram ſedentis, Euangelium acceperat, Petro, qui illud à Chriſto in terris viſo, & cum hominibus conuerſanti didicerat, referret; vt Paulus, ex hac aſſequeretur collatione, ſymphoniam & ſuæ, & Petri doctrinæ, & nihil ſuæ ſuperadditum, nihil à Chriſto fuiſſe detractum: immò ſe idem prædicare Euangelium, quod Petrus, ab eodem Auctore, apud ſuos fratres, & contribules & prædicandum, & confirmandum ſuſcepiſſet.

Eſt ſecundum argumentum; quia Paulus cum illo 1. capite ſcripſiſſet, Euangelium ſe per Chriſti reuelationem expreſſiſſe; vt illud Gentibus afferret: addidit, [continuò nō acquieui carni & ſanguini: neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, &c.] Scimus Hieronymum, argumento quodam coarctatum, ſic diſtinguere: vt illud mox, ſtatim, ſiue continuò, non cum carne iungeretur, & ſanguine, ſed cum ſuperiori legeretur cohærens, ſcilicet, [vt euangelizarem illum in Gentibus continuò:] & ſtatim exordiatur: [Non contuli, &c.] Sed eſto, exordium ſit ſequentium, & legatur, [continuò non acquieui, &c.] eſt ſenſus, non continuò contuli cū carne, & ſanguine. (οὐ προσανεθέμην, habetur Græcè, idem, ſcilicet, verbum, quod infra c. 2. repetitur, οὐδὲν προσανέθεντο, & Interpres vertit; nihil mihi contulerunt:) tum cum homine, nemine communicaui: hominem neminem, ſuper Euangelij doctrina, in conſilium adhibui: addit; continuò, ideſt, tunc; quia vt vidimus, diù poſt cum Petro, & alijs Apoſtolis, de Euangelij contulit prædicatione. Ex verbis ergo Apoſtoli habemus, hac phraſi loquendi vſum, cum carne & ſanguine non contuliſſe Euangelium; quaſi (quod verum eſt) quod cæleſti diuinoque firmatum decreto erat, ab homine eſſet nullo modo diſcernendum. Haud tamen hinc erat conſequens: vt cum ipſo decernente Deo, decretum illud non iterùm, ac tertiò, immò ſæpius conferretur.

Digitized by Google

Oportuit ergo, vt Paulus per totum illud triennium, quod, à ſibi facta Euangelij reuelatione, fuit elapſum, ſecum millies euoluiſſet: in Euangelio quod, priuilegio quodam miro, & inſolito, cælitùs acceperat, contineri: Petrum Apoſtolum, illam fontalem Euangelij confeſſionem, qua Chriſtum, filium Dei viui, Patri conſubſtantialẽ prædicauit, Matth. c. 16. non ex reuelatione carnis, & ſanguinis, ideſt, non, quia eam, vel cum vllo hominum contuliſſet, vel ab homine accepiſſet; ſed Patre ipſo cæleſti reuelante, ad Chriſti filij pedes, Apoſtolis ceteris præſentibus, extuliſſe. Opus hinc erat; vt ſi caro & ſanguis, homines nempè, nō erant de diuinitùs præiudicata Euangelij doctrina, in conſilium vocandi; ad illius tamen collationem, homines ſimilis reuelationis participes vocarentur. Cumq; Petrus tali priuilegio fuiſſet inter Apoſtolos inſignis, dicente Chriſto, Matth. c. eodẽ, [Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui eſt in cælis:] immo ex hoc gratuito Patris fauore, quo Petrum fuerat proſequutus, anſam Chriſtus ſumpſiſſet, Petro totius Eccleſiæ regimen committendi; ſubdente eodem ſtatim: [& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.] Petrus inter omnes Apoſtolos à Paulo fuit quærendus, & conueniendus: vt reuelatio, reuelationi comparata, & per eam confirmata, indubitatam per Eccleſiam auctoritatem obtineret.

Suffeciſſet verò Paulo cum Petro quindecim dies Chriſtianæ doctrinæ collatores exegiſſe: vt & ſibi non defuiſſe videretur, quin arcana Euangelica, quæ, ad tertium cælum raptus, didicerat; Petro, qui cælorum omnium claues, à Chriſto acceperat, patefeciſſet: vt ianitor cæli, an ad cælos fuiſſet admiſſus Paulus, fideli ſuo teſtimonio declararet: item vt Petrus præcepti Dominici illius, [cōfirma fratres tuos,] cōſtans, ac pertinax exſequutor manifeſtaretur; qui doctrinam Paulo à Chriſto è cælis per reuelationem traditam, Chriſti ipſe in terris Vicarius, tanta auctoritate, nihil illi detrahendo, nihil augendo confirmaſſet. Suffeciſſet hoc; inquam, vt poſt quindecim annorum deinde ſpatium, haud neceſſum fuiſſet Paulo, etiam præuia reuelatione, Ieroſolymam aſcendere, cùm Petro rursùs, & iis qui ibidem in pretio erant Epiſcopis, & Presbyteris, quam Gentibus afferebat, doctrinam Euangelicam collaturus. Intercedente tamen grauiſſima perſecutione, quam à falſis quibuſdam fratribus patiebatur Paulus Chriſti ſedulus imitator, nouum, ſuæ veræ, ac certæ Euangelicæ profeſſionis, ac enunciationis, teſtimonium inquiſiuit.

Oſtendebat, & præ ſe ferebat Paulus quocumque terrarum prædicās proficiſceretur, ſe plenam, & abſolutam Euangelij doctrinam diuinitùs, non verò ab hominibus accepiſſe: reuelationes ſibi factas, & ad cælos raptum, cùm id, gloriæ Dei augendæ, ferebat occaſio, ſincerius enarrabat. Erant interim quidam ex Iudaiſmo ſubintroducti falſi fratres, circum-

Digitized by Google

ciſionem Baptiſmo aſſociare volentes, illamq; haud eſſe vnquam, etiam Gentilibus ad fidem conuerſis, prætermittendam, proteruè defendentes, contra id quod, & Paulus docebat, & quod in Apoſtolorum, ac Presbyterorum Concilio, Act. c. 15. fuit ad mentem Pauli definitum. Fratres illi Apoſtolos, Presbyteros, ac ceteros maiores natu Ieroſolymis degentes, magni æſtimabant, in pretio eſſe habendos maximo, aſſerebant, eorum laus, & exiſtimatio, maximopere iactabatur ab illis, atque malitioſè, & inuidioſè eorum doctrina, cum Pauli doctrina comparabatur: vt hoc contentionis præiudicio, Paulini Euangelij auctoritas, fideſque eſſet inſigniter minuenda. De quo Auguſtinus ſuper Epiſtolam ad Galatas ipſius Apoſtoli, eſt videndus. Totius rei cardo in hoc verſari videbatur, An Paulo, ea, quam exigebat, eſſet fides adhibenda: cùm affirmabat, ſe in fonte originali Chriſti pectoris Euangelij flueta potauiſſe. Quid faceret tum Paulus? id equidem quod in ſimili graui difficultate fecit Chriſtus; ne, quantumcumq; cæleſtibus auctus reuelationibus, ſuper magiſtrum diſcipulus eſſe conaretur.

Ergo Chriſti IESV Saluatoris doctrina ex eo, apud Iudæos, in ſuſpicionem, vel non veræ, vel inſolentis, venerat; quòd, à ſuo ſolùm auctore, haberet teſtimonium; cui, in propria cauſſa, non eſſe credendum, & præcipuè, ſi de re maximi ageretur momenti, qualis erat mutatio integri Hebræorum ſtatus, & apud ipſos Hebræos, & apud Gentium Nationes viri ſapientes docuerunt. Chriſtus huic obiectioni apud Ioan. c. 5. ſic reſpondit: [Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum:] ac ſi dicat, pluribus Græcis Doctoribus explicantibus: quia ego de me ipſo teſtimonium perhibui, exiſtimabitis non eſſe verum? At non eſt ſic. & ſubdit: [Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me: & ſcio, quia verum eſt teſtimonium eius, &c.] & c. 8. opponentibus Phariſæis ſic: [tu de te ipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum:] reſpondit Chriſtus: [Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio vnde venio, & quo vado, &c.] & infra: [Solus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater, & in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater.] Ecce Chriſtus, qui fidelis, & verax erat, & viam Dei in veritate docebat: etiam falsò, etiam, malitioſè, etiam per contemptum, illius credibilibus ſatis teſtimonijs fidem abrogantes, haud fuit dedignatus remittere Iudæos ad teſtimonium, quod de ipſo ſua opera dabāt, quod Ioannes Baptiſta dederat, Ioan. c. 1. & ad Patrem, Matth. c. 3 teſtificantem: [Hic eſt filius meus dilectus, &c.] & rurſus ad eumdem, teſtimonium idem, immo auctius, Matth. c. 17. in Thabor monte repetentem. Qua rei geſtæ huius luce, & quo Chriſti exemplo præeunte, opus fuit Paulo, ſimilibus illi calumnias, circa ſuæ doctrinæ euulgationem, fra-

M tribus

tribus falſis texentibus, diligenter obuiam ires ad aliquod eos compellans, & compellens teſtimonium adeò firmum ſentiendum, quo eorum falſi, de Pauli ambigua doctrina, ſparſi rumores euaneſcerent: & id tale erat omninò futurum, ſi ijdem, qui apud dictos fratres erant in pretio, quorum primus erat Petrus, poſt exactam Paulinæ doctrinæ diſquiſitionem, nihil acceſſionis, nihil diminutionis eidem factæ, dextras cum Paulo ſociarent, eamdem ex condicto, quam Paulus retulerat, Euangelicam veritatem, cùm eſſet eadem cum illa, quam ipſi prædicabant, in poſterum per orbem vulgaturi.

Quinque Corollaria, ex præfatis excerpta.

COLLIGVNTVR ex prædictis ſequentia Corallaria, doctrinam, circa quam verſamur, valdè corroborantia. Et primum eſt, Petri maximam eſſe prærogatiuam, etiam per Paulum ipſum fuiſſe declaratum, ſcribente Tertulliano,lib.4.contra Marcionem, Paulum,cùm adijt Apoſtolos, collaturus cum eis Euangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet: id ſignificaſſe, ne non ſecundùm illos crediſſet, & euangelizaret. Et addit Tertullianus: [Auctoritatem fidei & prædicationis ſuæ optauit,] quam præcipuè à Petro erat habiturus, quatenùs erat caput, & petra Eccleſiæ fundandæ appoſita à Chriſto fundamentum, iuxta effectum ſui nominis,Cephas,quod Chaldaicè,petra, Græcè autem, caput ſignificat. Vnde Theodoretus Epiſt.ad Leonem Papam affixa Commentarijs eius, in Epiſtolam ad Romanos: [Si Paulus, inquit, prædicator veritatis, & Spiritus ſancti tuba ad Petrum accurrit; vt ijs, qui Antiochiæ, de viuendo ſecundùm legem Moyſis, diſceptabant; definitionem,& explicationem ab eo ferret: multò magis nos, qui puſilli ſumus, & viles, ad ſolium veſtrum Apoſtolicum accurremus; vt à vobis medicinam vlceribus Eccleſiarum feramus.]

Aſſerit etiam Hieronymus Commentarijs in Epiſt.ad Galat. Paulum poſt annos tres, honoris ipſi Petro deferendi cauſſa,illum inuiſiſſe: quod & Epiſt.11.ad Auguſtin.repetit.Addit Chryſoſtomus Homil.87.in Ioan. [Quia os Apoſtolorum Petrus erat, & vertex ipſius cœtus, propterea Paulus aſcendit eum videre, præ alijs.] Et Ambroſius Commentarijs in eum locum ait: [Quia dignum erat, vt cuperet videre Petrum,cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.] Adiungit Tertullianus, de Præſcription.[ex officio, & iure id illum feciſſe.] Theodoretus etiam dixit: [Principi Apoſtolorum,quem, par erat, honorem tribuit.] Vnde non dubitauit Gregorius,Homil.18.in Ezechielem, Apoſtolum Paulum,minorem fratrem, appellare: ſicut nec Auguſtinus, Petro poſteriorem: immò dicere, [primatum Apoſtolorum in ipſo Petro excellenti gratia præeminere.] Neque obiter prætermittemus conſiderare,ijs actionibus, videndi primò Petrum, ac deinde,etiam per reuelationem, admonitum

Pau-

Paulum aſcendendi Ieroſolymam, ad cum alijs Apoſtolis, & ſenioribus Petrum ipſum, quaſi caput, & fundamentum Eccleſiæ, primò conſulendum, futuris omnibus demonſtraſſe Chriſtianis, nullam doctrinæ ſucceſſionem in Eccleſia fore recipiendam, & approbandam, præter illam, quam per Apoſtolorum Euangelium, & prædicationem excepiſſet. Quod adeò conſtanter obſeruatum fuiſſe à primitiua Eccleſia notat Auguſtinus, vt [ſi Paulus ipſe (verba ſunt Auguſtini lib. 2[8]. contr. Fauſtum c. 4.) non inueniſſet in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus Euangelium conferendo, eiuſdem ſocietatis eſſe appareret, profectò Eccleſia illi (ſic extra ordinem miſſo) non crederet; ſed cùm cognouiſſet, eum hoc annunciantem, quod Apoſtoli annunciauerant, in eorum vnitate, ac communione viuentem, meruit auctoritatem.] Quod idem Tertullianus contra Marcionem prius adnotarat.

Sophronius itē Ieroſolymitanus Patriarcha Epiſtola Synodica ad Honorium Roman. Pontificem, cuius etiam meminit Photius Conſtantinopolitanus, in ſua Bibliotheca, ſic ſcripſit: [Apoſtolica, & vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur (Epiſcopatum intelligit,) ad eos, qui in Hierarchijs capeſcendis, & adminiſtrandis, maiores ſunt, omninò ſincerè referant, quid ſentiant, & qua fide ſint, vt Paulus illis tradidit valdè cautè: ne in vacuum currerent, ſi qua in parte fides manca eſſet, &c.] Et infra quærens; quare Paulus cum Petro, & Apoſtolis contulerit Euangelium, [Cōmunicauit, inquit, τὸ ἀσφαλὲς ἑαυτῷ μνηστευόμενος, ideſt, cupiens, affectans, concilians, ſeu, iuxta quoſdam, poſcens, interrogando, quod dicunt eſſe Latinè ſtipulari, & Grecè μνηστεύεσθαι, vt firmum ſibi fieret, quod tradebat.] Hoc eſt igitur, quod Tertullianus dixit, veluti vim verbi huius Græci exprimens, [auctoritatem ſuæ prædicationi optaſſe.] Videnda ſunt cetera, quæ multum faciunt ad hoc argumentum, in præfata Epiſtola. In eamdem ſententiam Theophylus Alexandrinus in 2. lib. Paſchali, notauit in Origene: [In tantum, inquit, ſeipſo magiſtro intumeſcens, vt non imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus Spiritu ſancto contulit cum prioribus Apoſtolis Euangelium, ne in vacuum curreret.] Immò notandum eſt maximè, non prius Paulum de prædicatione ſua dixiſſe, ad Galat. c. 1. [Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit,] & iterùm: [Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, Anathema ſit,] quàm dogma fidei ſuæ prædicationis auctoritate Petri, Iacobo, & Ioanne in concilium adhibitis, firmatum, ac ſolidatum, & veluti ſigillo Apoſtolicæ petræ ſignatum fuerat, & munitum.

Habetur Corollarium ſecundum, qualiter Petrus ex officio, ac præcepto, confirmauit hic fratres illos, qui ſubintroierant libertatem Pauli, in Euangelio prædicando, exploraturi, & eum apud ceteros Apoſto-

los, quaſi circumciſionis contemptorem damnaturi, Pauli nempè doctrina laudata, & approbata, ab illorum animis falſam, quod in ſe erat, opinionem eximendo: qui niſi refractarij, & à fide alieni eſſe vellent, Petro, & in eo Eccleſiæ, ſuper eum ſtabilitæ, erant dubio procul credituri. Eccleſiæ enim dicentis vox, diuina eſt vox: nam cùm Chriſtus Luc. c. 10. Apoſtolis dixit, [Qui vos audit, me audit;] apertè docuit, vocem magiſtrorum Eccleſiæ, eſſe vocem Dei. Vnde Paulus, 1. ad Theſſ. c. 2. ſic docuit: [Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum; ſed ſicuti verè eſt, verbum Dei.] Hinc Auguſtinus, verbum Apoſtolorum, verbum Dei eſſe oſtendit, dicens, Tract. 109. in Ioannem: [Non propterea non eſt verbum Dei, quia dictum eſt verbum Apoſtolorum: ſed ideò verbum Dei, quia Deus id donauit: ideò verbum Apoſtolorum, quia Deus illis primitùs, ac præcipuè commendauit.]

Tertium Corollarium eſt, Paulum meritò, toties gloriatum fuiſſe de Chriſti imitatione; immò ipſius ſtigmata in ſuo corpore portare. Nam præter id exemplũ dudum à nobis inductum, de teſtimonio Chriſti, apud perfidos nutante Phariſæos; & de teſtimonio Pauli, apud fratres contempto malitioſos: Chriſtus Dominus, ſic Matth. c. 16. ſuos rogauit diſcipulos: [Quem dicunt homines eſſe filium hominis?] Et illis varias, ac totidem falſas opiniones referentibus, ſubiunxit: [Vos autem quem me eſſe dicitis?] ideſt, vt Hieronymus ibidem exponit; [illis, qui homines ſunt, humana opinantibus, vos qui eſtis Dij, quem me eſſe exiſtimatis?] Quando Petrus Apoſtolus diuino afflatus ſpiritu, ac Patris æterni reuelatione delibutus, illam protulit, millies à Chriſtiano cum pietate indies proferendam, confeſſionem: [Tu es Chriſtus filius Dei viui.] Paulus autem communicans Chriſti paſſionibus, à diuerſis diuerſa de eo ſentientibus, ac dicentibus fuit fratribus impetitus: vt aliquando dixerit: [Quaſi morientes, & ecce viuimus; vt caſtigati, & non mortificati; vt ſeductores, & veraces; per infamiam, & bonam famam: per gloriam, & ignobilitatem:] & his ſimilia: ſed præcipuè circa doctrinæ Euangelicæ prædicationem, plures moleſtias, à pluribus falſis fratribus, ſupportauit.

Oportuit ergo, vt tantus Chriſti imitator, diſcipulos ipſos Chriſti adiret, & maximè Petrum, quaſi iam expertos, ac peritos, ad ſimiles quæſtiones reſpondere, rogans illos: [Vos autem, quem me eſſe dicitis?] Tunc Petrus, Paulo primùm per quindecim auſcultato dies, ac poſt annos quattuordecim diſcurſu eiuſdẽ prædicationis fructuoſiſſimę perſpecto: gratia inſuper, quæ ipſi cælitùs data erat, cognita: dextra ſocietatis illi cum Ioanne, & Iacobo Coapoſtolis data, quod erat concordiæ Symbolum, vti diximus; & prædicationis miniſterijs diuiſis, vt illi in Circumciſionem, hoc eſt, ad Iudæos maximè attenderent conuertendos; Paulus in Gentes, hoc eſt, ſtudio præcipuo, ac primo, Nationum, vbi

Deus notus non erat, conuerſionem ad fidem Chriſti procuraret: hoc omninò de Paulo viſus fuit Petrus coram Eccleſia, & ad Eccleſiam, graue teſtimonium protuliſſe. Hic eſt vas electum à Chriſto, in quo ſibi complacuit nomen ſuum, ac Euangelium, per orbem portari: ipſum audite: Et in hoc ſenſu negare non poſſumus, Petrum Apoſtolum, Pauli Apoſtoli, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per reuelationem IESV Chriſti edocti, tanti, ſcilicet, Theodidacti etiam, quaſi ex officio, ac Chriſti præcepto, ſeriem prædicationis, ac doctrinam vniuerſam confirmaſſe.

Quibus hic addendum eſt, aliàs Petrum Apoſtolum doctrinæ Pauli eximium, & commendatorem, & aſſertorem, & confirmatorem exſtitiſſe. Cùm enim ſua Epiſt. 2. c. vltimo, agens de extremo iudicio, illius Pauli aſſertionis meminiſſet ad Romanos, ad idem propoſitum, ſcriptæ, c. 2. ſcilicet: [Exiſtimas autem, ò homo, qui ita iudicas, eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?] aſſertionem eam, ſic Petrus approbando, citauit. [Propter quod, chariſſimi, exſpectantes, ſatagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace, & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitramini. Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis: ſicut & in omnibus Epiſtolis; loquens in eis de his. Et protinùs Petrus ſubiungit: [In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant; ſicuti & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.] Legerat quidem curioſè ſummus Pontifex Petrus Pauli Epiſtolas, eaſque voluit diligenter euoluere: quaſi dignas, quæ è manibus Eccleſiæ Præfectorum numquam caderent: & quæ non eſſent à nobis oſcitanter legendæ: ni velimus eas, ſeu noſtra inſcitia, ſeu ſcientia inſtabili, deprauare.

Quartum Corollarium, ad noſtrum præſens intentum, certiſſimè ſequitur: Paulum cum Petro omnem Politici regiminis rationem, quæ vel ad Eccleſiaſticorum ſpectaret ſeorſum Politiam, ciuilemq; adminiſtrationem, vel quæ ad totius corporis Eccleſiæ normam pertineret, expreſsè contuliſſe: & hoc tam in genere, & vniuersè, quàm ſpecificè, & ſingulariter; eamq; omnem ſicuti Paulus, in cęlis ſe illam accepiſſe, atteſtabatur, à Petro in terris fuiſſe, & exceptam, & confirmatam. Immò eſt certiſſimum, tunc in re illa grauiſſima, & quā vt ponderoſiſſimam, eſt incredibile prorſus, à primis illis Eccleſiæ columnis non fuiſſe maxima cautione animaduerſam; Petrum multa ſpecialiter agnouiſſe ex Pauli conuerſatione, quæ Chriſtus illi, ad tertium rapto cælum, clarè circa Eccleſiæ Politiam vniuerſam, gerenda monſtrauit, quæ Apoſtolis, in carne degens mortali, haud declarare voluit; quia neque tempus, neque occaſio, neque illorum diſpoſitio, neque rerum ſtatus, neque nationis

Hebrai-

Hebraicæ conditio,neque redemptionis,& eius humilitatis curſus, neque tamdem antiquarum Prophetiarum complementum,agendi, docēdi,aut conuerſandi alium modum poſtulabant. Hoc aſſertum, eſt expreſſa doctrina ipſius Apoſtoli Pauli,qui iterùm contra eos, qui verba eius, tamquam humana,contemnerent, ſeſeq. ipſos,tamquam peritos, ac ſapientes, venditarent, ſic ad eos loquitur, 1.ad Corint.c.14. [An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos peruenit?Si quis videtur Propheta eſſe,aut ſpiritualis,cognoſcat,quæ ſcribo vobis,quoniam Domini ſunt mandata.] Et tamen multa, quæ Paulus ad Corinthios ſcripſerat, in Scriptura Euangelica non habentur : ſed doctrinam ſuam, Domini mandatum vocat, ſicut alibi Euangelium ſuum; quia ab illo, tamquam ab Apoſtolo,& Euangeliſta,& Doctore Gentium, verbum illud Dei proceſſit, non ab illis alijs ſuperbis Corinthijs, qui illum procaciter contemnebant.

Sequitur quintū Corollariū ſtrictiſſimè ad noſtrum inſtitutum: Quæcumque Paulus in ſuis diſpoſuit Epiſtolis, quæcumque docuit in ſui Apoſtolatus diſcurſu, circa Politiam Eccleſiaſticam, eiuſue regimen ciuile, ſiuè ſolas reſpiceret Eccleſiaſticas, ſiue etiam ſeculares perſonas; eà omnia eſſe mandata Dei, & Euangelium Chriſti IESV, & à Chriſto IESV Paulo per reuelationem communicata, & per Petrum, & Eccleſiam approbata, & confirmata: & quæ de Iure diuino ligent omnes Chriſtianos reſpectiuè : & à quibus, Dei Euangelio conſtante, neque à ſecularibus, neque ab Eccleſiaſticis Principibus, & Paſtoribus integrum & licitum ſit recedere : ab illis Eccleſiaſticam, modo quocumque indebito, Iuriſdictionem vexando, ab his eam, vel, ob cupiditatem, ampliando, vel ob deſidiam, non defendendo.

Confirmatio Politiæ Eccleſiaſticæ, ex alijs Scripturæ locis.

CVM igitur multa iam dixerimus, ad probandum ex Chriſti Domini verbis, in vltima cæna habitis, colligi, eum inſtituiſſe Politicum Magiſtratum Eccleſiæ Præfectorum : immò ex verbis prædictis, quibus ſpecialiter Petrum fuit allocutus, illum ſummum conſtituiſſe Pontificem ac Prælatum, addito præcepto, vt ipſe ceteros fratres, non ſolùm in fide confirmans, verùmetiam & inſtaurans, conſummans, perficiens, vniuerſeque confirmans eorum Politiam, & Diuinam, & humanam, ſibi in Euangelio inſinuatam, totum ædificium Eccleſiæ ſolidaret : hoc nobis agendum reſtat, vt locis alijs Scripturæ ſacræ, & ſanctorum Patrum explicationibus, aſſertionem præiactam confirmemus. Habuimus quidem in ſuperioribus, confirmandi Eccleſiam, & curam, & munus Petrum Apoſtolum ad Chriſtum Eccleſiæ angulare fundamentum reieciſſe, 1.Epiſt.cap.5. alludendo, videlicet, ad Prophetiam Vatis regij Apoſtolorum nomine Deo ſupplicatione expoſitam,

Pſalm. 67. ſcilicet, [Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, &c.] habuimus & Chriſtum viciſſim Petro Apoſtolo confirmandi Eccleſiam, & curam, & munus, quaſi ipſius futuro Vicario, demandaſſe.

Reperimus tamen Paulum Apoſtolum cælitùs edoctum, eam etiam rationem, vniuerſam confirmandi Eccleſiam, & eius fideles, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in Politicis actionibus, intellexiſſe, ſubdelegari poſſe: cùm ad Theſſal. 1. cap. 3. ſic ſcripſit. [Miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Euangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra: vt nemo moueatur in tribulationibus ſuis. Ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus.] Et vt quæ confirmatio eſſet à Timotheo Theſſalonicenſibus facienda, conſtet: & eſſe ſimilem illi, de qua Chriſtus loquutus fuit, iniungens Petro, [confirma fratres tuos:] notandum eſt, ex cap. 2. ipſius Epiſtolæ; Theſſalonicenſium Eccleſiam, & eius Prælatos, graui, & vrgenti tribulatione fuiſſe exercitos, à ſuis etiam affinibus, & contribulibus excitata: ne Euangelium Chriſti Gentibus vlteriùs nunciarent. Hoc ſic deſcribit Apoſtolus; [Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto IESV; quia eadem paſſi eſtis vos à contribulibus veſtris, ſicut, & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt IESVM, & Prophetas, & nos perſequuti ſunt, & Deo non placent, & hominibus aduerſantur: prohibentes nos Gentibus loqui, vt ſalui fiant.] Hæc tribulatio, & anguſtia, de qua hic Apoſtolus facit mentionem, Eccleſiæ Theſſalonicenſium Capita, Paſtores, videlicet, & Presbyteros, ac Præfectos omnes Eccleſiaſticos principaliter, & quærebat, & inueniebat. [In hoc enim, inquit Apoſtolus, poſiti ſumus:] ex perſona ſua oſtendens, eos omnes, qui præfecturam cum illo haberent communem, in communem etiam eſſe poſitos quaſi ruinam, & in ſignum, cui foret contradicendum. Et hinc eſt certum, primitiuis illis (cum ſpiritus gaudio repetendis) Eccleſiæ temporibus, quibus perſequutiones vigebant Chriſtianorum, Epiſcopatum, vel ambiſſe, vel deſideraſſe, nihil fuiſſe aliud, quàm optaſſe, ac voluiſſe, pro Chriſto martyrio conſummari. Miſiſſe ergo Paulum ad Theſſalonicenſes ſuum Diſcipulum Timotheum, ad eos, & confirmandos, & exhortandos, idem eſt, ac, miſiſſe, ad confirmandam Hierarchiam, & Politiam Præfectorum illius Eccleſiæ; ne propter perſequutionem, à ſuis, & affinibus, & conciuibus, motam, animo deſponderent circa fidem, & Eccleſiæ gerendi, tàm Spirituale, quàm Ciuile regimen; ſed illis, qui eorum exſpectabant iugulum, ſpontaneè, pro Euangelij gloria, & publicatione, iugulum præſtarent. Eſt etiam idem, ac, miſiſſe, ad exhortandos Chriſtianos cæteros, vt pro fide, ac circa fidem, quam illucuſque fortem habuerant, ſe tunc fideliores oſtenderent: ipſa fide, & omni obedientia, ad ſuos Præfectos obſeruata; quo vtroſq; & imperantes, & obſequentes, immotos, tribulatio præſens, inueniret.

Eſt & alius locus, Act. c. 15. vbi de Paulo ſcriptum eſt: [Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum:] ideſt, ſedulò monens, primò, vt in regula fidei accepta manerent: deinde vt Hierarchiam, & Politiam Eccleſiaſticorum miniſtrorum, & imperantium, & parentium illibatam conſeruarent: quò Eccleſiæ ædificium altè conſurgeret. Qui enim Corinthios, Chriſto etiam in ſermonis exordio conteſtato, Politicum regimen, circa negotia ſecularia, per Chriſtianos ipſos adminiſtrãda, docuerat: qui Epheſios inſtruxerat, circa Politiam Eccleſiaſticam, viuendi regulam, per tot miniſtros exhibendam: [ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti,] quod eſt Eccleſia vniuerſa; quomodo prætermitteret, partes ipſius corporis, Eccleſias Syriæ, & Ciliciæ, & in fide, & in omni Politica adminiſtratione confirmare? hic Presbyteros, illic Epiſcopos, alibi Prophetas, verbi Dei interpretes, pro locorum neceſſitate, conſtituendo, munia illis Eccleſiaſtica diſpartiendo, præcepta Apoſtolorum, ac Seniorum, ac Chriſti Ieſu, circa obedientiam, ad ſeculares Principes; circa reuerentiam, ad Eccleſiaſticos Prælatos: ac circa totius Chriſtiani ſtatus ſtructuram, illis ſæpius inculcando.

Eadem eſt confirmatio, & illa, quã Act. c. 16. ſcribuntur Paulus, & Timotheus ſolerter præſtitiſſe: hiſce verbis: [Cùm autem pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Ieroſolymis. Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.] Incrementum hic fidelium, traditur ab Hiſtoriographo Luca, quaſi effectus confirmationis Eccleſiarum; vſu loquendi Scripturæ, quo, coniunctione illa, &, ſæpius rem, cui adiungitur, à priori inſinuatur, emanare. Creſcebant ergo, numeroq. augebantur Diſcipuli, ac Chriſtiani, quia Eccleſiæ eorum genitrices, ac matres, fide confirmabantur: fide inquam operationis, quatenus ab Apoſtolo, & Timotheo, animis promptis, ea omnia, & credenda, & facienda, & obſeruanda excipiebant, quæ Apoſtolorum, & Seniorum nomine, ſibi, & proponebantur credenda, & imperabantur præſtanda. Inter hæc autem, cùm ex præcipuis vnum eſſet, Hierarchiæ, & Politiæ Eccleſiaſticæ, circa vtrumq. forum ordinata diſpoſitio, Eccleſiarum illa confirmatio, vtriuſque etiam illius fori, & inſtitutionem, & conſeruationem, pertingebat.

Quid colligatur ex prædictis, & circa explicitam à Petro faciendam fratrum confirmationem, SS. Patrum ſententia.

COLLIGIMVS ex his locis, & alijs, ad cauendam prolixitatẽ, prætermiſſis, illa, quæ præcipua ſunt in ratione fidei propagandæ, officia; ædificare, videlicet, & conſummare; plantare, & rigare; inchoa-

re,

re,& perficere: tum verò Eccleſiæ Hierarchiam,eiuſque regiminis Politiam inſtruere: & inſtructam,ſartam,& tectam tueri: & ea omnia,ſub cõfirmationis verbo,comprehenſa eſſe latè conſpeximus. Colligimus etiã hæc officia,quæ Deo ſunt principaliter propria, Petro nihilominus primùm,& eminenter in vltima cœna ab ipſo Deo,Chriſto, videlicet, Deo & homine fuiſſe communicata,quæ poſt eum, vel potiùs per eum, alijs eſſent miniſterialiter communicanda: & id omne, præceptum illud, [Confirma fratres tuos,] includebat; quo ſermone ad Petrum habito, maioritatem,ſeu præfecturam,in Eccleſiaſticis perſonis eſſe futuram, Apoſtolos præſentes,& eorum edocuit ſucceſſores. Hierarchiam ergo, & Politiam,& ſpiritualem,& temporalem, perfectiſſimam fore inſinuauit:eam tamen,quæ à Petro, videlicet,tamquam omnium confirmatore,& ab illius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus,eodem,fratres omnes fideles confirmandi, functuris munere, dependeret. Quod vltimum aſſertum 4.Parte erit ex profeſſo pertractandum.

Hunc ſenſum ex Sacris Scripturis hucuſque erutum, iam olim Sancti etiã Patres,& Doctores pręfata Chriſti verba explicãtes,nobis tradiderunt. Leo Maximus,in ſuæ aſſumptionis Anniuerſario ſermone, ſic ait: [Commune quidem erat omnibus Apoſtolis periculum,ſpecialis tamen à Domino Petri cura ſuſcipitur: tamquam ſi aliorum ſtatus certior ſit futurus,ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ordinatur auxilium; vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur,per Petrum Apoſtolis conferatur.]Hic illa verba, [tamquam ſi aliorum ſtatus certior ſit futurus,] maximè ſunt notanda: ſtatus namque Apoſtolorum erat, eſſe ſal terræ, lucem mundi, ciuitatem ſupra montem poſitam, prædicatores Euangelij, Paſtores & Doctores orbis terrarum vniuerſi; quæ omnia munia excellentiam Apoſtolorum,eorumque ſucceſſorum, ſuper fideles omnes manifeſtant; & ex conſequio,ſtatum huius Eccleſiaſticæ Politiæ, fore per vnum Petrum ordinatiſſimè confirmandum.

Auguſtinus in lib. de Quæſt. veter.& nou.Teſtam. q.79.ſic ait: [Quid ambigitur? pro Petro rogabat Saluator, pro Iacobo autem, & Ioanne non rogabat,vt ceteros taceam?Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in Præpoſito populus aut corripitur,aut laudatur.] Et ſerm. 124. de Tempore,ſcribit: [Totius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ,& in ipſo componit omnium membrorum ſanitatem.] Vbi meminiſſe oportet eorum,quæ diximus ſupra,ex Apoſtolo Paulo, de coagmẽtatione,& inſtauratione, ſeu conſummatione Sanctorum, in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti myſtici, tempore paſſionis eiuſdem Chriſti Domini realis corporis, languidi, ægroti, conuulſi; ſed ad priſtinam ſanitatem, Petro adimplente Chriſti præceptum illud,

Digitized by Google

Confirma tuos fratres] reſtaurandi.

Ambroſius in Pſalm. 43. mirè noſtro ſuffragatur intentui: exponens enim hæc ipſa verba: [Vide, inquit, quid dicat Dominus,& intellige. Ventilatur Petrus, incidit in tentationes: ſed Eccleſiæ præponitur,poſt quam tentatus à Diabolo eſt; ideoque ante ſignificat Dominus, quid ſit illud, quòd poſtea eum elegit Dominici gregis paſtorem: nam huic dixit: Tu autem conuerſus, confirma fratres tuos.] Hic manifeſtè videmus, verba illa, [confirma fratres tuos:] ſignificare, Ambroſij iudicio, fore Petrum Dominici gregis Paſtorem, & ex conſequenti, Chriſtum Dominum Apoſtolorum contentionem diremiſſe, haud damnata in Eccleſia ſuperioritate, ac prælatione, immo Petri eis inſinuato,& præoſtenſo Pontificatu, ac Hierarchia, & Politia omni Eccleſiaſtica prænotata: Præfectorum in ea ordinibus præiactis: miniſtrorum munijs prædoctis: parentium, & imperantium exercitijs præfixis: ac denique nihil in Hierarchia, & Politia Eccleſiaſtica Apoſtolos, & Seniores, maioreſque natu Eccleſiæ inſtituiſſe; quod à Chriſto Domino, inter relinquendum in perpetuum ſuum verum, & reale corpus, corpori ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia, in cœna vltima non fuerit & præconceptum, & eius Apoſtolis circumſtantibus præſtitutum.

Rem totam hanc ſic Theophilactus ſuper Euangelij, quem verſamus, locum, explicauit: [Manifeſtus, inquit, verborum ſenſus eſt: Quod cùm te Diſcipulorum Principem fecerim, tu, cùm poſt negationem fleueris, & reſipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra, & firmamentum es,] Nihil dilucidiùs, nihil clariùs poterat dici,vel poteſt adduci ad præfatam auctoritatem explicandam.

Diſſoluitur Argumentum contra probationem Concluſionis ſumptam ab illo loco, Lucæ.cap.22. [Vos autem non ſic,&c.]

SI dicatur adhuc contra prædicta: Fuerit Apoſtolorum illa contentio,de præfectura quacumque ab illis,poſt Chriſti Præceptoris mortem,adminiſtranda, ſiue in ſpiritualibus, & diuinis rebus tantùm, ſiue etiam in ciuilibus, ac exterioris fori: Chriſti tamen reſponſio, & Primatus approbatio, ſeu inſtitutio, & Petri ad illius, & Eccleſiæ ſupremum caput aſſumptio, & deſignatio, ad rerum ſpiritualium negotia gerenda tantùm videtur facta,vt ſupra arguebamus,quę in primo principio iam diximus, abſque controuerſia ad Eccleſiaſticam ſpectare iuriſdictionem. Eſt tamen in oppoſitum hoc irrefragabile argumentum. Chriſtus Dominus tàm hoc loco, quàm alibi inſtituit in Eccleſia ſua Hierarchiam de Iure diuino per ſe primò, conſtantem Epiſcopis, Preſbyteris,& alijs miniſtris ipſi Eccleſiæ coæternam;(immo propter quam Eccleſia, ex dictis ſupra, eſt æterna) & liberam à iuriſdictione cuiuſq; laicæ Poteſtatis: Ergo poteſtas Politica, quo ad Eccleſiaſticas perſonas

tem-

temporalis exterioris fori, eſt etiam de Iure diuino, & illæ ſunt immunes, & liberæ tali iure à quacumque iuriſdictione ſeculari.

Antecedens propoſitio, eſt doctrina Apoſtoli 1. ad Corint. cap. 12. ſic ſcribentis: [Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, &c.] & infra: [Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numqu d omnes Doctores? numquid omnes Virtutes?] Et ad Epheſ. cap. 4. ſcribit: [Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, &c.] Vt ſupra latè deductum eſt. Quo ex loco in Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. colligunt Patres dictæ Hierarchiæ conſtitutionem, & Can. 6. ibidem ſic diffinitum eſt: [Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam, Diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, & Presbyteris, & miniſtris, Anathema ſit.] & Canon 7. ſequenti: [Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, &c. vel ordines ab ipſis collatos, ſine populi, vel Poteſtatis ſecularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe, &c. Anathema ſit.] Conſequentia præfati Enthymematis probatur: repetendo primùm illud ſuppoſitum ſuperiùs factum: Ad Eccleſiæ, videlicet, & durationem, & conſiſtentiam eſſe accidentarium, ipſam eiuſque fideles ſub infidelium, ſiue ſub Catholicorum Principum, ditionibus contineri. Tum ſic procedimus: Hierarchia ſpiritualis nequit omninò quieta, pacifica, ac perpetua conſiſtere, ſecluſo grandi miraculo, niſi ciuilis Eccleſiaſticarum cauſſarum in rebus temporalibus adminiſtratio, quietam, pacificam, ac perpetuam illius durationis materiam, ac cauſſam efficientem miniſtrorum ei ſuggerat: Ergo vbicumque à Chriſto Domino, ab eius Apoſtolis, à ſacris Concilijs Hierarchia ſpiritualis de Iure diuino ſancita eſt; ex conſequenti, eſt de Iure diuino, ſaltim per ſe ſecundò, Politica externi fori temporalis adminiſtratio Eccleſiaſtica conſtituta.

Propoſitio antecedens probatur: & fingamus, Romanam Eccleſiam hucuſque ſub ditionibus infidelium Imperatorum permanſiſſe: quis vnquam mentis compos enunciaſſet, ad Diocletianum, ad Commodum, ad Caligulam, ſimileſque Imperatores Gentiles, ad Conſtantium, Theodoricum, ſimileſque Hæreticos Principes, eorumque fidei, ſeu perfidiæ miniſtros, cauſſas ciuiles Eccleſiaſticorum fuiſſe, & fore deferendas, quæ dubio procul vel retardare, vel promouere, curſum dictæ diuinæ Hierarchiæ poſſent? vt ab expertibus, & contemptoribus, vt à deprauatoribus rerum Eccleſiaſticarum, Hierarchia Eccleſiaſtica dirigeretur, conſeruaretur, augeri valeret, vel impediri? Quid cani cum balneo? vel cum ſancto? quid porcis cum margaritis? quid fideli cum infideli? quid Chriſto cum Belial? cum ipſe dicat, Matth. cap. 7. Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.

Vbi meminiſſe oportet, rei illius geſtę, ac ſupra relatę, corã Aureliano Imperatore Idololatra, inſtantibus Catholicis Epiſcopis contra Paulũ Samoſatenum Hæreticum, ſuper poſſeſſione domus Epiſcopatus, à quo fuerat eiectus: de qua re lumine ſolo naturæ ductus, & doctus Imperator, reſpondit, Eccleſiaſticorum illud iudicium haud ad ſuam iuriſdictionem pertinere.

Confirmatur hoc antecedens aſſertum fortiſſimè: quia videtur eſſe Canon expreſſus 57 Concilij Nicęni: qui ſic habet, iuxta translationem, ex Arabico doctiſſimi Franciſci Turriani, quæ eadem eſt ferè cum ordinaria illa Alfonſi Piſani. [Locus Epiſcopi, inquit Concilium, in oratione ſit in ſummo ſacelli, ſiue capellæ, &c. In omnibus verò, quæ ad Diaconos ſpectant, quibus præeſt Archidiaconus, ſiue quid inimicitię, aut peccati, aut litis, inter eos ortum fuerit, aut aliud quidquid ad iudicium eius neceſſariò pertineat, nihil referat Archidiaconus ad Epiſcopum: ſed ipſe potius eorum controuerſias dirimat; ſi quidem ſub poteſtate eius ſunt Diaconi, & debet leuare Epiſcopum hoc onere. Archidiaconus enim præeſt vniuerſo officio orationis, & per eum gubernari, & diſponi debent quæcumque ad Eccleſiam pertinent: ne ſi huic officio deſit, transferatur hoc iudicium, & gubernatio ad ſeculares; quę quidem poſſit eſſe cauſſa, vt meritò Clerici minus Epiſcopum timeant, & poteſtas Epiſcopi, & Sacerdotum debilitetur: quia non poſſunt tueri veritatem: ex quo fiat, vt populus multa peccata incurrat, neque acquieſcat iudicio, in quo oporteat, acquieſcere, & in vniuerſo populo alij alijs placeant, & non Deo: & hoc etiam populum ab oratione auertat.]

His accedit vltimò Chriſtum, & eius Apoſtolos, qui inſigniter ſubiectionem, & obedientiam ad Principes laicos, ſuos Chriſtianos diſcipulos docuerunt, Eccleſiaſticos miniſtros, circa hanc Politiam illorum exterioris fori, dictis Principibus obedire debere, numquam docuiſſe. At ſub generali quacumque regula ſubiectionis ab eis data, intelligenda non venit: quia idem fuiſſet, vt ad ſenſum præfati Canonis Concilij Nicæni colligitur, ac dixiſſe, Non ſit Eccleſia; cùm extorſionibus, circa ciuiles Eccleſiaſticorum cauſſas, frequentibus, poſſent Principes infideles, clauam fidei, & Diuinæ Hierarchiæ, à miniſtris Eccleſiaſticis extorquere. Quæ ergo facultas, ac poteſtas infidelibus Principibus, in Eccleſiaſticarum ciuilium cauſſarum adminiſtratione, numquam competijt, vt neque Chriſtianis competat Principibus, neceſſum eſt.

Explicatur adhuc locus. Luc.22. pro confirmatione Concluſionis.

MONVIT ergo Chriſtus præfato loco ſuos Diſcipulos, vt in hoc Eccleſiaſtico, etiam Politico Principatu adminiſtrando, nõ Gentium reges, ſed illum imitarentur, ſubdens: [Nam quis maior eſt, qui

recum-

recumbit, an qui miniſtrat? Nonne, qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.] Hoc & præcepit Calixtus I. Epiſt. 2. c. 3. fieri in adminiſtratione ciuilium cauſſarum, per Eccleſiaſticos gerenda, dicens: [Nec aliquo dominationis faſtu, ſed humillima, & concordi adminiſtratione: ſicut Dominus ait: Non veni miniſtrari: ſed miniſtrare. Matth. c. 20. & alibi: Qui maior eſt veſtrũ, erit miniſter veſter.] Atqui, ſi Dominus exemplo ſuo, Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, Prælatoſq; quoſcumq; Eccleſiaſticos dominationem adminiſtrare iubet, certum eſt, non ſolùm illorum principatum Eccleſiaſticum non negare, immò & ipſum maximè conſtituere; nam de ſe dixit ipſe: [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.] Matth. c. 28: & Paulus 2. ad Corinth. c. 14. ſcripſit: [In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur.] Hoc ipſum manifeſtè declarat particula comparatiua à Luca ibi appoſita, ſcilicet; [vos autẽm nõ ſic:] quocumque enim ſermone Latino, Hebræo, Græcoué in collatione, demonſtratione, ſeu affirmatione poſita, ſimilitudinem nouimus denotare.

Quod ſi ad etymon, verbiq; proprietatem attendamus; κατακυριεύειν Græcè, quod verbum habetur etiã apud Matth. c. 20. & apud Marc. c. 10. cum Apoſtolorum ambitioſam enarrant contentionem: non ſimplici forma dominari ſignificat: ſed nimium, vel violentia quadam media: vt ſi verſum fuiſſet Latinè, [dominantur in eos:] Latina præpoſitio accuſandi caſui iuncta Græcę præpoſitionis κατὰ vim exprimeret, quæ frequentiùs in malam accipitur partem. Eſt ſimilis huius verbi vſus pluries in Scriptura; vt apud Ioſue c. 15. Chaleb deſiderans ciuitatem Chariatſepher in ſuam redigere poteſtatem dixit: [Qui percuſſerit Chariatſepher, καὶ κατακυριεύσουσιν αὐτοῖς, ideſt, & ceperit eam; vt tranſtulit Hieronymus, & eſt dictu, tamquàm captiuæ, eius fuerit dominatus: & iure belli poteſtatem illius fuerit adeptus, qua ſibi liceat iura, quæ Domini habent in ſeruos, in eam exercere: de quibus Exod. c. 21. fit mentio.

Hunc locum Lucæ ſic paraphraſi illuſtrauit Origenes: [Principes Gẽtium ait, non contenti tantùm regere ſuos ſubiectos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui eſtis mei, non erunt hæc: & qui principatum deſiderat Eccleſiæ, debet fieri omnium ſeruus, in humilitate ſeruili; vt obſequatur omnibus, in his, quæ pertinent ad ſalutem, &c.] & infra: [Non iſta dicimus, vt inclinemus Eccleſiaſticum principatum: eſt enim interdum quando, ſecundùm vocem Apoſtolicam, peccantes coram omnibus arguant: vt & cæteri metum habeant; eſt aliquandò, vt vtens poteſtate ſua, tradat peccantem Sathanæ, in interitum carnis; vt ſpiritus ſaluetur in die Domini noſtri IESV Chriſti.] Senſit idem Chryſoſtomus, adnotans, Chriſtum ibi non ſolùm Apoſtolorum contentionem, ſed vno ictu Gentium etiam tyrannicum principatum reprehendiſſe: ſic ſententiam elucidans: [Ita horum quidem inuidiam,

Digitized by Google

illorum verò arrogantiam ſuccidit.]

Immò ipſa Euangelij littera ſeipſam, quibuſcumq; eiuſdem Enarratoribus, clariùs explicat. Quæritur inter diſcipulos de primatu; ſi Chriſtus illum ſuis voluiſſet abrogare Eccleſiaſticis, quid facilius dictu fuiſſet, quàm reſpondere: vbi non eſt primatus, neque eſt Primas, veſtra ſodalitas æqualitate hac fuit à me inſtituta, vt Capitis, ac Præfecti, & nomina, & munera longiùs ſint ab ea releganda? Vel certè quid meliùs, ac diuiniùs reſpondiſſet Chriſtus, diſcipulorum facilè contentionem ſedaturus: illos interim ad Principibus laicis meram obedientiam præſtandam, remittendo. Attamen alia proceſſit ſummus Præceptor via: admiſit enim primò contentionis, ac quæſtionis Apoſtolorum ſubiectã materiam, ſcilicet, primatum, ac maioritatem, inter illos & habenda, & exercenda: neque ſuam Chriſtianam Rempublicam futuram Acephalam; cũ protinùs eſſet moriturus, non ſolùm pro gente Iudæorum, quod Caiphas, anni illius Pontifex, Ioan. c. 11. prophetauerat: ſed etiam vt filios Iſrael, ſpiritu etiam, non carne ſolùm, diſperſos per mundum, vſque ad Chriſti conſummationem, congregaret in vnum: vt ſcripſit Ioannes ibidem; vt Prophetiæ deſcriptæ apud Ezechielem, & alibi, de vnitate Paſtoris futuri in Eccleſia, complerentur. De quibus agemus poſtea. Ad hunc ergo effectum, Monarchicam Chriſtum relinquere Chriſtianam Rempublicam oportebat; cum integra Hierarchia, ac Politia, vt à Capitis, ac Paſtoris vnitate, vnitas experita in ouibus reſultaret.

Subiectq verò contentionis ſuppoſito, ad qualitates attributas, ac opportunas, ſeu neceſſarias, in diſcipulo, primatum volente inter ceteros obtinere, ſuæ integræ reſponſionis deſcriptionem applicauit. [Qui maior eſt in vobis, dixit, apud Lucam, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator: Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.] Apud Matth. [Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.] Apud Marcum: Quicumque voluerit fieri maior, erit veſter miniſter, & quicumq; voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus. Nam & filius hominis non venit, vt miniſtraretur ei; ſed vt miniſtraret.]

Ex qua Chriſti doctrina, nedum primatum inter diſcipulos, ac generaliter in Eccleſia, non prohiberi, aut improbari, immò maximè ſtatui, ac probari, ſic facile colligitur. Quiſquis inter vos volet primus eſſe, dixit Chriſtus Dominus, eſto veſtrum omnium ſeruus; ergo hic ſeruus erit primus: primatuſque erit, omnium ſeruum eſſe, ac omnibus miniſtrare. Talem primatum ſe habere inter fideles, quibus Euangelium annunciabat Paulus, 1. ad Corinth. c. 9. aſſeruit: [Cùm eſſem liber, dicẽs, ex omnibus, omnium me ſeruum feci.] & 2. ad eoſdem, c. 4. [Non enim

noſme-

noſmetipſos prædicamus: ſed IESVM Chriſtum Dominum noſtrum; nos autem ſeruos veſtros, per IESVM.] Non ergo Chriſtus improbauit illam ſeruitutem, quæ primatus eſt, & maioritas; immò eam tantùm docet, ac confirmat, & præterea nihil. Ea enim ſunt eius verba, & mens: vt fiat ſicut minor, miniſter, & ſeruus, qui affectat aliorum ſuſcipere principatum. Ratio hæc ſubſequens Chriſti id confirmat: [Sicut, vel, etenim filius hominis non venit, vt ei miniſtraretur: ſed vt miniſtraret, exponeretque animam ſuam pro multis.] Chriſtus certè erat Primas, habebat imperium, exercebat maioritatem: idest, poteſtatem ampliſſimam, Pontificatum maximum, præfecturam ſummam, ſupremum ſacerdotium. [Vos vocatis, inquit, me Magiſter, & Domine, & bene dicitis: ſum etenim.] Ioan. c. 13. Et tamen primatum illum, eam ſuperioritatẽ, ſe habere explicat, quam imperat Apoſtolis demiſsè, ac humiliter exercere. [Etenim, inquit, filius hominis venit, non vt miniſtraretur ei: ſed vt miniſtraret.] Non carebat, idcircò Chriſtus alio primatu, neque hæc miniſtratio, ſeu ſeruitus, præfecturam aliam auertit, vel excludit, vel ſimul ferre non poteſt.

Primatus hic vterque iam olim coniungi iubetur, etiam ab Ethnicis: vt quantò quis maior ſit, tantò ſe gerat ſummiſſius: quod Cicero cum omnibus Politicis luculenter docet. Præſtat quis præfectura, dignitate, ac Magiſtratu, eſt Princeps, eſt Rex: eſt ergo primus, eſt ſummus, caputque Reipublicæ, omneſque dignitate antecedit. Ecce maioritas, ecce primatus, ac præſtantia dignitatis: Is idem præcellit humanitate, comitate, clementia, manſuetudine, tapinophroſine; non eſt ferox, & ſæuus, ſicuti Ethnici: hac re cæteris eſt anteponendus, erit prior, & primus. [Rectorem te poſuerunt,] inquit Salomon, Eccleſ. c. 32. [noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex illis. Curam illorum habe, & ſic conſide: & omni cura tua explicita recumbe, (ſiue vt Græcè habetur, & omnem vſum tui fac, & approbatus quieſce) vt læteris propter illos: & ornamentum gratiæ accipias coronam,] ſiue vt Græcè ſcribitur, & εὐκοσμίας χάριν, idest, moderationes, ſeu modeſtiæ, ſeu officij rectè geſti, gratia, accipias coronam. Hæc docuit Rex regum, eorumque princeps Deus per regem: haud reges tollens; ſed, ne efferantur ſuperbè in ſuos fratres, eos inſtruens.

Et ne per plures etiam ex Ethnicis regibus, ne per plurimos ſacros Antiſtites, exempla ſit quærere neceſſarium, exemplorum ſufficit primum exemplar Chriſtus, qui de ſeipſo dixerat: [Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.] Matth. c. 11. Quis enim ſe vnquam eo geſſit demiſſiùs? Cum ſuorum, etiam Iudæ, abluiſſet diſcipulorum pedes, ait: [Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego veſter Magiſter, & Dominus laui pedes veſtros, quantò magis vos, alter alterius debetis lauare pedes? Exẽ-

plum

plum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis; ita & vos faciatis.] Ioan. c. 13. Quod intimè adnotauit Paulus, cùm de Chriſto ſcripſit, Philippenſes exhortans Epiſt. ad eos c. 2. [Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto I E S V, qui, cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exiniuit, formam ſerui accipiens; in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.] Ecce Chriſtus, Magiſter, & Dominus; ecce de quo ipſe Paulus ſcripſit ad Hebræos, c. 9.] Chriſtus [aſſiſtens Pontifex futurorum bonorũ, &c.] quò maior fuit, eò demiſſiùs ſeruus omnium eſſe voluit; non ſuam amittens poteſtatem; ſed ornans: non ſuam præfecturam abnegans, ſed confirmans; non primatum ſuum abrogans, ſed conſtituens: ſuis tantùm diſcipulis viam muniens, qua ad dignitates, pręfecturas, ac primatus Eccleſiaſticos facilè expeditè, dignèque valeant peruenire.

Quid ni etiam, occaſione primatus, ac præſtantiæ dignitatis, ſemel iam diſcipulis contendentibus, voluerit Chriſtus paucis, nedum typhũ, omnemq; faſtum, ab illorum eximere animis, quod ad res ipſas ſpectat, verùm & illos edocere, quibus nominibus, ſuperioritas, & prælatio quęcumque, in Eccleſiaſtica ſchola, quæ omnem ſpirarent humanitatem, ac manſuetudinem, vocaretur? Hinc munia; & officia Præfectorum Eccleſiaſticorum, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, ſancta, ſanctèq; à noſtris progenitoribus concepta, Apoſtolus, Papa, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Paſtor, Primas, Patriarcha, Presbyter, Diaconus, Hypodiaconus, Archimandrita, Abbas, huiuſmodique cetera, quæ, proprijs conſideratis etymis, hanc, à Chriſto in ſuę ſcholę Præfectis, deſideratam ſolicitudinẽ, humanitatem, curam, ſeruitutem, minoritatem, miniſtrationemq; inſigniter repræſentent. Itaque principatum, ſeu ipſius rem, apprimè in Eccleſiaſtica ſchola neceſſaria eſſe, ab ipſo Chriſto intellexerunt Apoſtoli, & ab illis eorum ſanctiſſimi ſucceſſores, ac diſcipuli perceperũt: nomina verò in principatu minimè: ea pręſertim, quæ inſolentiores excitare motus, fumoſioreſq; ſpiritus ſtultis poſſent hominibus commouere. De quibus præclarè, vnico verbo; ſic loquutus fuit Magnus Gregorius, [Non titulis ſtudeo florere, ſed moribus.]

Inter iſtam tamen à Chriſto demiſſam adeò commendatam, pręfecturæ Eccleſiaſticæ adminiſtrandæ formam: ne quis vel ſecularis iuriſdictionis amans, vel amens, ſibi perſuaderet, quæ humanitate, ac manſuetudine cum ſubditis, per Eccleſiaſticos Præfectos geri non poſſent, infecta ad illorũ libitum, permanſura; miniſtrationem, ac ſeruitutem illam eſſe innuit Chriſtus, qua, flagello etiam arrepto, ſacra profanantes, è templo, vt per ipſum olim, ſi eſſet poſſibilitas, arcerentur. Vndè ſubitò Paulus ipſe, omnium aliàs factus ſeruus, & ſeipſum prædicans ſeruum, per I E S V M, ab eo etiam iam immortali edoctus; in ſuo Euangelio in illo Chriſtiani, ac Diuini corpore Iuris, quaſi titulos de Iudicijs, de

Accu-

Accuſationibus, de Teſtibus, &c. inſeruit, 1. ad Timoth. cap. 5. ſcribens, [Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.] Et 1. ad Corinth. c. 4. cùm præpoſuiſſet, ſe eſſe miniſtrū Chriſti, &c. quò explicaret, hoc miniſterium, adeò ab ipſo in vltima cæna diſcipulis demiſsè gerendum, iniunctum, iudiciariæ poteſtatis auctoritatem includere: c. 5. & 6. eam actu, & effectu ipſo in Corinthios exercuit, & quo pacto eſſet ab Eccleſiaſticis iudicibus exercenda commōſtrauit. De quo infra latè eſt agendum, & latè etiam ſuperiùs actum eſt.

Probatio præpoſitæ Concluſionis, & eius veritas, Petri ſententia ſecundò confirmatur.

IN præfatam loci huius Euangelici expoſitionem, miro conſenſu Patres omnes Græci, immò & Latini conſpirarunt. Erit tamen iam operæpretium, eam ex teſtimonio Apoſtoli Petri, 1. Epiſt. c. 5. audire: qui, verbis ipſis Chriſti conceptis, locum illum elucidans, ſic Epiſcopos, Presbyteros, Rectores, Duceſq; & Poteſtates omnes Eccleſiaſticas alloquitur: [Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei: prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in Cleris; ſed forma facti gregis, ex animo.] Ecce quale regimen ciuile docuit Petrus, per Eccleſiaſticos ſolùm Prælatos, in Chriſtianos omnes, ſed præcipuè in Eccleſiaſticas perſonas, adminiſtrandum. [Paſcite,] inquit, ideſt, regite, id enim verbum, *ποιμαίνειν*, etiam ſignificat Græcè: vnde illud Interpres, modò per verbum regere, vt Matth. c. 1. [Ex te exiet Dux, qui regat populum meū Iſrael:] modò per verbum, paſcere, transfert: & apud Ethnicos etiam Auctores, vt apud Homerum paſſim, hoc verbum ſignificat, regere, & gubernare: quaſi idem ſint, paſcere cibo, paſcere verbo. [Paſcite,] ergo ait, vel regite, [qui in vobis eſt, gregem Dei:] ideſt, Chriſtianos qui Chriſti ſunt grex, vobis gubernandus commiſſus: [prouidentes: non coactè, ſed ſpontaneè.] Presbyteros ergo vult gregi ſuo prouidere, & attendere, Græcè *ἐπισκοποῦντες*, idque non vi, ſed voluntariè, ac liberè, non ſolùm enim intelligendum eſt hoc actiuè, ex parte regentium, [vt cum gaudio illud faciant, & non gementes:] vt dixit, ad idem propoſitum, Paul. ad Hebr. c. 13. ſed ibi omninò alluſit Petrus ad hanc Chriſti doctrinam, quam tractamus; vt hæc aduerbia, paſſiuè etiam intelligantur, ex parte gregis regendi; quaſi dicat, in cauſſis & negotijs, quæ ad vos adducta fuerint, quaſi per modum arbitrariæ compoſitionis, ex promiſcua Chriſtianorum multitudine, neminem cogatis, præter omne ius, & fas, cæca libidine cauſſas decidendo: nam tunc certè eſſet nuncium remittere legi Chriſti, [Si peccauerit in te, &c,] qui teſtibus agi, & à Præpoſitis Eccleſiæ, ſeruatis ſeruandis ceteris, eas voluit terminari.

Google

Addit Petrus[, ſecundum Deum], ideſt, iuxta Chriſti doctrinam: vel propter Deum, ideſt, propter Chriſtum, qui hoc vobis onus impoſuit; vel, [ſecundùm Deum;] ideſt, ſolùm Deum, & eius legis ęquitatem, in noſtris cordibus ſcriptam, conſiderantes: vel, vt loquitur Damaſus Epiſt. 4. ad Stephanum, & Concilia Africæ, de hac materia latè ſcribens, cap. 6. [charitatiuè pro Deo, & fraterno amore cuncta peragentes.] Addit: [neque turpis lucri gratia;] ideſt, abſit à vobis omnis quæſtus, aut auaritia, quæ iudicum animis eſt ſolita inſidiari; ſed propter Chriſtum hanc aſſumite prouinciam, in viſceribus charitatis.

Attamen (quod ad præſentem præcipuè facit concluſionem) cùm de cauſſis Eccleſiaſticarum perſonarum ciuilibus, ad vos, tamquàm ad legitimos iudices fuerit delatum; quia ibi maius vobis imminet periculum; ſicut in quibus eſtis, excluſa omni alia ciuili Poteſtate, Præfecti, eas tractate, [non dominantes in Cleris;] ideſt, non aliquo dominationis faſtu, ſed humillima, & concordi adminiſtratione: vt dicit Calixtus I. loco citato ſupra Epiſt. 1. non vexantes eos imperioſa auctoritate, & potentia; non inſtar laicorum, & ſecularis poteſtatis duriter, ac importuno ſtrepitu, iuriſdictionem exerceatis in Eccleſiaſticas perſonas; quæ maiori ſunt cum mãſuetudine tractandæ: vt quæ præcipuè, ſunt de hæreditate, & ſorte Domini, & quarũ Deus præcipuè, ſors, & hæreditas eſt: [ſed forma,] ideſt, exemplũ [facti] veſtri ſpecialis huius [gregis, ex animo,] ideſt, ſincerè, & mente pura, ad imitationem Chriſti Domini, qui cùm hanc nobis ſuggereret doctrinam, noſtram iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ciuilem etiam, contrà regum, & principum; ſiue Gentium, ſiue Chriſtianorum, ciuilem Poteſtatem etiam, diſtinguens, ſubiecit: [Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.] Luc. c. 22.

Hinc colligitur, qualiter ſit explicandus Apoſtolus Paulus, ſcribens ſic ad Corinth. 2. c. 1. [Non quia dominamur fidei veſtræ; ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.] Certum eſt enim, Apoſtolum, cauſſæ fidei ab eis ſuſceptæ, non fuiſſe dominum Corinthiorum. Vnus eſt enim noſtrum omnium Dominus qui nos creauit, & in libertatem Euangelij, per redemptionem, aſſeruit. Præpoſitum tamen, & Paſtorem fuiſſe vice Chriſti, & eius nomine leges ferre, & præuaricatores punire potuiſſe, non negabit, qui legerit illud, 1. ad Corinth. c. 11. [Laudo vos quòd præcepta mea tenetis:] & plura alia, quæ ſtatim latiùs exponẽda cõſequentur.

Ergo nullus vmquam Catholicus docuit, debere Epiſcopos populis dominari violentia; aut iniuria: Patres, Paſtores, Pręſules, non dominos eſſe dicimus, eo ſenſu, quo Chriſtus ibi dominatum Gentilium regũ reprehendit, tyrannidem, & ſuperbiam eorum redarguendo: & docendo ſe filium hominis non miniſtrari, ſed miniſtrare, de Patris ſinu deſcendiſſe: modum ethnicæ gubernationis taxans, & ſui regiminis formam

proponẽs:qui cùm verè eſſet Magiſter,& Dominus,vt ipſe ait Ioan c. 13. ea tamen humilitate præerat,vt ſeruire,ac miniſtrare potiùs videretur.

Et hanc doctrinam,quam Petrus, & reliqui ſui Coapoſtoli, à Chriſto didicerant, ea ratione in praxi, & vſu exercuerunt; vt per ciuitates & loca congrua,Patriarchas, & Primates conſtituerint,à quibus grauiores cauſſæ non ſolùm Eccleſiaſticorum, verùmetiam omnium fratrum Chriſtianorum,iudicari deberent. Præbet de hoc luculentum teſtimonium Stephanus I. qui anno Chriſti 257. rexit Eccleſiam, ſic ſcribens, Epiſt.2.Decret. (Vrbes enim & loca, quibus Primates præſidere debent, non à modernis,ſed,etiam multis ante aduentum Chriſti,ſunt ſtatutæ tẽporibus: quorum Primates,etiam Gentiles,pro maioribus etiam negocijs,appellabant. In ipſis verò vrbibus poſt Chriſti aduentum,Apoſtoli, & ſucceſſores eorum Patriarchas, vel Primates poſuerunt, ad quos Epiſcoporum negotia, ſalua in omnibus Apoſtolica auctoritate, & maiores cauſſæ, poſt Apoſtolicam Sedem, ſunt referendæ. Et licèt (Apoſtolo prohibente) inter Chriſtianos non debeant accuſationes exerceri; ſed ſi prohiberi non poterit, accuſationes Epiſcoporum, ad memoratos Primates debent,ab accuſatoribus deferri. Studendum eſt.tamen Epiſcopis, vt diſſidentes fratres magis ad pacem, quàm ad iudicium eos vocent.

2 Vnica hac ratione circa Chriſti, ac Petri verba concluſionem confirmamus: nam illa neutiquam congruè ſpirituali, ac diuinæ Hierarchiæ, modeſtè, & demiſsè adminiſtrandæ, tantùm aptari poſſunt; non enim eius adminiſtratio ſola,ſiue ex parte materialis,ſiue ex parte efficientis cauſſæ,videtur adeò capax eſſe illius tam ſolertis Chriſti,& Petri paræneſeos ad Eccleſiaſticos factæ Præfectos,de modeſtia, ac humilitate in illius exercitio conſeruanda, & prætendenda. Certum eſt namque inter gerenda ſpiritualia, diuinaq; munia, haud illud fuiſſe timendum tantum periculum ſuperbæ dominationis, ac inſolentis ſupercilij, cui præcauendo,Chriſtus, ac Petrus, & verbis, & rebus geſtis, ſumma diligentia laborarint. Tollatur à diuinæ Hierarchiæ exercitio alterum exercitium Politicæ poteſtatis circa externas res, ac temporales in Eccleſiæ Prælatis:nihil ferè ibi,niſi oneris intercedit. Quod honoris eſt, id magna ex parte,ſi nõ maiori, Politiç exterioris fori ſibi gubernatio vẽdicat; tale eſt hominum auerſum de rebus iudicium. Vnde cùm pauci onus,honorem plures & optent,& ambiant, credendum omninò eſt, Eccleſiaſticorum munerum gerendorum appetentiam, etiam per ipſoſmet Apoſtolos non dum Spiritus ſancti donis recreatos, quò humiliores eſſent, iam tunc conceptam, in rebus his coëuntibus in vnam eamdemq; Hierarchiam, non onera pluries, ſed honores affectare. Tamdem hinc fit conſequens,& ex parte Eccleſiaſticorum hominum, ſemper eſſe intellectum in Eccleſiaſtico ſtatu, illa non ſeparari exercitia, & ex Chriſti,& ex Petri parte eſſe admiſſum, immò inſtitutum; vt adminiſtrata cum

Digitized by Google

modo, & forma, per ipſos Eccleſiaſticis præfinita perſonis, numquam fuiſſent ſeparanda.

Hæc qui, præ inſcitia, non intelligit diuinæ Paginæ loca; vel ſi intelligit, malitiosè deprauat; is oportet, vt terminis ipſis rerum exprimendarum inſigniter abuſus, & tranſgrediatur terminos, quos in theoria deſignarunt Scripturæ ſanctæ, & earum optimi Enarratores, & ſacra Concilia, & tot adhuc ſanctiſſimi Pontifices, item & quos in praxi poſuerunt Patres noſtri Apoſtoli, eorumque dicti ſupremi Romani Pontifices, ceteriq; Epiſcopi, ipſorum Apoſtolorũ reſpectiuè ſucceſſores, quos terminos immotos hucuſque conſeruauit Eccleſia: neque eos, ea etiam inter Gentes conuerſante, illarum Imperatores auſi ſunt tranſgredi, vel illos ſuo loco vnquam Catholici Principes commouerunt. Sed quanta cum ratione, & ſolido hæc dicantur fundamento, ex ſequentibus probationibus apparebit.

Ex Apoſtolo Concluſio, & eius præfata explicatio tertiò probatur.

EADEM Euangelici loci explicatio confirmatur teſtimonio eiuſdem Pauli Apoſtoli, Act. c. 20. dum, vale dicens maioribus natu, & Presbyteris Eccleſiæ Epheſinæ, ſic eos fuit exhortatus: [Attendite vobis, & vniuerſo gregi: in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.] Dictum verbum Gręcum ποιμαίνειν, etiam habetur hic, & illud optimè tranſtulit Interpres, regere. Eſſe igitur hoc regimen, de quo Epheſios Prælatos admonebat Apoſtolus, maxima ex parte Politicum, ſeu ciuile, circa Eccleſiaſticarum nedum perſonarum cauſſas, per illos tractandas: verum etiam circa omnes omnium Chriſtianorum lites, diſcordias, & differentias: eſt efficaci argumento, primò: quòd de munditia manuum ſuarum circa veſtes, aurum, & argentum Epheſiorum, ſeu circa illorum concupiſcentiam ſubiunxit ſtatim ſermonem, dicens: [Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, &c.] vt, qui diſcipulos ſuos ad ſui erat ſolitus imitationem exhortari, Epheſios Iudices, Eccleſiaſticos, Presbyteros, & Epiſcopos, ad ſimilem abſtinentiam, à muneribus ſuper innocentem accipiendis, animaret. Hoc autem circa ſpiritualem iuriſdictionem exercendam contingere, non eſt frequens: immo illo fuit beato ſeculo, præterquam Act. c. 8. apud Simonem Magum, inauditum.

Secundò, quia regiminis huius Eccleſiaſtici ciuilis habenas, eo maiori cum cura, & attentione, prudenter tractari Apoſtolus commendauit; quia videlicet, eſſet, [regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.] Cùmq; Chriſtus in Cruce non acquiſiuerit, vel meruerit mundi creationem, aut Poteſtatum, quæ illum gubernant inſtitutionem, acquiſiuit tamen in ſanguine ſuo munditiam, & ſplendorem ſtolarum animarum ſanctarum, quæ lotæ in illo, candidæ ex menſtruatis coram Pa-

tre æterno comparerent: neque negari poteſt, immò eſt omninò fatendum, Chriſtum ſummum Sacerdotem acquiſiuiſſe in Cruce, ſanguine ſuo, ſpeciali ratione, Ordinis ſacerdotalis, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, prout à laico etiam Chriſtiano ordine diſtinguitur, maieſtatem, ſecundùm totam ſuæ poteſtatis, ſiue ſpiritualis, ſiue ciuilis, latitudinem; vt Gentibus, quæ erant eius hęreditas, & terminis terræ, qui erant eius poſſeſſio, ex Pſal.2. conuertendis, & ad Chriſtianum gregem adducendis, aditus facilior, per Eccleſiaſticos miniſtros, à nemine, quocumque prætextu, impeditos aperiretur; poſſentq; liberè dicere: [Viam facite, præbete iter, declinate à ſemita, auferte offendicula de via populi mei:] Iſai.c.57.atque etiam, vt maior in figurato Chriſtiano ſacerdotio excellentia refulgeret, quàm olim, ſiue in legis naturæ ſtatu, ſiue in Moſaicæ legis teſtimonio præfulſiſſet. Nec enim veteris legis ſacerdotes characterem habebant Ordinis; ſed tantùm poteſtatem faciendi miniſtrationes, quas, ſub pœna mortis nulli alteri licebat facere: vt notat Toſtatus ad cap.3. Matth. cùm tamen legis gratiæ, ſeu nouæ ſacerdotes characterem habeant, & ſint perfectioris ſtatus, quàm Moyſes, qui fuit primus Prophetarum. & quàm Aaron, qui fuit ſummus Sacerdos; & hoc quo ad poteſtatem etiam, quam à Chriſto Domino, & abſoluendi, & ligandi ſuſceperunt. Nunc enim, vt Leo Magnus, ſerm.8.de Paſſione loquitur, [& clarior ordo Leuitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt vnctio ſacerdotum.]

Quòd ſi huic loco Pauli ad Epheſios in Actibus loquentis, quem tractamus, adiungantur conditiones illæ, quæ inter alias, ab eodem Apoſtolo, Epiſt.1.ad Tim.c.3.& ad Tit.c.2. requiruntur in Epiſcopo; videlicèt, iuſtitia, & integritas, & c.ſi Pauli etiã addatur maieſtas, ac poteſtas, ad Corinth.1.c.4. hac auctoritate ſcribentis: [Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu mãſuetudinis?] (de quo loco Paulino plurimus infra redibit ſermo:) facilè perſpiciemus illud, de quo Epheſijs Presbyteris, & Epiſcopis Paulus loquebatur, poſt doctrinæ, ac fidei firmitatem illis commendatam, fuiſſe regimen iudiciarium, & ciuilis Eccleſiaſticę adminiſtrationis, à Prælatis Eccleſiæ cum primùm exſpectandum: vt qui ſuccederent, tamquàm ſcribæ docti, & iudices recti, in docendo, & iudicando, ſcribis & iudicibus Leuiticæ tribus, non iam ad vnam tribum Leuiticam, ſed ad duodecim tribus Iſrael, ideſt, omnem populum Chriſtianum, modis explicatis, iudicandum, confeſſuri.

Probatur Concluſio quartò ex lege naturæ, & ſcripta.

VNDE ſicuti ſi à Patriarcha Ioſepho AEgypti ſummo Præfecto, per Pharaonem regem conſtituto, eſſet requiſitum: quare Geneſ.cap. 47. terram ſacerdotalem, quo tempore vendentibus AEgyptijs, præ

fame,

fame, ſuas poſſeſſiones, omnis terra in regiam conceſſerat poteſtatem immunem præſeruaſſet: & eam ſacerdotibus integram, ipſo rege Pharaone annuente, reliquiſſet? reſponderet Patriarcha ſanctus: Quia id adeò eſſet legi naturæ conforme: vt hominum mentibus, quaſi eſſet ab ipſa inſcriptum, illudque dictaret: vt, loquendo cum Theodoreto ibidem, [quamtumuis, homines impij eos, qui non erant dij, pro dijs tamen habitos, tantopere venerarentur:] De quo naturæ lumine exſtat notatio Ambroſij Epiſt. 71. ad Irenæum. Ex qua lege, euidenti concluſione colligitur, quòd ſacra à profanis, & perſonæ diuinis mancipatæ cultibus, ab alijs omnibus hominibus liberæ ſecernerentur.

Et ſicuti, ſi poſtulatum fuiſſet à rege Ioſaphat, quanam ratione circa Eccleſiaſticam illius temporis Politiam, 2. Paralip. cap. 19. miniſteria Principum familiarum, & Leuiticæ tribus diſtinguendo, deſignaſſet Sacerdotes, & Leuitas, qui cum Principibus illis iudicia in Ieruſalem exercerent; ſic dicens. [Omnem cauſſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem; vbicumque quæſtio eſt, de lege, de mandato, &c. oſtendite eis, &c.] & infra: [Amarias autem ſacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit; porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent:] facilè reſpondiſſet: quòd iudicium ciuilium cauſſarum inter cognationem, & cognationem Leuiticæ tribus, ad iudices ſuperiores eiuſdem tribus Eccleſiaſticos pertineret: ipſa lege Domini id ordinante: cùm Aaroni ſummo Pontifici, & eius ſucceſſoribus Deus dono Numer. cap. 1. omnes Leuitas conceſſiſſet. Cuius etiam iudiciariæ poteſtatis habetur inſignis memoria, Deuter. cap. 16. & 1. Eſdr. cap. 7. & 3. cap. 8. & Ezechiel. cap. 44. qui Prophetæ legem Domini, circa hoc diſponentem, optimè nouerant.

Sic tamdem ad noſtrum propoſitum colligendo; ſi rogatus fuiſſet Paulus, an loco prædicto, ciuilem hanc regendi, & iudicandi, & præcipuè perſonas Eccleſiaſticas, facultatem Epheſijs Eccleſiaſticis voluiſſet commendare? certè reſpondiſſet, vel maximè eam illis commendaſſe ſanctè tractandam: quòd ſtatus Eccleſiaſticus, & ſacerdotalis nouæ legis, non fuiſſet dono datus Chriſto ſummo Sacerdoti; ſicuti Leuitarum tribus Aaroni: ſed à Chriſto fuiſſet in cruce ſuo ſanguine ſpecialiter acquiſitus: vt Sacramentorum, excellentioris ordinis nouæ legis, miniſtris liberis, & immunibus à temporali Poteſtate ſecularium Principum, hæreditatem omnium Gentium, ſibi à Patre promiſſam, faciliùs vendicaret. Vnde de hac immunitate, ſeu parte, & ſorte ſpeciali ſacerdotum Dei viuentis, & Eccleſiaſticorum omnium potuit melius dicere Chriſtus ſtatui Eccleſiaſtico, quàm olim moriturus dixit Iacob Patriarcha ad Ioſeph filium ſuum, Geneſ. cap. 48. [Do tibi partem vnam ex-

Digitized by Google

terrâ fratres tuos ; quam quidem non tuli in gladio, & arcu meo de manu Amorræi : ſed illam acquiſiui in cruce proprij ſanguinis effuſione.

Confirmatur adhuc quarta probatio Concluſionis, ex lege ſcripta.

QVAM vltimam probationem Concluſionis ex fundamento, quod habet in lege naturæ, & in lege Moſaica, libet adhuc vberiùs corroborare. Et quidem quod attinet ad hanc immunitatem Eccleſiaſticam certiſſimè non ſolùm imitari eam, quam Sacerdotes habebant in lege ſcripta, & noſtro hoc tempore Gratiæ, nihil illorum auctoritatis Eccleſiaſticis, & Diuinæ legis adminiſtris deceſſiſſe, verùmetiam cumulatiorem acceſſiſſe, antiquas Scripturas diligentiùs ſcrutando, reperiemus. Siquidem lib. Num. cap. 17. iubetur Princeps, & omnis populus ingredi, atque egredi ad verbum Eleazari Sacerdotis. Et lib. Leuit. cap. 4. deſcribuntur quattuor genera ſacrificiorum : ex quorum ordine, ac dignitate rectè colligunt Interpretes ordinem, & dignitatem perſonarum, pro quibus ea offerebantur. Erat primum ſacrificium vituli, quo nullum erat maius; idque pro ſolo Pontifice, vt pro perſona omnium digniſſima : alterum ſacrificium item vituli, pro tota Synagoga; tertium hirci vilius, ſcilicet, & abiectius, pro rege : quartum denique capræ, id eſt, infimum, & viliſſimum, pro priuato quolibet immolabatur. Ex quo Philo Hebræorum doctiſſimus, in lib. de Victimis. Theodoretus Quæſt. 1. in Leuit. Procopius Gazæus in Comment. 4. cap. Leuit. Pontificem Rege præſtantiorem, & maiorem, etiam apud Hebræos, fuiſſe confirmant. Sic in lib. Ioſue cap. 14. 17. 19. & 21. perpetuò, cùm nominandi ſunt Sacerdos, & Princeps, Eleazarus, & Ioſue, primo loco Sacerdos, ſecundo Princeps appellatur.

Tamdem illud ex 4. lib. Reg. cap. 11. eſt ſummoperè conſiderandum; vbi Ioiada Pontifex Maximus Athaliam reginam, tùm, ob tyrannidem, tùm, ob corruptam religionem, de ſolio deturbari, & Ioas regem in eius locum ſubſtitui, iuſſit: atqui non conſulendo, aut orando, ſed planè imperando, negotium omne confeciſſe, verba illa ſacri Codicis atteſtantur. [Et fecerunt centuriones iuxtà omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.] Qui auctores autem Catholici hanc ſecretam Pontificiam, & ſacerdotalem poteſtatem, à poteſtate regia, ſeu ſeculari fuiſſe in ſtatu antiqui Teſtamẽti negant: vt Auctor, quiſquis fuerit, Opuſculi D. Thomæ attributi inter ſua, num. 20. lib. 1. cap. 14. & Toſtatus ſuper cap. 2. Exodi, & Ioſue cap. 3. & 4. & 3. Reg. cap. 2. & ſuper caput 12. 4. lib. Reg. quæſt. 8. ipſi viderint, quibus infirmis teſtimonijs, ſeu rationibus innitantur. Nobis enim, ſi quæ dicta ſunt non perſuaſiſſent, Leuitas, Eccleſiaſticum, videlicet, ſtatum, in lege ſcripta fuiſſe immunes, tam quo ad perſonas, quàm quo ad res, & bona ſua à Politica laica Poteſtate : attamen hæc euidens id demonſtratio ſuaderet. Nam cùm lege

illa cautum fuerit: vt Leuitis certę ciuitates ad habitandum aſſignarentur: Deut. cap. 35. quas poſteà Ioſue cap. 21. ſuæ Hiſtoriæ, illis contradidit, numero quadraginta octo ciuitates, ſex illis, quæ pro fugitiuis ſeruiebant, adnumeratis: ſi Leuitæ, quibuſcumque alijs Iſraelitis excluſis, illas ciuitates incolebant, vt Leuitæ ſuam Politicam iuriſdictionem inter ſe exercerent, ſtatu ſeculari ſuorum fratrum ab ea excluſo, adeò eſt neceſſe intelligere: vt ad aliud ſentiendum nullus aditus eſſe relictus videatur.

Iudiciorum qualis fuerit ordo apud Hebræos.

VBI non ſine fructu, & probatione Concluſionis, qualiter in Hebræo populo iudiciorum fuerit tractata materia deducamus. Omiſſis igitur ijs, quæ ex Talmudicis libris Petrus Galatinus (& ſunt conſideratione digna,) retulit: ex antiqua, & noua ſacra Pagina, & ex Ioſepho Concilij Ieroſolymitani inſtitutionem, confirmationem, ius, & poteſtatem, ſic colligimus. Apparet ergo in primis, hoc tribunal à Deo fuiſſe inſtitutum; vt à iudicio iudicum, ad concilium Seniorum, & Sacerdotum, veniretur. Nume. enim cap. 11. ſic loquitur Dominus ad Moyſen. [Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël; quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum: & deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis; vt ſuſtentent tecum onus populi: & non tu ſolus graueris.] Deuter. autem cap. 17. ſic ſcriptum eſt, Moyſe ad populum dicente: [Si verò difficile atque ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.] vt ibi ſcilicet eũ inuoces. [Venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus: & docuerint te, iuxta legem eius: ſequeriſque ſententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.] Hoc ergo iudicium tributum fuit iudici, ſiue ſupremo Principi, & ſacerdotibus, ac ſenioribus populi: hi enim erant præcipui, qui præerant loco, quem elegit Dominus.

Ioſephus autem lib. de Antiq. ſic hanc legem concepit, vt præcipuam Senatus fecerit mentionem, ſic ſcribens: [Si verò iudices neſcierint, de rebus ad ſe delatis, pronunciare: integram cauſſam in vrbem ſanctam mittent: & conuenientes Pontifex, & Propheta, & Senatus, quod viſum ſit pronuncient.] Poſtea ipſe Moyſes cap. 19. nominat clarè iudi-

ces

ces ipſos,quos diximus ſacerdotes,dicens. [Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis : ſtabunt ambo ante Dominum, coram ſacerdotibus , & coram iudicibus, qui erunt in illis diebus.] Et Ioſephus item ſacerdotes commemorauit,lib. 2. contra Appionem , ſic ſcribens ; [Sacerdotes noſtri ſemper colunt Deum , quos ſemper regit; qui genere primus eſt : qui quidem ante alios ſacerdotes Deo ſacrificat : leges cuſtodit: dijudicat controuerſias : conuictos delicti punit : cui qui non obedit , is pœnas luit , tamquam in Deum impius.] Et rurſus eodem loco : [Sacerdotes , omnium inſpectores conſtituti ſunt à Moyſe; qui autem principatus fieri poſſit hoc ſanctior ? aut quis honos Deo conuenientior ? vbi & plebs vniuerſa eſt ad pietatem bene comparata ; & ſacerdotibus concredita rerum maximarum cura præcipua.] Hactenus Ioſephus.

Quin etiam Moyſes ipſe in concilio cauſſam cognouit eius , qui Sabbato ligna colligebat : vt habetur Leuit. cap. 15. ſic referente Philone lib. 3.de Vita Moyſis : [Comprehenſum hominem adduxerunt ad Principem,cui aſſidebant in Concilio Sacerdotes: aderat verò vniuerſa multitudo ad audiendum, in die Sabbati. Moyſes autem , quo ſupplicio dignus eſſet , ignarus , Deum conſuluit ; qui lapidibus cędendum eſſe, reſpondit .]

Hoc tribunal à Moyſe inſtitutum,denuò ſanciuit , vt ſupra referebamus,Ioſaphat rex Iudæ,iudicijs alijs in ciuitatibus confirmatis: vt ſcribitur Paralip. lib.2.cap.19. [In Ieruſalem quoque conſtituit Leuitas, & Sacerdotes, & Patriarchas ex Iſraël ; vt iudicium, & cauſſam Domini iudicarent habitatoribus eius : præcepitque eis, dicens , ſic agetis in timore Domini fideliter , & corde perfecto. Omnem cauſſam , quæ venerit ad vos , fratrum veſtrorum , qui habitant in vrbibus ſuis , inter cognationem , & cognationem , vbicumque quæſtio eſt , de lege, de cæremonijs , de iuſtificationibus (in translatione vero Græca habetur apud Septuaginta Interpretes , de præcepto , mandato , iuſtificationibus, & iudicijs,) oſtendite eis : vt non peccent in Dominum , & ne veniat ira ſuper vos , & ſuper fratres veſtros : ſic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem Pontifex veſter in ijs , quæ ad Deum pertinent , præſidebit : Zabadias filius Iſmaël , qui eſt dux in tribu Iuda ſuper ea opera erit, quæ ad regis officia pertinent:magiſtri (Græcè, ſcribæ) Leuitæ erunt coram illis.]

Inibant igitur hoc Concilium , vt ex dictis apparet , Iudex , ſiue Rex cum Principibus populi : duodecim , videlicet , tribuum ſingularum capitibus , & cum ſenioribus populi , ſeptuaginta , ſcilicet , illis Senatoribus , quos diximus , & Pontifex cum Principibus ſacerdotum, illis, videlicet , qui vicenis quaternis ſacerdotum claſſibus , ſeu vicibus , ſinguli præerant ſingulis;& tamdem cum ſcribis,hoc eſt,legis Doctoribus,

quos Ioſephus Prophetas nuncupauit. Quo Concilio Babylonica deleto tranſmigratione, cùm reuerſis in ſolum natale Iudæis reliqua inſtituta reſtituerentur, fuit etiam, referente Ioſepho lib. 11. ſac.rdotibus poteſtas iudicandi in Cõcilio reſtituta. Præmonuerat hoc Ezechiel cap. 44. Dei mandato, inquiens: [Sacerdotes populum meum iudicabunt, quid interſit inter ſanctum, & profanum; & inter impurum, ac purum indicabunt eis: & circa iudicium ſanguinis, ipſi inſiſtent, vt dijudicent: & iuſtificationes meas iuſtificabunt; & iudicia mea iudicabunt: & leges meas, & præcepta in omnibus diebus feſtis meis cuſtodient.] Hoc eſt de cauſſis capitalibus, & religioſis cognoſcent: atque homines iuſtificabunt, ideſt, abſoluent: & iudicabunt: ideſt, condemnabunt, ſicuti ego in lege præſcripſi faciendum: vbi, qui venia, qui pœna digni eſſent, demonſtraui.

De iudicio in hoc Concilio peracto in ipſo Aſſamonæorum Imperio, Hyrcano regnante, fit mentio apud Ioſephum, lib. 14. quo tempore vigebat lex, cuius idem meminit: [Ne cui nocenti eriperetur vita, niſi huius Concilij, (ſiue, vt Græcè illud explicemus, Synedrij) ſententia condemnato.] Sed Iudæa inde, poſt Ariſtobulum victum, in poteſtatem Romanorum redacta, ac prouincia conſtituta, Antipatrum Herodis patrem Procuratorem accepit: eo iure, vt nec Pontifex Concilium ipſo inſcio, atque inuito Procuratore, conuocare: nec Concilium, abſque auctoritate Procuratoris Romani, in damnatum poſſent animaduertere: vt Ioſephus lib. 20. agens de ſancto Iacobo, Domini fratre, ſubnotauit.

Herode poſtea vita functo, & Archelao eius filio rege ab Auguſto Cæſare Viennam relegato, Iudæa iterùm prouincia Romanorum effecta, & Procuratori ſubiecta fuit. Quo tempore Phariſæi, & Sadducæi magnas in hoc Concilio, & opes habuerunt, & geſſerunt partes: duæ, videlicet, ſectæ, ſeu hæreſes Aſſamonæorum temporibus ſubortæ: id quòd ex Senioribus, Sacerdotibus, Scribis, & Principibus, alij in vna, in altera alij hæreſi verſarentur. Hinc Chriſtus Dominus, qui hac tempeſtate Euangelium mundo attulit, ſæpè huius Concilij, & eorum, qui illud inibant, fecit mentionem; quod ipſius Euangelij diuulgationi, ac Chriſti eiuſdem geſtis ſæpiùs legitur obſtitiſſe: & à quo tamdem iudicium ſicuti iniuſtiſſimum, ſic & celebratiſſimum, de eius morte prolatum fuit: vt ex Euangelica Hiſtoria comprobatur.

Quam autem iuriſdictionem hoc exercuerit Concilium etiam habetur Act. cap. 3. 4. 5. 6. & 23. & apud Ioſeph. lib. 20. dum agit de S. Iacobo Minore, & de Bello Iud. lib. 4. & in vita S. Matthiæ Apoſtoli, & apud Ioſephum Gorionis: dum refert geſta anni, quo Ieroſolyma à Tito fuit euerſa. Sed de hac tribus Leuiticæ immunitate, & iuriſdictione, adhuc ſtatim alium locum, ex Ioanne ſubijciemus.

Ex quibus omnibus clarè perſpicitur, in antiquo populo, nedum cauſſas ſacerdotum,& Leuiticæ tribus, ab ipſis fuiſſe Leuitis iudicibus cognitas: verumetiam totius populi Iudaici cauſſarum cognitionem, ad Sacerdotes, & tribum Leuiticam pertinuiſſe. Abſit autem, vt quiſquam Chriſtianus ſuum in animum inducat, Synagogam Iudęorum rectiùs fuiſſe ordinatam, iuſtiùs, aut ſanctiùs: ideoque ea ex parte Chriſti Eccleſiæ præferendam: vmbram, ſcilicet, quam appellauit Paulus ad Hebræ.cap.10. corpori:figuram,& legem, veritati, & gratiæ; quam nuncupauit Ioann. cap. 1. humile tugurium veteris Teſtamenti à ſeruo conſtructum, & paucis poſt annis deſtruendum, noui Teſtamenti regali Palatio, quod ædificauit Deus, & non homo; ex Paul.ad Hebræ.cap.8. & ædificauit in omnem æternitatem duraturum.

Vltimò. Pro hoc argumento eſt notandus inſignis locus ex Euangel. Ioann. cap. 2. Habetur enim apud Lucam, cap.20. ſacerdotes,& ſcribas Iudæorum Ieroſolymitanum adminiſtrantes Magiſtratum Eccleſiaſticum, iniquè ferentes Chriſtum in templo frequentiſſimè ad populum conciones habere, quadam die à Chriſto fuiſſe in templo percunctatos, qua illud faceret poteſtate? Quod fuit quærere, quis ex ſuperioribus Leuiticę tribus miniſtris illam ſibi commiſiſſet facultatem? & cùm alia,ſed ſicuti opportuniſſima,ſic, & prudentiſſima interrogatione ad illos facta, tunc reſpondere Magiſter noluiſſet: poſtea tamen, cùm dicto loco apud Ioannē è templo pluribus impoſitis flagellis ementes,& vendentes ibi boues, oues, columbas, & nummularios eieciſſet: & res non ſolùm ad verba, ſed ad verbera etiam, à Chriſto eſſet redacta: nam eo facto ſacerdotum, & Leuitarum beneficijs, redditibus, fructibus, atque emolumentis, ex cambijs, ex illicitiſque negotiationibus nimiū detrahebatur: iam tunc rem vrgentes,illum ſic fuere alloquuti: [Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?] Ergo ad noſtrum propoſitum: ſi negotiationum ciuilium quæ vendendo, & emendo, & ad menſam campſorum, ac nummulariorum dando in templo à Leuitis, & ſacerdotibus gerebantur, & iuſti, & iniuſti, iuris,& iniuriæ, quæ ibi poterant reperiri, eſſet iudex, ſecularis Iudæorum Poteſtas, & Magiſtratus, potiùs Sacerdotes ad illum, Chriſtum deferrent, eum accuſantes, quòd in Republica, ſub zelo religionis, tumultus excitaret, rerum commutationes, ac pecuniarum interdiceret vſus, & hominum neceſſaria commercia prohiberet. Si poteſtas illa ad Procuratorem Pilatum, & Romanum ſpectaret Magiſtratum, grandis ſui voti euaſiſſent compotes; vt qui anxiè deſiderarent, Chriſtum iudicio ſiſtere Præſidis Romani, quaſi Cæſaris ditionem perturbantem. Reſtat igitur, vt iudicia negotiorum ciuiliū temporalium inter Leuitas, ad ſolos Leuitarum Præfectos, qui Chriſtum tunc interpellabant,pertinerent. Vnde colligendum eſt; congruentiùs, æquiùs, iuſtiuſque, Eccleſiaſticam familiam Chri-

ſtianam foro ſecreto,& proprio ex Iure gaudere diuino, quanto Leuiticæ tribus ſacerdotio, excellentiùs fuit ſacerdotium conſequuta.

Confirmatur adhuc probatio quarta Concluſionis ex lege naturæ.

QVOD verò ſpectat ad alterum membrum probationis præfatæ, hanc ſcilicet immunitatem Eccleſiaſticam, vel eſſe de iure naturæ,vel ſaltim adeò eſſe iuri naturæ conformem : vt ſi non euidentiſſima conſequentia, ex illius deducatur principijs, ſaltim euidenti deducatur; probatur illa doctrina, quam ſpeciali de cauſſa, hìc inſerimus ex Couarruuia pijſſimo, & doctiſſimo Doctore,& Epiſcopo. Is ergo Pract. Quæſt.cap.31. nu. 2. ſic aſſerit 3. concl. [Totus ferè orbis Chriſtianus in hanc Clericorum exemptionem à ſeculari iuriſdictione, propter publicam vtilitatem, conſenſit.] Vbi duo ſunt valde notanda, conſenſus, videlicet, communis Chriſtianorum; & ratio conſenſus; videlicet, publica vtilitas : quæ duæ res vix poſſent, immò neutiquam poſſent ſic coaluiſſe : niſi ex iure naturæ euidenti conſequentia ducerentur. Id enim in quod homines omnes ratione inducti conſpirant, à ratione inſita à natura procedat,neceſſum eſt. Id prætereà quod publicam affert vtilitatem, eſt pluſquàm certum, vt ad naturæ legem conſequatur. Licèt præfatus Doctor exemptionis nomine, nos immunitatis vtamur, vt qui via alia procedamus.

Probatur quintò Concluſio, ex communi ſeculorum conſenſu.

QVO argumento poſſumus ſimiliter concludere quintò principaliter, hanc immunitatem Eccleſiaſticam eſſe de Iure diuino;vt habet Concluſio, ſic colligendo: Status Eccleſiaſticus vniuerſus ab initio naſcentis Eccleſiæ ſenſit, hanc ſibi immunitatem à ſeculari Poteſtate deberi, propter publicam vtilitatem: ergo eſt illis debita de Iure diuino,& legis Chriſtianæ inſtitutione. Antecedentis veritati vſque ad tempora Conciliorum, quæ in tertio Eccleſiæ ſeculo celebrata ſunt, nihil poteſt opponi; quia primi Eccleſiæ Prælati & Paſtores id ſenſerunt, vt Clemens Epiſt. 1. ad Iacob. fratrem Domini: Anacletus Epiſt. 1. nu. 1. & 2. num. 2. & 3. nu. 4. Alexand. I. Epiſt. 1. nu. 1. & refertur 11. quæſt. 1. Relatum eſt. Sixtus I. Epiſt. 2. nu. 1. & refertur. 2. quæſt. 6. ſi quis veſtrum. Teloſphorus Epiſt. vnic. nu. 4. Higinus Epiſt. 1. num. 2. 3. & 4. Pius I. Epiſt. 1. nu. 2. Anicetus Epiſt. vnic. nu. 3. Eleutherius Epiſt. vn. nu. 2. & 3. Victor Epiſt. 1. nu. 3. & refertur 3. quæſt. 6. Accuſatus, & Epiſt. 2. Zepherinus Epiſt. 1. & 2. nu. 1. Calixtus I. Epiſt. 1. nu. 2. & habetur 11. quæſt. 3. Iniuſtum, & Epiſt. 2. nu. 1. & refertur 23. quæſt. 3. Notum eſt. Fabianus Epiſt. 2. nu. 2. & Epiſt. 3. per totam, & refertur. 1. quæſt. 6. Si quis iudicem,& 3. quæſt. 6. Si quis Epiſcoporum, &, Pulſatus ante, &, Qui crimen. Cornelius Epiſt. 2. nu. 2. Lucius Epiſt. vn. num. 2. & ha-

betur

betur 2.q.7.Criminationes. Stephanus Epiſt.1.per totam,pluries in decretis relata, Sixtus II. Epiſt.1.& 2. vt ibidem pluries. Felix I. Epiſt. 2. vt ibidem ſæpiùs. Gaius Epiſt. vnic.nu 1.2.& 3. vt ibi pluries. Marcellus I. Epiſt.1. Euſebius Epiſt.1.& 3.vt ibi ſæpiùs. Melchiades Epiſt.vn. nu.1. Qui omnes Pontifices ſancti cum alijs per orbem Chriſtianum inferioribus Epiſcopis,in exſecutionem Apoſtolicorum Canonum 73.& 74. qui immunitatem Epiſcoporum, & Presbyterorum à ſecularium Iudicum poteſtate declarauerant; quoties per Principes ſeculares tyrannos ab huius immunitatis exercitio non fuerunt præpediti, illam adminiſtrauere. Magnum eſt autem, eadem habere monumenta maiorum, iiſdem vti ſacris,& ſepulchra ſortiri communia,quæ apud antiquum populum ingens fuit benedictio reputata.

Iam deinceps exſtat in Concilio Antiocheno circa annum 340.habito c.11.relato,25.q.8.Si quis Epiſcopus.expreſſum Patrum præceptum, de hac Politia,vt Eccleſiaſtici omnes coram Eccleſiaſtico ſolùm foro agat, & ſuas tractent cauſſas;in quam ordinationem ſequentia Concilia conſenſerunt vnanimiter: vt conſtat ex generali Concilio Sardiceñ.cap.3. relato 6.q.4. Hoſius Epiſcopus, & cap.7.relato 11. quæſt.9. Si quis Epiſcopus,ex Concilio etiam Africano,ſub Bonifacio, & Cæleſtino, Canon. 21.& in Concilio generali Nicæno. Can. 57. & Chalcedoneñ.Can.9. & habetur 11.q.1.c.Si clericus. ex Concil. Agatheñ.Canon.32. vt ibidem. c.Clericum.Carthagineñ.3.Can.9.vt ibidem.c.Placuit. Mileuitañ. circa idem tempus,Can.19.ibidem.capit. Placuit vt quicumque. Romano ſub S.Silueſtro I.ibidem.c.Si quis clericus.Hiſpaleñ.2.c.9. Matiſconeñ. 2. Can.9.& 10. Colonieñ.p.9.c.20. Lateraneñ. ſub Leone X.ſeſſ.9. & ex Concil.Triden.ſeſſ.25.cap.20.vbi hoc vltimum Concilium,ordinatione diuina, aſſerit,hanc Eccleſiaſticam immunitatem ſancitam; ſicuti illud Lateraneñ. ſub Leone X. affirmat, non ſolùm humano Iure, ſed diuino eſſe Eccleſiaſticos à ſeculari immunes poteſtate. Conſenſus igitur communis Eccleſiaſticorum Patrum,& maximè in Concilijs conuenientium in hanc ſuam immunitatem, propter publicam Eccleſiæ vtilitatem, nequiret abſque dubio, niſi ex legis Chriſtianæ intimo ſenſu, quæ illam eſſe de Iure diuino dictat,emanare.

Neque obſtat,ſi dicatur, Patres ibi ſuam cauſſam egiſſe, & cùm non haberent, qui impedirent, facilè ſibi hanc iuriſdictionem, ſeipſis auctoribus,vſurpaſſe. Nam reſpondetur, Spiritum Chriſti, qui Concilijs ſacris intereſt celebrandis, numquàm fuiſſe paſſurũ, vt qui ad Chriſti gloriam congregati ſunt, Chriſti doctrinæ interpretes, & ſequaces, etiamſi definiendo non proceſſerint,de Iure diuino alias non cohærentem, hanc iuriſdictionem ſibi adiudicaſſent: & eam ordinatione diuina aſſeruiſſent inſtitutam; niſi ſpiritu eodem dictante,eam eo ſtrictiſſimo titulo,& iure ſibi eſſe debitam,intellexiſſent.

Sextò probatur Concluſio ex Chriſti Domini doctrina apud Matthæum.

PROBATVR ſextò principaliter Concluſio, ex dicto illo Chriſti Domini, apud Matth. c. 17. Cùm enim occaſione didrachmatis, per capita ſingula, à populo Iudaico tributi ergò debiti Romano Imperatori: quod didrachma, an Chriſtus eſſet ſolitus ſoluere, vel tunc ſoluere vellet, ab illius exactoribus fuerat à Petro poſtulatum, rogaſſet Chriſtus ſic Petrum: [Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis?] & Petrus reſpondiſſet: [Ab alienis:] ſubiunxit Chriſtus protinùs: [Ergo liberi ſunt filij:] ideſt, [inuectigabiles,] inquit S. Auguſt. 1. de Quæſt. Euangel. c. 23. addens: [Quantò magis ſunt liberi filij regis, ſub quo ſunt omnia regna:] ideſt, vt communis habet Doctorum expoſitio; quantò magis ergo liber ſum ego æterni regis filius, totaque mea Eccleſiaſtica familia.

Neque hic egiſſe Chriſtum, de vniuerſo populo Chriſtiano, quaſi ex eo quòd, in filiorum numerum computetur, ſit inuectigabilis, & à tributis Reipublicæ liber; docet Apoſtolus, qui ad Rom. c. 13. Chriſtianos ad ſoluenda vectigalia, & tributa regibus, ac reipublicæ, inſtruit. Ergò Chriſtus de ſe ſolùm, & de ſua tota familia id dixit: quaſi quæ ex ſua natura, & conditione fuerit à Chriſto inſtituta de Iure diuino à ciuilibus immunis Poteſtatibus.

Neque hic loquutum fuiſſe Chriſtum de ſe ſolùm, quatenùs erat filius Dei; itaut, tamquàm homo, neceſſitate coactus didrachma ſoluerit; conſtat; quia Ioannes XXII. damnauit Ioannem Iandunum, & Marſilium de Padua Hæreticos, id aſſerentes. De ſe ergo quatenùs etiam homo erat, & Eccleſiæ caput, id dixit: neque de ſe ſolo, ſed de ſe, & ſua cuncta familia egiſſe, eſt manifeſtum; cùm Petro iniunxerit, pro ambobus ſtaterem Imperatoris Fiſcali receptori conſignare.

Probatur ſeptimò Concluſio Chriſti Domini facto.

SEPTIMO probatur Concluſio Chriſti facto, qui ſacerdotum illicitas, & turpes negotiationes, vendendo, & dando ad menſam pecunias in templo, etiam flagello adhibito, caſtigauit; qui tamen rogatus ab illo laico, de quo ſupra diximus, inter eum, & ſuum fratrem noluit iudex conſedere. Hinc ſic colligimus argumentum; Chriſtus, etiam vt homo, erat temporalis mundi totius Rex, & Monarcha, poteſtate excellentiæ; qua ſibi, ex vi hypoſtaticæ vnionis, vti homini filio Dei naturali, & creaturarum omnium fini, homines nedùm, verumetiam creaturæ omnes, de iure ſubdebantur; [Per eum enim fecit Deus Pater, ſecula;] inquit, Paulus ad Hebr. cap. 1. non ſolùm efficientia ipſa, vt qui cum Patre ſit vnus Deus, qui mundum condidit: non ſolùm vt per rerum creatarum exemplar, verumetiam vt per finalem earum omnium cauſ-

ſam;

ſam; vnde ſicuti, ex eodem Paulo, eſt [finis legis Chriſtus, in iuſtitiam omni credenti:] ad Rom.c.10.ſic finis eſt conditionis mundi Chriſtus ad perfectionem omni exiſtenti:inde erat à Patre Rex ſeculorum,& regum, & Dominus dominantium conſtitutus. Hanc tamen poteſtatem temporalē Chriſtus cohibuit, illi homini præfato in ſua cauſſa exercitium iudicij poſtulatum denegando; Cæſari, ex condeſcenſione, tributum pendendo; Regis nomen,& munus,quod ſibi turbæ voluerunt imponere, Ioan.c.6.etiam euitando: vt maior in Chriſto versùs homines miſericordia præfulgeret, qui cùm eſſet diues, & Dominus, propter nos egenus factus eſt;non minus mirabili diſpenſatione, hanc excellentiſſimam poteſtatem non exercendo; quàm, vt pati poſſet pro nobis, gloriæ, quæ ex eadem vnione ſuo corpori debebatur, ne in illum influeret, temperando. Et nihiloſeciùs ipſe Dominus poteſtatem, quam, vt Sacerdos ſummus,etiam in Eccleſiaſticos ſpecialem habebat,voluit in templo cōtra Leuitas,& ſacerdotes facto oſtendere, nedum in eorum quæſtus, qui in odia hominum incurrerant, improbatione: ſed adhuc in negotiationum ſecularium lucris vetitis caſtigandis. Documentum certè firmiſſimum, de ipſius eſſe inſtitutione, immunitatem Eccleſiaſtici fori in Politicis cauſſis, quam ſolam ipſe, ſecluſis alijs negotijs laicæ Politiæ, per ſeipſum, tam grandi auctoritate exercere dignatus eſt.

Probatur octauò Concluſio, ex Apoſtolo Epiſt. ad Timotheum.

OCTAVO principaliter probatur Concluſio inſigni loco Pauli, 1.ad Timoth.c.5. ſic ſcribentis: [Aduersùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.] Ecce verba concepta; Epiſcopus, Iudex: accuſator, quicumque, ſiue Chriſtianus, ſiue infidelis: reus, Eccleſiaſticus: teſtium plurium depoſitio: cauſſæ inſtructio: quæ adeò probant fori Eccleſiaſtici, exteriorisq; eius tribunalis in cauſſis temporalibus inſtitutionem, vt ſecundùm allegata, & probata, iudicium feratur; de Iure eſſe diuino: vt contra ſentientes minimè ab hoc loco valeant expediri.

Nam ſi nomine Presbyteri, intelligat Paulus quemcumque hominem ſeniorem: ſiue is ſit ſacerdos, ſiue laicus; vt ſentit Chryſoſtomus; habemus intentum expreſſum, non ſolùm huius Concluſionis, ſed etiam & præcedentis: cauſſas,videlicet, etiam laicorum in foro exteriori Eccleſiaſtico omninò debere iudicari: Si verò iuxta Ambroſij,& Patrum communem explicationem, intelligitur hic, Presbyter, ſolus ille, qui eſt ſacerdos, habemus, Eccleſiaſticum Presbyterum non permittendum accuſari: niſi ſub duobus teſtibus in foro Epiſcopi. Sed iuxta hanc interpretationem,etiam colligimus,laicos apud Epiſcopum accuſari ſolitos; vnde doctrina Apoſtoli eò tendit: vt faciliùs aduersùs eos accuſatores

&

Digitized by Google

& admitti, & audiri poſſent: quam contra ſacerdotes, propter Ordinis dignitatem.

Hic locus eſt illuſtris, & quem Theologi Doctores, qui aliàs formalitates ſubtiliſſimas venantur, & Iuris canonici textuales prudentes, & legum ciuilium acerrimi Ponderatores, vt qui in rebus his Politicis, ac moralibus tam dilucidè hanc iuriſdictionem Eccleſiaſticarum perſonarum repræſentet, inſigniter venerarentur. Vnde nobis præbet occaſionem propoſitam Concluſionem firmiſſimè probandi ex doctrina ſummorum Pontificum ſupra relatorum: ſed præcipuè Clementis Epiſt. 1. Anacleti 1. 2. & 3. Euariſti 2. Alexandri I. 1. Teleſphori 1. Pij I. 1. & 2. Stephani I. 2. Sixti II. 2. Euſebij, Fabiani, & aliorum: atque etiam ſacrorum Conciliorum, & Patrum ſanctorum, quorum omnium Decreta 2. q. 7. & alibi pluries in Iuris canonici corpore referuntur. de Non accuſandis Epiſcopis. Ergo inter eos Clemens teſtatur ex B. Petri doctrina, ſic de Epiſcopis dicēs: [Sed & laicos ab eorum accuſatione, & vexatione ſemper repelli debere rogabat: & cunctos illis ſubditos eſſe præcipiebat: cunctorum ſacerdotum vitam ſuperiorem, ſanctioremq. ac diſcretam à ſecularibus & laicis hominibus eſſe, & ſpirituales quoſq; (Pneumaticos, videlicet, de quibus ſupra diximus) atque ſacerdotes ſuper carnales, & laicos ſemper conſtituendos docebat: quoniam pro minimo inquit, nobis eſſe debet, vt à talibus arguamur, & iudicemur, vel ab humano die.] Quæ verba eadem ſunt cum illis Pauli, 1. ad Corinth. cap. 4. ſic dicentis: [Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, vel ab humano die: ſed neque meipſū iudico: nihil enim mihi cōſcius ſū: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, Dominus eſt.]

Vter verò horum Apoſtolorum ab altero hæc verba ſit mutuatus, noſtra nihil refert; illud verò multùm refert, vt pro re nata ea ſinceriter intelligamus: quæ Photius Conſtantinopolitanus hoc ſcholio illuſtrat: [Exiſtimet homo, ſic nos habere, vt dixi; & quod potiſſimùm diſpenſatores decet habere; nos quoque exiſtimet. Decet enim illos, vt fideles ſint: hoc autem dixit, non extollens ſe; ſed potiùs doctrinæ ſuæ, quam prædicabat auctoritatem tuetur. Etenim ſi liberum illis reliquiſſet iudicare de ſe, & in ſe inquirere, prædicationem minimè recepiſſent. Ne tamen videretur, non propter prædicationem, & ad communem vtilitatem, dixiſſe hæc, ſed ad arrogantiam, ſubiungit; ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Non licet vobis, nec alijs, me dijudicare; ſed oportet potiùs doctrinam percipere, credere, & nihil dubitare: immò nec ego, quāuis nihil mihi conſcius ſum, poſſum me dijudicare; ſed exſpectanda mihi eſt ſententia iudicis: & interim in timore mihi viuendum.] hactenus Photius.

Hinc

Hinc poteſt intelligi illud, quod Petrus in Epiſt. Clementis eiſdem verbis, eodemq; ſpiritu vſus, dixit, ad auctoritatem quoque Euangelicæ doctrinæ, quam Epiſcopi prædicabant, & prædicant, & ad ſanctitatem vitæ illorum, voluiſſe pertinere. Epiſcopos enim non decet, nec æquum eſt à laicis, contra charitatem, accuſari. Quòd ſi accuſandi iuſtè ſunt, non apud laicam id fieri oportet Poteſtatem. Docuit enim bene Petrus ſacerdotum vitam ſanctiorem, ac diſcretam à ſecularibus, & laicis hominibus eſſe, & Spirituales, ſcilicet, Pneumaticos, quoſque, atque ſacerdotes, ad cognoſcendum potiùs de carnalium, atque laicorum cauſſis ſemper conſtituendos, ea firma ratione, quia, inquit, indignum eſt, vt qui Spirituales ſumus, & fideles miniſteriorum Chriſti diſpenſatores, à talibus, ideſt, à carnalibus iudicemur. Neque verò ſolum indignum eſt Spirituales, ſacerdoteſq; à carnalibus laicis iudicari, ſed nec iudicari etiam ab humano die: ideſt, quantumuis perſecutiones ita volente Deo patiantur, indignum eſt tamen, vt contemptui propter eas habiti pretio minimo à ſecularibus reputentur.

Sic ipſe Paulus gratulatur Galatis, Epiſt. ad eos, c. 4. quòd apud eos non fuerit iudicatus ab humano die; dum dixit: [Nihil me læſiſtis. Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam pridem, & tentationem meam in carne mea non ſpreuiſtis, nec reſpuiſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me: ſicut Chriſtum I E S V M.] ideſt, verbum, quod euangelizaui, non accepiſtis, vt Epiſt. 1. ad Theſſ. c. 2. idem ſcripſit, [ſicut verbum hominum: ſed ſicut verbum Dei.] Itaque infirmitatem carnis, & tentationem in carne, vocauit, humanum diem; vt Petrus in Epiſt. Clementis. Hac loquendi phraſi vſus eſt Abdias Propheta c. 1. iuxta lectionem Septuaginta: cùm prophetans Idumæis (qui calamitatibus Iſraelitarum lætabantur,) vltionem in bello: [Ne aſpicias, quit, ò Idumæe, diem fratris tui, in die Aliegenarum.] ideſt, ne habeas quaſi pro ſpectaculo calamitatem Iſraelitarum, qui ſunt fratres tui ex Iacob oriundi, & ne læteris ſuper filijs Iuda, in die interitus eorum.

Idem Petrus, quaſi Pauli præfatam doctrinam, de modo recipiendi accuſationem aduerſus Presbyterum, & à quo debeat recipi, cõfirmans, docet dicta Epiſt. Clementis, non ſolùm Diuinas, ſed & humanas leges, maiores à minoribus accuſari, & iudicari, prohibere. Iam verò certum eſt, inter Eccleſiaſticum, & ſecularem ſtatum, illum, maiorem, minorem hunc, meritò fuiſſe in Chriſtiana Republica iudicatum. Ergo Petrus eos, qui ſacerdotibus coæquales non erant, ab eorum accuſatione, & vexatione prohibebat: quia diſcipulum ſuper magiſtrum eſſe, aut vllam ei iniuriam inferre, nullatenus debere oportet. A coæqualibus autem permittit, eos accuſari: ideſt, ab idoneis, & probatis, & qui ſuſpicionibus, & ſceleribus careant: vt ait Anacletus, Epiſt. 2. Neque cùm tales ſunt accuſatores, habentur infra eos, qui accuſantur; neque tunc eſſe di-

Q ſci-

ſcipulum ſupra magiſtrum, eſt, contra adductam doctrinam Petri, præſumendum.

Addit autem Paulus: [Teſtor coram Deo, & Chriſto I E S V, & electis Angelis eius, vt hæc,] ſcilicet, quæ ad recipiendam accuſationem aduerſùs Presbyterum, & quæ ad correptionem publicè peccantium pertinēt, [cuſtodias ſine præiudicio:] id eſt, ſine inconſideratione, & temeritate: id enim ſignificat Græcè χωρὶς προκρίματος, ſequitur Paulus, [nihil faciens in alteram partem declinando.] Temeritas autem, præiudicium, & inconſideratio, in recipiendo accuſationem aduerſùs Presbyterum, declinatur: ſi, Apoſtolica Conſtitutio ex 2. lib. Conſtit. Apoſtolic. c. 49. ſeruetur; quæ iubet, vt ab Eccleſiaſtico iudice primùm, de accuſatore diligenter inquiratur, quæ eius vita anteacta, & qui mores, quæ conſcientia, quæ cauſſa ad accuſandum adduxerit; vt etiam Euariſtus, Epiſt. 2. & Teleſphorus, Epiſt. 1. ordinarunt, quod Igmarus Rhemenſis Archiepiſcopus dixit, [an ex propria temeritate,] & expreſſiùs adhuc S. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. ad 2. tradit; [cùm cauſſa vexandi, & non affectione charitatis; ſed praua voluntate, ad accuſandum accedunt.] Hoc ipſum priùs Gratianus quoque dixerat, 2. q. 7. Si qui ſunt. & ferè per totam. Tunc enim ſuperbia ineſt in eiuſmodi accuſatione; quam meritò lex, non ſolùm Diuina, ſed & ſecularis prohibet. Sic igitur ratio Petri rationi, & dicto Pauli annectitur, Pneumaticos, ſeu Spirituales quoſque, eoſdemq; ſacerdotes, ſemper ſupra carnales, eoſdemq; laicos conſtituendos eſſe: quod eſt, eſſe illos maiores, & hos minores: & ſic maiores à minoribus accuſari, & iudicari prohibere legem Diuinam illam, ſcilicet, ore ipſius Chriſti latam, Matth. c. 10. [Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.] Ex qua fit conſequens, Epiſcopos, & ſacerdotes, & in vniuerſum Eccleſiaſticos, qui ſunt Spirituales, à carnalibus laicis iudicari, per legem Diuinam, non licere. Immo quaſi eius legis tranſgreſſores reprehendunt Ambroſius, Epiſt. 78. & Auguſtinus, Epiſt. 162. 209, qui Eccleſiaſticas cauſſas terrenis iudicibus iudicandas committunt.

Concluſio probatur nonò ex Apoſtolo, Epiſt. ad Hebræos.

NONO probatur principaliter Concluſio teſtimonio eiuſdem Apoſtoli, ad Hebræos c. 13. ſic ſcribentis: [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.] Ecce Apoſtolus Epiſcopis, & Rectoribus Eccleſiaſticis, & illorum fori Ducibus, ſic enim habet Græca lectio, ἡγουμένοις vult obedientiam præſtari, & illis omnes Chriſtianos ſubiacere; & ſubditos eſſe. Agere autem hic Apoſtolum de Prælatis tantùm Eccleſiaſticis, conſtat primò, ex eodem Capite: non enim longè ab eius initio, ſic fuerat Hebræos exhortatus: [Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei.] Ecce appellat Præpoſitos, Apoſtolos illos, qui ipſis verbum Dei annunciauerant, Petrum, videlicet, & alios

Diſci-

Diſcipulos. Conſtat ſecundò, ex ratione adducta ibi, vt illis morem geran: [Ipſi enim, inquit Paulus, peruigilant: quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.] Licèt enim ex accidenti, quia modò Eccleſia Principes habet Chriſtianos, illis etiam obediri debere colligamus ex hoc loco; cùm etiam ſuo modo, & ordine peruigilent, quaſi rationem Deo, pro ſubditorum reddituri animabus; attamen Hebræi Neophyti, ad quos tunc ſcribebat Paulus, neque habebant, neque cęteri Chriſtiani, quibus hæc doctrina communis tradebatur, erant habituri ſemper Principes ſeculares, qui pro illorum peruigilarent animabus, Deo, illius ſummum, & vltimum iudicium reuerentes, de eis rationem reddituri.

Aliàs interrogandi eſſent Nerones, Decij, Diocletiani, & ſimiles Imperatores, & nunc Reges Sinarum Gentiles, quam vigilantiam adhibuiſſent, vel adhibeant, quaſi rationem reddituri pro animabus Chriſtianorum, quos vel habuere ſubditos, vel habent? qui neque immortalitatem animarum credebant, vel credunt. Reliquum eſt, vt de Præfectis ſolùm Eccleſiaſticis egerit Paulus, non ſolùm Diuina, & ſpiritualia adminiſtrantibus: ſed etiam in foro exteriori cauſſas ciuiles, Eccleſiaſticas præcipuè, atque etiam ſeculares, expedientibus; quod faſtidium, ſolo, ſubditorum obedientiæ, & promptæ ſubiectionis, condimento, videbat poſſe deuorari: ſicuti Auguſtinum dixiſſe, meminimus ſupra: vt omninò impleretur illud, quod Eccleſ. c. 7. dictum eſt: [In tota anima tua time Dominum: & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit; & miniſtros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua: & honorifica ſacerdotes.]

Neque obſtat, ſi dicatur contra, Adhuc ipſam rationem dicti Apoſtolici arguere, ibi agere Apoſtolum, de rebus Prælatorum purè ſpiritualibus, ad ſuas oues pertinentibus, de quibus reddituri ſunt rationem Deo Paſtores, ac Præpoſiti Eccleſiæ, & in quibus abſque dubio, excluſa laica Poteſtate, omnem exercere debent iuriſdictionem: vt primo Principio ſuppoſuimus. Reſpondetur enim, ſub hac vniuerſa doctrina, ibi Apoſtolum maximè exhortatum fuiſſe Hebræos Neophytos, qui, vt ex Actis Apoſtolorum, c. 2. conſtat, omnibus ſuis fortunis ceſſerant; vel mobilia, & immobilia vendiderant bona, eorum pretium ad pedes Apoſtolicos adducentes: vel à perfidis Iudæis ea diripi fuerant paſſi libenter; vt ex eadem Epiſt. c. 10. apparet, dum illis ſcribit: [Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſtinuiſtis:] & denique ſeipſos, corpora, animas, bona, Apoſtolis contradiderant. In quorum bonorum, per Præpoſitos Eccleſiæ, adminiſtratione temporali, cùm poſſent aliquando ſcrupulis moleſtari (vti Act. c. 6. cœperunt murmuria inter ex Græcis, & ex Palæſtinis Hebræos Neophytos, circa hoc ſubnaſci) an dicta bona ab ipſis abdicata, bene, vel malè, iuſtè, vel iniuſtè, ab Eccleſiæ Præpoſitis admi-

Digitized by Google

niſtrarentur: hinc Apoſtolus etiam de temporali ſubiectione, quam, circa ciuilia negotia, Eccleſiæ, Prælatis præſtandam eſſe ſciebat, cogitans, dixit: [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis:] nihil interim curantes, qualiter illi, vel inter vos diſſidia componant, vel veſtra olim bona, iam verò Eccleſiæ communia, diſtribuant; certus ſum enim quòd [ipſi peruigilant: quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri.] Sed Paulum circa hunc locum iterum, & tertiò audiemus infra 3. P. argumento. 2. contra Concluſionem, 1. & Par. 4.

Probatur decimò Concluſio, ab effectu.

DECIMO confirmatur Concluſio, ex poſt facto, & ab effectu ſubſecuto circa hanc iuriſdictionem Eccleſiaſticam; tempore, quo Chriſtianam Imperatores orbis fidem, ac diſciplinam ſuſceperunt. Nam ſicuti ſupra à conſenſu communi orbis Chriſtiani arguebamus, hanc immunitatem eſſe, vel de iure naturæ, vel euidenti conſecutione ex illo deduci; ſic nunc erit operæpretium, vt eam eſſe de Iure diuino colligamus, eamdem rationem proſequendo, Chriſtianorum Imperatorum, & Principum ſecularium non ſolùm conſenſum, verumetiam iudicium appellare. Hi enim omnes, & omnes laicæ Poteſtates, Eccleſia iam ad finem tertij ſeculi, & deinceps maiores vires colligente, vna conſpiratione, vno ſenſu, iudicio vno, hanc illi immunitatem, hanc libertatem perſonis Eccleſiaſticis per leges, per ſtatuta, per Conſtitutiones, quæ paſſim habentur, & ab omnibus ferè hanc cauſſam defendentibus referuntur, facto ipſo, & facti, legumque ſancitarum perpetua tuitione, reſtituerunt; nihil certè, ex proprio, & ſuo donantes, nec auctores dictæ immunitatis, vel eius inchoatores, ſeu introductores exſiſtentes: quaſi lege priuata, ſeu priuilegio, vel gratuito, vel honeſto Eccleſiam, & eius Eccleſiaſticas perſonas decorantes. Verùm cùm de ſacris doctrinis, de iure Eccleſiæ, eſſent optimè inſtituti, & informati à ſuis Apoſtolis, & Chriſtianis Doctoribus; intellexerunt, hanc immunitatem, fuiſſe diuinitùs datam Eccleſiæ à Chriſto; cùm eam, per vim, Imperatores Ethnici, & antiqui tyranni, ſicuti Deo cultum debitum, ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, prioribus ſeculis, abnegaſſent. Hinc ergò hanc immunitatem, Eccleſiaſticis perſonis reſtitutam, ſartam & tectam conſeruari deinceps mandarunt; certi dubio procul, nihil ex hac Eccleſiaſtica poteſtate, ac iuriſdictione, ſuis iri detractum ditionibus, ac ciuili poteſtati: immò certi, honorem regis, iudicium diligere: neque egere terrenam Maieſtatem, (Eccleſiaſticam, videlicet, inuadendo Politiam externi fori) ex Diuo Bernardo, falſis honoribus, veris ornatam titulis dignitatum.

Sed vt in ſpeciali facto aliquid circa hanc rationem proponamus; Fœdericus Imperator in Codice Iuſtiniani, de Epiſcopis, & Clericis, Authent. Statuimus. omni iuriſdictione, omnino interdicit in Clericos,

omnibus Magiſtratibus. [Statuimus, inquit, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel ciuili, trahere ad iudicium ſecularc præſumat, contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas ſanctiones: quòd ſi actor fuerit, ſuo iure cadat; iudicatum non teneat: & iudex ex tunc, poteſtate iudicandi priuetur. Sancimus etiam, vt ſi quis Clericis, vel Eccleſiaſticis perſonis iuſtitiam denegare præſumpſerit, tertiò requiſitus, iuriſdictionem ſuam amittat.] Iuſtinianus ipſe, quid eo ipſo loco Authentico præcedenti? mulctam certè, viginti auri pondo illis irrogat Magiſtratibus, qui in ius Epiſcopum vocauerint. Nouel. 123. c. Nulli, & ibi Epiſcopos apud Metropolitas, hos apud Patriarchas, dicit, iudicium accepturos. Vbi valde eſt notandum, à Iuſtiniano omnem aditum intercludi putantibus, id ſua conſtitui auctoritate: cùm in exordio ſe, ex antiquis ſacris Canonibus, ita ſtatuere, profiteatur. Quod & titulus ipſe docet: laicoſque etiam permittit, Epiſcoporum iuriſdictionem prorogare.

Immò quædam quæ, tantùm oſtenſis fontibus, ſupra adduxeramus, erit nunc opportunum expreſſiùs enarrare. Arcadius, & Honorius ante Iuſtinianum, ita ſcribunt Præfectis Prætorio, de Epiſcop. audien. l. 8. [Si qui ex conſenſu, apud ſacræ legis Antiſtitem, litigare voluerint, non vetabuntur: ſed experientur illius, in ciuili dumtaxat negotio, more arbitri ſponte reſidentis, iudicium.] & l. 9. [Epiſcopale iudicium ſit ratum omnibus, qui ſe audiri à Sacerdotibus elegerint: eamque illorum iudicationi adhibendam eſſe reuerentiam iubemus, quam veſtris neceſſe eſt deferre poteſtatibus, à quibus non licet prouocare. Per iudicum quoque officia, (ne ſit caſſa Epiſcopalis cognitio,) definitioni exſequutio tribuatur.] Hoc ipſum copioſiùs antea ſtatuerat Theodoſius Magnus, anno Chriſti. 395. & habetur 11. quæſt. 1. [Quicùmque, inquit, litem habens, ſiue petitor: vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis: ſiue cùm negotium peroratur, ſiue cùm iam cœperit promi ſententia: ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ ſedis Antiſtitis, illicò, ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum iudicium, cum ſermone litigantium, dirigatur.]

Qui Canon collectus fuit ex C. Theodoſiano, lib. 16. tit. de Epiſcopali iudicio. l. 1. quæ repetitur lib. 6. Capitul. cap. 281. & in Conc. 3. Valentino, ſub Lothario. Et apud Iuonem, & Anſelmum, ſequuntur hæc; [Multa enim quæ in iudicio captioſæ præſcriptionis iuricula non patiuntur, inueſtigat, & promit Sacroſanctæ religionis auctoritas.] Item ead. cauſ. & quæſt. ſequitur Canon. [Omnes itaque cauſſæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententijs terminatæ, perpetuo ſtabilitatis iure firmentur: nec vlteriùs liceat retractare negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit. Teſtimonium etiam ab vno licet Epiſcopo, perhibitum, omnes iudices indubi-

tanter

ranter accipiant : nec alius audiatur, cùm teſtimonium Epiſcopi à qualibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à ſacroſancto homine conſcientia mentis illibatæ protulerit. Hoc nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus : hoc perpetua lege firmamus, malitioſa litium ſemina comprimentes.] Quæ lex per Carolum poſtea fuit renouata in ſuis Capitularibus, loco modo allegato, & habetur eadem cauſſa, & q. cap. Volumus. Hinc Patres in Concilio Mileuitano, Imperatorum Arcadij, & Honorij, ac Theodoſij Conſtitutiones, & acceptantes, & exſecutioni dari optantes, ſic Canone 19. ſtatuerunt contra Eccleſiaſticas perſonas, quæ ſuo non vterentur Eccleſiaſtico foro, & refertur 11. quæſt. 3. [Placuit, vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Epiſcopale iudicium ab Imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit.]

Hoc eò referimus libentiùs, primò, vt ſit notum omnibus, quanta fuerit apud omnes, & apud Imperatores præſertim, vetus Epiſcoporum auctoritas : ſecundò, vt eluceat fundamentum illud Eccleſiaſticę iuriſdictionis ſupra à nobis latè tractatum, & adhuc infra tractandum, ex loco Euangelij Matth. cap. 18. [Si peccauerit, &c.] Ex quo enim alio loco conuenientiùs ortum habuit hæc edita ab Imperatore Eccleſiaſtica poteſtas ? niſi quia Epiſcopos ad iudicandas ſuas temporales cauſſas eligere Chriſtianis omnibus ab initio licuit, & in eodem Eccleſiaſtico tribunali eas erant ſoliti tractare ? ita vt Theodoſius in hac Epiſcopos repererit poſſeſſione, & haud dignum duxerit, morem antiquũ perturbare. Vnde inquã, hęc tanta iuriſdictio Eccleſiaſtica? & tãti ab Imperatoribus æſtimata ? & tanta maieſtate continuata ? niſi quia nata fuit cum Republica Chriſtiana ? & ab ore prodiuit Chriſti illius Inſtitutoris ? & cum Republica Chriſtiana ſuccedentibus ſeculis adoleuit ? Cùmque Chriſtiani effecti Imperatores, Eccleſiam, non barbaram, non diſſutam hominum eſſe congeriem reperiſſent ; ſed Congregationẽ, quę à perfectiſſimo ſuo Legiſlatore Chriſto, perfectiſſimas leges, etiam Politici ſui regiminis : nihil interim perturbatis, quaſſis, aut loco motis Imperatorum, ac Regum, etiam Ethnicorum ditionibus accepiſſet : illius poteſtatem ciuilem immotam reliquerunt ; & ampliarunt.

Et quod non caret admiratione : Theodoricus Gothorum rex, quamuis eſſet Arrianus, ac Italiam, Romamque teneret : de hæreditatis controuerſia inter Epiſcopum, & priuatum cognoſcere noluit : vt de eo ſcribit Magnus Aurelius Caſſiodorus ipſius Theodorici Profectus Prætorio, lib. 3. Variarum. [Quoniam, inquit, cauſſarum veſtrarum qualitas, vobis iudicibus terminari debet : à quibus exſpectanda magis, quàm imponenda iuſtitia.] Et lib. 1. de Clericis Auguſtanæ ciuitatis, calumniantibus Epiſcopum ſuum, quicquam decernere noluit : ſed reijcit

cauſſam ad Mediolanenſem Archiepiſcopum, cuius erat illa iuriſdictio: eò quod, inquit, Clericatus nomine fungebatur. Qualiter autem Pontifex Maximus etiam Epiſcopis ius dicebat, vel eligere arbitros compellebat, habetur apud Gregorium Magnum lib. 1. Epiſt. 36. Concilia etiam in Prouincijs, vel Metropolitani hoc iudicium versùs Epiſcopos exercebant, à quibus ad Romanum Pontificem, ſi opus eſſet, prouocabatur. Quæ iuribus vulgaribus ſatis conſtant.

Tandem Alexander Conſil. 8. lib. 1. ex ſententia illa Iuſtiniani in Authentico. Quomodo oporteat Epiſcopos, docet diſtinctas eſſe à Deo has iuriſdictiones, Eccleſiaſticam, & Laicam: & ibi narrat Baldum ſcribere, de prohibente Clericum in ius vocari, vt non conſtituat ius nouum; ſed diſcedat ab errore veterum legum Ethnicorum. Si quidem numquam Clerici iuriſdictionis fuerunt laicorum.

Poſſet etiam Concluſio confirmari ex pluribus ſummorum Pontificum decretis, editis poſt tertium Eccleſiæ ſeculum: nam Prædeceſſorum acta circa hoc, & decreta, iam ſunt ſupra relata: quaſi quæ apud eos qui proterua mente huic Eccleſiaſticę non aduerſantur iuriſdictioni, credidimus pondus habitura. Poſſet fulciri etiam ex multis Sanctorum, & antiquorum Patrum teſtimonijs, etiam in corpus Pontificij iuris redactis; ex quibus hanc immunitatem eſſe de Iure diuino colligitur: quod eſt certè forte argumentum, audire id docentes Pontifices, apud quos clauis ſcientiæ reſedit, & Doctores, apud quos vberiùs donum intellectus reſediſſet. Attamen quia Patres illi, quaſi partes (quod certè minimè decuiſſet) in ſuſpicionem affectatæ iuriſdictionis, ab aliquibus, de Catholica Eccleſia malè meritis, forſan vocarentur, & quia hoc argumentum eſt ab excellentibus Doctoribus Iuriſperitis ſatis dilatatum: nos fabrilia ad fabros tractanda relegantes, ab illo proſequendo penitùs abſtinemus nunc: quarta huius tractatus Parte pro aduerſantium argumentorum confutatione de eo forſan aliquid addituri.

Probatur vndecimò Concluſio, ex vi prioris Concluſionis.

VNDECIMO, roboratur Concluſio, nam ſi Chriſtus reliquit Eccleſiæ ſufficiens remedium, iuxtà primæ concluſionis aſſertum, quo lites quæcumque inter Chriſtianos omnes excitatæ, ſopirentur ex charitate, & æquitate Chriſtiana, in Eccleſiaſticis tribunalibus: ſi Paulus audaciam Chriſtianorum in vniuerſum accuſabat, qui dictæ Chriſti doctrinæ veſtigijs non inſiſtentes, ſecularia negotia ad laicam Poteſtatem deferebant iudicanda; neutiquam credendum eſt, eumdem Chriſtum Dominum, & eius imitatorem Paulum, & ceteros Apoſtolos, in tot locis Euangelij, & ſuorum Scriptorum ſuprà adductis, de hac Iuriſdictione Eccleſiaſtica in foro exteriori, iuxtà præfatas illorum expoſitiones, & de hac Eccleſiaſticarum perſonarum expreſſè de Iure diuino

ſtatuta

ſtatuta immunitate non egiſſe. Quæ ratio adeò valuit apud Patres in dicto Concilio 3. Carthaginen. anno 400. ferè à Chriſti ortu celebrato, vt ordinauerint cap. 9. & refertur. 11. quæſt. 1. cap. Placuit. vt viri Eccleſiaſtici ad forum ſolum Eccleſiaſticum in cauſſis quibuſcumque accederent temporalibus: ſic concludendo notandis verbis: [MALE SENTIRE DE ECCLESIA, QVI DE IVDICIO SECVLARI POSCVNT AVXILIVM: CVM PRIVATORVM CHRISTIANORVM CAVSSAS APOSTOLVS AD ECCLESIAM DEFERRI, ATQVE IBI TERMINARI, PRAECIPIAT.]

Concluſio probatur duodecimò, ab inconuenienti.

OVES (duodecimo argumento) pateretur Chriſtus de ſuis Paſtoribus iudicare? Sal terræ, Eccleſiaſticas, videlicet, perſonas, vellet in ſua perfectiſſima Politia, propter ſuas lites, & negotia ſecularia, à ſecularibus iudicibus, quaſi ſal euaneſcens, foras mitti? Illuminatores mundi, ab in eo illuminandis, vellet, in negotijs etiam iuſtitiam ciuilem concernentibus, illuminari? Ciuitatem ſuprà montem poſitam, vellet, à villis, à caſtellis, à ſuburbijs ſtatus laici, diſcerni? Et verenda Patrum voluiſſet Chriſtus, à filijs quottidie diſcooperiri? Eccleſiaſticorum, ſcilicèt, qui ſunt Eccleſiæ Patres, culpas ciuiles, & temporales, permiſiſſet paſſim in ſecularibus tribunalibus manifeſtari, argui, & iudicari? quò facilè ſtatui laico Sacerdotalis maieſtas in contemptum deueniret. De quo videndum d. 96. Quis dubitet. cum alijs ibi relatis. Abſit, vt hoc de tanto Legislatore ſuſpicemur. Et non potius firmiter nobis perſuadeamus, Chriſtum Dominum ſufficienter prouidiſſe Eccleſiæ, circa ea quæ neceſſaria ſunt, nedum ad ſalutem æternam, & ſpirituales res, verùmetiam ad ordinis, & ſtatus Eccleſiaſtici Politiam, & externam conſeruationem: iuxta illud Iſai. cap. 5. [Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, (ideſt, Eccleſiæ,) & non feci?] Ad quod omninò requirebatur in Eccleſiæ Paſtoribus & gubernatoribus poteſtas exterior coerciua, & directiua circa res ciuiles, & verſùs Miniſtros Eccleſiaſticos: vt Eccleſia non ſolùm diceretur appoſitiſſimè ſimilis eſſe humano corpori, regno, ciuitati, domui, ouili, naui, arcæ Noe: verùmetiam terribilis, ex Cant. cap. 6. vt caſtrorum acies ordinata vocaretur.

Abſit, vt non potius Magnum Conſtantinum Imperatorem, intelligamus, Dei ſpiritu motum, libellos ſupplices, (quod referunt Ruffin. lib. 10. Hiſtor. c. 2. & Sozomen. lib. 1. c. 16.) maleferiatorum Epiſcoporum, & de ſua dignitate, & immunitate Eccleſiaſtica malè meritorum, cauſſas ſuas ciuiles, & temporales continentes, flammis commendaſſe: Epiſcopos, Clericos, & Eccleſiaſticos omnes miniſtros, & eorum cauſſas, ſolius Dei iudicio, ideſt Eccleſiaſticæ Diuinæ iuriſdictioni affirmando,

fuiſſe à Chriſto Domino reſeruatos, vt qui dij eſſent vocati, & idcircò non poſſent ab hominibus, qui dij non eſſent ſimiles, iudicari.

Quæ ratio tam videtur efficax, & adeò intellectum conuincere cuiuſcumque Catholici, ac bene diſpoſiti hominis: vt ea ſola ſufficeret, ad hanc immunitatem Eccleſiaſticam, apud eum eſſe de Iure diuino comprobandam: quantumuis propoſitis firmiſſimis teſtimonijs eſſemus deſtituti: cùm dictent legis Chriſtianæ æquitas, excellentia, & ordo Chriſtianorum cordibus iuxta quintum principium altè repoſita: hanc immunitatem neutiquam fuiſſe à Chriſto liberè dimiſſam, quæ ad nutum poſſet, ſub quocumque velamine, à Poteſtatibus ſecularibus violari.

Hoc argumentum, quaſi palmarium, (ſi de hac materia teſtimonijs ſacris adeo confirmata, argumentis adhuc agendum eſt:) aſſumpſerunt Patres in illo Concilio 2. Matiſconen. ſupra citato, dum Can. 19. ſic ſtatuerunt: [Licet Reuerendiſſimi Canones, atque ſacratiſſimæ leges de Epiſcopali Audientia, in ipſo penè Chriſtianitatis principio, ſententiam protulerint: tamen quoniam eadem poſtpoſita humana in Sacerdotes Dei graſſatur temeritas: ita vt de atrijs venerabilium Eccleſiarum violenter abſtractos, ergaſtulis publicis addicant: cenſemus, vt Epiſcopos noſtros ſecularium faſcibus praditus, iure ſuo contumaciter ac perperam agens, de ſancta Eccleſia, cui præeſt trahere audeat.] & data ſtatim forma iudicandi de Epiſcoporum cauſſis per Metropolitanos, &c. additur. [Nefas eſt enim, vt illius manibus Epiſcopus, aut iuſſione de Eccleſia trahatur, pro quo ſemper Deum exorat, & cui, inuocato nomine Domini, ad ſaluationem corporis, animæque, Euchariſtiam ſæpè porrexit. Hoc enim decretum à nobis præfixum, qui fuerit audacter transgreſſus, tam ipſe, quàm omnes, qui ei conſenſerint; vſq; ad generale Concilium Anathemate de Eccleſia ſeparentur.] Ratio autem hęc Patrum grauiſſima, cùm ſit communis omnibus Eccleſiaſticis reſpectiuè; idem Can. ſequenti. 10. de eiſdem ſtatuerunt. Et certè his, & alijs à nobis prædictis attentè conſideratis: videtur nihil aliud velle quicumque magnum Chaos, (quod inter ſtatum ac ordinem Eccleſiaſticum, & ſecularem de Iure diuino in huius Politicæ adminiſtrationis, ac iuriſdictionis, ratione firmatum eſt) ſeiungere, diſcernere, expellere, ac ſeparare contendit: quàm vnum in toto orbe Chriſtiano, eiuſque ſtatibus efficere vultum: [Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles.] & quem ſic confuſæ profanæ, ac religioſæ iuriſdictionis vultum; neque ipſa bifrontis Iani, vel tricorporis Gerionis, aut tricipitis Cerberi ſecula cognouerunt.

Probatur decimotertio Concluſio; ex Chriſti doctrina: Matth. cap. 18. [Si Eccleſiam non audierit, &c.]

DECIMOTERTIO (& ſit confirmatio quarumdam præcedentium rationum:) Eccleſię, eiuſque Prælatorum ſumma eſt poteſtas in hac

Chriſtiana republica erigenda, regenda, dirigenda, corrigenda, augenda, & conſeruanda. Hæc doctrina, oportet, vt ſit nobis communis cum omnibus Catholicis hominibus, quique Euangelij profitentur integram veritatem, quæ id docet Matth. cap. 18. ex ore Chriſti: vt [qui Eccleſiam non audierit, ſit nobis ſicut Ethnicus, & publicanus] æſtimandus. Hæc lex omnes tenet ciuiles Magiſtratus, omnes afficit Chriſtianos: denique aut fidelis non eſt, aut huius legis venerator, opus eſt, fiat, qui de iuriſdictione Eccleſiaſtica optat de iure diſputare; aut effectu ipſo diſcernere vult. Neque intelligat oportet, legem illam à Chriſto nudam, ac inermem ſcitam, latamque fuiſſe: immò eo legi adhibito robore, vt ſe præſtiterit ſecurum vadem, addito, Amen, in cælo fore ſimiliter ligatum, quod Eccleſia, eiuſque Præfecti in terra ligaſſent; ſolutumve ratione fore eadem in cælo, quicquid in terra ijdem Præfecti diſſoluiſſent.

Expoſitores verò huius loci Euangelici, qui de poteſtate data Eccleſiæ, ideſt Concilio Epiſcoporũ, illum intelligunt, haud moramur: nec nos retardabunt, dummodo haud cum Hæreticis Interpretibus, negent Chryſoſtomo, Ambroſio, Theophilacto, Euthimio, & Doctoribus multis alijs, dici Eccleſiæ rem, cùm eius etiam dicitur Prælatis ſingulis, reſpectiuè, eoſque Eccleſiæ nomine à Chriſto fuiſſe ſignificatos: cùm iam ſupra ex Cypriano, & Hieronymo intellexerimus, multò magis dici Eccleſiam propter Prǽſides eius, quàm propter fidelium, qua conſtat, reliquam congregationem. Sit ergo vtraque interpretatio vera: cùm ſæpiùs in Eccleſia grauiſſimi ſuboriantur caſus, qui Conciliorum, ſiue Prouincialium, ſiue Oecumenicorum poſtulent, ſub conuenienti Capite, ſolemnitatem: interpretationem vtramque amplectimur, quæ cauſſæ noſtræ confirmandæ valet conuenientiſſimè deſeruire.

Si igitur Eccleſiæ Epiſcopus Apoſtolus Paulus, quominus Chriſtiani forum ſeculare adirent, in ſuis negotijs ſecularibus, interceſſit: ſi iuſſit, vt ſuis Præpoſitis obedirent: quòd nedum de ciuili, inter ipſos Eccleſiaſticos, regimine, ſed de eo, prout ad ipſos protenditur laicos, intelligendum eſt: ſi ipſe iniunxit Epiſcopis, vt attenderent ſibi, & vniuerſo gregi, cui paſcendo, ac regendo Spiritus illos ſanctus præfecerat: ſi ſummi Eccleſiæ Catholicę Præfecti Romani Pontifices, ideſt, Eccleſia; ſi ſacra tot Concilia, ideſt, Eccleſia prohibuerunt, Eccleſiaſticorũ cauſſas cognoſci à ciuili laicæ iuriſdictionis Poteſtate; neceſſe eſt, vt de Iure diuino Eccleſiaſticæ perſonæ Eccleſiaſtico obtemperent Politico Magiſtratui: neceſſe etiam eſt, vt omnes Principes ſeculares, omnes Magiſtratus ciuiles legibus dictorum Apoſtolorum, Pontificum, ac Conciliorum, hanc immunitatem Eccleſiaſticam ſancientibus, pijs obſequantur animis, Hierarchiam, ac Politiam Eccleſiaſticam, circa ſuum Politicum externum temporale regimen, non violando: ni velint ab Eccle-

ſia tamquam Ethnici, ac publicani, per eius Prælatos, & præcipuè, per ſummum Pontificem, ſeparari. Sanctarum enim harum legum, ac ſacrarum Conſtitutionum Principes ſeculares non oppugnatores, ſed patronos, ac protectores, ad eas exſequutioni decenti mandandas, Apoſtoli, Pontifices, Concilia delegerunt.

Ex duobus Notandis Collectio valde attendenda, pro Concluſionis confirmatione.

TAMDEM, vt concludamus, notandum eſt primò: Omnes Catholicos Doctores, qui de hac Eccleſiaſtica iuriſdictione, & immunitate, ſeu vt quidam loquuntur libertate, aut exemptione ſcripſerunt, vnanimi conſenſu; ſiue Theologi, ſiue ſint Iuriſprudentes, docuiſſe; hanc libertatem, vt ſic loquamur, fori, quam modo poſſident Eccleſiaſticæ perſonæ, etiamſi non eſſet de Iure hoc præciſè diuino, non poſſe, à quocumque Chriſtiano Principe, neque debere auferri, tolli, imminui, aut impediri: iuxta l. Si quis argentum. §. fin. de Donat. & Princ. inſt. Innocent. cap. Nouit. de Iudic. Decium. ibidem num. 93. qui Imolam, Felin. & alios citat, Card. in conſi. 83. num. 4. Felin. in cap. 1. nu. 19. de Conſt. & in c. 1. not. 1. de probat. Innocent. & alios c. 1. de maior. & obed.

Huius aſſertionis ea ab his Doctoribus adducitur prima ratio: quia cum talis libertas, ſeu exemptio ſit Dei conueniens ſeruitio, & ad honorem, & ſuorum miniſtrorum maieſtatem, & exteriorem ſplendorem introducta: Pontifice ſupremo ſacrarum rerum Principe exſiſtente, potuit ipſe ſolus ad hunc effectum, & ad finem hunc, Dei patris, Chriſti IESV, & Spiritus ſancti ſeruitium, per orbem amplificandi, abſque alicuius ſecularis Principis, vel conſenſu, vel priuilegio, hanc exemptionem Eccleſiaſticis attribuiſſe perſonis. Sic Nauarr. cap. Nouit, de iudic. notab. 6. num. 29. quam eſſe communem opinionem docuit Couarr. nu. 3. cap. 31. Quæſt. Pract. Conc. 3.

Eſt ſecunda dictæ aſſertionis ratio: quia Principes ſeculares omnem habent auctoritatem à Republica, & à populis, qui in eos illam à ſe transtulerunt: vt partim ſuperius à nobis dictum fuit, & vberiùs 4. Part. Tract. infra deducetur: Sed vniuerſa Chriſtiana Reſpublica, Eccleſiaſticarum perſonarum exemptioni, ſuum præſtitit conſenſum: Ergo Principes illam nequeunt ab illis auferre, vel illius vſum impedire. Hæc fuit ſententia Victoriæ Relect. 1. de Poteſt. Eccleſ. ſect. 7. prop. 7. Soto in 4. diſt. 25. q. 2. art. 2. Conc. 5. qui ſic loquitur. [Quamuis Clerici neque in ſuis perſonis, neque in ſuis bonis eſſent Iure diuino liberi, nihilominus potuit Papa, etiam inconſultis Principibus, & debuit, eos ab eorum exactionibus, & foro excipere; cui quidem exemptioni Principes contrauenire nequeunt.] Quod idem ſcripſit Couarr. loco ſtatim allegato, Conc. 4.

Hi omnes Doctores, cum alijs, quibus hæc doctrina non ſolùm, verùm & ratio doctrinæ communis eſt, ad grauiſſima illa verba Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem ſcribentis reſpexerunt; dum dicit, [Eccleſiæ Romanę priuilegia Chriſti ore in B. Petro firmata in Eccleſia ipſa depoſita, antiquitus obſeruata, & à ſanctis vniuerſalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari. Quoniam fundamentum, quod Deus poſuit, humanus non valet amouere conatus, & quod Deus ſtatuit, firmum validumq́; conſtituit; illeque potiſſimum peccat, qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Priuilegia, inquam, eius Sedis vel Eccleſiæ perpetua ſunt, diuinitùs radicata, atque plantata ſunt; impingi poſſunt, transferri non poſſunt; trahi poſſunt, euelli non poſſunt: quæ ante veſtrum Imperium fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenus illibata, & quibuſcumq; Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere, non ceſſabunt, immutilata.]

Secundò notamus, eſſe certum ex Gregorio Magno, vt habetur 11. q. 3. [Priuilegium omninò mereri amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.] Idem docuere Simplicius Papa, Epiſtol. 3. Decret. & Nicolaus I. Epiſt. ad Igmarum, quæ incipit, Beatitudinis tuæ. & Auguſtinus ſerm. 247. de tempore, Gloſſ. in c. Reſcripta. 25. q. 2. ſic dicens; [Si ex poſt facto incipit enormiter lædere, ſtatim non valet; vt extra, de decimis. Suggeſtum. quàm citò enim priuilegium recedit ad iniquitatem, ſtatim non valet; vt ff. de vulg. ſubſt. ex facto, &c.] Cuius Gloſſematis doctrinam, ſequutus fuit Panorm. in c. Suggeſtum. de decimis. cum communi Iuriſprudentum Schola.

Quibus præmiſſis, ſic colligimus. Si hæc Politica Eccleſiaſtica poteſtas de Iure præciſè diuino non eſt; videtur ex dictis, de iure poſitiuo Canonico, ſeu Ciuili, ad hos fontes, ad has radices, ad hæc omninò fundamenta reducenda. Et ſine ordinis præiudicio, Primò videlicet, ad Principum laicorum voluntatem, & conſenſum, & eorum priuilegia: vnde intrat iuris regula: [Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt:] Secundò, ad conuenientiam pro Dei ſeruitio, edita à ſummis Pontificibus ſtatuta Canonica: pro poteſtate, quam in res, ſeu perſonas habent ſacras, & pro obligatione, & debito illa edendi: Tertiò, ad tranſlationem ſpontaneam, quam Reſpublica fecit Chriſtiana huius ciuilis poteſtatis, per Eccleſiaſticos iudices, in Eccleſiaſticas perſonas exercendam. Quibus accedāt: quartò, vſus antiquus, & inueterata conſuetudo: Quintò legitima præſcriptio: Sextò interrupta iuſta poſſeſſio; Septimò immemorabilis acquiſitio; accedant Octauò in foris Principum ſecularium pro ea perpetuæ ſententiæ; & Vltimò continua cum his, & alijs, ſi qui reſtant, titulis, Politicæ huius poteſtatis obſeruantia. Fontes ſunt certè hi limpidi, haud facilè turbandi: radices ſunt certè firmæ: fundamenta

alta, & quæ haud facilè conuelli queant à Principibus laicis, aliquid contra hanc Eccleſiaſticam iuriſdictionem volentibus admoliri. Aliàs nobis ſigillatim à primo vſque ad vltimum Chriſtianum Principem reſpondeant, ſupplicamus: quando cum hiſce titulis, cum hiſce iuribus, immò cum illorum aliquibus, ſuas poſſident ditiones: defendentne illas à quocumq; Principe extraneo in eas irruente, Chriſtiana lege integra? Bello, ferro, igne circa hoc iniurias ſibi illatas propulſabunt, charitate Chriſtiana non diſcuſſa? Diuitias, opes, pecunias, honorem, vitam, & ſuas, & ſuorum ſubditorum cuicumque exponent periculo, Chriſti Euangelio illibato, ne maiorum ſuorum ditiones in dominium iniuſtum alieni Principis concedant? Credimus certè, eos ingenuè profeſſuros, ſe eſſe paratos ad ſua imperia, ſua regna, ſuas Reſpublicas, ſuas ditiones, ſua denique omnia iuſtè poſſeſſa, & iniquè impetita, tuendum, quocumque Principe, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſeculari, non obſtante; immò neque de iure valente prohibere.

Et tamen hæc Eccleſiaſtica Politica iuriſdictio, tot titulis, tot iuribus conſtans, ſi alicubi terrarum minus ſeuerè à iudicibus Eccleſiaſticis exerceatur; ſi vnius Clerici delictum aliquod (quod non eſt difficile contingere) remaneat impunitum, vel ea ratione, qua laici actores, vel alij expoſcebant, vel exoptabant, non punitum: Deus bone! quæ, & quantæ ſubitò tragœdiæ à miniſtris ſecularibus excitantur? qualiter in iuriſdictionem hanc inuehunt? eam non priuilegium, aut aliquid eorum, quæ relata ſunt; ſed iuxta ſecundùm notabile, prauilegium eſſe, iam non ferendum, conclamando. Hinc ſi Principes ea imbuti ſint doctrina, dictam ciuilem Eccleſiaſticam poteſtatem Iure diuino non ſubſiſtere, verendum eſt, vt ſiniſtris Conſultorum malè de Chriſtiana pietate merentium, accedentibus conſilijs, poſt tot, quibus aliàs dicta Politia ſubſiſtit iura, tam promptos, tam expeditos, tam faciles; tam ſe præſtent paratos ad eam proculcandam, & eum ſua poteſtate laica ciuili confundendam; vt ſe promptos, expeditos, faciles, paratoſq; ad ſuas ditiones, multò minoribus conſtantes, defendendas, iuribus, præſtitiſſent.

Intereſt ergo maximè Eccleſiæ rem, pijſſimi, & doctiſſimi Theologi, & Iuris prudentes Doctores præteriti, qui inſtans hoc Eccleſię periculum non vidiſtis; præſentes, qui illud iam oculis inſtare cernitis; futuri, qui, quæ temporum gliſcit calamitas, illud forſan inſtantiùs experiemini: intereſt, inquam, vt filios veſtros diſcipulos, item & Principes Chriſtianos, ac omnes ſeculares, quibus eſtis Sal, & Sol à Chriſto Domino contributi, doceatis; vt memoriter teneant, & ore decantent, hanc Politicam Eccleſiæ facultatem, ab ipſo Chriſto Domino, à ſuis, eius ſpiritu perfuſis, Apoſtolis de Iure diuino fuiſſe inſtitutam; vt ſi alicubi terrarum, propter Miniſtrorum incuriam, Eccleſiaſticorum negligentiam, vel abuſum nutet, ſi in damnum poteſtatis Principum ſecularium ver-

gat:

gat: intelligant, cuiuſcumq; damni, nocumenti, aut inconuenienti cuiuſcumq; ex ea actiuè, vel paſſiuè orti, remedium à ſummo Pontifice ab Eccleſia ipſa eſſe exſpectandum; nulla autem ratione, illius applicationẽ, de iure, ſibi fore ipſis præſumendam. Nam aſſerere, poſſe dari caſum, quòd ſummi Pontifices Romani, quòd Eccleſia, ſuæ iuriſdictionis cauſſa, quibuſcumque ſubortis damnis, nocumentis, inconuenientibus, vel abuſibus non eat ſubitò obuiam, & gratis dicetur, & haud cum ratione congruit, haud cum Eccleſiæ, & ſummi Pontificis illius Capitis, & Epiſcoporum, Presbyterorum, & aliorum miniſtrorum ſtat Hierarchia; cùm ſit Eccleſia columna, & firmamentum veritatis; terribilis, vt caſtrorum acies ordinata; cultrix iuſtitiæ: totius ęquitatis conſeruatrix. c. 1. §. ſed diuerſum. de alien. fœud. lib. 1. fol. 175. & ibi notat Bald. notab. 6. nu. 5. fol. 25. cum alijs pluribus.

Rogabunt verò nos Catholici Doctores, an illos ad affectum, an ad effectum eius doctrinæ, quam ab eis poſtulamus edoceri, conuocemus? An, videlicet, optemus, eos ſic affici Eccleſiaſticæ iuriſdictioni, ac Politiæ, vt eam vellent eſſe de Iure diuino, an verò, vt eam de Iure diuino eſſe, efficacitate demonſtrent? Affectu enim, & voto, dicent, ſe facilè teneri; effectum autem hunc ab eis, non ita facilem æſtimari. Quibus reſpondemus cum Chriſto Domino. Matth. c. 7. [Omnis qui petit, accipit; qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur.] Petant ergo, & accipient; quærant, & inuenient; pulſent, & aperientur illis Scripturæ ſacræ ab eo, qui aperuit diſcipulorum ſenſus, vt illas intelligerent; abſq; dubio enim ex illis, partim à nobis adductis, partim inferiùs adducendis, & ex alijs, quas vti doctiores, & in eis exercitatiores, reperient, affectu præuio pio, qui plurimum ad hoc conducit, hanc Politicam Eccleſiaſticam Poteſtatem, non eſſe libertatem, aut exemptionem, titulis dictis ſupra, vel eorum aliquibus, vel humano quocumque, aut poſitiuo iure, in Eccleſiam introductam: ſed eſſe immunitatem, Eccleſiæ, de Iure diuino, connatam; neque fuiſſe, aut eſſe Reipublicæ Chriſtianæ voluntariam actiuam ſuæ poteſtatis in Eccleſiaſticos Præfectos translationem; qualis eſt poteſtas ſecularium Principum; ſed fuiſſe & eſſe translationem paſſiuam, vtique à Chriſto Domino, & eius Apoſtolis à ſeculari foro, Eccleſiaſtici fori exterioris expreſſam ſeparationem, ſecretionem, & diſtinctionem; à quo, Euangelio integro, velint nolint ſeculares Principes, velit nolit ſtatus, & ordo Eccleſiaſticus, tam actiuè, quàm paſſiuè, inabdicabili proprietate debeat gubernari. Sicuti enim ſolis naturæ, conſequa affectione, lux inhęret: & ſicuti hominem eſſe rationis particeps animal, vti diſcurſu, & admirari, & ridere, πάθος, coniunctum eſt: ſic ſuo ſequitur ordine, & modo, Eccleſiam eſſe, ac inſeparata proprietate, habere regimen Politicum externum, à ciuili laico ſecretum, pro Eccleſiaſticis perſonis, ab Auctore Eccleſiæ conſtitutum.

Ma-

Maneat ergo firmum, Chriſtum Dominum in Melchiſedech rege, & ſacerdote, Geneſ.c.14. & Pſal.109. & ad Hebræos c.5. adumbratum, & ex ſacerdotibus, & regibus ortum, regnum ſacerdotale, cuius ſit mentio Exod.c.19. in regale ſacerdotium conuertiſſe: ex Petro, & Ioanne ſupra relatis: hoc eſt, noui Teſtamenti Sacerdotio impertitum etiam fuiſſe Politici regiminis auctoritatem, & dignitatem, in ſuperioribus à nobis ex ſacris Codicibus, & eorum grauibus Enarratoribus deductam: & inferiùs adhuc deducendam. Vt cùm in hac ſua noua lege ſit altius, ac ſublimius Sacerdotium, vti per quod homines ad bona cæleſtia traducuntur: non ſolùm à ciuili iuriſdictione laicorum Principum immune ſit effectum à Chriſto ſupremo Sacerdote, illius inſtitutore: verumetiam, vt ſupra omnem ciuilem Magiſtratum ita excellat, vt hic illi, Diuino iure, iuxta quod ſuperiùs Concluſione Vnica.1.Parte probatum eſt, debeat, ſi à Chriſtianis adminiſtretur Principibus, ſubiacere.

Circa cuius II. Concluſionis probationem, adhuc in ſolutione ad 2. proximum Argumentum, item ad 2.& 3.Argumentum 3.Partis, erit nobis amplius immorandum.

OPPOSITIONES CONTRA SECVNDAM CONCLVSIONEM.

PRIMVM ARGVMENTVM.

Ab exemplo, & facto Salomonis, circa Abiathar Pontificem.

NON obſtat ſi contra Concluſionem ſic arguatur primò: Salomon rex 3.Reg.c.2. exſuit ſummo Pontificatu Abiathar, vnde colligitur antiquæ legis ſacerdotes ſeculari Politiæ paruiſſe. Reſpondent enim aliqui, vel id fuiſſe factum ſpiritu Prophetico: vt impleretur, inquiente ſacro Textu, ſermo Domini, quem loquutus eſt ſuper domum Heli, in Silo: ſic Turrecremata: vel factum vnius Principis non eſſe pro iure conſtituendum. Simili enim ratione, Chriſti lege iam per orbem vniuerſum coruſcante, facto iniquo, & exemplo iniquiore, Imperatores nonnulli, ſeu Reges, Pontifices etiam Romanos, & iudicauerunt, & depoſuerunt, vt Conſtantinus in exilium miſit Liberium, Iuſtinianus Silverium; Theodoricus rex Ioannem I. in carcerem coniecit, vbi etiam

mor-

Digitized by Google

mortem obijt. Otho I. Ioannem XII. depoſuit, & Leonem VIII. ſubſtituit. Henricus III. Gregorium VII. ſede expulit, & Clementem II. iuſſit ordinari; de quibus omnibus obuiæ hiſtoriæ mentionem offerunt ſufficientiſſimam. Cùm tamen hæc omnia facta ſint, neque aliquo bono ſubſiſtant iure, vt de Liberio teſtatur Athanaſius, in Epiſt. ad ſolitariam vitã agentes: idem de Siluerio Liberatus in Breuiario, c. 22. de Ioanne I. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 30. & certiſſimum eſt Conſtantium, & Theodoricum fuiſſe Arrianos, Iuſtinianum Euthychij detentum hæreſi; vnde, tyrannide praua, Pontifices depoſuerunt. Ab Othone I. bono zelo, ſed ſcientiæ experte Ioannes XII. fuit Pontifex deſtitutus: vt etiam refert Otho Friſigenſis lib. 6. c. 23. qui idem eod. lib. c. 32. affirmat Henricum III. haud Gregorium depoſuiſſe; ſed perſuaſſione ſua, vt Pontificatui cederet, expreſſiſſe, quia Simoniacè videbatur ingreſſus; quo ſponte cedente, Clemens fuit in illius locum canonicè ſubrogatus. Sic multi Catholici Principes Epiſcopos, & Sacerdotes propter priuatas iniurias in exſilium egerunt, qui tamen nullum ideò iudicium Eccleſiaſticum iuſtum, vel exercuerunt, vel ſe exercere poſſe, exiſtimarunt.

Sed notamus pro reſponſione ſpeciali argumenti ſpecialis: quòd culpæ Abiathar, vt à ſacerdotio eſſet remoueri dignus, hæ ſunt è ſacro textu ibi: David rege ſuperſtite, eo inconſulto, & inuito, Adoniæ partes fuit ſeditiosè ſequutus, regnum illi affectans aſſerere; contra Dei præſcriptum, Dauid voluntatem, & in Salomonis, cui diuinitùs erat repoſitum, fraudem, Salomone tamen in regni thronum euecto; cùm Adonias legatur illi ſupplex, ſub mentis melioris conditione, ipſius gratiæ reſtitutus; nuſquàm tamen legitur Abiathar reuerentiam, regibus à ſacerdotibus debitam, Salomoni præſtitiſſe. Cuius pertinacis animi, & conſpirationem continuò, contra Salomonem, molientis, ſignum illud eſt; quòd ambiente poſtea Adonia, etiam regis matre Bethſabea media, Abiſac regis Dauid quondam vxoris, virginis tamen, nuptias; Salomon inſidias, quæ ſuum in regnum parabantur, ſubodoratus, matri reſpondit: [Poſtula ei, & regnum,] quaſi diceret: id enim eſt conſequens ad reginæ connubium: addens, [ipſe eſt enim frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotem, & Ioab filium Saruiæ;] quaſi legitima colligens ratione, fratrem Adoniam maiorem natu ad reginæ thalamum aſſumptũ, ſummi Sacerdotis Abiathar vnctione approbatũ, Ioab ſummi belli Ducis protectione munitum, regno protinus, ab ipſo, nedùm cum ignominia deturbato, verùm etiam vita exuto Salomone, potiturum. Ecce quot crimina in vno ſũmo Sacerdote: ſacrilegij, perduellionis, ſeditionis, pertinacis conſpirationis, & omninò læſæ regię Maieſtatis. Quibus criminibus publicam Iudaici populi pacem turbantibus, cùm non ſuppeteret aliud commodius Regi remedium, quàm Pontificis, qui ſe illis contaminauerat, ab officio ſuaq; functione deſtitutio: haud ſine Numinis

voluntate, in ordinem illum redegit. Quòd ſi adhuc de facto proceſſit, tantò Salomoni plus eſt ignoſcendum, quantò abſque electionis alicuius turbamẽtis, ex inſtitutione antiqui Sacerdotij, rectam per lineam, Sadoc, ex Eleazaro ſeniore filio Aaron deſcendens, erat ſubitò certus ſucceſſor ad Pontificatum aſſumendus.

Neque crediderimus, abſque grandi myſterio, in republica Hebræorum inſtituenda, Deum Opt. Max. Moyſen; qui erat ſummus Sacerdos; vt habetur Pſal. 98. Exod. c. 40. Leuit. c. 8. & docent Damaſus, Epiſt. 5. & Gregor. Nazianz. 11. Orat. de Moyſe, & Aaron, Auguſtin. de regno Moſis, quæſt. 68. in Exod. & de Pontificatu, q. 23. in Leuiticum, & Enarratione in eumdem Pſal. 98. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, Chryſoſt. Homil. 3. in Act. Apoſt. Philo Iudæus, lib. 3. de vit. Moſis, & omnes ferè Doctores Græci, & Latini: etiam Regem, ſicuti eum appellat Philo, vbi ſupra, populo ſuo conſtituiſſe; nè à tanti Legiſlatoris, ſi ſecularis, & laicus ſolùm fuiſſet, factis, & indicijs exercitis, etiam circa Sacerdotalem tribum, in Scriptura relatis, arguerent, ſimiliter vero, Eccleſiaſticam impugnantes eſſe de Iure diuino immunitatem, Sacerdotes ſcriptæ legis Principibus ſecularibus ſubiacuiſſe. Quid? Immò aliquando cum Anton. de Roſellis, lib. de Poteſt. Papæ, & Imper. errarunt quidam, aſſerendo, inſanum eſſe, & Hæreticum dicere, quòd adminiſtratio vniuerſalis rerum temporalium poſſit eſſe apud Romanum Pontificem, aut apud aliquem alium in ſacris ordinibus conſtitutum. Quem graui cenſura notauit Nauarr. ſuper c. Nouit. de Iud. notab. 3. nu. 76.

Quæ initia Politiæ Hebraici regiminis ſub Sacerdote, eodemq; Rege, ſeu Duce, ſi cum eius vltimis cõferamus, reperiemus; reuerſis è Babylonia, poſt annos ſeptuaginta captiuitatis, Iudæis: Pontifices denuò, vt inquit Ioſephus lib. 11. qui fuerũt pro tempore, & Sacerdotum, & Iudicum geſſiſſe perſonas, vt iam ſuperiùs idem referebamus. Et populo deindè ab Antiocho ſeruitute oppreſſo, Leuiticam Aſſamonæorum ſurrexiſſe familiam, vt ex libris habemus Machabæorum, qui primùm ſub nomine, Principis, poſtea ſub Regis nomine, rem Iudæorum vniuerſam adminiſtrarunt; donec pertinaci duorum fratrum regum Hyrcani, & Ariſtobuli diſſidio Cn. Pompeius, bellum in Syria gerens, adductus, ipſam prouinciam occupauit. Hinc fratribus extinctis, populi Romani beneficio, Proſelyti Aſcalonitæ à primo Herode in regno ſucceſſere Iudaico, qui rectiùs appellari tyranni potuerunt. Vndè colligimus, quòd Iure diuino, neque aſſiſtente, neque reſiſtente, quò Sacerdotes temporalem Reipublicæ teneant adminiſtrationem, vel ab illa arceantur; Sacerdotes voluit Deus plures ſimul populo Duces, Iudices, & Reges, exſiſtere, ne in Chriſtianæ legis ſtatu, poteſtatem regiam, ſeu merè temporalem, qualem ſummus Pontifex Romæ, & ſuo in Eccleſiaſtico ſtatu, & alij Eccleſiaſtici Prælati per varia loca habent, Sacerdotibus ſeculares Principes,

S vel

Digitized by Google

vel inuiderent; vel illam cum ſpirituali ſua, & Politica hac, de qua tractamus iuriſdictione, eſſe inſociabilem affirmarent, quam inferioris ordinis antiqui ſacerdotes tenuiſſent.

Alia exempla, & facta in lege antiqua, contra aſſertum Concluſionis afferuntur, & diſſoluuntur.

ARGVITVR etiam contra hanc Eccleſiaſticam immunitatem, exemplo Ioſue Ducis Iſraelitarum, qui ipſe non ſacerdos geſſit regimen Sacerdotum, dum cap. ſuæ Hiſtoriæ, 2. præſcripſit Sacerdotibus de portanda Arca fœderis: immò quod eſt maius, cap. 4. expoſuit myſterium duodecim lapidum, quos in tranſitu Iordanis erexit: & cap. 5. circumcidit filios Iſrael: & cap. 8. ædificauit altare Domino: & cap. 25. concionatus fuit populo, illum, ne commercium iniret cum Gentibus, admonendo.

Dauid ſimiliter rex regimini inſtitit Leuiticæ tribus, dum 1. Paralip. c. 13. Arcam reduxit, & capit. 16. benedicit populo, in templo, & c. eod. conſtituit miniſtros altaris.

Ioſaphat item rex, capit. 17. conſtituit Leuitas, & ſacerdotes, &c. & cap. 20. prædicauit Ieiunium vniuerſo Iuda, & populum ad fidem fuit cohortatus.

Ezechias rex inſtaurauit templum, tulit æneum ſerpentem, concionatur Sacerdotibus, & Leuitis, 2. Paralip. cap. 29. iuſſit fieri Phaſe extra tempus ſuum, c. 30. Et idem de Ioſia rege narratur, c. 34.

Ad quæ exempla primò reſpondetur in vniuerſum; quòd cùm Synagoga vetus in vno concluderetur populo, & in vno loco ſub illa fieret ſacrificium, non erat incommodum, vt vni Iudici, alterius à Leuitica tribu, vni quoque Regi Synagogæ cura, magna ex parte, committeretur; immò ſic erat ſacerdotium vni regno coniunctum: vt ex regni partitione, partitio religionis fuerit, quaſi neceſſariò, conſequuta. Hoc exemplo Ieboroam, 3. lib. Reg. cap. 12. conſtat, qui regni ſciſſionem, religionis quoque ſchiſmate, cumulauit. Quamuis enim directè, & immediatè, non religionis, ſed regni fuerat facta diuiſio, vt edocet Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. Dei, cap. 12. & de Vnitate Eccleſiæ, cap. 12. tamen propter coniunctionem ſacerdotij cum regno Dauidico, & cum Ieroſolymitano téplo, conſequutum eſt ſchiſma, ipſo, videlicet, Ieroboam timente, ne ex occaſione vnius religionis, in vno loco obſeruandæ, regnum quoque ad vnam eſſet Dauidicam familiam, reuerſurum. Attamen Eccleſiæ latitudo maxima, quæ orbis ipſius ſolùm limitibus eſt circumſcripta, cum vnitate religionis Chriſtianæ multitudinem regnorum optimè comprehendit: quia non vni regno, aut loco, ſed vni ſummo Paſtori, & vni regulæ fidei religio ſacra Chriſtiana innititur, & adhæret: eas in ſuo regimine, ex ſuæ inſtitutionis natura, habens vires, vt ſecularis ad ſuam

conſiſtentiam, ac perennitatem nullatenùs ſit indiga poteſtatis.

Hoc diſcrimen clarè & apertè Scriptura ipſa videtur inſinuaſſe: cùm Synagoga quidem dicta ſit, regnum ſacerdotale, Exod. c. 19. Eccleſia autem à Petro, 1. Epiſt. c. 2. regale Sacerdotium nuncupetur. In ijs enim Petri verbis Auctore, S. Thoma in Commentar. ad illum locum, prærogatiua noui Teſtamenti, reſpectu veteris innuitur. In nouo enim Teſtamento ſacerdotium præeminet regno, ſicut ſpiritus corpori: in veteri verò regnum præeminebat ſacerdotio: ideò ibi regnum, hic ſacerdotiũ in ſubſtantiuo ponuntur, eò quod ibi quaſi ex regno, ſubſiſteret religio, hic verò ex ſacerdotio perenneturr.

Sed quia adhuc nonnulli vrgent argumento, ex Auguſtino, Epiſt. 48. quaſi veteres reges figura fuerint Principum Chriſtianorum: ſciendum eſt, non eſſe illam mentem Auguſtini, quam fingunt; illos enim horum fuiſſe figuram, ſub conditione docet Auguſtinus, his verbis: [Verumtamen, inquit, ſi facta præterita in Propheticis libris figura erant futurorum; in rege Nabuchodonoſor vtrumq; tempus præfiguratum eſt, & illud quod ſub Apoſtolis habuit, & quod nunc habet Eccleſia.] vbi ille non rem aſſerit categoricè, ſed proponit hypotethicè.

Deinde ſint illa facta præterita figura futurorum, non propterea in omnibus debet figuræ veritas reſpondere: ſed tantummodo, quantùm, & quatenùs noui huius, & temporis, & Teſtamẽti patitur excellentia. Cùm ergo ſit hic ſtatus excellentior, ideò quoſcumque veteris regiminis defectus, debet, non imitari, aut exprimere, ſed corrigere, & ſuperare. Eſſet autem ingens defectus in Eccleſiæ regimine, vt ex pluribus demõſtrauimus, ſeculari Poteſtati ſubijci, quod fieri potuiſſe (ſine præiudicio veritatis facti) veteris Synagogæ imperfectio non vetabat.

Attamen, ne euaſiſſe potiùs, quàm argumento ſatisfeciſſe videamur, & vt præfatorum regum illę res geſtæ intelligantur, exemplis ſingulis reſpondemus. Ioſue ergo Moyſi ſucceſſit, vt habetur Num. cap. 27. & Deuter. cap. 34. Refertur enim, quòd Moyſes ipſi Ioſue manus impoſuit, initiante quoque eum Elezazaro: & repleuit eum ſpiritu Sapientiæ. Itaque non omnem quam Moyſes, ſed magnam partem illius exercuit poteſtatis. Moyſes enim à Deo immediatè fuit miſſus, atque edoctus in omnibus, fuit etiam, vt ſupra probauimus, & dux ſeu rex, & ſacerdos: Ioſue autem dux tantùm populi creatur, vt quæſt. 48. in Numer. Theodoretus adnotauit. Ideò enim ad Moyſen dixit Deus: [Dabis ei partem gloriæ tuæ, (non ait, omnem, & eamdem) vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael,] & ſubiungit Deus. [Pro hoc, ſi quid agendum erit Eleazar ſacerdos conſulet Dominum, ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo.] Ecce iam non Ioſue dux eſt Eleazaro, in his quæ ad Deum pertinent, ſicut Moyſes erat Aaroni, ſed contra, Eleazarus ſacerdos ipſi Ioſue præponitur, & ex eius conſiliò om-

nia Ioſue facere præcipitur. Conſilio diximus, non quòd liberè, aut acceptare, aut repudiare poſſet: ſicuti Princeps ſuorum poteſt Conſiliariorum ſententias: ſed cui omninò eſſet ab eo obtemperandum; ſicuti antea ipſi Moyſi debebat Aaron obtemperare. Tandem certum eſt, Ioſue, non illa omnia, quæ in obiectione feciſſe dicitur, per ſeipſum præſtitiſſe: ad textus enim illius veritatem ſufficit, ea miniſtris, ad quos ſpectabant, fieri commendaſſe.

Modo ſimili, quæcumque Dauid rex feciſſe refertur, ea omnia haud ipſe fecit, ſed fieri curauit: nec ex ſuo ea fecit genio, vt lib. 1. Paralip. c. 16. habetur; ſed [iuxta omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Domini, &c.] cuius etiam legis (ne in ea, vel accipienda, vel explicanda ſuâ auctoritate, vti poſſe videretur,) iubetur futurus rex, Deuter. c. 17. (quod pium Dauidē feciſſe omninò credēdum eſt,) accipere exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus. Præterea per Dauidem conſtitutæ ſunt Sacerdotum, & Leuitarum vices [ſecundùm miniſteria ſua, 1. Paralip. c. 24. vt ingrediantur domum Domini, & iuxta ritum ſuum,] non arbitrio regis præſcriptum, ſed ſub manu Aaron patris eorum, ſicut præceperat Dominus,] ideſt, ſub ſpirituali regimine Aaronico, nō regio: niſi quatenùs, ad obſeruationes rituum exſecutioni mandandas, opus eſſet. Et hanc poteſtatem Chriſtianis Regibus non negamus, immò ſacra Concilia eos obteſtantur, vt Eccleſiæ Conſtitutionibus aſsiduè inſiſtant exſequendis.

Quæ refertur Ioſaphat feciſſe, ea mente, eo ſenſu, eo modo fecit, quibus Dauid, & Ioſue, nihilque exceſſiſſe, ipſemet 2. Paralip. c. 24. hiſce verbis demonſtrat: [Vbicumque quæſtio, inquit, eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus, (vel, vt Græca habet lectio, & ſuperiùs dixiſſe meminimus, de præcepto, mandato, iuſtificationibus, & iudicijs,) oſtendite fratribus veſtris, vt non peccent in Domino. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.] Ecce qualiter ea, quæ Diuina ſunt, & ad Diuina faciunt, ſecularis Principis curæ ſubtrahuntur. Verbis enim illis, [in his, quæ ad Deum pertinent,] non ſolùm rei Diuinæ cultum, quaſi ſpiritualem, ſignificari, ſed etiam omnem plenè rerum, quæ ad Diuina quomodocumque ſpectant, adminiſtrationem, certum eſt: eiſdem enim verbis vſus eſt Deus, Exod. c. 4. ad Moyſen dicens: [Aaron erit os tuum. Tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinēt.] Quis autem dicat Moyſen tantùm in re Diuina facienda præfectum à Deo fuiſſe? cum hoc potius Aaronis eſſet, & officium, & exercitium? Eiſdem rurſum verbis vtitur Ietro, Exod. c. 18. ad Moyſen: [Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent: vt referas, quę à Deo dicuntur ad eum: oſtendaſq; populo ceremonias, & ritū colendi, &c.] vbi apertè ea, quæ ad Deū pertinēt, exponuntur, ad doctrinam, & regimen, non ad cultum ſpiritualem tantùm referri

Ezechias non aliter circa Dei cultum operam dedit, quàm Ioſue, Dauid, & reges prædicti, dicente de eo Scriptura apertè, 4. Reg. c. 18. [Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat pater eius:] ſcilicet Dauid; & apertiùs, 2. Paralip. cap. 29. [Conſtituit Leuitas, &c. ſecundùm diſpoſitionem Dauid, & Gad videntis, & Nathan Prophetæ, ſicuti Domini præceptum fuit per manum Prophetarum eius:] vt, videlicet, exſecutioni committeret, quæ per miniſterium Prophetarum, & Sacerdotum Deus præceperat. Quicquid tamdem refertur Ezechias feciſſe, quæ ſiue ad Diuinū, ſiue ad Ciuilē Leuiticæ tribus iuriſdictionē videntur pertinuiſſe, de conſilio id, & poſtulatione Sacerdotū fecit, vt Lyrenſis in Gloſſa, iuxta Hebræorum ſententiam, explicauit.

Ad omnia Regis Ioſiæ geſta reſpondetur; cum diligenter curaſſe, & ſuo regio mandato decreuiſſe: vt cultus Dei in lege præſcripti ſeruarētur, quā legē per Moyſen olim latam, hic per manus Helciæ Sacerdotis accepit, vt narrat Scriptura 4. Reg. c. 22. & 2. Paralip. c. 34. illudque præſtitit, quod in ipſo Deuteronomio c. 17. Moyſes iuſſit, accipere exemplar legis à Sacerdotibus, deinde cuſtodire verba, & ceremonias eius. Cuſtodit autem Rex verba legis, non ſolùm ipſe ſeruando, ſed etiam curando, vt ab alijs ſeruentur. De quo videndus Auguſtinus lib. 1. contra Parmenian. c. 7. & in epiſt. 48. vbi de religione dicere, ſeu cognitionem ciuilium cauſſarum, permittit ſeculari Principi, hoc ſenſu, vt delinquentes Eccleſiaſticos, ſeu Eccleſiaſtico ſubditos foro, exſilio, mulctis, gladio punire poſſit; punire quoque non ſimpliciter, ſed poſtquam ab Epiſcopis conuicti, damnati, & gradu Clericali depoſiti fuerint: hunc enim rem diſputando deduxit.

Ergo geſta Ioſiæ ad eam exſecutionem ſpectant, quæ Regibus, quæ Principibus ſecularibus, iuriſdictione ciuili Eccleſiaſtica illibata, conceſſa eſt: vt ſcilicet, præſcribant, quæ ſubeſt poteſtas, & efficientia in exſequendo, non quomodo faciat ſtatus Eccleſiaſticus, ſed vt faciat; & tūc Eccleſiaſtici, non imperium Principis, ſed præceptum exſequuntur legis, procurante, & iubente Principe. Eſſet hoc idem ac, ſi Rex quicumque Catholicæ fidei profeſſor iuberet, in aliquo ſui regni loco, hæreſi contaminato, & detento, omnino Sacra fieri Catholicorum ritu, diu intermiſſa: tunc enim illud præſtarent Sacerdotes, non vt mandatum regium, ſed vt ſuam Diuinam, & Sacerdotalem functionem, à Deo, per Eccleſiæ miniſterium, inſtitutam; rege verò procurante, & opportuna media, quibus illud faciat, adhibente. Longè igitur aliud eſt ponere, Poteſtatem ſecularem medium quoddam eſſe nobiliſſimum, ad Diuinam, & ciuilem Eccleſiaſticam Poteſtatem reſtaurandam, & conſeruandam, & exſequendā: & longè aliud eſt affirmare, illam etiam in eſſe, ac natura ſua, à poteſtate ſecularium Principum dependere: cùm illud verum, hoc eſſe falſiſſimum conuincatur.

Pro

Pro ſolutione horum Argumentorum generali, Notandum.

SEd pro pleniori ſolutione horum omnium exemplorum, iuuabit meminiſſe ex ſuperius dictis, B. Syneſium in AEgypto Epiſcopum nos edocuiſſe antiquitùs & Sacerdotis, & Regis munera in eamdem perſonam conueniſſe. Quæ quidem ſic geſta fuiſſe, in prima Eccleſiaſtica Monarchia, vſque ad legis ſcriptæ originaria tempora in Dei populo, in 4. Parte infra erit à nobis amplius explicandum. Interim certum eſt, etiã Gentilium illorum tempora, quibus veritatis radius haud, ſicuti nobis, vel antiquo effulſerat Hebraico populo, ſemper intellexiſſe, adeò proprium eſſe Principum, curare, & tueri Sacra: vt plerique veterum hęc duo munera, Sacerdotium, ſcilicet, & Regnum habuiſſe coniuncta deſcribantur. Diogenis Pythagorici fuit hęc expreſſa & mens, & doctrina: qui apud Stobæum de Regno, tria hæc in legitimo requirit Rege, [vt belli Dux ſit: vt Iudex: vt Sacerdos.] Attamen quia multiplices illæ curæ, nimiùm diſtringere Principẽ videbantur: meritò ab alijs inter eas fuit diſcrimen inſtitutũ. Refert Tit. Liu. ſic lib. 1. de Numa: [Tum Sacerdotibus creãdis animum adiecit, quamquam ipſe plurima Sacra obibat: ea maximè, quæ nũc ad Flaminem Dialem pertinent. Sed quia in ciuitate bellicoſa, plures Romulos, quã Numas reges putabat fore: iturosq́. ipſos ad bella: ne Sacra deſererentur, Flaminem Ioui aſſiduum Sacerdotũ creauit.] Quod tamen haud perpetuò conſeruatum fuit: cùm Auguſtus Cæſar iterùm Maximum Pontificatum Imperio adiunxerit: & idem ſequuti fuerint Principes poſteri: quaſi & tutelæ ſuæ, & Maieſtati, immò & Reipublicæ, quo Deorum conſeruaretur cultus, conueniret. Hoc idem apud Malabarum reges in Orientali India, referente Ferd. Lopez. lib. 1. Hiſt. Ind. cap. 14. religioſe ſuo modo perſtat, qui & Reges, & Brachmenes, ſeu Sacerdotes ſunt, & lex eos in loco ſacro mori cogit, Deo veluti miniſtros conſecratos.

Sed ad noſtra animum appellentes: Principibus Chriſtianis eam inſpectionem in rebus Sacris futuram, quę, tuendi eorum cauſſa, ſuſciperetur: ſicuti ſancta Concilia eam illis iniungunt, vt conſtat ex vltimo OEcumenico Tridentino ſeſſ. 16. in fine, & 25. cap. 20. prope finem, & olim prædictum fuit; & ſancti Patres illud docent, & ratio ipſa conuincit. Edixit Deus prædicendo, per Iſaiam cap. 49. Eccleſiam ſuam affando Sponſam: [Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.] Iterum cap. 60. [AEdificabunt filij peregrinorum muros tuos; & reges eorum miniſtrabunt tibi.] Auguſtinus Tract. 11. in Ioan. [Pertinet hoc ad Reges ſeculi Chriſtianos, ait, vt temporibus ſuis, pacatam velint habere matrem ſuam Eccleſiam.] Leo autem I. ſic alloquitur grauiſſimè Leonem Imperatorem: [Debes Imperator incunctanter aduertere; regiam poteſtatem tibi, non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad

Eccle-

Eccleſię præſidium eſſe collatam. Cauſſam horum deſcribit Ambroſius Epiſt. ad Valentinian. [Cùm enim, inquit, omnes homines, qui ſub ditione Romana ſunt, vobis militent Imperatoribus terrarum, atque Principibus: tum ipſi vos omnipotenti Deo, & ſacræ fidei militatis.] Certum eſt autem, primum militiæ Sacramentum eſſe, ſalutem, commoda, & dignitatem eius, cui militamus contueri. Hoc verò dum ſancti Patres docent, dum Concilia Sacra à regibus poſtulant: dum Spiritus ſanctus, ab eis præſtanda prædixit: regibus ac Chriſtianis Principibus in Eccleſiam ipſam nihil dedere iuris, neque regimen Politicum ſeculare cùm regimine Politico Eccleſiaſtico miſcuere. Abſit. id tantùm voluere: vt vim, fraudes, turbas, & externa mala ab Eccleſia arcerent: &, quod eſſet in ipſis, pacata Sacra præſtarent, & quieta: cùm, qua Chriſtiani ſunt, velle debeant, qua potentes ſunt, id ipſis poſſe, à Deo, propter ſummum imperium, concedatur. Contra hanc veritatem ſola vox Hæreſiarchæ Donati, vel eorum, qui ipſius inhærebunt veſtigijs, audiri poterit, ſcilicet: [Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?] olim iam apud Optatum Mileuit. lib. 3. condemnata. Pro veritate verò ipſa, inter innumera exempla, ſufficiant Conſtantini Magni, Caroli Magni, Caroli V. Imperatorum, ac æternæ mem. Philippi II. Hiſpaniarum Catholici Regis tempora, quorum Heroum inſpectione, tutela, & protectione, qualiter floruerit Eccleſia vniuerſa, partim oculis noſtris perſpeximus, partim antiquiora illa ſecula conſpexere.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

A termino ſpiritualitatis.

NEQVE obſtat, ſi dicatur ſecundò: Teſtimonia ex ſacra Pagina ſupra adducta ſufficienter explicari in genere, de ſpirituali, circà Diuina, Eccleſiaſticarum perſonarum Politia, iuriſdictione, ſuperioritate, præfectura, & obedientia; quam, vt in primo principio dictum eſt, ſtatus ſecularis Eccleſiaſtico ſtatui non negat, neque inuidet.

Reſpondetur enim primò; ſimiles Scripturæ ſacræ citatæ Interpretes, hoc ſubterfugio, nō poſſe euadere Concluſionis doctrinam, vel hoc ariete concutere ædificium illius, tam profundis innixum explicationum litteralium ſacræ Scripturæ fundamentis. Ergo hæc omnia ſimul conſideranda ſunt, & ſumenda: primò, id quod, ex rei natura, dictat intellectui benè diſpoſito lex naturalis, & ipſius lumen: deinde, quid dictet ipſa lex Chriſtiana: tertiò, quid reperitur ſcriptum in ſacris antiqui, & præcipuè noui Teſtamenti libris: quartò, quomodo fuerint hæc teſtimonia explicata, & intellecta à ſanctis Patribus, ab antiquis Claſsicis Doctoribus, ac præcipuè à ſacris Concilijs, & à ſummis Pontificibus, qui Spiritus Chriſti aſsiſtentiam, & clauem habebant ſcientiæ, ad ſenſus Di-

Digitized by Google

uinorum eloquiorum aperiendos: quintò totius Chriſtiani orbis, idem inde à naſcentis Eccleſiæ primordijs, in hanc immunitatem conſenſus, propter ipſius vtilitatem: ſextò præcipuè Imperatorum omnium, & Principum Chriſtianorum, & cuiuſcumque generis Poteſtatum communis conſpiratio, in eadem immunitate ſuis Conſtitutionibus ſancienda, & ſuo fouenda patrocinio: ſeptimò, effectus ſubſecutus, quo pacificè, & quietè gaudet Eccleſia hac immunitate, & hoc foro exteriori ciuili, poſſeſſione nullo tempore vnquam interrupta. Quæ omnia adeò arguunt eſſe Diuinam traditionem, & à Chriſto Domino de Iure fuiſſe diuino ordinatam: vt inſufficientiſſimè Doctores contrarium ſentientes eam à ſolo Iure humano, ſiue poſitiuo, ſiuè cum addito, à Iure diuino Canonico, concedant procedere; contenti Iuri eſſe diuino ſtricto, de quo nos loquimur, conformem non negare: vel vltimò docentes, hanc, quam veriſſimè appellamus, Immunitatem, potiùs eſſe formaliter exemptionem, poſitiua Eccleſiæ lege ſancitam, & obedientia, ſeu priuilegio Principum Chriſtianorum confirmatam; quamquam inchoatiuè à Diuina Chriſti, & à naturæ legibus ortum habuerit.

II. Reſponſio, à coniunctione Politiæ Eccleſiaſticæ cum Hierarchia.

RESPONDETVR ſecundò, ſpiritualem Eccleſiaſticorum Prælatorum poteſtatem, eiuſque leges Diuinas, & ſpirituales, adeò eſſe coniunctam cum poteſtate hac Politica, ſeu Iuriſdictione ciuili temporali, de qua loquimur; vt in praxi, & vſu nequeant vlla ratione ſeparari. Vndè eſt neceſſe, vtramque eſſe abſolutè diuino, prout ab omni humano poſitiuo, Canonico, vel Ciuili diſtinguitur, confiteri. Qualis enim fuiſſet, vel eſſet Eccleſiaſticæ ſpiritualis adminiſtrationis facies, in locis maximè, vbi ſunt adeò rari Eccleſiaſtici, vt vnus Parochus numeroſo Chriſtianorum gregi, pro adminiſtrandis Diuinis Sacramentis, ſit conſtitutus; ſi laicæ illorum Poteſtati liceret, de ſui Parochi vitijs, & negotijs ſecularibus, vel inquirere, vel cognoſcere? Abſit ab Eccleſia, quæ [ſuprà firmam petram eſt fundata.] Matth. cap. 7. [terribilis etiam, vt caſtrorum acies ordinata,] Cantic. cap. 6. talis imbecillitas, talis confuſio. Immò cùm Chriſtiano populo ſigillatim ſit æterna ſalus, de Iure diuino, per Sacramentorum remedium, ex vi Baptiſmalis profeſſionis, conquirenda: cenſendum eſt, Chriſtianum populum habere de Iure diuino ius contrà laicam Poteſtatem, vt ab ea miniſtri Sacramentorum, ſtatus videlicet Eccleſiaſticus, nullo poſſint prætextu præpediri; quin ad exequenda ſua accedant munia: cum iuſtitiæ ſit, in Eccleſiaſticorum delictis ſatis conſultum, ſi ſolùm per Prælatos Eccleſiaſticos puniantur. Quod argumentum in ſuperioribus fuimus ex Decretis ſacrorum quorumdam Conciliorum proſequuti.

Hæc ratio habet hoc altiſſimum fundamentum. Nam licèt hominum

ſocie-

ſocietates tranſtulerint dominium, & regimen temporale, quo, eas lumine naturæ illuſtrante, tenebantur gubernari, in Imperatores, Reges, Principes, & Præfectos quoſcumque, iuxtà vel Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, ſeu cuiuslibet gubernationis formam: quo facto iure Gentium ſtabilito, nunc velint, nolint, illis ſunt obtemperaturæ: quæ omnia vtrumque ius tractantibus ſunt nota: nulla ratione tamen in dictos Præfectos quoſcumque tranſtulerunt poteſtatem regiminis, quæ ex rei natura erat intransferibilis; & cuius, ex conſequenti, dictæ hominum vniuerſitates dominium non habebant: Sed poteſtas adminiſtrationis Politicæ, & iuriſdictio in perſonas Eccleſiaſticas, & Diuino cultui mancipatas, erat intransferibilis ex ſua natura: Ergo ea nequaquam in Principes ſeculares fuit tranſlata. Maior huius ſyllogiſmi conſtat ex regula Iuris in 6. [Nemo enim plus Iuris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habeat.] Minor probatur, quia illa poteſtas ciuilis, ſeu immunitas, vt perſonæ Eccleſiaſticæ, ac Deo ſacratæ ſecreto tribunali & regant, & regantur, ex coniunctione ad poteſtatem, quam perſonæ Eccleſiaſticæ habent ſpiritualem, & Diuinam; & cum qua nihil habent commune laicæ Poteſtates, facta eſt altioris ordinis, quàm ſit poteſtas regiminis ciuilis ſecularis, & ad eſſe ſpirituale eſt eleuata: vti cogitatiua potentia in homine, ex coniunctione ad potentiam rationalem, facta eſt quaſi rationalis, ad particulares attingens ſyllogiſmos faciendos: Ergo dicta poteſtas eſt à poteſtate ſpirituali inſeparabilis; Ergo omninò fuit, & eſt intransferibilis.

Confirmatur hæc ratio primò: nam vt in 3. Parte Tractatus dicemus, regna non fuere inducta propter reges; ſed reges propter regna. Hinc regna ſunt regibus ſuis potiora: immò ſuperiora caſibus illis, quibus reges poteſtate ſibi conceſſa abuterentur ad eorum deſtructionem: vel ad finem contrarium illius, ad quem regna ſe ipſis regibus conceſſerunt, vel concedere debuerunt. Verba ſunt doctiſſimi Nauarri ſuper cap. Nouit. de iudic. notab. 3. num. 100. & ibi citat Almain. cap. 15. col. 11. de Suprema poteſtate Eccleſię, & in Veſperijs, docentem, regnum non eſſe regis, ſed communitatis, & ipſam regiam poteſtatem, iure naturali, eſſe ipſius communitatis, & non regis: ob idque communitatem non poſſe à ſe penitùs illam abdicare. Ergo ſi communitas nequiuit à ſe abdicare poteſtatem, & in Principem transferre, vt in ordine ad ciuile & naturale bonum Reipublicæ, ipſe Princeps deſtructionē illius moliatur, multò minus potuit ſe abdicare poteſtate gubernationis paſſiuæ ſpiritualis, & Politicæ exterioris, quę ad rem ſpiritualem pertinet omninò conſeruandam: nullaque ratione eſt admittendum, facultatem regiminis Politici, ſeu ciuilis Eccleſiaſticorum miniſtrorum, quibus, in ordine ad finem ſupernaturalem, eget, in Principes ſeculares tranſtuliſſe.

Secundò fortiſſimè confirmatur; quia ex regio Vate, qui regum iura

optimè nouerat, Pſalm. 113. [Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum.] Ergo terrenorum ſolùm cura, & adminiſtratio ad Principes pertinent: attamen ex Ezechiele, cap. 18. [Ecce, dicit Dominus, omnes animæ meæ ſunt.] Ergo animarum cura & adminiſtratio, vt præcepto affirmatiuo de credendo in Deum, & colendo eo ſatisfaciunt, à Principum ordine, regimine, iuriſdictione, ac ciuili gubernatione non pendet: ergo neque miniſtrorum, quibus hæc omnia peragenda ſunt regimen, & adminiſtratio ad ſeculares dictos Principes ſpectat: vti in quos populi nequiuerunt, in ſui præiudicium ſpirituale, illam poteſtatem reieciſſe.

Argumentum contra hanc ſolutionem diſſoluitur.

QVOD, vt facilius intelligatur, ſic arguitur contra: Hæc Politica poteſtas eſt ſimpliciter temporalis: cùm iuxtà temporalia ſimpliciter verſetur: ergo hac parte, & eſt transferibilis in laicos Principes, & fuit in eos per hominum congregationes cum quacumque alia ab initio tranſlata poteſtate.

Reſpondetur tamen: Iudicium de hac poteſtate eſſe ſumendum, ex eo, quod in ea eſt ſimpliciter, formaliter, & per ſe ex parte effectus, non autem ex eo, quod eſt ſimpliciter, materialiter, & per accidens, & ex parte cauſſæ. Licèt ergo exerceri iudicium in Eccleſiaſticas perſonas, per Poteſtatem laicam in rebus temporalibus, ſit materialiter, & ex parte cauſſæ, quid temporale ſimpliciter; hoc tamen eſt per accidens, ex quo poteſt talem effectum producere, quo dicta poteſtate à ſecularibus Principibus præſumpta, in ordine ad mores, ad acquiſitionemque æternæ beatitudinis, dictæ ſocietates hominum vehementiſſimè læderentur ex impedimentis, quæ circà Sacramentorum adminiſtrationem, Dei verbi prædicationem, & applicationem cuiuſcumque ſpiritualis medicinæ, quæ per miniſtros Eccleſiaſticos animarum languoribus deberet adhiberi, facilè poſſent ſuboriri. Cùm ergo hominum ſocietates nequiuerint eam poteſtatem miniſtrorum Diuini cultus, quæ circà ſpiritualia verſatur, ſuis Principibus tradere, quia ſua non erat, vt conſtat ex præiacta ſecunda confirmatione, neque etiam potuerunt in eos transferre poteſtatem hanc ciuilem, quæ illi eſt annexa, & qua tranſlata, ſuum ſpirituale intereſſe, cui cedere nequiuerunt, & nequeunt, haud integrum remaneret.

Confirmatur ſecunda argumenti reſponſio, ex lumine naturæ, & Romanorum antiqua lege, & ab inconuenienti.

CONFIRMATVR hoc ipſum tertiò, ex ipſo lumine naturæ, quo illuſtrati Legiſlatores Romani omnem Reipub. Politiam, omne robur, & columen ad hoc tandem generaliſſimum legum ſuarum

principium voluerunt eſſe reducta, ſcilicet, [Salus populi ſuprema lex eſto:] de quo videndus Cicero lib. 3. de Legib. Ad hanc legem, tamquàm in vltimum finem, in grauiſſimis Reipublicæ negotijs omnia voluerunt conſilia referri: vt ſub qua pietas generis humani, iuraque omnia ad eam ſeruandam inſtituta, omniſque Reipublicæ moderatio contineretur. Quòd ſi Gentes populi ſalutem, & quidem temporalem, ſupremam eſſe legem, in Imperatores, Principes, & Poteſtates quaſcumque dominantem, cenſuerunt: nihil inſolens affirmamus, ſcilicet, ſalutem populi Chriſtiani æternam, ſupremam eſſe legem, in omnes Poteſtates laicas, æſtimandam. Cuius legis ſupremæ, cùm non minima ratio conſtet, ex hac Miniſtrorum Eccleſiaſticorum immunitate, quò ſpiritualium functionum perſtet excellentia, & exercitium, illam diuino eſſe Iure ſancitam aſſeueramus; vt cui populi, & hominum cœtus, niſi propriæ ſalutis rei, & contemptores fuiſſent, quod de eis præſumendum non eſt, cedere numquàm valuerunt.

Hoc argumentum habet hanc vltimò energiam, ab inconuenienti, & abſurdo ingenti, quod in humanis legibus, à naturali ſolo inſtinctu editis, non contingens, aliàs in ſtatu Chriſtianiſmi ordinatiſſimo, vt eſt caſtrorum acies, Cant. cap. 6. ordinata, eſſet admittendum; vt videlicet poſſet ſtatus ſecularis, dictæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ prætextu, trahere ad ſe ſpiritualem Eccleſiaſticam poteſtatẽ, immo illam contemnere vel conculcare: vndè in ſubditis prorſùs Catholicæ religionis integritas deperiret. Hoc inconueniens conſiderantes Patres in Concilijs, ſupra relata, ea decreta, quæ nihil aliud quàm explicationes huius Diuini iuris fuere, tradiderunt. Heu Principatuũ, qui ab Hæreticis poſſidentur miſera, & dolenda exempla, hoc argumentum confirmantia!

Confirmantur hæc ſacra Scripturæ teſtimonijs.

ET vt totius huius argumentationis vis ex ſacra Scriptura fortiùs colligatur: attendere oportet, Chriſtum Dominum Apoſtolos operis ſui primos vicarios, & Eccleſiaſticos rectores, non homines, ſed maius quid hominibus æſtimaſſe: ex Hieronym. in illud Matth. cap. 16 [Vos autem quem me eſſe dicitis?] ab Eccleſiaſticis rectoribus, ac præfectis, docens, eſſe expetendum iudicium, non quaſi ab hominibus ſed quaſi à dijs; quod non ſolùm in rebus eſt intelligendum ſpiritualibus, verùmetiam in ciuilis iuriſdictionis adminiſtratione, quæ eſt quodam quaſi ſpirituale iudicium: quod expreſſe probatur ex Pſalm. 81. ſic incipiente: [Deus ſtetit in Synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.] Et in qua congregatione Deus ſteterit, illos dijudicans explicatur in fine Pſalmi, eſſe, videlicet, Eccleſiaſticorum iudicum præcipuè, dum dicitur: [Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes:] ad quod alluſit Chriſtus, Matth. cap. 19. dicens, [ergo liberi ſunt filij

[Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis.] Ecce qualiter Eccleſiaſtici iudices à laicis diſtinguuntur, dum illorum iudices iniquos à ſede & vita, quaſi vnum ex iniuſtis Principibus ſecularibus, prædicitur deturbandos. Deos appellat Spiritus ſanctus Prælatos Eccleſiæ in Diuinis, & ſpiritualibus rebus præſidentes, deos appellat ciuiles Eccleſiæ cauſſas dijudicantes; vt qui tamquàm dij in illis ſuperiores, etiam ipſorum Imperatorum, Regum & Principum ſecularium, ſunt à Deo conſtituti: etiam tamquàm dij dijs, ad iudicandum, non Principum munificentia, à ſeculari Magiſtratu, ſed Dei ornatiſſima prouidentia, ſecernantur.

Contra Politicorum hæreſin.

DISCVRSVS noſter, cùm habeat magnas vires contra Politicorum noſtri temporis peſtilentiſſimam hæreſim, eſt dignus, qui ab omnibus Catholicis Doctoribus Theologis, ac Iuris vtriuſq; prudentibus, & excipiatur, & vberiùs confirmetur. Pro quo eſt omninò ſciendum: Politicorum genus quoddam Hæreticorum vltimis hiſce temporibus conſurrexiſſe Homericæ ſimile Chimæræ, quæ, Parte leo prima, media capra, anguis in ima, fingebatur. Hac fictione homines hi relicta, verè corde Athei, ore dubij, opere Hæretici reperiuntur. Quos meritò doctiſſimus, ac pijſſimus Cardinalis Hoſius, eò plerumq; manifeſtis Hæreticis nocentiores eſſe cenſuit, quò faciliùs virtutis, & officij ſimulatione decipiunt, efficientes id tamdem, vt prudentes alij, atque ſimplices Chriſtiani, à ſinceritate Euangelicæ doctrinæ, & fidei, ad quamdam ſemigentilem Philoſophiam dilabantur. Horum nos omnia placita, ſeu deliria etiam, quæ è re nata ſunt, nolumus recenſere: referemus aliqua; id primùm admonentes Chriſtianum lectorem, hanc gentem Cruci Chriſti inimicam, eiuſdem æquor hac velle nauigare conditione: vt quaſi noui Azotij arcam Dei, ideſt, fidem Chriſti, iuxta Idolum Dagon, hoc eſt, iuxta Euangelicorum, (ſic enim, ſi dijs placet, Hæretici vltimi ſe nuncupant) perfidiam, in eodem templo, velint ſtare; & ipſum Dagon immobilem permanere. Quem ruentem, nec diſſimilis ſocietatis ferentem coniunctionem, ſuis erigunt conſilijs: & millies nutantem, & cadentem, millies nituntur, ſacræ Arcæ inſociabilem ſociare. Miſeri, ac doloſi homines, hoſtibus Iudæ, ac Beniamini ſimiles, qui ad Zorobabel, & ad Patrum Principes, 1. Eſdræ, c.4. ſic loquebantur: [Ædificemus vobiſcum: quia ita vt vos quærimus Deum veſtrum.] Quos rectè reprobauerunt Zorobabel, & Ioſue, & reliqui Patrum Iſrael Principes, dicentes: [Non eſt nobis, & vobis, vt ædificemus domum Deo noſtro: ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro Iſrael.] Qua ratione æquum, immò neceſſarium eſt, vt Politicis reſpondeant Catholici Principes, niſi velint, ſuorum Principatuum ruinam celerem intueri

Igitur eorum hi ſunt quidam errores ex illis, quos cõtra noſtræ argumentationis certam ſeriem profitentur. Regem, videlicet, nullis ſubdi legibus, ſed ſupra leges, & omne ius eſſe, nullumq́ue habere ſuperiorem. quamobrem, vti boni ſuorum regum ſerui, (ſic enim ſe appellant,) dum illis morem gerunt, ſecurè ſe quid vis agere poſſe, putant, quantocumq; cum ſcelere ſit coniunctum: vt ad Aſſaſſinorum album illum pertinere videantur, qui vt ſcribit Paulus AEmilius circa annum 1235. in Perſide, nullam legem, neque fidem agnoſcebant, præter Principis ſui voluntatem. Sic & iſti blaterant, Regem ſuum ſolius Dei, non hominum iudicio ſubiacere: populo autem id ſolùm eſſe relictum, vt oret, ac regis, animo demiſſo, quaſcumq; diſpoſitiones patiatur. Maiora crimina cenſent aduersùs Rempublicam ciuilem, quàm aduersùs Eccleſiam: aduersùs corpus, quàm aduersùs animam: magis apud eos negotioſè de tributo Cæſaris, quàm de cultu Dei diſputatur: grauiuſq; inter illos in Principis, quàm in Dei Omnipotentis Maieſtatem, crimina commiſſa puniuntur. Similes alias Ethnicè defendere hæreſes referuntur, inter quas, cum ipſi Athei religionem, nihil aliud, quàm Phantaſma, ad eludendos, ac deterrendos nominis opinione, homines, commentum eſſe exiſtiment: non ſolùm, excluſo quocumque Eccleſiaſtico foro, ac regimine, ſecularibus omnem ciuilem in omnes ſubditos attribuunt poteſtatẽ, verùmetiam in malorum delapſi profundum, ad nutum, & motus voluntatis Principum omnia efformant: ſicuti ad primi cæli mobilis gyrum, inferiores mouentur orbes; ſic docendo, in ſuſcipienda, conſeruanda, vel deſerenda religione, ad Principum electionem, & voluntatem, ſubditorum debere voluntates conformari.

Et vt immenſa æterni Numinis eluceat prouidentia, & iuſtitia: & Catholicus populus æternas ipſi gratias agere non deſiſtat, ecce cum hiſce Hæreticis, Hæreticos plures alios, & maximè eorum ſuperbos Miniſtros inſigniter caſtigauit. Alicubi enim Centuriarum Magdeburgenſium Babylonici confarcinatores conqueruntur, Politicos hos, illotis quaſi manibus, in gubernationem illam ſpiritualem irrupiſſe: falcemq́; miſiſſe in alienam meſſem: functionibus ſe immiſcuiſſe alienis peragendis: ſicuti olim rex Oſias, magnoq́; cum ſupercilio audere, nouas religionis formas componere, eaſque Miniſtris, ſub miniſteriorum adminiſtrandorum efficaci, ac immiſericordi deſtitutione (grande malum!) intrudere prædicandas. Iam de Politicis hiſce quidam Miniſtrorum proprius Propheta Fl. Illyricus præſagiſſe refertur, fore; talẽ eos in Eccleſiã adminiſtrationem introducturos, qua in fine ſeculi, partim impoſturis, partim crudelitate, ita extinguatur fides Chriſti, vt apud pauciſſimos, cùm iudicaturus viuos, & mortuos veniat, inueniatur.

Sed quid infelices animæ aliud exſpectabatis? Almæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſacra Capita Pontifices ſupremos, ceteramq́; illius Di-

uinam Hierarchiam deſpexiſtis: & cum eis vniuerſam Catholicam religionem proculcaſtis: veritatis certæ, ac fidei auitæ, & immaculatæ, quā S. Romana docet, docuit, & ſemper docebit Eccleſia, eſſe diſcipuli contempſiſtis, antiquorum, ac præſentium aliorum errorum, vos nuperos Magiſtros venditaſtis: quid erat reliquum? niſi vt qui Sacerdotum ſummorum audire blanda monita nō ſuſtinuiſtis, infimorum etiam laicorum dura præcepta Epicurea toleretis. An plus honoris, & commodi (antiqui Hæreticorum parentum veſtrorum ſcopi) inſolenti hac, atque audaci religionis Catholicæ mutatione, veſtro abdomini, cui infauſtè ſeruitis, vos eſſe acquiſituros exiſtimaſtis; quàm eſſent Athei ſimiles Principes, eorumque Magiſtratus, pro grandioribus proprijs honoribus, & vtilitatibus ad ſui libitum, ex veſtro miniſterio quæſituri? Ergo Agar ſuperbæ, ac fugitiuæ filij, reuertimini ad Saram, ſanctam Catholicam Romanam Eccleſiam, Dominam veſtram; & ſub manu eius humiliamini: vt quam, ex commutata religione, vim pati à Magiſtratibus Politicis condoletis, cum eadem reſtituta, in viam eos, ne vlterius Eccleſiaſtica iura violent, reducatis.

Cùm ergo Politici hi Regum, & Principum poteſtatem dilatantes, vſque ad Eccleſiæ, vſque ad Dei contemptum, & Epiſcopis, & Doctoribus Theologis, & Iuriſprudentibus, & Philoſophis, & Orthodoxis omnibus; immò & ipſis etiam Hæreticis Miniſtris, ac eorum aliàs Symmiſtis vociferantibus, ſint Eccleſiæ peſtes, eamq; impleant Idolomania, & Chriſtianiſmum in Epicureiſmum nitantur transformare: certè Concluſionis noſtræ hæc adducta ratio, eſt meritò conſideranda, & à Politicorum calumnijs, & futilibus impugnationibus, per Doctores Catholicos vindicanda, quæ poteſtatum, ac facultatum in Rerumpublicarum ſpontanea ſuæ iuriſdictionis tranſlatione diſiungit officia: vt Regibus, ac Principibus, illis, quæ ſua ſunt, integris remanentibus, ab Eccleſia, quæ ſua ſunt, minimè ſubtrahantur. Vnde contra hos vanos, & inſanos Politicos Catholici Principes vnam religionē Chriſtianam Orthodoxā Apoſtolicam Romanā venerantes, & tenētes, illius Miniſtros diuino eſſe Iure immunes à ſua ciuili fateantur oportet poteſtate; vt religionis Chriſtianæ, & Catholicæ profeſſio firmiùs ſubditorum animis hæreat, intelligentium, Eccleſiaſticum ſtatum, Eccleſiæ Prælatos, & verbi Dei ſanos, & puros Prædicatores eſſe audiendos, tamquàm de Iure diuino immunes prorsùs, & liberos à Ciuili laica Poteſtate: cui noluit Chriſtus ſubeſſent; ne à temporalibus ſuis forſan commodis multi diſtracti, in illis, circa quæ à Principibus ſecularibus aliàs dependerent, à via recta doctrinæ Orthodoxæ, & Catholicæ fidei, ad deuias ſemitas peregrinorum dogmatum declinarent. Hoc Eccleſiaſticæ Hierarchiæ decebat regiminis maieſtatem, ex qua apud Gentes etiam barbaras eius Auctoris Chriſti Domini Maieſtas noſceretur.

TER-

Digitized by Google

TERTIVM ARGVMENTVM.

Ex loco Pauli ad Roman.c.13.[Omnis anima, &c.]

TERTIO opponunt multi contra Concluſionem,& contra Paulum Apoſtolum pro ea allegatum,ipſummet Apoſtolum Paulũ, ad Roman.c.13.ſic docentem : [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt Poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt:] cum pluribus ſequentibus doctrinis : quæ aſſertionis noſtrę vires videntur eneruare. Quẽ locũ ſic explicat Chryſoſtomus:[Facit hoc Apoſtolus, vt oſtendat Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt Politias euertat: ſed ad melius inſtituat : oſtendens, quòd iſta imperantur omnibus Monachis, & Sacerdotibus, non ſolùm ſecularibus:id quod ſtatim in initio declarat : Omnis anima, &c. ſiue ſit Apoſtolus, ſiue Propheta, ſiue tamdem quiſquis fuerit, neque tamen pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.]

Sequitur eum Theodoretus, ſuper eumdem locum, ſic dicens:[Siue ſit Sacerdos aliquis, ſiue Antiſtes, ſiue Monaſticam vitam profeſſus, ijs cedat, quibus ſunt mandati Magiſtratus.]Similiter OEcumenius explicat, dicens: [Omnem animam inſtruit, ſiue Sacerdos ſit quiſpiam, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus; vt Magiſtratibus ſubdantur.]

Huic præcipuè innituntur argumento; quaſi palmario, qui hanc ciuilem Eccleſiæ iuriſdictionem,& Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem non diuinitùs traditam,ſed donatione,ſeu priuilegio maximè Principum aſſerunt,fuiſſe in Eccleſiam introductam.

Ad quod ſufficienter reſpondent plures Doctores, conſiderantes ab initio Capitis, vnde illius materia,& finis congruè ſumenda ſunt, Apoſtolum ampliſſimam, & latè patentem ſententiam proferre : & ſic ad ſeculares dumtaxat Magiſtratus minimè reſtringendam. Hinc ſublimiores Poteſtates, quas Paulus nominat, ipſo adhuc annuente Chryſoſtomo, vniuerſè accipiunt; vt Eccleſiaſticas etiam Dignitates complectantur: & ſit ſenſus ; omnem Chriſtianum inſtrui ab Apoſtolo, obedire ſuperiori Poteſtati, ſuppoſitione, vt loquuntur Logici, accommoda ; ſeu vt Iuris loquuntur prudentes, reſpectiuè; videlicet, Chriſtianum ſecularem laicæ Poteſtati, Eccleſiaſticum verò Eccleſiaſticæ. Sic Tertullian.in Scorpion.c.14.Irenæus,lib.5.c.24. Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus,Primaſius,in illud c.13.Epiſt.ad Rom. Alexander Alen. 3.p.q.1.memb.5. S. Thomas, Bonauentura, Ricardus, AEgidius, Durandus,Carthuſiañ.2.ſent.d.vltima. Anſelmus ſuper hunc locum, ſic ſcribens: [Omnis anima,ideſt, omnis homo, ſit humiliter ſubditus Poteſtatibus, vel ſecularibus, vel Eccleſiaſticis, ſublimioribus ſe.] Sequitur D.Bernardus, Epiſt.42. ad Senonẽ. Archiepiſcopum, & Epiſtol.183.ad

Con-

Conradum Imperatorem: ex hoc teſtimonio conuincens illum, debere ſummo Pontifici ſubdi, hiſce verbis: [Quam tamen ſententiam, cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire, in exhibenda reuerentia ſumma, & Apoſtolicæ Sedi, & B. Petri Vicario: ſicuti ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio.] Quem locum Apoſtoli S. Symmachus, & S. Hormiſda, Epiſtolis ad Anaſtaſium Imperatorem, & S. Leo IX. Epiſt. ad Michaelem Patriarcham, modo prædicto explicauerunt.

Ergo ex hac doctrina Apoſtolica hoc habetur, quemq; in ſuo ordine, & genere parere debere, filium patri, vxorem viro, ciuem Magiſtratui, Magiſtratum ipſum ſuperiori Principi; quod & Paulus Græca hac voce ſignificat, ὑπερεχούσαις ἐξουσίαις, ideſt, ſuperioribus Poteſtatibus: quare vniuersè ab eo eſt propoſitum, & vniuersè concludit, dicens: [cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.] Hinc non ſolùm ad ciuilem, ſed ad omnem etiam aliam Poteſtatem lex Pauli pertinet; tametſi exempli cauſſa, illam eò propoſuerit, quòd ciuiles Magiſtratus, cum gladio vtantur, videri poterant, non cōſtituti à Deo: ſed vi, & armis Imperium vſurpaſſe. Immò, inquit, Apoſtolus, Dei ſunt Diaconi, ad vindictam malefactorum, bonos verò commendandos, ac condignis præmijs confouendos. Ecce hæc reſponſio habet fundamentum in Græca lectione illius verbi, ſublimioribus, ſcilicet, ὑπερεχούσαις, quod ſonat Latinè etiam, præcellentibus, ſeu clariùs, ſuperioritatem habentibus: quamcumque, videlicet, ſiue Eccleſiaſticam, ſiue ſecularem. Cùmque, vt dictum eſt, Prælati Eccleſiaſtici habeant hanc præfecturam: dum illis ſe ſubdunt Eccleſiaſticæ perſonæ, oportet, vt Apoſtoli doctrinæ ſatisfeciſſe cenſeantur.

Ex Baſilio ſolutio præfata confirmatur.

SED Magnus Baſilius inſigne luce Apoſtoli hunc locum, ex alio ipſius Apoſtoli loco, c. 23. lib. de Conſt. Monaſticis illuſtrauit. Arguit ergo ſic, à minori colligens ad maius, quantò maiori attentione ſit Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus obediendum Principibus. [Si igitur, inquit, qui mundo huic præſunt, ex lege humana, illam imperandi poteſtatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantoperè voluit eſſe ſubiectos: & quod maius eſt, quorum vita tota tunc erat impietas: quàm magna tamdem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus Præſes ſit, & imperandi poteſtatem à legibus illius acceperit? Et qui defendi poteſt, eum non Dei ordinationi reſiſtere, qui Antiſtiti reſiſtat ſuo? Præſertim cùm apertiſſimè Apoſtolus iubeat, omni in re parendum eſſe ſpiritualibus Prępoſitis? ipſi enim peruigilant, quaſi rationē pro animabus veſtris redditurì, vt cum gaudio hoc faciant, & nō gementes; hoc enim nō expedit vobis.] Ecce ſecundùm Baſiliū Apoſtolus

Digitized by Google

Apoſtoli Gloſſator, propria Gloſſa proprium textum explicauit.

Et nihilominùs ſi cum ſolo Hieronymo hęc res eſſet tranſigenda; ipſe facilè reſpondet, per ſublimiores Poteſtates, eſſe, Eccleſiaſticas Dignitates, intelligendas.

PRIMVM NOTANDVM.

Circa quæ ſit ſublimioribus Poteſtatibus obediendum.

ATTAMEN pro pleniori ſatisfactione, & huius loci exacta intelligentia, primò eſt notandum: hanc obedientiam, ab Apoſtolo in cunctis Chriſtianis requiſitam versùs ſublimiores Poteſtates, eam ſolam eſſe intelligendam, quæ cum Chriſtiana aliàs non pugnat pietate. Hæc eſt doctrina D. Ignatij, Epiſt. ad Antiochenos, dicentis: [Cæſari ſubditi eſtote in ijs, in quibus ſubdi nullum animæ periculum eſt.] Approbatur etiam hæc doctrina in Concil. Epheſino OEcum. Tom. 4. cap. 16. inducta illa regij Vatis auctoritate, ex Pſalm. 118. [Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum: & non confundebar.] Sed quia tam Patres Græci, quàm Latini idem ſentiunt, ab eis citandis abſtinendo, ipſum Paulum, ſic ad Tit. c. 3. ſeipſum explicantem, audiamus. [Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe: dicto obedientes: ad omne opus bonum paratos eſſe.] Quo in loco ſic loquitur Hieronymus: [Si bonum eſt, quod præcipit Imperator, ac Præſes, iubentis obſequere voluntati: ſi verò malum, & contra Deum ſapit, reſponde ei illud de Actibus Apoſtolorum: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.] Et Auguſtinus ſerm. 6. de Verb. Domini, ſecundùm Matth. ſic egregiè docet: [Poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: & Poteſtatibus obediendum eſt: ſunt enim à Deo. Sed hic ipſos humanarum rerum gradus aduertite. Si aliquid iuſſerit curator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi contra Proconſul iubeat, non vtique contemnis Poteſtatem: ſed eligis maiori ſeruire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælata eſt. Rurſus ſi aliquid ipſe Proconſul iubeat, aliud iubeat Imperator; numquid dubitatur, illo contempto, huic eſſe ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator iubeat, aliud Deus, quid iudicatis?]

SECVNDVM NOTANDVM.

Explicatur quæ Poteſtas ſit à Deo.

SECVNDO eſt notandum ex Chryſoſtomo, Homil. in Pſalm. 148. & præcipuè ex Iſidoro Peluſiota, lib. 2. Epiſt. 216. & ex Theophylacto, ad cap. 13. Epiſt. ad Rom. loco quem tractamus: [Prouidentiæ Dei opus eſſe, in eos, qui Magiſtratus gerunt, & in eos, qui illis parent, vniuerſum diuiſiſſe: ne hoc ſublato, interiret: dicente Salomone, Prou. c. 11.

vbi non eſt gubernator, populus corruit. Vnde eſt aduertendum, Apoſtolum non dixiſſe: non eſt Præfectus, ſeu Princeps niſi à Deo: ſed dixit: Non eſt poteſtas niſi à Deo: vt intelligeretur, ibi eſſe ſermonem de re ipſa, ideſt, de Magiſtratus officio, non de Magiſtratum gerentibus. Nam quod inter homines Imperia, & Magiſtratus ſint, atque alij imperent, alij pareant, neque ſurſum, & deorſum omnia miſceantur, hoc dixit Paulus eſſe opus Diuinæ ſapientiæ. Quod ſi impius, vel ſacrilegus Princeps geſſerit Magiſtratum, nequaquàm dixit Paulus, à Deo illum fuiſſe creatum, aut deſignatum: licèt à Deo ſit, propter peccata populi, vel alijs de cauſſis, regnare permiſſus.] De quo in 4. Part. Tractatus nobis grandis reſtat ſermo.

II. Reſponſio ad Argumentum, ex D. Petro, & SS. Patribus.

POTEST ergo ſufficienter ad Argumentum reſponderi; quòd cùm poteſtas Eccleſiaſtica Ciuilis, ſuper Eccleſiaſticas perſonas fuerit à Chriſto tam decenti ordine, tam decenti ratione, diuinitùs inſtituta; & poteſtas ſecularis laica etiam ſit à Deo: & iuxta Apoſtoli ſententiam: [quæ a Deo ſunt] poteſtates [ordinatæ ſunt,] facilè ex hoc ipſo loco arguitur, iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & immunitatem Ciuilem perſonarum Eccleſiaſticarum non ſolùm non tolli, verumetiam acriter confirmari. Nam ſi circa opus bonum tantùm, ſi circa ea, quæ cum pietate coniuncta ſunt, omnis anima adſtricta eſt Poteſtatibus ſubdi ſecularibus: ſi eæ Poteſtates vellent auferre ab Eccleſia, & Eccleſiaſticis perſonis hanc poteſtatem, & immunitatem: cùm id eſſet iniquum, malum, & contra pietatem, nequaquam in hoc eſſet illis obediendum.

Præterea, cùm Poteſtates ſint à Deo ordinatæ: ſi ciuilis Magiſtratus vellet hanc Ciuilem Eccleſiaſticam tollere iuriſdictionem: hoc non eſſet ordinare, ſed ordinem confundere: vnde qua auctoritate Pauli vult ſibi laica Poteſtas obedientiam præſtari, eadem debet recognoſcere, hanc à ſolis laicis perſonis ſibi eſſe præſtandam; nentiquam tamen ab Eccleſiaſticis, in rebus, quæ forum exterius Eccleſiaſticum, iam ab antiquo, habet, ad ſe, ex vſu & praxi, pertinere. Itaque vt vno verbo rem concludamus, Poteſtates laicæ ſunt ordinatæ à Deo, ſed ſub Deo, ne temerè irrumpant in poteſtatem, quam ab ipſo Deo eſſe probauimus datam, erectam, inſtitutam.

Hanc harum Poteſtatum ſecretionem, & fori vtriuſque, & ſecularis, & Eccleſiaſtici diſtinctionem, magnificis, ſicuti Diuinis verbis, ſignificauit Spiritus ſanctus, per Chriſti Domini Apoſtolum Petrum loquens, 1. Ep. c. 2. hanc ſecularium Chriſtianorum Principum poteſtatem, quaſi Eccleſiaſticam, ſacramq; functionem cenſendo: dum ad differentiam antiqui ſtatus, qui Exod. c. 19. fuerat regnum Sacerdotale ab eodem Spiritu ſancto, & habitũ, & appellatum, regalẽ noui Teſtamenti ſtatum, Sacerdotiũ

appel-

appellauit. Quia nimirum Chriſtianorum reges tunc regio ſe nomine dignos oſtendunt; ſi ſacerdotali, & Eccleſiaſtico Chriſti ſtatui ſuſtinendo, & ſacerdotum Eccleſiaſticis legibus corroborandis, ſuam regiam auctoritatem impendunt: in quo verti propriè cardinem regalis, inter Chriſtianos, ſplendoris, omnes antiquiſſimi, & ſanctiſſimi docuerunt Epiſcopi, omnes fortiſſimi, atque optimi, & Imperatores, & Reges crediderunt. Sic qui Magni Conſtantini Imperatoris temporibus vixit Magnus Hoſius Cordubēſis Epiſcopus, Conſtantium illius filium, ab Arrianis ſeductum, & eorum perſuaſione, negotijs Eccleſiaſticis ſe immiſcentem, grauiter monet, apud Athanaſium, in Epiſt. ad Solitariā vitam agentes, dicens: [Ne te miſceas Eccleſiaſticis, nec nobis Epiſcopis, Imperator, in hoc genere rerum Eccleſiaſticarum præcipe; ſed ea potiùs à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ.] Imperatoremq; eumdem clariſſimi Epiſcopi Paulinus Treuirenſis, Lucifer Caralitanus, Dionyſius Mediolanenſis, & alij ſeriò monuerunt: ne Eccleſiaſtica corrumperet: neue Romanorum Imperium Eccleſiaſticis Conſtitutionibus immiſceret: quorum iudicium Magnus item Athanaſius comprobauit.

Sed Gregorius Nazianzenus, pro Concione, Imperatorem Theodoſium grauiſſimè ſic alloquentem ſentiamus, Orat. 17. [Te quoque, ò Imperator, imperio meo, ac throno lex Chriſti ſubijcit. Imperium nos quoque Epiſcopi gerimus: addo etiam, præſtantius, ac perfectius: niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere, Diuinis præferri humana? Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis: vtpotè ſacri mei gregis ouis ſacra Magniq; Paſtoris alumna, rectèq; iam olim à ſpiritu docta, & inſtituta.] In hanc eamdem ſententiam loquitur Chryſoſtomus, Homil. 4. de Verb. Iſaiæ. Quibus Patribus, & ſanctis Epiſcopis Græcis accinunt & Latini Patres, & Epiſcopi ſancti; ſic enim Ambroſius, Epiſt. 32. Vet. edit Valentinianum affatur Imperatorem: [Noli te grauare, Imperator, vt putes, te in ea, quæ Diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere: ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus: ſcriptum eſt, quæ Dei, Deo: quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi mœniorum ius commiſſum eſt, nōn ſacrorum.] Hilarius autem Pictauienſis Epiſcopus ſic cum Athanaſio, Hoſio, Paulino, & reliquis Conſtantium Imperatorem alloquitur, lib. ad eumdem: [Prouideat, inquit, Clementia tua, vt ad omnes vbique iudices Prouinciarum, ad quos ſola cura publicorum negotiorum pertinere debet, ſcribatur; nè poſthac præſumant, atque vſurpent cognoſcere cauſſas Clericorum, &c.]

Quibus in locis Epiſcopos ſanctos non loqui de ſola ſpirituali, & Diuina, circa Diuina, & ſpiritualia pura, & mera, Prælatorum Eccleſiæ po-

teſtate; ſed etiam de ea, quam in foro exteriori ciuili Eccleſia habet, ab illorum ſeculari poteſtate ſecreta, & ex dictis ſuperiùs facilè poteſt percipi: & ex eo, quòd tam hi ſancti Doctores, & Epiſcopi, quàm alij antiquiores ſimiles laborioſè in hoc vnum inſudarunt: vt Imperatoribus, & Principibus ſecularibus perſuaderent, apud Eccleſiaſticos, non apud ſeculares, Epiſcoporum, & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum ciuiles cauſſas agitandas.

TERTIVM NOTANDVM.

Circa ſtatum Euangelicæ promulgationis.

PRO vrgentiſſima tamen reſponſione ad argumentum, adhuc tertiò eſt notandum: quòd cùm lex Chriſtiana eſſet inter infideles per orbem prædicanda, quorum regimen, ipſo naturalis luminis radio, in ipſis obſcurato, tot erroribus ſcatebat: & quorum Principes plerumque ſubditos, quaſi tyrannide, opprimebant; immò cùm præcipuè arx Imperij totius orbis Roma eſſet Chriſto, & eius doctrinæ Euangelicę, & Apoſtolis ſacris petenda; quò faciliùs lex Chriſtiana in orbem vniuerſum penetraret: quæ eſt ratio S. Leonis ter Maximi, maximè condecebat ad eiuſdem legis ſanctitatem declarandam, & ad progreſſum Chriſtianiſmi: ne Chriſtiani, ex eo, quòd à Chriſto Domino, eorum Auctore, in libertatem Euangelij, ideſt, libertatem à peccato vocati erant, extollerentur in ſuperbiam, & arbitrarentur in huius vitæ itinere, non eſſe ſeruandum ordinem ſuum; vt, Imperatoribus, & Poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita erat, ſe non eſſe ſubdendos, æſtimarent.

Si enim tempore procedente, ſed ante Auguſtinum (cuius eſt hæc doctrina in expoſitione quarumdam propoſitionum in Epiſt. ad Rom. propoſ. 72. quē ſequitur Anſelmus, iiſdē verbis, in dictam Epiſt.) Creſconius Grammaticus, ſi longè poſt, Vualdenſes, & Begardi Hæretici: ſi deinceps Ioannes Vuicleuus, & tamdem Martinus Lutherus, & ſentina Hæreticorum plurium noſtræ tempeſtatis illius fœtore infecta, & maximè qui Libertini, & Liberi fratres vocantur, ex varijs locis ſacræ Scripturæ perperam intellectis, vel ex ſuo malo genio, Magiſtratuum ſecularium ordinatam à Deo poteſtatem, & denegant, & denegabant: ſi ruſtici in Germania hoc præcedenti ſeculo anno 1525. Thoma Muncero inſtigatore, & duce, adeò funeſtos tumultus excitarunt, & adeò ſanguinolentas ſtrages ediderunt, occaſione, per dictos Hæreticos, aſſertæ & prætenſæ Euengelicæ libertatis; quid foret illo beato ſeculo, quando fidei zelus, & charitatis ſpiritus in primitiuorum fidelium pectoribus feruebat? Quàm facilè infidelibus Principibus, ſiue etiam fidelibus, dum eos forſan non tam religioſè, & Chriſtianè conuerſari, & regere

vide-

viderent, poteſtatem inhiberent, & eis ſubdi, quaſi Deo gratum obſequium præſtantes, detrectarent? Nam de potentia, qua iam, & numero, & Gentis auctoritate erant instructi Chriſtiani, non ſolùm ad impunè negandam Imperatoribus hanc obedientiam, verumetiam ad ipſos opprimendos, & cum ſuis Idololatris ceteris ſubditis prorſus delendos, ſi libuiſſet, vel licuiſſet, audiendus eſt Tertullianus in Apologetico, in hoc patientiam Chriſtianorum commendans, & Imperatorum Infideliũ inſipientiam propalans, & traducens, qui non animaduerterent, eorum imperia Chriſtianæ legis modeſtia, & ſufferentia, non Idolorum cultu, & efficacitate propagari.

III. Reſponſio ad principale Argumentum, ex iuſtitia, & prudentia publicationis Euangelij.

IGITVR ad argumentum pleniſſimè reſpondendo: vt occluderetur os Principibus Infidelibus, nec exiſtimarent, legem Chriſtianam eorum dominijs inſidiari; Chriſti IESV præceptoris veſtigia ſequutus, qui dixit: [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo:] Paulus 1. ad Timoth. cap. 2. beneuolentiam Chriſtianam verſus Principes ſeculares Chriſtianis iniungens, ait: [Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt: vt quietam, & tranquillam vitam agamus.] Præcipiens autem, vt exhiberent honorem, reuerentiam, & obedientiam Principibus debitam, ſcripſit ad Tit. cap. 3. [Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe; dicto obedire: ad omne opus bonum paratos eſſe: neminem blaſphemare.] Et de hoc ipſo erudiens Chriſtianos Petrus. 1. Cap. 2. ſcripſit: [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum: ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.] & poſteà addit: [Regem honorificate.] Et tamdem ipſe Paulus generaliſſimum circà prædicta complexus dicendi modum, & hanc Chriſtianam Philoſophiam fidelium omnium cupiens mentibus firmiter inhærere, loco quem tractamus, concluſit ſic; [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.]

Reſpondetur Oppoſitioni contra ſolutionem loci Paulini.

NEQVE obſtat, ſi adhuc dicatur contra: Si particulari hac de cauſſa Apoſtolus illam vniuerſalem adhibuit doctrinam: debuiſſet ſaltim Antiſtites Eccleſiæ, Apoſtolos, & Euangeliſtas, & Monachos, ibi ab hac ciuili Principum poteſtate docere immunes eſſe: vel certè debuiſſet, clarè, & manifeſtè hanc immunitatem Eccleſiaſticarum perſonarum ibi adſtruere. Quid enim periculi erat, raros Epiſcopos, raros

Presbyteros, raros Parochos, raros Eccleſiaſticos, quales habebat Eccleſia primitiua, & Apoſtolos, & Euangeliſtas, & Prophetas eſſe immunes à Ciuili hac Principum poteſtate? dicendo, quò faciliùs, & dulciùs coràm laica Politia, huius iuriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ nomen leniret: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, vel aliàs alibi, Sacramentorum, quos inſtituit miniſtros, omninò à laica Principum liberos eſſe iniunxit Poteſtate.

Reſpondetur enim, quòd cùm Apoſtolus Epheſios, & Timotheum, & Titum, & Diſcipulos alios, per vniuerſam ſuæ prædicationis peregrinationem, ſufficienter de hac immunitate, ſiuè per literas, ſiuè domeſticè intra priuatos parietes, inſtruxiſſet: ſcribendo ad eos, qui Romæ erant, vel futuri erant, Chriſtianos, huius immunitatis facere ſpecialem mentionem minimè decuiſse: tam ex parte Principum imperantium, quàm ex parte Chriſtianorum ſubditorum. Ex parte Imperatorum, quia cùm iuriſdictionis, & immunitatis materia ſit odioſa, & zelo plena, difficile perſuaderentur, illam Ciuilem poteſtatem Eccleſiaſticam, ſic manifeſtè prædicatam, contra ipſorum poteſtatem non aliquid inſidioſum concipere, non aliquid turbamenti continere. Hæc ſuſpicio eò creſceret maximè, cùm, numerum Eccleſiaſticarum perſonarum non augeri, eſſet accidentarium; quo aucto, Politica ſtatus conſiderata ratione, grande ſuis ditionibus cenſerent periculum, grande damnum generari. Ex parte verò Chriſtianorum ſubditorum non decuit; primò, quia cùm Eccleſia tunc inciperet florere, facilè poſſet marceſcere, & ad nihilum reduci, (Deo per maiora, & frequentiora miracula, non ſuccurrente:) ſi, quo ad ſuum ſtatum Eccleſiaſticum, & Sacerdotalem Principum legibus, & Poteſtati ciuili publicè non parere edocta, vtrinſque ex conſequio ſtatus Chriſtiani homines, à Principibus, non vt Chriſti Martyres, ſed vt ſicarij, atque Rerumpublicarum, earumque Ciuilium ditionum euerſores publici necarentur. Secundò, quia ſi cum faſtuoſo, ac ſonoro ſtrepitu Eccleſiaſticorum tribunalium Eccleſia fundaretur, cùm tunc etiam coniugati, & habentes liberos ad Sacerdotium admitterentur, libertatis inſuper, ac immunitatis dulci nomine blandiente, facilè Chriſtianorum excedens numerus ad ſtatum Eccleſiaſticum conuolaret; quò Principum ſecularium, ac Politici ſui regiminis moleſtias effugerent: vnde legis Chriſtianæ amor in odium, ipſis etiam Chriſtianis factis Principibus, verteretur. Si enim nudiuſtertius opus fuit, vt Concilium Tridentinum Seſſ. 23. cap. 6. medelam adhiberet, ne occaſione primæ acceptæ tonſuræ, in reliquis merè laici, homines à ſeculari eſſent immunes Chriſtianorum Principum poteſtate: quid fuiſſet actum originarijs illis Eccleſiæ naſcentis temporibus, in quibus Principes infideles Sanctis dominabantur?

Hæc

Hac eadem ratione intelligendum eſt, Chryſoſtomum, & illos Patres Græcos, explicando locum Pauli, quadam quaſi hyperbole, Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, & Monachos ad obediendum ſublimioribus Poteſtatibus fuiſſe ibi vocatos, affirmaſſe. Quia ex illorum hac incluſione ſub illa regula generali; nullum ſequebatur periculum: vt qui alias inſtruxiſſent optimè ſeculares Poteſtates, quid nam illis iuris; & in quas ſolùm perſonas competeret: ſimul verò exemplum laicis dabatur; vt faciliùs obedientiam Principibus præſtarent, à qua neque tales Eccleſiaſticæ perſonæ ſubtraherentur. Si verò illos excepiſſent: certè imminebat ingens periculum; vt ad vocem libertatis, ac immunitatis ſimilium perſonarum à laica Poteſtate, multi à Deo non miſſi renaſcerentur Apoſtoli: plures ſurgerent vani Prophetæ: neque noui mendaces deeſſent Euangeliſtæ; ac ſicuti olim Thebaidæ deſerta ſanis, ſic tunc frequentes ciuitates malè ſanis Monachis replerentur.

Neque magis mirum eſt, Apoſtolos huius Eccleſiaſticarum perſonarum, & earum Ciuilis iuriſdictionis immunitatis, in legis Chriſtianæ viſceribus contentæ, quæ, temporum ſucceſſu, erat pleniùs vſu manifeſtanda, & vſque ad ſeculorum erat finem duratura, non clariùs meminiſſe, ijs verbis, quibus omnium contra ſentientium os oppilaretur: quam mirum eſt, in Concilio ab Apoſtolis Actuum cap. 15. celebrato, Spiritui ſancto, & ipſis viſum fuiſſe, nouæ ex Gentibus in Eccleſia factæ plantationi indicere, lege ſancita, vt à ſuffocato, & ſanguine abſtineret; quæ lex erat, mutatis circumſtantijs, citiſſimè progreſſu temporis abroganda. Præterea Catholicis, ac pietatem ſpirantibus, & Principibus, & eorum Conſiliarijs, quæ ex ſacris Codicibus loca habemus, pro Eccleſiaſtica aſſerenda immunitate, ſufficiunt; vt illam & fateantur, & admittant, & venerentur: illis verò, qui, vt inquit Apoſtolus, ſunt ex contentione, ſicuti Euangelij Chriſti I E S V clariſſima doctrina ad ſanctiſſima Myſteria Sacramentorum credenda, & confitenda non ſufficit, neque aliter appoſita ad confitendam, & recipiendam Eccleſiaſticam iuriſdictionem ſuffeciſſet.

Immò ex ipſa maxima animaduerſione, qua, in theoria, Politici huius regiminis Eccleſiaſtici materia, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, tractata fuit, intellexerunt pro Apoſtolis patribus nati in ea ſequentes filij, etiam Patres noſtri, qua maxima cautione, poteſtate ſibi à Chriſto tradita, ſiue circa Diuinam Hierarchiam, ſiue circa Politiam Eccleſiæ exteriorem, eſſent vſuri. Notamus enim, Euangelij luce iam Principum Gentilium mentibus illuſtratis, maiorum noſtrorum prouidam circumſpectionem extitiſſe; vt Imperatores, ac Reges, etiam circa fidem ipſam Catholicam, vel falſas opiniones, vel ipſas puras hæreſes profitentes, patienti animo tolerarent. Sic Conſtantium, ac Valentem Arrianos, Anaſtaſium Eutichyanum, Heraclium Monothelitam, & ſimiles

alios paſſi ſunt: ne prudens Eccleſia poteſtate ſibi & licita, & debita, incaſſum, ſpe ſublata fructus, vteretur. Docuit enim nos antiqua experientia, tantam eſſe quorumdam Regum cum improbitate, ac ſæuitia coniunctam potentiam; vt Eccleſiaſtica cenſura, neque ad eos coërcendos quicquam profit, & Catholicis populis, in quos Principes irritati magis ſæuiunt, eſſet damna non mediocria paritura. Quid namq; , quæſumus, profuiſſet quondam Eccleſiæ, ſi tentaſſet, vel Oſtrogothos Reges in Italia, vel in Hiſpania Vuiſegothos, aut Vvandolos in Africa excommunicare nomine ipſo, ac de ſolio deturbare? quamuis id facere iure optimo potuiſſet. Quod idem de Conſtantio, Valente, & alijs ſupra relatis eſt ſimiliter intelligendum. Neque enim omnia, quæ licent, conſequens eſt, etiam expedire.

Erant ſiquidem ea tunc tempora, vt potiùs ad martyrium ſubeundum Epiſcopi, quàm ad Principes, parati inuenirentur, coercendos. Cùm tamen florere poſtea cœpit Eccleſia, viditq; ſuæ poteſtati exſerendæ locum congruum aperiri, vel cum ipſorum Principum ſpirituali vtilitate, vel certè abſque detrimento, & pernicie populorum; non ſibi defuit, quin tam circa res fidei maiores, quàm circa Ciuilis ſuæ iuriſdictionis exercitium, vt pluribus ad manum exemplis conſtat, ampliſſimam ſibi à Chriſto traditam facultatem demonſtraret.

QVARTVM NOTANDVM.

Seu IV. ſolutio Argumenti principalis.

VLTIMO tamdem, pro huius Paulini loci explicatione, & ad illud ab eo ſumptum argumentum facillima reſponſione, conſiderandum eſt: quòd hac Ciuili Eccleſiaſtica poteſtate integra, & firma conſtituta, non ideò non eſt omnis anima, id eſt, omnis Chriſtianus, etiam Eccleſiaſticus, Poteſtatibus ſublimioribus ſecularibus ſubdita. Epiſcopi enim, & Parochi, & Monachi, & omnes vniuerſùm Eccleſiaſticæ perſonæ in Chriſtianis Prouincijs ſubditi ſunt, & vaſſalli Imperatoris, Regum, & Principum ſecularium: ſi non quò ad poteſtatem coactiuam, ſaltim tenentur obedire eorum legibus temporalibus, quæ haud legibus Eccleſiaſticis aduerſantur. Tenentur etiam ſi actores ſint, in ſuis litibus ciuilibus, quas gerunt contrà laicos, illorum fori ſtare iudicio; & ſubſunt ſecularibus Principibus in rebus generaliſſimis temporalibus, ſtatū Reipublicæ, legibus Canonicis ſaluis, concernētibus. Subſunt etiam ſimpliciter, quò ad ſubiectionē reuerentialem, de qua in ſpecie fuit loquutus Apoſtolus illo loco, dicens; [cui timorem, timorem: cui honorem, honorem:] quod teſtatur Nicolaus Papa in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem propè finem: & Theodoretus lib. 4. Hiſt. cap. 7. re-

fert

fert verba Imperatoris; ſcilicet, [Probos Epiſcopos non ſolùm Dei, ſed etiam Imperatorum legibus obtemperare.]

Explicatur Innocentius, cap. Nouerit.de Sent.excom.

ET hoc ſenſu videtur congruè explicandus Innocentius in cap. Nouerit.de Sent. excommunicat. ſic dicens. [In temporali autem generaliter, & generali Eccleſiæ ſolus Imperator, qui vniuerſis, & Clericis, & laicis in temporalibus præeſſe debet, priuilegia concedere poteſt.] Eſt enim intelligendum hoc dictum, iuxta illud Apoſtoli, quod explicamus, ſcilicet, [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.] Si enim ſubdi debent Imperatori tam Clerici, quàm laici, certè eo modo, quo ſubditi ſunt in temporalibus generaliter, in illis, ſcilicet, generalibus rebus dictis, quæ innuit Apoſtolus, etiam debet Imperator illis generaliter præeſſe: non autem in particulari hac ciuili Politia, qua aliàs fuit à Chriſto data ſuo Clero, & quam Apoſtolus, in foro ſecreto exteriori, Eccleſiaſticos docuit habituros. Deinde cùm in ſpiritualibus præeſſe non debeat: cùm hæc immunitas Eccleſiaſtici ſtatus ſit quid coniunctum cum purè ſpirituali illius poteſtate: ex ſupra probatis, adeo vt Iuriſdictio ciuilis Eccleſiaſtica ſit ab ea inſeparabilis, propter eleuationem hanc, quam habet ad eſſe quoddam ſpirituale; iam non dicitur quid temporale, in quo debeat Imperator præſidere.

Sed quia ſermones ſunt omninò, ex certa Philoſophia, intelligendi formaliter; cùm Innocentius ibi fuerit loquutus de priuilegijs, quæ conceſſit Imperator Eccleſiæ, circà ea temporalia, vel eas res, in quibus, ex rei natura, ipſe præerat, & præeſſe debebat: quam præſidentiam à ſe abdicauerat, lege priuata eam Eccleſiaſtico ſtatui relaxando: Reſpondetur; Imperatorem generaliter Eccleſiaſticis etiam præeſſe in temporalibus, quò ad protectionem: vt inquit Gloſ. c. Conuenior. 23. q. 8. vel præeſt quò ad generaliſſimam gubernationem eorum, quæ in Nouiſſ. Iuſtiniani, ſeu Iuſtini, ordine 149. referuntur: ad quam gubernationem têporalem ibi relatam, cùm, ex rei natura, tributa, & vectigalia, per ſingulorum ſubditorum capita, requirantur, in his temporalibus, & Clericis, & laicis præeſt Imperator; itaq; etſi bona Eccleſiæ ſint, tamquam bona Dei, & pauperum, ab hiſce oneribus immunia: vt docet Ambroſius dicto c. Conuenior. de quo poſtea 3. Parte dicemus, perſonæ tamen Eccleſiaſticorum ab hoc tributo, ſeu vectigali, ad quod recipiendum Imperator omnibus præeſt generaliter, non ſunt immunes in actu, ex ſua natura; ſed ex Imperatoris, vel Principum exemptæ ſunt priuilegio: vel ex ſummi Pontificis, id Principibus aſſentientibus, Conſtituto.

Et ſic ſtrictè eſſe intelligendam hanc Imperatoris præſidentiam, docent Iuſtinus Orat. ad Antonin.Pium, Didymus Alexandrinus Enarratione in 1. Epiſt.Petri, eſtque doctrina ipſius Ambroſij dicto c. Conue-

nior. Immò Apoſtoli Pauli, qui loco illo explicito, ad Rom. c. 13. cùm addidiſſet: [Itaq; neceſſitate ſubditi eſtote, &c.] ſubinuxit: [Ideò enim & tributa præſtatis:] quod [eſt ſignũ ſubiectionis,] inquit Dionyſ. Carthuſ. ibid. Itaque Paulus ſpecificè declarando ſe, ad tributa, & vectigalia reddenda ſubiectionem contraxit. Immò eſt doctrina ipſius Chriſti, qui omninò exiſtens inuectigabilis, vt ex Auguſtino diximus, pro ſe, & Petro iuſſit tributum ſeculari reddi Poteſtati, cum propter vitandum ſcandalum; tum propter exemplum; oſtendens benè reddere eos, qui debent, cùm ipſe reddidit, qui non debebat. De qua re ſic notabililer docet Ambroſius, ad c. 5. Luc. [Magnum quidem eſt, & ſpirituale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus Poteſtatibus docentur debere eſſe ſubiecti; ne quis conſtitutionem Regis terreni putet eſſe ſoluendam. Si enim cenſum filius Dei ſoluit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum? Et ille cenſum ſoluit, qui nihil poſſidebat: tu autem; qui ſeculi ſequeris lucrum, cur ſeculi obſequium non recognoſces?] Et Auguſtinus Tract. 6. ad cap. 1. Ioan. & refertur c. Quo iure. 8. d. ait: [Quare nolite dicere, Quid mihi, & Regi? nam quid tibi ergo, & poſſeſſioni? Aliter noli dicere, poſſeſſiones tuas: quia ipſa iura humana renunciaſti, quibus poſſidentur poſſeſſiones.] Quo loco Auguſtinum de eis poſſeſſionibus loqui, non quas Eccleſiæ intuitu, ſed quas titulis alijs Eccleſiaſtici obtinent, certum eſt; nam de bonis Eccleſiæ, ſeu Chriſti Domini eius Auctoris, quid ſentiendum ſit, 3. Parte diſputamus.

Et quia deſideramus Theologicè huic ſatisfacere difficultati, conſeruando hanc iuriſdictionem, Eccleſiaſticamq; immunitatem eſſe de Iure diuino, & non eſſe exemptionem ex priuilegio Imperatorum, ſeu Principum: & ſimul admittere, Imperatores generaliter debere præeſſe & Clericis, & laicis, vt dicit Innocentius; rogamus conſiderari: Imperatores Chriſtianos nõ debere prçeſſe plus in Eccleſia Clericis, quàm Imperatores Ethnicos approbauit Chriſtus Hebræo in populo præeſſe, & approbauerunt Apoſtoli in populo Chriſtiano eiſdem Clericis præfuturos. Sicuti enim non decet ab obedientia, & ſubiectione, quàm Chriſtus, & ſui diſcipuli Imperatoribus præſtari voluerunt, & docuerunt, aliquid detrahere; ſic neque eſt conueniens, illorum præſidentiam in Eccleſiaſticas perſonas amplius dilatare. Ergo ſi Chriſtus, ex condeſcenſione, tributum pro ſe, & etiam pro Petro Imperatori Romano ſoluit; ideò fecit; quia ſciebat, exactores tributorum ſcandalizandos, ſi Magiſter adeò verax, & viam Dei in veritate docens, tributa, quæ ad Poteſtatis ſecularis Romanæ onera ferenda, honeſtè, ex ſuppoſitione, quòd Hebræo populo præerat, ordinata fuerant, ſoluere denegaret. Sed hac præſidentia Romanorum Imperatorum in cunctam gentem Iudæorum, & horum ſubiectio in temporalibus ſub Romanis Imperatoribus, non derogauit ſpirituali libertati, & ſubiectioni eorum ſub Deo: neque Politicæ

poteſtati Sacerdotum, vt ſua iudicia ciuilia, in cauſſis ſuis Leuiticis,& ſacerdotalibus exercerent: quod habebant de lege Moyſis: vt notat Dionyſ.Carth.ad c. 22. Matth. & nos ſupra clarè probauimus: cùm ex Ioann.c.2. Chriſtum in templo Sacerdotes oſtendimus, etiam iudiciariè, cum Iudæorum patientia, caſtigaſſe; Romani Imperatoris, qui tàm Clericis, quàm laicis in temporalibus præerat, illæſa auctoritate; ergo concludendum eſt, hanc ciuilem Eccleſiæ iuriſdictionem, & hanc Eccleſiaſticorum immunitatem ex Diuino iure eſſe conſtitutam; neque obſtare, quominus poſſit Imperator eam non habens, neque illam priuilegio Eccleſiæ conferens, vtpotè, quæ ſua non erat, adhuc dici, generaliter, & generali Eccleſiæ in temporalibus præeſſe debere.

Et ſi hæc ſolutio adhuc non facit ſatis iuris Canonici Doctoribus, cùm ipſi nobiſcum teneant Concluſionem propoſitam cum Innocent. videlicet,& Hoſtienſ.c.2.de Maior.& obed. Gloſſ.in c.Si Imperator.diſtin. 96. verb. Diuino. & Ioan. Andr. Dominicus, Archidiac. Ancharran. Franchus, in c. Quamquam. de cenſib. in 6. poſt Gloſſ. ibi. Abbas, Felinus, Decius, Butrius, in c. Eccleſia S. Mariæ, de Conſtitut. Aufrerius, Clem. 1. de offic. Iudic. ordin. verſ. Ad quæſtionem, Lap. alleg. 92. nu. 7. Prob. in addit. ad Monach. in cap. Si iudex, de ſentent. excom. in 6. nu. 1. vbi etiam in hanc ſententiam citat Malcret. in Tractat. de Elect. Hieron. Gigas in Tract. de crim. læſæ Maieſtatis, quæſt. 68. num. 5. Tiber. Decian. in Tract. crimin. lib. 9. cap. 9. nu. 1. Riminald. in repet. c. Quæ in Eccleſiarum, nu. 54. Euerard. Conſ. 19. nu. 13. incip. In materia quæſtionis, & in Conſil. 42. incip. Viſis, & benè diſcuſſis. nu. 25. & 26. Petrus Belluga Valentinus in Speculo Princip. rubr. 11. tit. de præpoſit. §. videndum, nu. 1. & 2. Alex. Conſ. 8. n. 1. vol. 1. Nat. Conſ. 435. nu. 15. Roland. Conſ. 4. nu. 7. vol. 1. Bened. Cano. de Priuileg. Eccleſ. perſonal. tit. de for. comp. Priuileg. 11. Ferdinan. Vaſquez, de ſucceſſ. creat. §. 22. limit. 28. Rota Romana, in antiq. tit. de Conſuet. Deciſ. 10. n. 4. Deciſ. Conſilij Neapolitani, apud Grammaticum, Deciſ. 61. Deciſio Senatus Pariſienſis, relata à Rebuff. in Concord. vbi de protectione Concord. ipſi omnes viderint, qualiter ipſius Innocentij dicto ſit faciendum ſatis: nam doctrinam à nobis hucuſque adductam credimus Theologicæ eſſe valdè conformem facultati.

Explicatur S. Ioannes Chryſoſtomus.

AD cuius Argumenti calcem viſum eſt, Chryſoſtomum explicare, qui in Dialog. de Sacerdotio ſeparat regalem potentiam ab Euāgelico miniſterio: dicens: [Miniſterium eſſe munus commiſſum à Deo, vt ſine armis doceatur homo: non autem eſſe poteſtatem dandi, aut adimendi regna, ſeu, (quod ad noſtrum facit inſtitutum) ſciſcendi leges ad Reipublicæ adminiſtrationem.] Si tamen rectè Chryſoſtomi mens inſpiciatur, non negat eo loco, poſſe ſummum Pontificem circa Regū,& Prin-

cipum cauſas, quæ ſtatum Chriſtianiſmi, cuius eſt Caput, & Iudex, concernunt, agere, & leges Politicas Eccleſiaſticas condere, & Eccleſiam ad id non habere à Chriſto Domino poteſtatem: ſed ſolùm diſputat de difficultate, quam Epiſcopi, in ouibus ſuis curandis, patiuntur. Docet ergo paſtores irrationalium ouium, quibus corporales tantùm morbi curandi ſunt, poſſe facilè oues ſuas, licèt renitentes, & inuitas curare: cùm ſit illis promptum, eas vincire, includere, ſecare, & vrere. Similiter Iudices ſeculares, qui ſolùm externas populi actiones regunt, facilè poſſe, vinculis, carceribus, gladio, quibuſlibetuè pœnis populum cogere, ad externam tranquillitatem, & pacem; Epiſcopo verò, cui propoſitum eſt, vitijs animorum mederi, difficillimam impoſitam eſſe prouinciam, cùm nemo poſſit curari à vitijs, niſi velit; neque tormentis vllis adigi poſſint homines ad virtutes.

Chryſoſtomum autem non fuiſſe in ea ſententia, vt non poſſint Epiſcopi, & leges ciuiles Eccleſiaſticas ferre, & ad earum obſeruantiam ſuos ſubditos cogere, teſtimonio eſt ipſe Chryſoſtomus Homil. 70. ad populũ Antiochenum: vbi prohibens, ne quis mulieres præficas aduocet, ad funera deploranda, de quibus habetur Marci c. 5. ſic loquitur: [Ne cogam eas vera, & propria mala deflere.] Et infra: [Si verò, quod abſit, contempti fuerimus, minas ad rem deducere cogemur: vos quidem Eccleſiaſticis caſtigantes legibus, illas verò, ſicut eis conueniet:] habebat enim per vniuerſum Patriarchatum carceres ſignatos, pro reis ſubditis caſtigandis. Et Homil. 83. in Matth. Diaconos monet, vt indignè ad Euchariſtiam accedentes, pro poteſtate, cohibeant, ijs notandis verbis: [Si Dux quiſpiam, ſi Conſul, ſi ipſe denique, qui diademate ornatur indignè adeat, cohibe, & coerce; maiorem in illo habes poteſtatem.] Hinc colligitur, cùm ſcribit Chryſoſtomus, lib. 2. de Sacerdotio, Epiſcopum ſolis perſuaſionibus, non autem vi, & poteſtate cum ouibus ſuis acturum, Sanctum, acerrimũ aliàs iurium Eccleſiæ defenſorem, loqui de animorũ interna conuerſione, & curatione, non de externa improbitate cohibenda. Videndus ipſe Chryſoſtomus, Homil. 44. in Pſalm. Homil. 2. in Acta Apoſtol. Homil. 15. in Epiſt. 1. Pauli ad Corinth. Vbi maximè aduertit, vt in vniuerſali Eccleſiæ tribunali, cum charitate paterna, & Chriſtiana pietate, eius ſumma poteſtas coniungatur.

QVARTVM ARGVMENTVM.

A iudicio exercito in Chriſtum coram Pilato.

QVARTO arguunt aliqui contra Concluſionem ex eo, quòd Chriſtus Dominus tribunali ſteterit P. Pilati, ſecularis Principatus Romani iudicio condemnandus, & condemnatus: vnde hanc aſſertam à nobis immunitatem Eccleſiaſticam, ex Chriſti ſummi Pontificis hoc facto, credunt labefactari.

Digitized by Google

Et quidem Marſilium de Padua, & Ioannem de Ianduno hoc argumẽto abutentes, hæreſis condemnatos videbit lector in Bulla Ioann. XXII. vbi latè explicatur, Chriſtum de iure ibidem non potuiſſe iudicari: factum autem nihil ſuffragatur Concluſionis veritati deſtruendæ. Mirandum tamen eſſet, viros Catholicos, ad rem, de qua agitur, velle hoc exẽplum detorquere. Quid enim oportet Chriſti Domini pro humano genere ſpontè ſuſceptam paſſionem cõmemorare? de qua miratus Iſaias dixit c. 53. [De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt:] qua iniquitate occupatus Propheta, Epiphonemate ſubdidit: [Generationem eius quis enarrabit?] id eſt, homines illos tam profligati ſeculi, & eorum iniquitatem? iuxta grauiſſimorum Patrum explicationem.

Igitur cùm OEconomia noſtræ redemptionis tantæ ſit profunditatis, tantæ ſit admirationis, tantæ ſit immenſitatis res; vt de conſilijs æternis Beatiſſimæ Triadis in Verbo incarnato, per crucis conſummationẽ, iam manifeſtatis, adhuc admirabilitate ſtupefacti Angelici ſpiritus de Chriſto ad Patrem, purpureis illis inſigne notis, aſcendente rogauerint, vt refert eodem ſpiritu Prophetico Iſai. c. 63. [Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?] immò oportuerit, eos de multis, quæ diſpoſitionem huius ſacramenti abſconditi à ſeculis, vt inquit Paulus, fuerunt ſubſequuta, per Eccleſiæ militantis certos fieri illuminationem: iuxta quod, explicante D. Thoma, docet Apoſtolus ipſe ad Epheſ. c. 3. dicens: [vt innoteſcat Principibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei:] his inquam datis, quid oportet, intellectum humanum anſam, ex iudicio, in Chriſtum Dominum arripere exercito, ad iudicium Eccleſiaſticum, à laica, ex ipſius Chriſti inſtitutione, immune Poteſtate, interrumpendum? Traditus fuit Chriſtus, & ad mortem damnatus ab ſtatu Eccleſiaſtico Sacerdotum, ab ſtatu ſeculari reipublicæ, ab Hebræis, à Gẽtibus; vt inde maior eſſet ipſius gratia, inde illuſtrior effulgeret miſericordia: quòd qui pro omnibus à Patre, & à ſe, ex Diuina charitate, tradebatur, ab omnibus, ex humana iniquitate, traderetur; & omniũ ſtatuum, omnium hominum ſentiret iniuriam, qui omnium ſtatuũ, & hominũ omniũ ſtatuebat iuſtitiam: & omnium hominum experiretur ingratitudinem, qui omnium hominum delebat impietatẽ.

Cùm autem ex dicto Chriſti Domini, Ioan. c. 19. ad Pilatum, videlicet, [Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper:] Hæretici prædicti, Pilatum fuiſſe ordinarium Redemptoris noſtri iudicem, aſſerebant; Hæretico ſuo fallebantur ſpiritu: illa namque verba de poteſtate, ex Dei permiſſione, ſunt accipienda: vt ſenſum hunc reddant: nulla aduerſus me poteſtate vti poſſes, niſi Deus hoc tibi permitteret. Quæ explicatio eſt Chryſoſtomi: quem ſequuntur Gloſ. & Præpoſ. in c. Verum. 96. diſt. Iuxta hanc etiam Dei tolerantiam, conformiter ad Euangelij verba, Auguſtinus, & Bernardus, de hac poteſtate agentes, ſunt explicandi.

Digitized by Google

QVINTVM ARGVMENTVM.

Ex appellatione Pauli Apoſtoli ad Cæſarem interpoſita.

QVINTO arguunt nonnulli contrà Concluſionem; Paulum Apoſtolum Act.c.25.Cæſarem appellaſſe: qui, ſi hanc Eccleſiaſticam recognoſceret immunitatem,& iuriſdictionem, ſummum eius Iudicem fuiſſet potiùs appellaturus; quo eodem argumento dicti Marſilius de Padua, & Ioan. de Ianduno damnati à Ioanne xxII. abutebantur. Reſpondetur tamen facilè; Paulum, in ſua illa cauſa, non potuiſſe, nec debuiſſe aliter effugere vim ſibi ab impijs illatam Iudæis, & à Feſto Procuratore, qui eis gratiam præſtare volebat, vt ibidem aſſeritur, diſſimulatam; quod ipſe Paulus etiam expreſſit, dum ſe id feciſſe coactum affirmat: vt iam Doctores etiam plures adnotarunt. Quæ ſolutio ſic eſt explicanda: nam in primis Concilium Eccleſiaſticum Ieroſolymitanum Iudæorum legem zelantium, ad quod Paulum Feſtus deducere quærebat, iam Chriſtiano,& Apoſtolo, non erat legitimum forum; appellare verò Petrum Eccleſiæ Chriſtianæ Caput, & ſummum Pontificem, res Feſto Gentili pluſquàm ridicula videretur. Ad quem ergo appellaret Chriſtianus homo,& ciuis Romanus? niſi ad Imperatorem Romanum Feſto ſupremum iudicem, qui nedum Iudæorum technas, verùm & Feſti iniuſtitiam detegeret,& Paulo debitam libertatem arrogaret?

Eſt ſimile, ſicuti ſi Chriſtianus hodie ab Hæreticis vim aliquam Conſtantinopoli, religionis cauſſa, pateretur: certè non ad Papam vel quẽcumque Eccleſiaſticum Prælatum; ſed Chriſtianiſſimè ad ipſum Turcã; qui ſibi ius diceret, appellaret. Sic enim de anno 1585. Budæ, cùm Chriſtianis Catholicis, quoddam in ea templum ſartum, & tectum, cum ſuis Sanctorum imaginibus conſeruare contendentibus, Hæretici quidam Caluiniſtæ Iconoclaſtæ obſtreperent,& templo potiri, & imagines Sanctorum ſubuertere,& delere appetentes; re per Catholicum Sacerdotẽ templi Miniſtrum, non ad Papam, ſed ad Turcam Baſſam, & quidem iuuenem, ciuitati ius reddentem, appellata: ipſe auſcultato, & approbato argumento Sacerdotis, ab antiquitate templi, cum ſuis Sanctorum imaginibus, per reges Hungariæ erecti, qui Catholicam Religionem profiterentur: & nouitate reiecta ſectæ illorum, qui è ſacro loco conabantur,& Catholicum Presbyterum,& Diuorum imagines deturbare; cauſſam pro antiqua, & vera religione tuitus, ac Sacerdote, ſicuti poſſidebat, poſſidere, iuſſo: profanos Hæreticos, baculo etiam percuſſos, à templo procul abeſſe iuſſit, condemnatos.

Reſpondetur ſecundò,& optamus plurimùm reſponſionem adnotari. Paulum non de fidei negotio, aut de hæreſi fuiſſe tunc à Iudæis accuſatũ: aliàs tantus Apoſtolus haud iudicem fidei Chriſtianæ hominem Ethnicum, ac inde eiuſdem fidei planè contemptorem appellaſſet. Si enim pa-

ri noluit Ambroſius in Palatio Valentiniani Imperatoris, qui ſe tamen Chriſtianum profitebatur, Chriſti cauſſam agitari: ne fortè Ethnicus aliquis inter iudices, qui de Chriſto triumphum ageret, conſederet: ſi Magnus Athanaſius Conſtantium Auguſtum Antichriſtum appellare non dubitauit, quòd in Concilio Sacerdotum præſidere auſus eſſet; Apoſtolus Paulus Athanaſij, & Ambroſij præceptor, eiuſdem Chriſti cauſſam, ſponte ſua, ad Imperatorem Ethnicum, tamquam ad legitimum iudicem detuliſſet?

Erat igitur cauſſa, non de fide, non de hæreſi, ſed de ſeditione, ſuborta; ac de tumultu in Iudaico populo excitato; quam, primùm coram Felice, deindè coram Feſto, poſtremò coram Nerone iudice perorauit. Nã accuſatores eius, Act. c. 24. dicebant: [Hunc inuenimus hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Iudæis in vniuerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum: qui etiam templum violare conatus eſt.] Et Paulus reſpondebat: [Non plus ſunt mihi dies quàm duodecim, ex quo aſcendi adorare in Ieruſalem: & neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in Synagogis, neque in ciuitate.] & cap. 25. [Neque in legem Iudæorũ, neque in templum, neque in Cæſarem quicquam peccaui.] Quinimò ipſi Romani iudices non ita imprudentes erant, vt de ijs rebus iudicare vellent, quas non intelligebant: quod in Pilato Chriſtum iudicaturo nouimus eueniſſe; qui dum variè de templi Ieroſolymitani, vel deſtructione, vel reædificatione, de Dei inuiſibilis filiatione præſumpta, rebus, ſcilicet, ad legem Iudæorũ ſpectantibus, Dominus IESVS apud illum conſtantiſſimè ab ipſis Iudæis accuſaretur, moras ſubinde, ac moras, in eo damnando, necteret: attamen dum de regia affectata dignitate fuit inſimulatus, Cæſaris reueritus regiam, ac conſpicuam poteſtatem, accuſatorum ad effectum reduci poſtulationem impiam, iudicauit. Idem fit notum in eodem Paulo, verba coram Gallione, Act. c. 18. pro ſui defenſione facturo: quem, ſicuti & Iudæos illius accuſatores, ſic, præmeditata ratione, excepit Proconſul: [Siquidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ò viri Iudæi, rectè vos ſuſtinerem: ſi verò quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus legis veſtræ, vos ipſi videritis, iudex ego horum nolo eſſe.]

Cùm igitur Paulus, quaſi ſeditionis concitator, à Iudæis accuſaretur: & Iudæorum reſpublicæ in Romanam adminiſtrationem conceſſiſſent, apud quam, & eius Principes, ſummoperè intereſſet Chriſtianorum ſtatum, ſemel intelligi, ipſorum in vnum coitiones nullam, ſub religionis prætextu, in ſecularem Rempublicam conſpirationem machinari: iure optimo Apoſtolus ſuam innocentiam, circa tantum, ac tam ſcandaloſũ ſibi imputatum crimen, purgaturus, vt ipſi inimici Gentium Principes eſſent iudices, poſtulauit.

Re-

Reſpondetur tertiò, & vltimò: Apoſtolum Paulum Gentium Magiſtrum, in ſua tunc perſona, exemplo docuiſſe Eccleſiam, qualiter ſiue inter Gentes, ſiue inter Chriſtiano addictos iam nomini, eſſet omnibus Eccleſiaſticis conuerſandum. Eorum enim illibata iuriſdictione permanente, voluit in quibuſdam caſibus, ciuilem Poteſtatem laicam, conniuente, immò & ſic ſtatuẽte Eccleſiaſtica diſciplina, de Eccleſiaſticis perſonis iudicare. Caſuum horum vnum eſt ſchiſma, ſeu ſeditio: cuius criminis tunc Apoſtolus reus agebatur: vt refertur inter alios, à Gloſſ. 23. q. 5. c. Principes, verb. intra Eccleſiam. quam integram placuit hic tranſſcribere: [Laici, inquit, habent iuriſdictionem multipliciter intra Eccleſiam: quandoq; in perſonis ipſis, cùm ſint incorrigibiles; vt 32. diſt. Eos qui. & infra c. De Liguribus. Item quandoq; propter ambitionem alicuius: vt 79. diſt. Si quis pecunia. Item cùm fidem volunt ſubuertere, vt diſt. 8. Quo iure. vt ſup. eo. cap. 1. & 17. diſt. Nec licuit. Item cùm falſarius eſt Clericus: vt extra. de crim. falſ. Ad falſariorum. Item cùm & ſchiſma faciunt Clerici, & cùm contemnunt excommunicationem: vt infra c. De Liguribus. Item & vbicumque Eccleſiaſtica poteſtas deficit: vt hic. Item & cùm tributum petunt ab Eccleſia: vt infr. 23. q. 8. Conuenior.] Hucuſque Gloſſ. quæ qualiter cum dictis caſibus ſit intelligenda, ſeu ad praxim reducenda, conſulendi ſunt Iuriſprudentes, & ſummus Pontifex, ad quem ſpectat iura Canonica, & condere, & interpretari. Quod ad rem verò facit, ex hac Gloſſa intelligitur etiã, iuxta aſſignatũ in ea penultimum caſum, Eccleſiaſtica tunc poteſtate deficiente accidentariè, cùm de Eccleſia potuiſſet Paulus dicere: [Soror noſtra parua, & vbera non habet:] Cant. c. 8. legiſlationis, videlicet, inſimul & exſequutionis, iure optimo eum, & voluiſſe, & debuiſſe ſuos accuſatores ad Cæſaris tribunal prouocare.

SEXTVM ARGVMENTVM.

A varia adminiſtratione huius Politicæ poteſtatis, per ſummos facta Pontifices.

SEXTO arguitur fortiſſimè contra Concluſionem: Nam ea exſiſtente vera, non poſſet ſummus Pontifex hanc Eccleſiaſticorum immunitatem alterare, reſtringere, vel minuere; cùm tamen illam in multis reſtringat cauſſis; nequiret etiam cauſſas, & lites Clericorum laicis Iudicibus committere dirimendas: & tamen Gloſſa in c. Valdè. diſtin. 49. hoc admittit: & c. Non ſi. 2. q. 3. habetur. Romanos Pontifices ſuas cauſſas Imperatoribus delegaſſe: nequiret ex priuilegio laicæ Poteſtati hanc Eccleſiaſticam iuriſdictionem, & Politicum regimẽ adminiſtranda permittere: neque tamdem potuiſſet multis in locis, contra hanc Clericorum immunitatem, conſuetudo in rebus nonnullis præualuiſſe: quæ contra Ius diuinum vtique non teneret.

Prima pars ſolutionis ad Argumentum.

ARGVMENTVM hoc plura inuoluit, quæ ſunt propriè à Iuris vtriuſque peritis tractanda; immò latiſſimè ab ipſis tractātur; ad quos Lectorem, ad rem hanc integrè percipiendam, vti à noſtro inſtituto extraneam, amandamus. Vnde per rerum capita breuiter reſpondetur. Hanc iuriſdictionem Eccleſiaſticam Politicam, ſeu ciuilem diuidi in legum Eccleſiaſticarum conditionem, & in earum legum exſecutionem. Et quidem leges condere Eccleſiaſtico foro deſeruientes, directiuas, & coactiuas ſimul, ad ſolam Eccleſiam, & eius pertinet Prælatos de iure Diuino. Non dixerimus, modò dubitari, in Eccleſia eſſe de iure Diuino poteſtatem, ad puniendum Chriſtianos, id meritos, punitione coactiua; nam aſſerere contrarium, eſt hæreſis damnata, cum ſuis auctoribus dictis Marſilio de Padua, & Ioanne de Ianduno, in præfata Bulla Ioannis XXII. Sed quod dicimus, conſequenter ad noſtram Concluſionem, eſt; ad Eccleſiam, & eius Prælatos, & ſummum Pontificem, & Concilia ſacra ſpectare, de iure Diuino, legum ciuilium, Eccleſiaſtico foro deſeruientium, conditionem, non autem ad laicam Poteſtatem; à qua nulla lex coactiua poteſt in Eccleſiaſticas ferri perſonas. Attamen prædictarum legum exſecutionem, nihil obſtat, ab Eccleſia, & eius Prælatis laicæ cuicumque committi Poteſtati. Et tunc talis laica Poteſtas non gerit officium iudicis per ſe Eccleſiaſtici: ſed Miniſtri exſecutoris legum Eccleſiaſticarum.

Hæc videtur expreſſa doctrina Apoſtoli Pauli, dicto loco ad Roman. c. 13. ſic de Chriſtianis, ſiue laicis, ſiue Clericis diſcolis, in ſpecie loquentis: [Si autem malum feceris, time;] ſcilicet, Poteſtatem, de qua eſt ſermo: [Non enim ſine cauſſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.] Ecce quàm Apoſtolus, vt dictum eſt ex Auguſtino, & Anſelmo, fuerit maximè cautus, ad Chriſtianos, qui Romę degebant, ſcribens ea ratione, ac forma, ne Romanorum tantopere affectata poteſtas, vel minimum, à Chriſtianæ legis profeſſoribus damnaretur. Sciebat tamen, Chriſtianos nimium offendendos Imperatorum Ethnicorum, & eorum Miniſtrorum ſimilium impietate: ac inſuper præuidebat, illos, niſi acri fræno coercitos, vix ſibi, quin in Poteſtates Ethnicas inſurgerent, fuiſſe temperaturos. Hinc tot incommodis, ac tantis inconuenientibus obuiandis, haud ſibi viſum fuit remedium ſufficiēs illum Apoſtolicum Canonem 84. Chriſtianis edictum omnibus; ſcilicet: [Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit; ſupplicium luito. Si Clericus ſit deponitor, ſi laicus à communione remouetor:] Voluit igitur eo loco ſeriò inſtruere fideles, tam laicos, quàm Eccleſiaſticos, ita ab eis cum Principibus, etiam Gentilibus, lege, & patientia Chriſtiana eſſe agendum; vt ſi ab illis, verbis, factiſuè, offenden-

dis,& á deſignandis facinoribus,non deſiſterent,quæ facili via ab Eccleſia per pœnarum, iuxta ſua ſancita, inflictionem válerent purgari; id remedij eſſe in promptu, vt laica Poteſtas animaduerteret, etiã gladio: in ſeculares quidem perſonas, tamquàm Dei miniſter,qui laicam ordinaſſet Poteſtatem: in Eccleſiaſticas verò, tamquam Dei Miniſter, ideſt, Eccleſiæ,cuius caput eſt Chriſtus Deus, qui Eccleſiaſticam Poteſtatem inſtituiſſet: cuius exſequendis legibus cùm debeat, tamquàm Miniſter, Princeps ſecularis deſeruire, etiamſi eſſet infidelis, docuit Paulus, vel ſaltim propter hanc Eccleſiæ vtilitatẽ, à Chriſtianis omnibus honorari.

Immò eſt certum, Prælatos Eccleſiaſticos, cùm ſuam poteſtatem, & auctoritatem in Clericos ſibi ſubditos nequeunt, propter illorum, vel contumaciam, vel inſolentiam, vel aliàs exercere, ad Principes ſeculares omninò debere recurrere, & eorum auxilium, & brachium poſtulare: qui eis ſuffragari tenentur: notantibus Bald. in c.Olim. num. 14. de reſcript.Panormit.in c.Tua. nu.10.de decim. & alijs:addito text.in c.1. de offic.ordin.De quo brachio ſeculari præſtando, latè à Iuriſprudentibus, tàm hiſce, quàm alijs in locis varijs, & nouiſſimè à pio, ac erudito Molino Ilerdenſi Doctore, optimè diſputatur.

Confirmatur hæc doctrina ex illo loco ſuperiùs adducto, Sap cap.2. vbi Spiritus ſanctus Reges, & Poteſtates ſeculares appellat Miniſtros Regni Dei: ideſt,Chriſti,& eius Eccleſiæ, quæ eſt ſuum regnum: ad exſecutionem etiam ſpecialiter Eccleſiaſticarum legum, & ſacrorum Canonum: ex quorum cuſtodia, Eccleſiæ totius Politia, & eiuſdem compago integra perſeuerat. Cui Diuinæ doctrinæ accinit Clemens, Epiſt.ad Iacobum fratrem Domini, dum ſic ſcribit de Petro: [Omnes Principes terræ, & cunctos homines eis obedire, (ideſt, Epiſcopis,) & capita ſubmittere, eorumq; adiutores exſiſtere præcipiebat.] Intelligendum certè adiutores futuros,non in Miniſtris Sacramentorum conſecrandis, ſed in legibus ciuilibus Eccleſiaſticis exſequendis.

Neque tamen importunus nimiùm cenſor,vel parũ pius,qui huius Epiſtolæ non tãti fecerit auctoritatẽ, illam(ſi Catholicus ſit)23.q.5.Principes.cũ tribus ſeqq.&Conc.Trid.defugiet,qua Seſſ.16.in fine,& Seſſ.25.c.20.propè fin.ſub tit.De recipiẽdis, & obſeruandis Decretis Concilij habetur:vbi adeò anxiè Eccleſia laicæ commendat Poteſtati; vt ſacrorum Canonum, & Conciliorum Decreta,& immunitatem Eccleſiaſticam Diuina ordinatione ſancitam,tueantur,conſeruent,& exſequutioni debitæ mandent. Quo in loco Patrum intentio ſancta fuit, laicas Chriſtianas inducere Poteſtates, vt aſſiſtant Eccleſiaſticorum tribunalium infirmitatem adiuuando; quò perſonæ Eccleſiaſticę ſecuriùs ſua omnia exerceant munera, & quando opus fuerit, per Eccleſiæ Prælatos legitimos caſtigentur. Immò ſeculares Principes eò enixiùs exhortatur Concilium ad ſacrorum Conciliorum, & Pontificium Decretorum curandam exſe-

quutio-

quutionem, in rebus Politici externi fori: ne; vt dicebat Imper. Arcadius, C. citato, de Epiſcopal. audient. l. 9. ſit caſſa Epiſcoporum cognitio: atque etiam quò præſumit faciliùs, laicas Poteſtates, reuerentia, quæ Dei miniſtris, ac perſonis Eccleſiaſticis debetur, præpeditas, ad eorum pœnarũ culpis conformium, exſequutionem, difficiliùs inducendas.

Eſt igitur Eccleſiaſtici fori decentiſſimus mos, iam ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt ex Epiſt. 2. Decretali Pij Papæ conſtat, vt ſupra innuimus, in grauiſſimis, & atrocioribus criminibus, vltimo ſupplicio afficiendos homines Eccleſiaſticos laico remittere Magiſtratui, mortis pœnam in eos exſequuturo. Neque hoc facit, quia non poſſit Eccleſiaſticum tribunal iudicium corporalis pœnæ (etiam ſanguinis) in ſubditos Eccleſiaſticos exercere; exẽplo Chriſti, qui Ioan. c. 2. vt ex eo loco ſupra arguebamus. 7. Concluſionis confirmatione, flagris etiam impoſitis, profanatores templi, & Sacerdotes, & laicos ab eo eiecit; exemplo Petri ſummi Pontificis, qui Ananiam, & Saphiram coniuges, Spiritui ſancto mendaces in iuſta pretij conſignatione agri diuenditi, ſubita morte mulctauit: Act. c. 5. exemplo Pauli, qui Elymam Magum, Proconſulem Sergium Paulum à fide abducere conantem, cæcitate ad tempus percuſſit: Act. cap. 13. & contrarium docentes, Marſilium de Padua, & Ioannem de Ianduno Ioannes XXII. in dicta Bulla hæreſis damnauit: vt diximus. Sed hanc exſequutionem pœnarum, & corporeæ torturæ, (quam poſſet etiam Dæmonibus committere, ſicuti fecit Paulus, inceſtuoſum Corinthium, 1. Corinth. c. 5. & Hymeneum, & Alexandrum blaſphemos, ad Timoth. 1. cap. 1. tradens Sathanæ torquendos:) & Eccleſiaſticos mortis pœna animaduertendos laicis remittit iudicibus, inter alia plura; vt ipſe ſtatus Politicus ſecularis agnoſcat, Eccleſiam, quæ à Poteſtatibus illius in laicas perſonas iuſtitiam deſiderat adminiſtrari, eam etiam ſtrictiſſimè, iuxta ſuas Canonicas Sanctiones, in perſonis Eccleſiaſticis cuſtodire.

Circa quam doctrinam adhuc eſt operæpretium, propter nonnullorũ, qui ſe Catholicos venditant, cùm nihil ſint minus, fuſiùs immorari. Quod igitur ad hæreſis maximè cognitionem criminis attinet, ad Politicum concedimus ſpectare Magiſtratum, in Hæreticos, ab Eccleſia iudicatos, & damnatos, ſeuerè animaduertere: attamen iudicare, ſitne aliquis Hæreticus, an non, qui ad Politicum Magiſtratum, & non potiùs ad Eccleſiaſticum, exiſtimat pertinere, eum frigidè nimis, in Eccleſiaſticis nedùm iuribus verſandis, verùm & hiſtorijs euoluendis, fuiſſe oportet, ſpatiatum. De qua materia ſcripſerunt latè plures D. Thomæ Interpretes, ſuper Artic. 3. q. 11. 2. 2. & Doctiſſimi Caſtro, de Iuſta Hæretic. punit. & Epiſcopus Simancas in ſuis Catholic. Inſtit. Eſt nimis nota illa Athanaſij vox, in Epiſtol. ad Solitariam vitam agentes, de Imperatore Conſtantio, qui in cauſſis fidei iudicium ſibi arrogare nitebatur. [Quando, inquit, à condito æuo auditum eſt, quòd iudicium Eccleſiæ auctori-

Digitized by Google

tatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando vnquàm hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antea Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt; nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.] Et infra: [Quis videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat, eum illum ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?]

Haud eſt diſsimile, quòd S. Martinum Imperatori Maximo, de hæreſi Priſcilliani cognoſcere volenti, palam dixiſſe, ſcribit Sulpitius, 2. lib. Sac. Hiſtor. [Nouum & inauditum eſſe nefas, quòd cauſſam Eccleſiæ iudex ſeculi iudicaret.] Accedit Ambroſius, ſic alloquens Valentinianum Iuniorem. Epiſt. 32. Vet. edit. [At certè ſi vel Scripturarum ſeriem Diuinarum, vel vetera tempora retractemus: quis abnuat, in cauſſa fidei, in cauſſa, inquam, fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Eris, Deo fauente, etiam ſenectutis maturitate prouectior: & tunc de hoc cenſebis, qualis Epiſcopus ſit, qui laicis ius Sacerdotale ſubſternit. Pater tuus vir maturioris æui dicebat, Non eſt meum iudicare inter Epiſcopos: Tua nunc dicit Clementia; Ego debeo iudicare.] Et infra: [Si conferendum de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio: ſicut factum eſt ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit: ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.]

Secunda pars reſponſionis ad Argumentum.

SED eſto quò ad aliam partem argumenti, ſummus Pontifex, nedùm exſequutionem legum Eccleſiaſticarum laicæ Poteſtati, verùm abſolutè cognitionem cauſſarum, circà perſonas Eccleſiaſticas, Principi, vel Poteſtati cuicumque ſeculari committat, & deleget: adhuc & id poteſt facere, Iure Diuino, ex quo iuriſdictio hæc ſibi competit, non violato. Docet id Gloſ. in c. Valde. diſt. 49. quia eorum, quæ ſunt iuriſdictionis, capaces ſunt laici, quibus queant committi: ſecus eorum, quæ Ordinis ſunt, quorum ſemper incapaces exſtitere. In quo caſu ſolùm vtitur, tamquàm miniſtra, illa perſona, quam iudicem conſtituit, ad illarum cauſſarum cognitionem. Qui iudex delegatus, id Papa ſibi non prohibente, ſi procederet, in cauſſarum talium cognitione, per leges ciuiles Reipublicæ communes, etiam pœnales, & coërciuas, etiam grauiſſimas, non haberent tunc Eccleſiaſtici quid de Pontifice quererentur, quaſi de iuris Diuini transgreſſore, qui legibus coactiuis Principis ſecularis Clericos quoſcumque ſubijceret, à quibus diximus diuinitùs eſſe immunes. Sicuti ſeculares Poteſtates non habent vnde colligant, hanc Eccleſiaſticam iuriſdictionem non eſſe Iure diuino ſancitam, quam ſummus Pontifex illis poteſt delegare; etiamſi in cognitione cauſſarum, ſuis legibus vtan-

tur

tur coactiuis. Et ratio horum eſt, quia cùm legis Chriſtianæ opus ſit ex Principijs 2. 3. 4. & ex alijs ſupradictis, non ſolùm legem naturæ, ſed & omnes leges humanas perficere, & æternam beatitudinem hominibus procurare; condecens fuit, & eſt, vt intelligant Eccleſiaſticæ perſonæ, à quibus maior eſt ſanctitas, maior eſt vitę puritas exquirenda: de quo videndum Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 1. Ref. leges, quæ laicis ſunt formaliter coactiuæ, ſibi, ſi id propriæ exigant culpæ, eſſe coactiuas virtualiter; quando ſummus Pontifex id dignum eſſe iudicauerit: nam tunc non leges Ciuiles, ſed Eccleſiaſticæ ſunt cenſendæ; quaſi, ex virtute Commiſſionis cauſſæ, à Pontifice ad Eccleſiaſticos, in ſentētijs, & earum exſequutionibus, applicatæ.

Tertia pars Reſponſionis ad Argumentum.

AD illam partem Argumenti, de conſuetudine circà hanc iuriſdictionem vbicumque introducta, reſpondetur: eam, ſi legibus ſequēdis Eccleſiaſticis, in procedendo contrà Eccleſiaſticos, inſiſtat, eſſe interpretandam, quaſi Eccleſia, & eius Prælati, & ſummus Pontifex illum regiminis modum, quaſi Eccleſiaſticum eſſe intellexerint; & eo, & illum exercentibus vti, quaſi legibus Eccleſiaſticis, & Miniſtris ab ipſis delegatis; quod poſſunt efficere ex ſupradictis.

Quarta pars Reſponſionis ad Argumentum.

AD partem aliam Argumenti de Priuilegijs, circa hanc immunitatem, per Pontifices laïcæ attributis Poteſtati: ſatisfaciunt Iuriſprudentes, qui de hac materia ſcribunt luculentiſſimè: nos præcipuè Theologiam tractamus: interim ſolùm affirmantes, neque per conceſſionem huiuſmodi priuilegiorum ſummum Pontificem Ius lædere diuinum, ex quo ſibi hæc iuriſdictio competit: quia numquàm ſiue ſubdelegando, ſiue priuilegia conferendo, à ſe hanc abdicat poteſtatem; quæ eſt in totum inabdicabilis; veluti de Iure illi inhærens diuino. Vnde ſemper illi reſtat cum priuilegiatis Principibus ſecularibus accumulatiua iuriſdictio, vel ab illorum iudicijs ad ſuum ſupremū tribunal prouocatio.

Pro generali Reſponſione ad Argumentum, Notandum.

PRO cuius Argumenti totius adhuc in genere ſolutione, eſt maximè conſiderandum: quòd Eccleſiæ Prælati, & iudices, & præcipuè ſummus Pontifex, debent eſſe ſemper parati, non ſolùm ad reddendam omni poſcenti eos rationem noſtræ ſpei, ſiue fidei, iuxtà doctrinam Petri Apoſtoli 1. c. 3. verùm etiam tenentur eam reddere Deo ſtrictiſſimam, & hominibus inſigniter ſatisfacerē, circa fori Eccleſiaſtici huius exterioris adminiſtrationem. Hæc doctrina eſt Chriſti Domini, eo ipſo tempore Eccleſiaſticis omnibus facto, & verbis tradita, quo eos eſſe immunes, &

liberos à ciuili Magiſtratu declarauit. Nam cùm loco allegato Matth. c. 17. pronuntiaſſet Chriſtus, liberos eſſe filios: ideſt, ſe, & ſuos diſcipulos, & omnem ſuam Eccleſiaſticam familiam: vt eſt probatum: ſtatim Petro præcepit ſic: [Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem; illum ſumens, da eis pro me, & te.] Ecce quantum, & quatenùs voluit Chriſtus hanc libertatem filiorum, & immunitatem Eccleſiaſticorum inter ipſos exerceri; ſcandali, actiui videlicet, occaſione ſublata; qua intercedente, nullum non lapidem iuſſit moueri, vt iuſtitiæ ſuus locus, in oculis laicæ Poteſtatis, relinquatur. Quam Chriſti, circa Eccleſiaſticam immunitatem, inſtitutionem, & circa vſum eius doctrinam, ſic intellexit Petrus ipſe Apoſtolus 1. c. 2. inſtruens ſpecialiter quidem Eccleſiaſticos, quibus maior hæc obtigit libertas, & immunitas: [Quaſi liberi, inquit, non tamen velamen malitiæ libertatem habentes.]

Colligimus ex hoc, quòd quo Iure diuino gaudet Eccleſia hac immunitate, eodem diuino Iure tenetur prouidere ſummus Pontifex, vt Eccleſiaſticum forum, ſeculare non ſcandalizet forum; & vel per ipſos Eccleſiaſticos, vel per ſubdelegationem in laicam Poteſtatem, vel per Priuilegia ipſi conceſſa, vel concedenda, omnino fiat iuſtitia in Eccleſiaſticas perſonas. Scandalis enim eſt omnino obuiandum; vt notat bene Gloſſa ſuper c. Presbyterum. & De rectoribus. & Tua nos. de Cler. ægrot. & hæc eſt doctrina Chriſti Domini Matth. c. 18. latiſſimè propoſita. Vide Felin. in c. Nihil. de præſcript. refert cumulatè 33. caſus, quibus, ratione ſcandali, aliquid contra regulas Iuris communis conceditur. In caſu autem noſtro, quod agitur à Clericis, ab alijs facilè trahitur in exemplum: vt in c. Magna. de reg. iur. Corda enim infirmorum ex mala fama, & malis Clericorum geſtis percutiuntur: & miniſterium Eccleſiæ vituperatur: 2. q. 5. c. Presbyter ſi à plebe. Et de ſcandalo vitando legendus S. Thom. 2. 2. q. 43. Alex. 2. 2. tit. de ſcandalo. Ricard. in 4. d. 38.

Attamen vt hæc ad praxim, & vsū faciliùs reducantur, S. Sedi Apoſtolicæ, eiuſque ſupremo Pontifici Chriſti Domini Vicario, eſt maximè attendendum ad Prouinciarum Chriſtianarum maiorem, vel minorem ab alma Vrbe diſtantiam, propter ordinarias appellationes, & neceſſarios ad ipſam recurſus: Regionum varietatem, iuxtà quam hic mitiores, ferociores illic ſunt homines; Eccleſiaſticorum maiorem, vel minorem potentiam, ad iuſtitiam adminiſtrandam, vel ſufferendam: laicorum promptiorem, vel minus promptam, ad hos, vel ad illos iudices obediētiam: ad Nationū cum Hæreticis, & Infidelibus, vel cum Catholicis confinia; & denique ad Gentiū feruentiorē, vel tepidiorē, verſus Eccleſiaſticos, vel ſummum Pontificem, pietatē; vt omnibus his, & alijs circūſtantijs apprimè conſideratis, colligant dicta S. Sedes, & eius ſummus Chri-

ſtia-

ſtianorum Sacerdos, & Iudex, qua via, quo medio; quo temperamento, abſque dicto ſcandalo, vbique Eccleſiaſticæ iuriſdictioni conſulatur.

Iudicium de Imperatorum, & maximè Iuſtiniani Conſtitutionibus, de rebus ſacris, &c.

ERGO ſicuti neque affirmauerimus, Imperatores illos, quorum vel Leges etiam, & Conſtitutiones de rebus, & perſonis Eccleſiaſticis adhuc in corpore Ciuilis iuris habentur, eas malo animo, quaſi Eccleſiaſticæ iuriſdictioni vellent præiudicium inferre, diuulgaſſe: Quid enim facerent ſub tali temporum conditione? certè illa videntur ducti ratione, quòd Eccleſiæ adhuc corpore vires integras non habente, neq; ſummis Pontificibus in tam excelſum Maieſtatis thronum (ſibi aliàs ſemper debitum) euectis, & Epiſcopis minus potentibus, & Eccleſiaſticis rarioribus, & promiſcuo populo inſolentiori, Gentilitij cultus, nondùm fæcibus defæcato, non repererunt facilius præ manibus remedium, quàm Imperatoria Maieſtate omnes cuiuſque ſtatus Chriſtianos in officio cõtinere; ſic etiam numquàm nobis perſuadebimus, quoſdam Theologos, & etiam Iuriſprudentes, qui vltimis hiſce temporibus hanc materiam tractarunt, negaſſe de Iure diuino eſſe hanc immunitatem Eccleſiaſticam inſtitutam; niſi attendiſſent ad ſuorum temporum abuſus: qui, vtpotè antequã vel S. Conc. Trid. celebraretur, vel antequàm in Prouincijs Chriſtianis plerè obſeruaretur, circà Eccleſiaſticæ immunitatis exercitium, irrepſerant. De quibus vbicumque, & quandocumque exſtiterint, ſummus Pontifex, & ſacra Concilia, & Prelati Eccleſiæ ſunt reſpectiuè interpellandi, orandi, monẽdi: à quorum ſcitis, legibus, ſanctionibus, ſenatuſconſultis, conſilijs, exhortationibus, factis denique ſunt vniuerſæ Eccleſiaſticę Politiæ energia, & fructus deſideratæ reformationis exſpectanda.

Attamen, quia Scriptores aliqui, contra hanc immunitatem Eccleſiaſticam, Iuſtiniani Nouellas in medium proferunt; quibus Ciuilium, & Eccleſiaſticorum criminum differentia notatur: & ex illis, in corpore Cęſarei iuris adhuc exſtantibus, vrgere videntur, ad laicam Poteſtatem de Eccleſiaſticis Miniſtris iudiciũ ſpectare: addentes etiã à Ioanne II. Pontifice eum fuiſſe Imperatorem. l. Inter claras. C. de Sum. Trinit. & fide Cathol. inſigniter commendatum; nos ab hoc argumento, præiudicata grauiſſimorum, & Chronologorum, & Theologorum, & Iuriſprudentium reſpõſione diſſoluto, vlteriùs premendo, deſiſtemus. Sufficiat tantùm, Nouellarum lectores, & commendatores admonere primò, Iuſtinianum nõ propter earum editionem fuiſſe à Pontifice laudatum; quas neque vidit: cùm antequam ederentur, diem clauſerit extremum. Laudauit ergo Pontifex in Imperatore, quòd Eccleſiæ dignitatem tueretur: Maieſtatem coleret: Sedi Apoſtolicæ cuncta ſubijceret: Romanam Eccleſiam aliarum omnium caput, & Magiſtram agnoſceret: iuſtitiam adminiſtraret: ſcele-

a caſtigaret:flagitia legum auctoritate compeſceret: contra eas delicta ulciſceretur : ac denique tunc res Eccleſiaſticas pio ſtudio complecteretur. Secundò admonemus eos, Iuſtinianum temporis ſucceſſu à fide Catholica alienum exſtitiſſe: quantumcumque eum Nicephorus, zelo potiùs, quàm ſcientia, curauerit excuſare. Quid ergo mirum, ſi accedente Treboniani hominis impij, legum illarum de rebus ſacroſanctis Miniſtri, opera, in meſſem alienam miſerit falcem, qui referente, & dolente Ambroſio lib. 5. epiſt. 32. vet. edit. inaudita temeritate, fidei controuerſias diffinire, non dubitauit? Tertiò hortamur eos, vt legant attentiùs Nouellam 8. qua, qui zelo (ſit admiſſum) bono, tulit de Eccleſiaſticis rebus leges, quas conſultiùs, ſicuti iuſtiùs edendas ad Eccleſiaſticam Politiam detuliſſet: is poteſtate iuſta, & ab Euangelij ſacris fontibus, & Canonibus ſupra relatis hauſta, & expreſſa, SINGVLIS PROVINCIARVM PRAEFECTIS, VOLVIT, INSPECTORES EPISCOPOS IMMINERE; VT SI QVID INIVSTVM ADMITTERENT, EIDEM IMPERATORI DEFERRENT. Quæ ſanctio ſi hodiè in Prouincijs Chriſtianis obſeruaretur, Deus bone, quas iuſtitiæ ſecularis adminiſtratio vires ſumeret, quibus curis, damnis, calumnijs, vexationibus, & exactionibus, pauperes, & vniuerſè omnes Principum longè agentes Vaſſalli eriperentur! quæ ſalus integra rebus publicis, & earum ſupremis Poteſtatibus reſultaret!

Notandum, pro vſu Eccleſiaſticæ huius immunitatis, &c.

SED pro vſu huius Eccleſiaſticæ immunitatis ſanctiùs exercendo, & pro abuſu diligentiùs vitando: cùm plura poſſent dici, quæ à nobis dicta debita auctoritate carerēt: ſupplicamus, pauca quæ D. Bernardus ad hanc rem mirificè facientia, lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium Papam ſcripſit, conſiderari. [Et quia hæc ſcribimus Romæ, ne quis ſibi in animum inducat, illius nos velle, vel tribunalia vellicare, vel, omninò tacendo, plus innuere; cùm non debeat vim nobis adhibere maiorem metus, quàm fides, dicamus liberè: ad Nunciorum, quos ſummi Pontifices per Prouincias mittunt Chriſtianas, vellemus præcipuè attendi perſonas; quæ tales eſſent, vt ex vngue illorum rectæ adminiſtrationis huius ſacræ immunitatis, in Leonis cognitionem, integritatis, videlicet, Curiæ, poſſent omnes Catholici, ipſi denique poſſent Hæretici deuenire.] Sed de hac immunitate quò ad perſonas Eccleſiaſticas, adhuc nobis infra cum Apoſtolo Paulo, grandis ſermo. 3. Part. Concluſ. 1. Argumento 2. contra eam.

Interim haud prò huius Partis coronide ſilentio prætereundum exiſtimauimus: hoc eſſe certiſſimum: quod ſiue iudices Eccleſiaſtici, & Sacerdotalis fori miniſtri ritè rectèque in ſuis obeundis iudiciorum munijs verſentur: ſiue quæ, vel temporum, vel hominum ſit miſera condi-

tio: aliquoties abuſus aliquot, circa id irrepant, Principum ſecularium vetuſtiſſimum eſſe morbum: vt mira, ſicuti dira iſtiuſmodi prurigine vrgeantur; vt quæ Sacerdotum ſunt, noua in dies appetentia, properent vſurpare. Vnde notauit iam olim Ambroſius lib. 5. epiſt. 32. edit. vet vulgo dici: [Quòd Imperatores Sacerdotium magis optauerint, quàm Imperium Sacerdotes.]

Suppoſitum notandum pro legibus à quacumque Poteſtate ferendis.

QVO loco, vt tamdem genericè, ac vniuerſùm de legibus, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus ferēdis, ſermonem ſemel conferamus, qui ad totius Tractatus doctrinam non leue præſtet iuuamentum, hoc eſto maximè notandum Suppoſitum.

Legis cuiuſque iuſtitia, vel iniuſtitia, eius obligatio, ſeu non obligatio, præcepti denique cuiuſque obedientia, vel inobedientia, ex quattuor cauſſarum communium generibus, formali, materiali, efficienti, & finali, eſt neceſſariò menſuranda. Sic docet S. Tho. 1.2.q.96.ar.4.& 2.2.q.60. a.5. ad 1. Ad quæ cauſſarum genera reducuntur omninò qualitates omnes legis poſitiuæ, quas deſcribit Iſidor. lib.5.Etym.c.20. citatus. diſt.4. Erit autem lex. & illa etiam, quæ à Platone in Dial. de Regno, & ab Ariſ. 2.Polit.c.3.& 7.referuntur: & de quibus idem S.Tho. dicta 1.2.q.95.a.3. cum ſuis Interpretibus latè diſputat.

Oportet igitur ad legis iuſtitiam, vt cauſſa finalis accedat, & ad bonū commune, ſiue ſpirituale, ſiue tēporale, referatur; ſi lex, videlicet, profana ſit, ad ciuiū pacē; ſi Eccleſiaſtica, ad Eccleſię pacē, & animarū ſalutem; vt loquitur S.Tho. Quodlib. 12. Art. 26. Efficiēs cauſa ille eſt omninò futurus, qui in eos, quibus lex affertur, exercet imperiū: nec ſuam tranſgrediatur poteſtatē. Cauſſa cōſtat formalis, quando lex iuridico fertur modo. Attamen quò ad materiam illud requiritur neceſſariò, vt prohibeātur opera mala, & præcipiantur virtutes: ſiue ea, quæ concernunt iuris diuini, ſeu naturalis, vel Eccleſiaſtici executionē. Leges enim ſiue præcepta quæcūq; ſi darentur, quæ Diuino, naturali, aut Eccleſiaſtico bono repugnarent, eis tamquā iniuſtis, & nullā obligationē inducentibus, intrepidè eſſet obſiſtendū. Docuit namq; optimè S.Tho.1.2.q.19.a.4.& q.95. Ar.2.& 3. omnē humanā legē eatenùs vim legis habere, quatenùs à lege Diuina, & naturali deriuatur, & eis eſt conformis; quòd ſi aliquid cōtra Deū, vel Eccleſiā præcipiat, tamquā iniuſta, nec obligat, nec ei eſt obediēdū: vt teſtatur S.Th.1.2.q.96.a.4.& 2.2.q.12.a.2.ad 1. & q.60.a.5.ad 1.

Ex qua certiſſima doctrina, poterunt vtriuſq; fori Principes, Eccleſiaſtici, & ſeculares, deducere, qua ratione ſe gerere debeant in ſua exercēda poteſtate, circa legum conditionem: vt neq; quæ Iuris diuini ſunt, ſeculares audeant Principes temerare: neque quæ ad laicum omninò ſpectant Magiſtratum, Eccleſiaſtici Miniſtri affectent exercere.

Digitized by Google

TRACTATVS
TERTIA PARS.
QVAESTIO TERTIA.

An immunitas bonorum Eccleſiaſticorum, ad Eccleſias, Loca pia, & Clericos pertinentium, quæ quomodocumque miniſterijs, & vſibus Diuinis deputantur, ſit ſtatuta de Iure diuino?

EST ſenſus Quæſtionis: An Clerici ſint immunes, & liberi Iure diuino, à ſoluendis tributis, cenſibus, contributionibus, & alijs oneribus, ratione bonorum Eccleſiaſticorum, quę ſoliti ſunt Principes laicorum ſuorum ſubditorum bonis imponere? Hanc Quæſtionem in hoc ſenſu tractamus; vt conſequenter loquamur ad ſecundæ Quæſtionis deciſionem; vbi ex Paulo, & eius ſanctis Interpretibus, ex Chriſti facto, & ratione reddita ſui facti, collegimus; nullum eſſe inconueniens affirmare Eccleſiaſticas perſonas, (ſine veritatis præiudicio) ratione perſonarum, vectigalia, & tributa pendere debere Principibus ſecularibus: niſi ex priuilegijs, vel alias ex conſuetudine tolerata, ab eorum fuiſſent exemptæ ſolutione: bona tamen Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum, & pauperum vſibus dicata, Diuino iure immunia eſſe ab omni exactione tributorum affirmamus.

Quam etiam diſtinctionem, ſoluendi tributa pro perſona, vel pro bonis Eccleſiaſticorum, habemus ex Ioanne xxII. in Bulla relata Marſilij de Padua, & Ioannis de Ianduno damnatoria: affirmante, non concludi ex facto Chriſti tributum Cæſari ſoluentis, quòd omnia Eccleſiæ temporalia ſubſunt Imperatori, & ea poſſit accipere, velut ſua: cùm quantumuis Chriſtus tributum ſoluerit ex debito, quod eſt falſum; pro perſonis tamen ſua, & Petri id ſoluiſſet, non pro rebus, quæ poſſunt eſſe libera, perſona tributaria exſiſtente: ſicuti contrà, rebus, & bonis tributarijs exſiſtentibus, poſſet perſona inuectigabilis permanere.

PRIMA CONCLVSIO.

BONA ad Eccleſiam, modo quocumque, ſpectantia, ſunt immunia, & libera de Iure diuino, à quocumque onere, per Poteſtatem ſecularem, imponendo.

Pro-

Probatur primò Concluſio ex confeſsione ſecularium Principum.

HAEC Concluſio primò probatur ex ipſorum ſecularium Principum confeſſione, tàm in facto, quàm in iure; hac ſuppoſitione præuia, quòd Principes non patiuntur, vectigalium, & tributorum facilè functiones abrogari. Id conſtat expreſſè ex conqueſtione Ciceronis, circa hoc, de diuiſione agri Campani, lib. 2. ad Attic. epiſt. 16. & ex liberalitate Neronis, in vectigalibus omnibus plebi relaxandis, per prudentes Cōſiliarios, & Senatores cohibita; vt habet Corn. Tacit. lib. 13. Annal. & ex l. Vectigalia. 10. de Vectig. & cōmiſſ. li. 4. C. tit. 61. & alijs ibidē legibus.

Cùmque Principes adeò attentè incumbant vectigalibus, tributis, & cenſibus à bonis ſubditorum corrogandis, pro Reipublicæ, & ſtatus cōſeruatione: nihilominùs facto, & iure Pharao rex Aegypti, (quæ gens, vt Auctor eſt Iuſtinus Martyr, generis vetuſtate ceteris nationibus ſeſe antecellere iactabat:) vt habetur Geneſ. c. 47. ſiue Ioſephus rege annuente, terram Sacerdotalem liberam reliquit ab omni tributo impoſito terris, ob penuriam, venditis: quod erat quintæ partis frugum. De quo facto videndus Ioſephus lib. 2. Antiq. c. 4.

Neque obſtat, ſi dicatur, hoc fuiſſe factum ex priuilegio Principis, vel fuiſſe non Barbari regis opus, ſed Ioſephi, ex ſuę religionis moti pietate, ad illam exemptionem Sacerdotibus concedendam. Nam reſpondemus; quòd cùm immunitatem Druydarum, qui religionem, & ſacrificia publica, & priuata apud Gallos olim procurabant, relatam à Cæſare lib. 6. Commentar. de Bell. Gall. prætereamus adducere; ad Concluſionis confirmationem: ſicut & Athenienſium, & Romanorum Sacerdotum libertatem, à Græcis, & Latinis Hiſtoriographis celebratam: hoc facto, & exemplo Aegyptiaco libenter vtimur: quaſi, in Scriptura ſacra, ex ſanctitate, & iuſtitia facientis inſigniter approbato. Atque etiam reſpondemus, iure factum, quòd apud Aegyptios nedùm Sacerdotes erant, ab antiquioribus temporibus, ab omni tributo immunes, verùmetiam à tributis exactis ab alijs, tertia pars illis, ex Pritanæo, ſeu publicis horreis, dabatur ad cultum diuinum, & eorum alimenta; altera Principi; tertia militibus: ex Diod. Sic. lib. 1. Biblioth. c. 6. Quos imitati ſunt Romani, antiquo illo inſtituto, quo ſumptus ſacris in rebus neceſſarij, iam inde à Numæ temporibus, ſuggeri ſacerdotibus ex publico cœperunt: vt Liuius lib. 1. commemorat. Ex quo loco ſimile formamus argumentum, ſicuti ſuperiùs de immunitate ſacerdotum à ciuili Poteſtate: ſcilicet, quòd lumen ipſum naturalis legis id ſuadeat: vt quæ Deo ſunt ſacrata, ab omni onere libera conſeruentur. Viden. Liu. lib. 1. Arnob. lib. 3. adu. Gent. Dionyſ. Plutarch. & Blond. lib. 2. Rom. Triumph. Alex. ab Alex. li. 2. c. 8. & li. 5. c. 10.

Et quidem Deo dicatum non eſſe ad vſus humanos transferendum, habetur in iure Ciuili, l. In tantum. §. ſacra. de rer. diuiſ. P. ſacra. eod. tit.

apud Iuſtinian. l. Aut ſacræ. de contrahen. empt. P. Sed in l. Summa. ff. de rer. diuiſ. & Inſt. cod. tit. §. Nullius. ſic dicitur: [Diuini iuris sũt res ſacræ, religioſæ, & ſãctæ, & quod Diuini iuris eſt, id in nullius bonis eſt:] ſed Dei: vt ibi Gloſ. ſubaudiendũ eſſe, teſtatur. Igitur Eccleſiaſtica bona, quæ sũt Deo dicata, & oblata, ſancta, & religioſa ſunt; ergo ſunt facta Iuris diuini, in nullius hominis computata bonis: & à ciuili, & profano, etiam Regio vſu ſecreta, Deo reſeruata, cui, & non Cæſari ſunt reddenda. Habetur etiam ex iure Canonico, c. Bene quidem. d. 96. c. Decretum. 10. q. 1. c. Nulli. c. Prædia. c. Apoſtoli. c. De rebus. c. Indignè. 12. q. 2. c. Laicis. & c. Si quis primum. 16. q. 7. c. In qualibet. §. Sancimus. 22. q. 8. c. Quæcumque. 25. q. 2. c. Cum laicis. de reb. Eccl. non alienan. Concil. Agathen. 1. c. 4. apud Gratian. c. Clerici. 13. q. 2. Cõcil. Charthag. 4. c. 3. apud eumdẽ ibidẽ. c. Qui oblationes. Cõcil. Rom. 5. ſub Symmacho. 16. q. 1. c. In Canon. Concil. Aurelian. 3. c. 22. Aquiſgran. ſub Pipin. c. 26. Valentin. 2. c. Vnico.

Probatur ſecundò Concluſio ex lege Veteri.

PROBATVR ſecundò Concluſio ex legis antiquæ ſtatuto: Leuit. c. 27. [Omne quod Domino conſecratur, inquit, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non veniet, nec redimi poterit.] Vnde Bonifacius I. illud edidit decretum 22. q. 2. cap. Nulli. quo conſtituitur, quicquid Domino conſecratur, ad ius Sacerdotum pertinere. Et quando Deus iuſſit numerari populum, & capitationem pro ſingulis dari in vſum tabernaculi, Exod. c. 30. Leuitæ non fuerunt numerati, ea ratione, vt capitationem ſoluerent: ſed alia, vt miniſteria tabernaculi exſequerentur. Ezechielis quoque cap. 45. diuiſio fit totius terræ promiſſionis in quattuor partes, poſt ſeparatas primitias Domino: quarum prima templo, & Sacerdotibus deputatur: altera Leuitis: tertia ciuitati: quarta Principi; & iuſſum ibi; vt Princeps contentus eſſet ſua parte, nec partes populi, ſeu Sacerdotum, & Leuitarum depopularetur.

Probatur tertiò Concluſio ex Concilio Lateranenſi.

TERTIO poſſet probari Concluſio teſtimonio plurium ſumm. Pontificũ, quorum etiam Canones ſacri in corpore Iuris referuntur: à quibus, ratione ſuperiùs conſulta, adducendis ſuperſedemus. Et quia à Doctoribus hanc materiam ex ſacris Canonibus tractantibus paſſim adducuntur. Solùm interim rogamus, Magnum Gregorium lib. 7. epiſt. ad Sabinianum, de hac Concluſione docentem, & legi, & auſcultari. Attamen Concilij Lateranen. ſub Leone X. grauiſſimum teſtimonium, Seſſ. 9. in Bulla reformation. Curiæ non prætereamus: quod ſic habet: [Et cùm fructuum Eccleſiarum Cathedralium, & Metropolitanarũ, Monaſteriorumque, & aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio, & adminiſtratio ad nos, & ad Romanum

Pontificem pro tempore exſiſtẽtem, & illos etiam,qui huiuſmodi Eccleſias, Monaſteria,& beneficia iure,& canonicè obtinent, ſolùm pertineāt: ſecularesq; Principes, omni etiam Diuino iure id prohibente, dictis Eccleſijs, Monaſterijs, & beneficijs intromittere ſe nullatenùs debeāt,&c.] Ecce totius Eccleſiæ, Spiritu ſancto aſſiſtente, de immunitate bonorum ſuorum beneficiorum, &c. iudicium, quale in Concluſione retulimus.

PRIMVM NOTANDVM.

Pro quarta probatione Concluſionis.

VT tamen quartò Concluſionem probemus, ad originaria, more noſtro, ac iuxta 7.Principij præſcriptum,Eccleſiæ tempora recurramus. Eſt ergo notandum primò; Chriſtum Dominum habuiſſe plures Diſcipulos per vniuerſam Iudæam, & Galilæam, & alias regni Iudaici prouincias, qui non ſolùm ipſum ad ſuas ciuitates venientem excipiebant hoſpitio: verùm & quæ vitæ erant neceſſaria ſibi, ſuiſq; Diſcipulis ſubminiſtrabant; idq; tam copioſè,vt quod fortunæ tenuioris hominibus, & alijs pauperibus Chriſtum inſequentibus, diſtribui poſſet, interdùm ſupereſſet. Hoc habemus ex Ioanne, non ſemel teſtante,Chriſtum ad domum Lazari, & eius ſororum in villa Bethaniæ diuertiſſe: vt habet c.11. & 12. Idem apparet, Luc.c.19. de Zachæo. Item Ieroſolymis erat Chriſto obuia ſemper domus Simonis leproſi, vt Matth.c.26. & Marc.cap.14.vel illa in quaDiuinum illud celebrauit Paſcha nouiſſimum. Vidua ſimiliter Nainita, & Centurio Capharnaita, Chriſti in gentibus, ac notis deuincti beneficijs, perpetui erant illius hoſpites. Qui omnes prætereà eleemoſynas affluenter Chriſto, & ſuis faciebant Diſcipulis: ſicuti Luc.8.refertur: quòd cùm Chriſtus diſcurreret prædicando per villas, & caſtella,comitatus ſuis duodecim Apoſtolis, mulieres aliquæ, quæ fuerant curatæ à ſpiritibus infeſtis, ac malignis, & à grauibus infirmitatibus, videlicet, Maria, quæ vocatur Magdalena, & Ioanna vxor Chuſæ Procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ Chriſtum ſequebantur: de ſuis facultatibus ei conuenienter miniſtrantes. Hinc habuerunt Apoſtoli ad manum paucos illos panes, & piſces, quoties Chriſtus numeroſam multitudinem hominum, illis ſua benedictione multiplicatis,ſuſtentauit: apud Matth. cap.14.& 15.& Marc.cap. 8.& Luc.c.9.Et Ioann.c.6.referuntur Apoſtoli dicentes: [Euntes, emamus denarijs ducentis panes,& dabimus eis manducare.] Ex quo intelligitur Apoſtolos ad prædicta denarios habuiſſe.

SECVNDVM NOTANDVM.

NOTANDVM eſt ſecundò, Chriſtum Dominum maximè curaſſe, vt dicta bona,præter neceſſaria ad ſuæ familiæ ſuſtentationem,

in pauperum vſus concederent. Hoc conſtat ex inſigni loco, Ioan. c. 13. nam cùm Chriſtus in illa vltima cœna Iudæ dixiſſet proditori: [Quod facis, fac citius. Quod nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei: quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei IESVS, eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis aliquid daret.] Quem locum explicat Auguſtinus in Pſalm. 103. dicens: [Ergo quia dicebamus, fratres, & de paſcendis pauperibus: cùm Dominus loculos haberet; tamen quando dixit Iudæ eum tradituro, Quod facis, fac velociter; non intelligentes ceteri quid dixiſſet, arbitrati ſunt, eum dixiſſe, vt aliquid præpararet, quod daretur pauperibus; ille enim loculos habebat. Poſſent hoc ſuſpicari, niſi hoc haberet in conſuetudine Dominus? De his ergo, quæ dabantur, & in loculos mittebantur, dabatur tamen & illis pauperibus, quos, Dominus docuit, non contemnendos.]

Eſt etiam ſimilis doctrina Chryſoſtomi, in Comment. ſuper Ioan. dicentis: [Quare veram verbi IESV cauſſam non deprehenderunt? Putabant, vt egenis aliquid daret, dixiſſe. Multum IESV curæ erant pauperes: & hoc ad noſtram doctrinam: hic enim loculos habebat, & pecunias: atqui nemo pecunias Chriſto dediſſe narratur: ſed quòd Diſcipulis victui neceſſaria præbebant. Quomodo enim, qui neque peram, neque baculum ferri iubet, loculos ferebat? Ad pauperum miniſterium, vt intelligas, quanta tibi inopum, & miſerorum, hac etiam parte, cura impendeat.]

Eamdem doctrinam ſic deducit dictus Auguſtinus, lib. de Mendac. c. 15. citatus 12. q. 1. cap. [Habebat Dominus (ſequitur) loculos à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigêtibus tribuebat. Tunc primùm Eccleſiæ pecuniæ forma eſt inſtituta: vt intelligeremus, quod præcipit, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ ſeruaretur à Sanctis: ſed vt Deo propter iſta non ſeruiatur: &, per inopiæ timorem, iuſtitia deſeratur.]

TERTIVM NOTANDVM.

TERTIO eſt notandum: Quod quia nonnulli huius adductæ à Sanctis doctrinæ, & teſtimoniorum ſacri Textus, quæ retulimus, mentem, & verba ad ſimplicem vſum facti, ſegregatum ab omni proprietate, vel dominio, & ab omni iure vtendi, detorquebant: Ioann. xxII. in Extrauag. Licet. Apoſtolica diffinitione concluſit, talem explicationem, & aſſertionem erroneam, & Hæreticam eſſe cenſendam: & quod Chriſtus Dominus, eiuſque Apoſtoli habuerunt dictorum bonorum proprietatem, & dominium; & quod ius illis vtendi ipſis competierit: & illa vendendi, donandi, vel ex ipſis alia acquirendi: prout dicta Extrauag. & eius Gloſſ. latiſſimè, & continetur, & explicatur.

Curtas quidem, ac pertenues Chriſtus, ſed tamen aliquas habuit facultates: neque enim eam ſibi vitæ rationem inſtituendam putauit, vt præ inopia mendicare cogeretur: id quod ſacræ Paginæ perſpicuè oſtendunt. De quo videnda etiam definitio dicti Ioann. xxII. Extrauag. Cùm inter nonnullos. & Extrauag. Quia quorumdam. de Verbor. ſignific. vbi Zenzelinus. videnda etiam damnatio ab Vrbano IV. facta nouem Articulorum contra illam Extrauagant. Cùm inter nonnullos. Pariſijs defenſorũ: quæ habetur inter errores, poſt 4. lib. Magiſtri Sent. excuſſos. De qua materia, & pro Notãdi confirmatione, vidẽda Oratio R. ac Doctiſſimi D. Ioannis de Polemar Archidiaconi Barchinon. S. Apoſtolici Palatij Rotæ Cauſſarum Auditoris, qua de Ciuili Clericorum dominio agẽs, in Concilio Baſilienſi, anno Domini 1433. per tres dies, quartum Bohemorum Articulum refutauit. Vid. vlt. edit. Concil. Colon. an. 1606.

QVARTVM NOTANDVM.

ADNOTANDVM eſt quartò, Quòd hæc bona temporalia, quæ Chriſtus cum ſuis Apoſtolis habuit: (in quorum locum ſucceſſere bona, quæ modò habet Eccleſia: ſicuti, & Eccleſiaſtici in Chriſti, & ſuorum Eccleſiaſticorum Diſcipulorum locum,) & quæ alendæ ſuæ familiæ, & pauperum ſubleuandis neceſſitatibus, deſeruiebant; quatenùs erant alimenta Chriſti, & Apoſtolorum, & proindè quatenùs modò ſunt alimenta Eccleſiaſticorum miniſtrorum: erant illis tunc, & ſunt nunc iſtis debita de iure Diuino: & erant, & ſunt bona Dei, & Chriſti, & Eccleſiaſticorum, de tali iure Diuino à Chriſto expreſsè tradito, & ab Apoſtolis clarè expreſſo. Chriſtus enim inter alias poteſtates, quas dedit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, & miniſtris Eccleſiaſticis, eſt vna, accipiendi vitæ neceſſaria ab ijs, quibus ſpiritualia ſubminiſtrant.

Hanc poteſtatem contulit Dominus, cùm mittendo ad prædicandum Apoſtolos, illis dixit; Matth. c. 10. & Luc. c. 10. [In eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua, vel cibo ſuo.] Hoc ipſum Apoſtolus Paulus ex multiplici radice deducit; ſcribens 1. ad Corinth. cap. 9. [Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?] Quod confirmat ex ſcriptura legis Moſaicæ, Deuter. c. 25. dicentis: [Non alligabis os boui trituranti:] illud de Eccleſiæ Miniſtris explicãdo. Et ſubdit paulò poſt: [Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?] Et poſt pauca: [Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui altari deſeruiunt, & de altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.] Et 1. ad Timoth. c. 5. ſic etiam docet: [Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur;] idest, duplicata

bonorum temporalium portione gaudeant: id enim ſignificare etiam, honorem, in Scriptura docet Hieronym. ad Matth. c. 15. & eſt frequens Apoſtoli phraſis: [Honora,] inquit, initio huius capitis, ideſt, ale, [viduas, quæ verè viduæ ſunt:] ſequitur dicens, [maximè, qui laborant in verbo, & doctrina: dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti. &, Dignus eſt operarius mercede ſua.]

Et in hac poteſtate ſumendi vitæ neceſſaria fundatur, maxima ex parte, rationabilitas decimarum, & totius dotationis Eccleſiæ, loco decimarum, & primitiarum, quæ in lege veteri templi miniſtris, & Leuiticę toti tribui ſolui iubebantur. In Exodo, Leuitico, Numeris, & Deuteronomio.

Quatenùs verò hæc dicta bona, quæ Chriſtus, & ſui habebāt Diſcipuli, & quæ ſimilia modò illorum habent ſucceſſores, & Eccleſiaſticus ſtatus, erant, & ſunt bona pauperum neceſſitatibus applicata, & applicanda: & in quo, maxima etiam ex parte, fundatur rationabilitas decimarū, & primitiarum, dotationiſq; Eccleſiæ, ex Card. Caiet. in 2. 2. S. Thom. q. 87. art. 1. & q. 185. art. 7. loco illarum decimarum, quæ Deuter. c. 14. & 26. ſpecialiter pro pauperibus, & peregrinis, & aduenis, & pupillis, & viduis ſecernebātur: & quas noluit Deus in Chriſtiana lege ab alijs ſecerni decimis, propter præſumptā maiorem eius Eccleſiaſticorum miniſtrorum, in illis diſpenſandis cū pauperibus, charitatem: vt docet Alex. Alenſis 3. p. q. 51. art. 5. membr. 6. hac inquam ratione, ſunt etiam iuris Diuini, & immunia, quaſi bona Dei, & Chriſti, & ab eo de iure Diuino, facto ipſo, libera inſtituta; qui ſolus ipſe cum ſuis Apoſtolis Eccleſiaſticis perſonis, excluſis etiam ab hoc miniſterio Septuaginta alijs electis Diſcipulis, horum bonorum voluit habere proprietatem, dominium, & vſum, ea reddendo immunia ad dictos duos effectus, à quacumque ſecularis ſtatus Poteſtate; vt in quę, tamquàm in bona Dei ipſius, inferior laici Principatus diſpoſitio actione omni penitus priuaretur.

Doctrina hæc eſt S. Anacleti Martyris, qui anno Chriſti octuageſimo quarto, ipſe quintus à Petro ſummum geſſit Pontificatum: qui ſic ait Decretal. Epiſt. & refertur, 12. q. 2. [Qui abſtulerit patri, aut matri aliquid, dicetque, hoc peccatum non eſſe, homicidij particeps eſt. Pater noſter, ſine dubio, Deus eſt, qui nos creauit; mater verò noſtra, Eccleſia eſt, quæ nos in Baptiſmo regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias, & Eccleſiæ rapit, vel fraudat, homicida eſt.] Ecce ſanctiſſimus Pontifex bona ſemel à fidelibus Eccleſiæ oblata, docuit ab Eccleſiaſticis feruenti zelo, & ſtudio ſingulari defendenda: quòd eſſent pecuniæ Chriſti: ſic enim eas appellat, & conſequenter vti iuris Diuini, immunia à laicis ſibi oneribus imponendis.

Hoc etiam ſenſit S. Proſper, lib. 2. de Vita contemp. c. 16. dicens: [Nunc autem, quia Chriſtiani temporis Sacerdotes magis ſuſtinent, quàm cu-

rant poſſeſſiones Eccleſiæ, etiam in hoc Deo ſeruiunt: quaſi Dei ſunt, ea quæ conferuntur Eccleſiæ: Dei opus agit, qui res Deo conſecratas, non alicuius cupiditatis, ſed, fideliſſima diſpenſationis intentione, non deſerit. Quapropter poſſeſſiones, quas oblatas à populo ſuſcipiunt Sacerdotes, iam non ſunt res mundi credendæ, ſed Dei.] Quam doctrinam hauſit ex S. Auguſtino, Tract. 6. in Ioan.

Idem docet Chryſoſtomus Magnus, apud Nicephorũ Caliſtum, lib. 13. Hiſt. Eccl. c. 24. qui cùm Olympiadi Diaconiſſæ, eo inconſulto, ſuas opes aliàs, profuſis eleemoſynis, & donis, in pauperes eroganti, modum vellet imponere: quo in veros pauperes diſpenſarentur: ſic eam alloquitur: [Illud autem te maximè ſpectare decet Olympias, quandoquidem tua ſponte Deo ipſi bonis tuis ceſſiſti; & dominio, poſſeſſioniq; pecuniarum renunciaſti: vt eas de cetero, veluti Diuini iuris factas, rectiùs, maiori cum æquitate diſpenſes: obnoxiamq; te rationi reddendæ, ſi quid de eis præter rationem factum fuerit, eſſe ſcias.]

Sed niſi nos vehementer cæcutimus, vnicum illud exemplum de Anania, & Saphira coniugibus, Act. c. 5. relatum hanc doctrinam Anacleti, & dictorum Sanctorum, eſſe Spiritus ſancti doctrinam demonſtrauit. Erat quidem Petrus Eccleſiæ caput, Euangelicæ doctrinæ ſingularis cultor, ac in paſcendis Chriſti ouibus, ipſius Chriſti Magni Paſtoris, magnus ipſe, ac ſedulus imitator: & audierat Chriſtum docentem, Matth. cap. 11. [Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde;] interfueratq; concioni illi altiſſimæ, quando Chriſtus docuit, Matth. cap. 5. [Beati mites; quoniam ipſi poſſidebunt terram;] & abſciſſa Malchi auricula, eiq; per Chriſtum reſtituta, quaſi non Malchum, ſed Chriſti patientiam, vt benè adnotauit Tertullianus, percuſſiſſet, illum dicentem audiuerat: [Mitte gladium tuum in vaginam, &c.] nihilominùs tamen is tantus Chriſti Apoſtolus, ob vnius mendacij crimen, ſuper agri proprij horum coniugum venditione, & pretij conſignatione, vtrumq; morte repentina caſtigauit.

Quid agis Apoſtolorum Coryphæe? ſummorum Pontificum Archetypon, Sacerdotum vertex, Epiſcoporum exemplar, ſpeculum Eccleſiaſticorum? Hoc eſt, iuxta præſcriptum tuum, paſcere gregem non coactè, ſed voluntariè; neque turpis lucri gratia, ſed formam, te factum eſſe gregis ex animo? Ager ille hæreditarius erat Ananiæ, & Saphiræ; ſi illum non vendidiſſent, non peccaſſent: ſi mobilia tantùm bona ſua ad pedes attuliſſent tuos, merito ingenti non caruiſſent. Vendunt agrum, partem pretij tibi offerunt, partem ſuis quottidianis neceſſitatibus reſeruarunt; quid hic criminis intercedit, quod tam exemplari eſſet punitione vindicandum? Certè patrocinium Petri ſuſcipere res erit felix: nã ad hæc omnia propoſita reſponſio facilis eſt: Ager venditus ea mente, vt ad pedes poneretur Apoſtolorum, pro miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatione, & pro pauperum alimentis, non eſt ager Ananiæ & Saphiræ,

ſed eſt Chriſti pecunia: quæ & facta Diuina, nequit, niſi per miniſtros Eccleſiaſticos diſpenſari. Vnde ager, & eius pretium Deo donatum, fraudari nequiuit in parte, quod in toto potuiſſet abſque labe non offerri. Quæ veritas, ad futuram rei memoriam, & omnium exemplum Chriſtianorum oportebat, vt in Eccleſia per eius ſummum Pontificem Petrũ Apoſtolica illa ſicuti breui, ſic & graui punitione, fundaretur. Hic eſt diſcurſus Textus ſacri: ſic enim ad fraudatorem illum loquutus fuit Petrus: [Anania, cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo. &c.] Eant nunc, & bona ab Eccleſia legitimè iam poſſeſſa, dicãt nonnulli malè de ea meriti, de iure Diuino non eſſe immunia, quaſi bona Chriſti: cùm hic Spiritus ſanctus dixerit, etiã fuiſſe Dei, & hominis, Chriſti IESV, & eius Eccleſiæ bona, agrum & agri pretium poſſidenda addito etiam per os Petri, eorum OEconomiã, ad illius curam, quaſi ad OEconomum perſpicaciſſimum, cui, & non hominibus, fuerat Ananias mentitus, pertinere.

QVINTVM NOTANDVM.

EANT nunc, & ſit quintum Notandum, hi nouiſſimi bonorum Eccleſiæ Catones Cenſorini, & dicant, ea non fieri propria Eccleſiæ: nam in eis conuincendis, haud æquum reputamus, tempus terere: hoc enim apud Catholicos Doctores in controuerſiam venit nullam; ſed Cõciliorum Decretis, auctoritate ſummorum Pontificum, ſanctorum Patrũ ſententijs, & Imperatorum eſt legibus comprobatum. Immò eſt etiam certum, res dictas Eccleſiæ, ſiue adiudicatas, ſiue donatas, ſiue quæſitas, repeti, reuocari, vel adimi non poſſe. Cùm enim fiat res talis accipientis Eccleſiæ, ſi dominium, & poſſeſſionem, ſuum denique omne ius donãs, adiudicans, vel contrahens amittat: iam non deinde à donantis, vel adiudicantis contrahentis, dantis, vel offerentis conſenſu, vel diſſenſu dictarum rerum dominium, & proprietas pendent. Alias precaria certè earum eſſet poſſeſſio, non res Eccleſiæ: ſi voluntate mutata, ex quibuſcumque ſit cauſſis, donans, adiudicans, vel contrahens, dans, vel offerens ipſas poſſet reuocare. Itaque aut res Eccleſiæ, neceſſe eſt, neque factas eſſe, neque amiſſam ius à donantibus, &c. aut ab eis repeti non poſſe, neque eorum voluntatis vllam rationem habendam.

Sciunt Iuriſprudẽtes, ſciunt morali tantùm virtute præditi homines, nihil tam ab omni iuris, æquitatiſq; ratione remotum, quàm conſenſu, vel diſſenſu vnius ex contrahentibus à contractu, conuentione, pacto, concordia, renunciatione, vel donatione facta diſcedere: vel relicta teſtamento, codicillis, vel aliquo ſupremo iudicio, hæredes, ac poſteros, vel non præſtare, vel præſtita repetere, & reuocare: vel ea, quæ cum graui

com-

communitate tranſiguntur, vel tranſacta ſunt à maioribus, caſſa, & irrita reddere. Corruit enim totum ipſum ius Ciuile, nedum Canonicū; omne ſocietatis humanæ fas, Congregationum æquum, commercij vis, ius Gentium repugnat, vnde nati contractus; nedum Chriſtiana omnis, & religioſa diſciplina. Fides data violatur; leuitas, inconſtantia, temeritas alitur: quibus rebus tamdem conſociatio hominum ipſorum inter ſe diſſoluitur: à quo non ſolùm generoſi, & illuſtres animi abſtinent, tamquàm ab indigniſſimis ſordibus, verùmetiam cætarij ipſi, lanij, fartores, & vnguentarij ſunt ſoliti abhorrere. Dictum fuit bene de aliter, vel agentibus, vel ſentientibus.

Quod petijt ſpernit, repetit quod nuper omiſit:
AEſtuat, & vitæ diſconuenit ordine toto.

Neque aliud hic poteſt conſiderari, quam defectus propriæ æquitatis, & turpis ſententiam mutantium mentis vacillatio.

Perſtet igitur, proprietatem, & dominium rerum Eccleſiæ, non in contrario conſenſu, vel diſſenſu donantium, contrahentium, dantium, vel offerentium, aut eorum tamdem à quibus acquiſitæ ſunt, ſed in iure ipſo eſſe firmiter poſita, & ſtabilita. Plures enim aliàs mutatæ voluntatis, & conſenſus contrarij ſpecie, fucatæ cauſſæ, & rationes numquam donantibus, &c. deeſſent, ſi ab illorum conſtante, vel inconſtante voluntate bona Eccleſiaſtica dependerent. Sic nec multis olim Imperatoribus, Regibus, ac Principibus rationes defuerunt, quorum cupiditati alij Chriſtiani Principes, Præfectorum Eccleſiæ infirmitatem adiuuando, fortiter repugnarunt; nec tamen illi eo prætextu inuadebant res quaſdam Eccleſiæ, quòd ex eorum arbitrio, ſiue anteceſſorum ſuorum donantium, ita ius Eccleſiæ pendere putarent: ſed quòd vel Imperij, Regni, aut Principatus eſſe, aut priuatas iniurias, ſe vlciſci, ac perſequi, aſſeuerarint.

SEXTVM NOTANDVM.

SED illam collectionē, quòd hæc bona quatenùs ſunt pauperū bona, ab omni ſint ſeculari Poteſtate immunia: notamus ſextò, adhuc cò confirmari certiorem, & veriorem, quo ex loco Chryſoſtomi citato in Commentar. ſuper Ioannem conijcimus, eum ſenſiſſe: quòd forſan Chriſtus Dominus loculos non habuiſſet, neque voluiſſet Eccleſiaſtico in ſtatu eos vmquàm haberi, aut propter miniſtrorum tantùm alimenta poſſideri. Et eſt ratio, quia facilè poſſet ſperari, abſque aliqua proprietate, vel dominio Eccleſiaſticarum perſonarum, circa bona temporalia, quottidiano victui neceſſaria à Chriſtiano grege Paſtoribus fuiſſe literaliter eroganda: iuxtà illud, quod apud Luc. c. 10. dixit Chriſtus Apoſtolis, mittens eos ad prædicandum: [Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.] & poſtea c. 22. [Quando miſi vos, ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi di-

xerunt : Nihil .] Alimenta enim, & quibus tegerentur, quibus contenti debebant eſſe Apoſtoli,& Eccleſiaſtici miniſtri , ex Paulo, 1.ad Timoth. c.6. quis non ſperaſſet fuiſſe à Chriſtianis benignè illis ſuppeditanda? Et nihilominùs voluit bonus Dominus Eccleſiam ampliſſimis facultati bus dotari, & Eccleſiaſticas perſonas bona temporalia etiam affluenter poſsidere; vt inopum ſolatio, & pauperum indemnitati , quorum vſibus illa debebant multum inſeruire, tutiùs, & conſultiùs prouideretur .

Quæ coniectura ex Chryſoſtomi doctrina adducta,habet etiam altiùs fundamentum in illa Diœta,per quinque Apoſtolos celebrata,ſuper diuiſione prædicationis Euangelij,ex parte Nationum:& ſuper curis,quibus ab eis, inter prædicandum, erat incumbendum : quæ ſic deſcripta legitur,Epiſt.Pauli ad Galat.c.2.[Cùm cognouiſſent gratiam,quæ data eſt mihi; Iacobus,& Cephas , & Ioannes , qui videbantur columnæ eſſe , dextras dederunt mihi,& Barnabæ ſocietatis : vt nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem : tantùm vt pauperum memores eſſemus : quòd etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere.]

Mira res! acceperat Paulus à Chriſto Domino, quod tradebat Eccleſiæ : non acceperat ab homine , neque per hominem didicerat Euangelium: ſed illud per reuelationem habuerat IESV Chriſti: vt ipſe teſtatur, 1.ad Corinth c.15.& ad Galat.c.1. nihil circa hoc illi contulerant dicti Apoſtoli, vt ibidem aſſerit : qui vt ex dictis ſuperiùs conſtat, nihil incrementi,decrementi nihil illius fecerant prædicationi:vnde nouerat benè Paulus Euangelicæ,& Chriſtianæ doctrinæ inſtituta: circa quæ, & Symboli collectionem, & diuulgationem vniformem ab Apoſtolis ordinatam , nihil Paulum inſtruentes , nihil commonefacientes , pauperum innicem ſolùm curam, & memoriam, à Chriſto crebris concionibus iniunctam miniſtris Eccleſiaſticis, refricarunt. Egenorum enim ſolatio , niſi fidelium oblationibus, ad Eccleſiaſticas manus,liberis, & immunibus peruenientibus, haud , per illas , potuiſſet conuenienter prouideri . Vnde Gregorius Nazianzenus, Orat.16.ſic de hoc facto loquitur: [Vereor Chriſti loculos,& Petri, & Pauli conforme iudicium in pauperum cura non diuidenda : cùm tamen prædicationem diuiſiſſent .]

SEPTIMVM NOTANDVM.

ECCLESIASTICARVM rerum , vt notamus ſeptimò , duo ſunt genera: vt ex S.Thom. in 4.d.25. & alibi , & ex Archidiacono ad c.19. apud Gratianum, 16.q.7.& Panormitano,ad c.38. de Simon a colligitur. Quædam namque res ſpirituales, quædam annexæ ſpiritualibus dicuntur. S.Thomas res ſpirituales in duas diſtribuit ſpecies , cæteri in tres; quæ differentia verbis,non re,tenetur. Aut enim natura dicuntur ſpiritualia: vt ea,ſcilicet,quæ per ſeipſa huiuſmodi ſunt : vt res ipſæ Diuinæ:propter quas reliqua & ſunt,& dicuntur ſpiritualia: vt fides, ſpes,

cha-

charitas,& gratia: dona,& beneficia Diuina: beatitudo,ac felicitas ſempiterna: & Deus ipſe. Aut ſpiritualia dicuntur cauſſa: & ſunt quibus illa conſequimur: qualia ſunt Sacramenta,à Chriſto fidelibus tradita: quaſi quædam auſpicia,quibus illa comparantur: vt Baptiſmus,manuũ impoſitio,&c.Aut tandem dicuntur ſpiritualia effectu: qualia ſunt, quæ ex illis proficiſcuntur,functiones,& munera, quæ ab alijs accepta, alijs traduntur, vt ſacerdotium,& dignitas ordinis: vt ait Gloſſa ad c.primũ. 1.q.1.His addit Archidiaconus quarto loco, ſigna,prodigia,miracula, vaticinia.Huic diuiſioni accinit Ariſtoteles 4.Metaphyſ.aſſerens, ſanum dici,vel ipſam ſanitatem: vel eius cauſſam, eamq́. conſeruans: vel eius effectum,ſeu ſignum:vt venuſtatem,ac pulchritudinem.

S. Thomas vbi ſupra,breuiùs ſpiritualia illa omnia duplici claudit differentia:aut enim,inquit,ſunt res ipſæ per ſe,vt Sacramenta, & Diuina beneficia; aut ſunt munera,& officia ſacra, & functiones. Spiritualibus verò annexa appellat alia quidem, quæ Sacramentorum cauſſa parati ſunt: vt vaſa ſacra,templa,fana,delubra,cœmeteria:alia verò officijs ſacris dedicata: vt decimæ,primitiæ, oblationes, & iuſpatronatus. Appellat hæc Archidiaconus,accidentia: Panormitanus, dependentia; alij nominibus alijs. Patronatus ius longiùs abeſt à ſpiritualibus, quàm decimæ: ex Canoniſtarum ſententia:quas non ſolùm annexas ſpiritualibus,vt Theologi,ſed ſpirituales etiam eſſe iudicant. Licet hæc facilè cõcilientur: ſi decimas ipſas,& fructus conſequi,& adiunctos eſſe, conuexoſque ſpiritualibus dixerimus: quod Iuris Canonici Doctores non negabunt; ius verò ipſum decimarum,dictorumque fructuum tàm ex parte Dei Auctoris illa inſtituentis,quàm ex parte finis,ad quem inſtituta ſunt,ſpirituale eſſe: quod videtur S.Thomas dicto loco docere. Quibus ſacris muneribus accedunt fundi,cenſus, & ſimiles redditus,quæ quãdiù illis adiuncta ſunt,eorum,quibus adiunguntur, induunt naturam. [Quæ enim religioſis adhærent,religioſa ſunt,] inquit Paulus Iureconſultus,l 45. de rei vendicatione. Hinc Armacanus lib.10.c. 16. in Quæſtionibus Armenorum. non aliter de bonis illis, quàm de ſpiritualibus cenſet ſtatuendum.

Ergo ſi fructus ipſos,qui percipiuntur,quando vel decimæ, vel ceteri redditus ſoluuntur Eccleſiæ, conſideremus: nulli eſt dubium eſſe quid carnale,ſeu temporale:ius tamen illud,fructus illos, ac decimas percipiendi,& ſpirituale eſt,& Eccleſiaſticis tantùm conueniens; nec laicorũ eſſe poteſt,qui illius incapaces ſunt: & quia Deo conſecratæ ſunt,& quia primùm ſibi ipſi ipſe Deus,non homines conſecrarunt. Si enim ad originem decimarum,ac primitiarum ſoluendarum recurramus, in lege antiqua, quæ nouæ,ac noſtræ fuit figura, Exod c. 22. & Leuit. c. vltimo. Deus ſui iuris decimas fecit: quas Sacerdotibus,& Leuitis, Num.c.18. & Deut. c.18.liberaliter dedit. Voluit etiam adeo ſibi ſacras eſſe ſigni-

fica-

ficare, vt ſe ipſe propter decimas, hæreditatem Leuitarum, & Sacerdotū per Metonymiam dixerit: [Dominus, inquit, eſt hæreditas eorum] Ecce decimæ ſunt Sacri ordinis hæreditas, & hæreditas eſt ipſe Dominus: cęleſtis, ſcilicet, Spiritus, à quo vita nobis, ſpiritusque, quem nos omnes ducimus, eſt conceſſus, quique quaſi per vniuerſitatis huius arterias eſt diffuſus. Is, inquam, Spiritus eſt illa hæreditas, & decimarum ius: vnde ius hæreditarium ſpirituale eſſe meritò eſt exiſtimandum.

Immo ſingulari conſideratione aduertendum eſt: noluiſſe Deum ex vno, vel duobus laicorum fundis hæc vectigalia, ſeu decimarum tributa percipi, ſed ex omnibus; deinde non ex hiſce, vel illis terræ fructibus, ſed ex omnibus; ex frumento, ex fœtu, ex lana, ex arbore, &c. vt omninò Regiam, vt ſummè Imperatoriam, negotium præſeferret, maieſtatem. Aſſerunt namque Iuriſperiti, l. 6. de præſcription. tributa, teſtimonium eſſe vniuerſalis dominij, & Imperij quod ſe habere Legiſlator ſupremus, dum dictas decimas ſibi præſtari, & ſui loco Leuitis vltimò lege lata Diuina auctoritate ſanciuit.

Has decimas earumque ſolutionem haud improbauit poſtea Chriſtus ipſe: immo nō omittendas eſſe docuit, Luc. c. 11. dicens ad Phariſęos [Væ vobis, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus; & præteritis iudicium, & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.] Neque hoc vectigal, ac tributum Dei ſuſtulit in Eccleſia, noua ſua Republica, immo & Cæſari, ſuum tributum, Deo, ſuum aſſeruit; illis ſicuti Diuinis, ſic compendioſis, ac myſterio plenis verbis: [Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.] Matth. c. 22. & Mar. c. 12. Niſi quis velit tempore legis gratiæ, quo Leuitarum clarior eſt ordo, ex Leone Maximo, quo excellentior eſt Sacerdotum dignitas, quo Eccleſiaſtica Hierarchia Synagogæ Politiæ tantò eſt illuſtrior, quantò Solis ſplendor, Lunæ claritati: & quantò veritas, figuræ: vmbræ, ipſa rerum antecellit imago; hoc, inquam, tempore velit, non poſſe dici de ordine, ac ſtatu Eccleſiaſtico, cum ſuis annexis, ſeu accidentibus, ſeu dependentibus rebus, melius multò, quàm de Leuitica tribu:

Spiritus intus alit, totoſque infuſa per artus
Mens, (ſcilicet Diuina) *agitat molem, & magno ſe corpore miſcet*.

Non diſputamus in præſentiarum, de horum, fructuum, ac decimarum quota: de hac vel illa, tanta, vel tanta parte, quæſtio, ſiue à Theologis, ſiue à Canoniſtis ſuis aptis locis diſputata: de rei agimus ſubſtantia: vt quota, vel ad conſuetudinem, vel ad præſcriptionem, vel ad alium competentem reducatur titulum: ac quæcumque, ſiue vniuerſitas, ſiue perſona Eccleſiaſtica particularis, id iuris eo, quo ceteræ tractatur materię, coram iudicibus tueatur. De ipſius rei agimus entitate; pauperibus, ſcilicet, ſacris ædificijs, ac vaſis, & ornamentis, Eccleſiaſticis varijs miniſtris, tamquam victimas aræ, hæc bona adiudicata, hos fructus contribu-

tos,

tos,has decimas,eſſe ſecretas,affirmantes: vt qui altari ſeruiunt,ex Apoſtolo 1.ad Corinth c.9.de altaris debeant emolumentis,de Iure diuino, ſuſtentari. Quid vocat altare; ſeu aram? an lapides ipſos? an ara res ſacra non eſt? an igitur bona Eccleſiæ, decimæ,& oblationes,quas aræ nomine ſignificat,ſacræ non erunt? Sunt certè ſacræ, ſunt Iuris diuini, ſunt Clericorum propriæ,quibus ſummus ille Princeps, ac Sacerdos, ſuum iſtud vectigal,quod ſibi à laicis pēdi voluit,liberaliſſimè reſignauit. Appellentur ergo à Canoniſtis latiori vocabulo, ſpirituales, quia ea, quæ Clericorum tantùm ſunt priuatiuè ad laicos, ſpiritualia illis dicuntur; ſiue à Theologis,qui hac voce,ſpiritualis, vtuntur in ſtricta magis ſignificatione,annexę ſpiritualibus,nominentur; vt demonſtrent, earum ius à Clero ſeiungi non poſſe: ſiue elegantiùs cum Hieronymo 16. q. 1. c. vltimo, Diuini iuris nuncupentur, verè res ſunt ſacræ, ac ſacris myſterijs dedicatæ. Et ſi rerum ſumma diuiſio eſt,ex Paulo Iurecõſulto l. 1. de Rerum diuiſione. vt aliæ Diuini iuris ſint, vt ſacræ,& religioſæ; aliæ humani: quæ aut priuatæ ſunt,aut publicæ: certè hæc bona Eccleſiæ, eiuſque miniſtrorum,ſub illo ſunt primo diuiſionis membro computanda.

Hinc Can 4.& 5.Apoſtolorũ in domum Epiſcopi,& Presbyterorum primitiæ perferri iubebantur: qui eas in ſingulos Diaconos,ac reliquos Clericos diſtribuebant. Hinc lib. 2. Conſtit. Apoſtolicarũ c. 25. de ſoluendis decimis,ac earum facienda partitione,diuinè,ac ſpecificè diſſeritur: locus à pijs quibuſcumque & legendus, & cum magna animi conſolatione meditandus. Qualiter autem hæ decimæ ſint tributum Dei, habetur in Concil Lateran. 3. c. 54. & ex eo extra, de Decimis. c. 33. & quomodo ſint ſoluendæ, & quæ ſequantur incommoda ex earum non ſolutione,pluribus in locis,tàm in corpore Iuris, quàm apud ſanctos Patres agitur: ſed hæc ſunt ſtricti potiùs tractatus,nos ad bonorum Eccleſię latitudinem reuertamur.

OCTAVVM SVBNOTANDVM.

ATTAMEN pro præcedentium Notabilium,& pro Concluſionis ipſius pleniori,ac ſtricta magis probatione adhuc octauò ſubnotandum eſt: quòd ex illo loco Matth. c. 17. ſuperiùs allato,ad probandā Eccleſiaſticam immunitatem,quò ad perſonas, dicente Chriſto: [Ergo liberi ſunt filij:] licet non colligat Ioannes XXII. in Bulla damnatoria Hæreticorum Marſilij de Padua,& Ioannis de Ianduno, omninò bona Eccleſiæ eſſe immunia, & nequaquàm obnoxia, vt à ſæculari Poteſtate poſſint vectigalibus,cenſibus, ſeu tributis onerari; oſtendit tamen inde non colligi oppoſitum: ſcilicet, eſſe ſubiecta. Et quia Concluſio noſtra ex dictæ Bullæ ſerie ſi non definitur,tamquàm de fide tenenda,docetur certè,tamquàm vt veriſſima non neganda: placet illius verba formaliter recitare; & ſunt hæc.

Ergo liberi ſunt filij: conſtat autem Chriſtum ſecundùm carnem fuiſſe Dauid filium:iuxtà teſtimonium Angeli ſic dicentis: Dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius,&c.& per conſequens, quòd ipſe à ſolutione tributi, vel cenſus erat prorſùs immunis. Hoc etiam ex hoc patet, quòd ſtatim ſubiunxit: Vt autem non ſcandalizemus eos, vade, & da ſtaterem pro me,& te, eis: vbi euidenter patet, quòd, non vt adſtrictus, ſed vt euitaret ſcandalum, ſtaterem tributi exactoribus iuſſit ſolui. Ex prædicto autem dicto ſuo nituntur cócludere præfati viri reprobi, quod omnia temporalia Eccleſiæ ſubſunt Imperatori;& ea poteſt accipere velut ſua. Videntur enim ſupponere,quòd ex hoc, quòd Chriſtus tributum ſoluit ex debito, res temporales eius Imperatori ſubeſſent,& per conſequens res Eccleſiæ temporales ſint Imperatori ſubiectæ, & eas poſſit recipere velut ſuas. Quæ quidem Concluſio nullatenùs ex præmiſſis ſequitur,nec ſequi poteſt,etiam apparenter. Cùm enim liqueat ex prędictis, Chriſtum fuiſſe à ſolutione tributi,vel cenſus liberum,& immunem; & ſtaterem non ſoluiſſe ex debito,ſed vt aliorum ſcandalum euitaret: nullo modo poteſt concludi,quòd res Chriſti,quales ſunt res Eccleſiæ, ſubſint Imperatori. Pręterea etiamſi Chriſtus ſtaterem ſoluiſſet ex debito, impertinenter concluderetur ex eo,quòd res Chriſti,quales ſunt res Eccleſię,ſubeſſent Imperatori: cùm Chriſtus non pro rebus, ſed pro perſona,ſtaterem ſoluerit antedictum: quod patet ex eo,quòd illum iuſſit ſolui pro ſe,& Petro,modo prędicto,non pro rebus ſuis,& bonis. Vndè non ſequitur,quòd ex eo,quòd perſona eſt tributaria,ſint & bona: immo,qui pro perſona tributum tenetur ſoluere, habere poteſt bona libera, & è contra.] Hucuſque in Bulla.

Videmus, qualiter hic ſummus Pontifex illos duos Hæreticos contrarium dogmatizantes damnauerit: vt etiam falſa admiſſa ſuppoſitione,quòd Chriſtus fuiſſet ſoluendo obnoxius tributo pro perſona, *res tamen* eius nullo modo,ſicuti colligit,& ſtrictiſſimè docet Papa, tributorũ oneri ſubiaceret. Et hoc ideò,quia illa Chriſti conſequentia: [Ergo liberi ſunt filij:] ijs fortiſſimis antecedentibus, doctrinę ab ipſius ſpiritu emanantis,ſolidetur.

Nam primò Chriſtus erat filius Dei,& homo Deus,Regum terræ Dominus,& Princeps: vnde ab illius rebus nullus poterat Princeps tributũ exigere. Ad hæc,eius Apoſtoli erant de ſua familia, gaudebant per conſequens Patrisfamilias immunitate: vt ſupra Parte 2. diximus. Deinde pro Patribus antiquis Sacerdotibus,naſcebantur in Eccleſia Apoſtoli,& Eccleſiaſtici filij: ex Pſalm.44.Ergo ſicut illorum bona erant immunia, vt & horum etiam eſſent bona libera,erat neceſſarium. Vlteriùs in eodẽ Pſalmo,quẽ de Chriſto,& Eccleſia interpretatus fuit ad litteram Paulus, ad Hebr.c.1.Eccleſia appellatur filia; [Audi,inquit,filia,& vide, & inclina aurem tuam:& obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui:]

in cuius præmium, etiam temporale, hæc facta fuit ad illam repromiſſio: [Et filiæ Tyri,] ideſt, Gentilitas, [in muneribus,] non iam Idolorum oblatis templis, vt de templo Veſtalium virginum, quo loco modò Eccleſia S. Petri ad Vincula eſt, legimus apud Blondũ lib. 2. Romæ Triũph. ſed [in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis;] abſque dubio, precantium more, preces in Eccleſia muneribus, & oblationibus præmunientes; de quibus Paul. 1. ad Corinth. c. 11. vt de Eccleſia diuitijs, etiam affluenter, ornata poſſet dici illud Prouerb. c. vltim. reſpectu cuiuſcumque falſæ religionis, apud Nationem quamcumque, cum ſuis opibus, & miniſtrorum ſplendore conſpicuæ: [Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.]

Attamen, quia in hac erat conſtituenda à Chriſto maieſtate, illam ſpernendo: & inter diuitiarum copiam, & affluentiam, non in illis cor apponendo; ſed ad effectus dictos, & dicendos: committenda prædicitur, cum ſuis bonis temporalibus, iam Chriſto per orbem prædicato, Regibus ſic tractanda: Iſai. c. 49. videlicèt: [Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum:] Chriſtum, ſcilicet, in cruce: [& afferent filios ſuos,] Eccleſiaſticos, ſcilicèt, viros, [in vlnis, & filias ſuas,] ſcilicèt, Eccleſiæ varias religiones, [ſuper humeros portabunt: & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutritiæ tuæ.] Quod explicans adhuc vberiùs idem Propheta, ſic de Eccleſia prædixit, c. 60. (quod legi à pijs omnibus deſideramus: cùm enim omnibus Sanctis, & Doctoribus cõſentientibus, ibi ad litteram de Eccleſia ſit ſermo Catholica, haud poſſibile erit, quin ex lectione illa, gaudio ſpeciali, de excellentia futura tũc in Eccleſia, & nunc iam exſiſtente, & ad oculos demonſtrata, perfundantur:) [Et ſuges lac Gentium, & mãmilla Regum lactaberis.] Ecce officium, & munus Regum, & Principum ſecularium verſùs Eccleſiam gerendum; vt eam alant, nutriant, paſcant, etiam pretioſo ſuarum diuitiarum lacte. Ecce libertas, & immunitas bonorum Eccleſiaſticorum, & vis conſequentiæ à Chriſto factæ: [Ergo liberi ſunt filij.] Itaque Principes, & laicæ Poteſtates, eo ipſo, quòd ſibi arrogare vellent ius Eccleſiam grauandi, & tributorum, cenſuum, & vectigalium ſuper ſuis bonis imponendi, eodem ſe gererent modo, ſicuti illi, qui cùm ſuæ protectioni commiſſum haberent orphanum; vt ipſum, ſuaſque fortunas in libertatem aſſererent: ipſi rerum pupilli auidi, & ſitibundi, extincto orphano, quæ defendere, & protegere ſua debuerant auctoritate, in propria conuertere commoda, in ſuam, toto conatu, trahere poſſeſſionem procurarent.

Ex his Notandis Concluſionis colligitur probatio.

QVIBVS præuijs annotationibus, facilè Concluſionis veritas eluceſcit. Si enim Chriſtus Dominus habuit bona, & eorum dominium, & proprietatem, & vſum: pro ſuæ familiæ Eccleſiaſticæ ſuſtentatione,

& pro pauperum miſerijs ſuccurrendo : ſuper quæ nullum cenſum , nullum vectigal,tributum nullũ admiſit: Si bona Eccleſiaſticorũ ſucceſſere in locum bonorum, quæ Chriſtus habuit. Si quatenùs ſunt alimenta miniſtrorum , ſunt illis debita immunia de Iure diuino : Si quatenùs ſunt bona pauperum, ſunt Iuris diuini,& Chriſti pecuniæ, in nullius alterius bonis computanda: Si Diuina prouidentia præcipuè geſtum eſt , vt Eccleſia loculos haberet,& amplas dotationes , & pinguia Sacerdotia ; vt pauperes,qui euangelizabantur , maximum ſuæ inopiæ leuandæ remedium in Euangeliſtarum cura, & patrocinio reperirent : Si bonorum ſemel Deo,etiam propoſito ſolo,dicatorum, penès dicantes amplius poteſtas non conceditur remanere: Si in antiquæ legis decretis , Sacerdotali ſtatus ab omni tributo ex ſuis bonis liber erat ſoluendo, qui noui excellentioris Sacerdotij erat figura : Si naturalis legis lumen Gentibus , vt ſuorum Sacerdotum immunia reſeruarent bona ab his oneribus dictauit: Negari non poteſt , hanc immunitatem bonorum , quæ ad Eccleſiam ſpectant,de Iure eſſe diuino conſtitutam. Vndè non mirum eſt in Concil. Lateranen. ſub Alexandro III. habito,c.19.relato in c.Non minus. de immunit.Eccleſ. conqueri Patres,quòd ſeculares Poteſtates, & ciuitates tot onera imponerent Eccleſijs,& bonis,& perſonis earum: vt ſub eis deterioris conditionis factum videretur Chriſtianum Sacerdotium , quàm ſub Pharaone, qui legis æternæ notitiam non haberet ; & nihilominùs Sacerdotum terram,vt habuimus ſuprà,à quibuſuis oneribus immunem, & liberam declaraſſet .

OPPOSITIONES CONTRA CONCLVSIONEM.

PRIMVM ARGVMENTVM.

A conceſſione Priuilegiorum Principum Speciali .

ARGVITVR tamen ſic à nonnullis contrà Concluſionem. Si hæc bona Eccleſiæ adiudicata ſunt Iure diuino, à quibuſcumque Principum ſecularium oneribus immunia ; vt Pontificum Conſtitutiones prætermittamus nunc , quid opus fuit,dictos Principes priuilegijs particularibus Eccleſiæ ,circà hoc, concedere , exemptionem ? Sic enim habet Imperator Iuſtinianus lib.1.C.tit.de Sacroſ. Eccleſijs. lege 18. [Sanci-

mus res ad venerabiles Eccleſias, vel Xenones, vel Monaſteria, vel Prochotrophia, vel Brephotrophia, vel Orphanotrophia, vel Gerontocomia, vel denique ad aliud tale conſortium deſcendentes, ex qualicumque Curialis libertate, ſiue inter viuos, ſiue mortis cauſſa, ſiue in vltimis voluntatibus habita, à lucratiuorum inſcriptionibus liberas eſſe, & immunes; lege ſcilicet, quæ ſuper huiuſmodi inſcriptionibus poſita eſt, in alijs quidem perſonis ſuum robur obtinente: in parte autem Eccleſiaſtica, vel aliarũ domuum, quæ huiuſmodi pijs conſortijs deputatæ ſunt, ſuum vigorem, pietatis intuitu, mitigante.] Idem conceditur in Nouell. Conſtitut. 131. §. Ad hæc. Latior deindè Conſtitutio in fauorem Eccleſiæ Federici II. Cæſaris emanauit in §. Item quæcumque communitas. de Statut. & conſuet. Epiſc. & Cler. C. Quorum priuilegiorum inſtar in omnibus ferè Chriſtianis Prouincijs, alia per Principes ſeculares Eccleſiæ circà ſuorum bonorum exemptionem conceſſa noſcimus: quæ legibus, & ſtatutis earum particularibus referuntur. Sic de Etheluolpho Rege Angliæ ſcribit Guillelmus lib. 2. c. 7. & Ranulphus lib. 5. c. 30. Polychron. ſic de Boliſlao Rege Poloniæ, Cromerus lib. 3. de rebus Polonorum: ſic de alio Boliſlao Pudico reſpectu Eccleſiæ, & Archiepiſcopi Cracouien. idem Cromerus lib. 9. ſcribit, priuilegia Eccleſiaſticis, quibus à publicis oneribus liberarentur, indulſiſſe.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Contra immunitatem perſonarum, à ſimili Priuilegiorum conceſſione.

IDEM argumentum formari poteſt contrà immunitatem Eccleſiaſticarum perſonarum ſuperiùs Parte 2. aſſertam. Nam ſi illa de Iure diuino eſt ſtatuta, quid opus fuit priuilegijs Conſtantini, Iuſtiniani, Theodoſij, Arcadij, Honorij, vel aliorum Imperatorum etiam in corpore Ciuilis iuris relatis? quid neceſſum fuit Henricum Archiepiſcopum Gneſnenſem ingenti auctoritate ſua, diligentia, & perſuaſione, Leſci Albi Principis, & Ducum, Procerumque Polonorum obtinuiſſe conſenſu, & vniuerſi Conuentus conſtitutione; vt Eccleſiaſticus ordo ab omnium profanorum Iudicum, etiam Ducũ, ac ipſius ſummi Principis iuriſdictione prorſùs liber eſſet; itaut ne per exceptionem quidem vllam, aut reconuentionem, pertrahi ad vllum profanum, ſiue laicum forum poſſent: Summo Pontifice ſuo id diplomate confirmante? vt habet Cromerus lib. 7. Hiſt. Quorum priuilegiorum inſtar, reſpectu vtriuſque immunitatis, perſonarum videlicet, & bonorum Eccleſiæ, in omnibus ferè Chriſtianis Prouincijs, per Principes ſeculares conceſſa plura noſcuntur: quibus, ſi Eccleſia de ſe hanc haberet immunitatem, nullatenùs indigeret.

Prima Reſponſio ad Argumenta.

HAEC argumenta ſunt conſinia, & ſimilia, & ideò à nobis ſimul hic poſita; ad quæ breuiter, & verè poſſet reſponderi, ſicuti ſuprà ferè

reſponſum fuit; hæc priuilegia conceſſa à Principibus ſecularibus Eccleſiæ circa immunitatem perſonarum,& bonorum, ſeu exemptionem, vt dicunt, qui ex priuilegijs ortum habuiſſe eam aſſerunt, non fuiſſe verè Priuilegia: ſed veram reſtitutionem immunitatis, quam Ethnici Principes tyrannicè Eccleſiaſticis interceperant perſonis,& bonis;& ipſi Principes Chriſtiani paulatim didicerunt Eccleſiæ eſſe debitam, & à Chriſto,& eius Apoſtolis inſtitutam: poſtquàm Prælati,& Eccleſiæ Doctores, temporis ſucceſſu, id ipſis efficaci perſuaſione ſuggeſſerunt.

Ergo quotieſcumque Principes ſeculares de immunitate Eccleſiaſtica leges tulere fauorabiles Eccleſiæ Miniſtris, non dicuntur certè noua priuilegia conſtituiſſe, ſed ab onere veterum diſceſſiſſe legum: quia vt ſupra bene probatum eſt, numquam à principio Clerici ſubiacuerunt laicæ poteſtati. In quam ſententiam communi ferè conſenſu Iuriſprudentes eunt: vt Bald. in Authent. ſtatuimus, Alex. Conſ. 8. Videtur ſuper primo. nu. 1. vol. 1. Bertrand. Conſ. 182. Prima etenim. num. 36. volum. 2. Riminald. Iunior in c. Quæ in Eccleſiarum. ſub num. 54. de Conſtit.

Quibus non obſtat, reperiri conſtitutiones Pontificum, in quibus eximuntur Clerici à poteſtate Iudicis laici: quia reſpondetur, tales eorum exemptiones, & prohibitiones eſſe potius declaratorias, quàm de nouo promulgatorias; cùm iam antea à tali ſubiectione eſſent immunes, vt inquit Gloſſ. in c. Si Imperator. in verbo, & diſcuti. 96. d. quam ſequuntur plures grauiſſimi Iuriſprudentes, à quibus citandis abſtinemus, contenti ipſius Ioannis Pontificis aurea verba referre, ſcilicet: [Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi Poteſtates: quas ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuę Sacerdotibus, voluit, eſſe ſubiectas,]& infra: [Non à legibus publicis, non à Poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianę religionis Clericos voluit ordinari,& diſcuti:] Gloſſę verò verba ſic habent: [Ergo antequam eſſet aliqua Conſtitutio, Clerici non erant de iuriſdictione ſeculari. Vnde omnes Conſtitutiones, quę emanauerunt, quòd Clerici nõ sũt iudicãdi, niſi ab Epiſcopis, nõ ſunt niſi Iuris Diuini declarationes.]

PRIMVM NOTANDVM.

Circa Euangelij per orbem plantationem.

SED pro pleniſſima Argumentorum ſolutione, notandum eſt primò: Initio naſcentis Eccleſiæ, in id Apoſtolos perſuadendum Gentibus ad fidem conuerſis maximè deſudaſſe; vt intelligerent, nullum ex diſſeminatione Euangelij fieri Apoſtolis, & eorum Diſcipulis prædicatoribus compendium, ſiue diuitiarum, ſiue humanæ gloriæ, potentiæ, & æſtimationis: immò his contemptis, ſe eſſe paratos, illorum bonis in nullo grauatis, eorum libertate in nullo læſa, ſuis etiam ſumptibus; & ſuis

labo-

laboribus, ſua patientia, immò, & ignominia, [per infamiam, & bonam famam, per gloriam & ignobilitatem,] vt ait Paulus Euangelij lucem illis inferre: modò remedia ad hoc, vt è ſuis mentibus infidelitatis, & vitæ veteris, & profanæ tenebras eliminarent, accipere non recuſarent; De quo dixit Paulus, ad Epheſ.cap.5. [Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.] Et 2.ad Corinth.c.12. [Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.] Et ſpecialiter, 1. Corinth.c.9. poſtquam longo ſermone docuiſſet, mercedem deberi ſuam Euangelij miniſtris, ex ipſius Chriſti inſtituto, addidit: [Sed non vſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus; ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.] Et 2.ad Corinth. c.11. ait: [Aut numquid peccatum feci, meipſum humilians, vt vos exaltemini: quoniam gratis Euangelium Dei annunciaui vobis?] Et infra: [Et cùm eſſem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui; nam quod mihi deerat ſuppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus, ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo.] Et cap.12. ait: [Signa tamen Apoſtoli facta ſunt apud vos, in omni patientia.] Et Act.c. 20. loquens maioribus Eccleſiæ Epheſinę, ſic coram eis ſuam, circa hoc, cauſſam perorauit: [Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui: ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.] Et de ſua patientia, vt Theſſalonicenſes Chriſto lucrifaceret, ſcribit ad illos, 1.Epiſt.c.2. [Nam & ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos: quia non inanis fuit: ſed antè paſſi multa, & cõtumelijs affecti; ſicut ſcitis in Philippis.] Hinc Chryſoſtomus docet, quòd iſthæc orbem Chriſto fidelem, ac obedientem pepererunt: in Apoſtolis, & Euangelicis Prædicatoribus: [terribilium perpeſſio, diuitiarum neglectus, gloriæ contemptus, & ſecularium negotiorum ſegregatio.]

Ergo ad rem, de qua agimus, Apoſtoli, & Prædicatores Euangelij, & Eccleſiarum Prælati, qui ne offendiculum vllum ponerent Euangelio, in locis, vbi erat opus, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè illud vitare, à Chriſtianis aliorum locorum victum, & veſtitum accipiebant: & ſumma cum humilitate, & patientia conuerſabantur illic: quid efficerent in exercenda poteſtate, & ſuperioritate fori exterioris Eccleſiaſtici à Chriſto Domino, pro puniendis ciuilibus culpis Chriſtianorum, quæ ad illum forum pertinent, inſtituti? carcereſne ſignarent? compedes, & catenas præpararent? machinas erigerent, ad reos torquendos? Nequaquàm. Et tamen lex Chriſtiana non erat iniuſtior antiqua lege præcipiente, Deuter.c.25 [Pro menſura peccati, erit & plagarum modus;] neq; apud illam ignorabatur bonos virtutis amore peccata odio proſequi, quæ committere mali, vel pœnam propter ipſam, reformidant. Hac igitur neceſſitate compulſi Apoſtoli, ad pœnas confugerunt ſpirituales, in quibus admittendis nihil Chriſtiani dubitarent; vt quas ſcirent, nihil omninò commodi imponentibus Prælatis, ſibi autẽ ſalutarem eſſe futuras medicinã

Hinc Apoſtolicorum Canonum pœnæ illæ, excommunicationes, & ab vſu Euchariſtiæ remotiones, & Sacerdotum depoſitiones, & ſimiles aliæ. Hinc pœnitentiæ illæ publicæ antiquæ non ſolùm, ſed etiam ſolemnes, maxima cum animi alacritate à delinquentibus acceptatæ: de quibus Auguſtin. Epiſt. 54. Concil. Carthagineñ. 2. & 3. Orig. in Homil. 15. in Leuit. Ambroſ. de pœnit. c. 10. S. Syricius Papa, Epiſt. 1. c. 5. vt Feria etiam quarta in capite Ieiunij ſaccis induti, ab Eccleſia per Epiſcopum expellerentur, inſtar Adami, è Paradiſo extorris: quouſque Feria quinta Hebdomadæ pœnoſæ, ad reconciliationem, & communionem recipiebantur. De qua ſolemni pœnitentia eſt frequens mentio apud omnes Auctores, qui de officijs Diuinis Tractatus compoſuere. Et apud Innocent. 1. Epiſt. ad Decennium Epiſcopum Eugubinum, c. 7. & Concil. Agathen. apud Gratia In. c. in capite. d. 50.

Colligitur confirmatio II. Concluſionis 2. Partis.

HVIVS doctrinæ inſigne exemplum habetur, 1. ad Corinth. c. 5. ſupra adductum, ſed hic obiter repetendum. Condemnaturus Apoſtolus Paulus in foro exteriori Eccleſiaſtico quemdam Corinthium publicum inceſtuoſum: vt qui patris ſui habebat vxorem: longo præambulo ſermone, c. 4. ſic Eccleſiam Corinthiorum alloquitur: [Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.] Et multa deinde diſſerens, qualiter minimi faceret à Corinthijs iudicari, ideſt, approbari, & commendari; ſic enim explicat Georgius Græcus auctor; ſiue reuerà illud [à vobis iudicer] intelligatur iudicio ſiſti, vel vobis, vel [iudicer ab humano die,] ideſt, cuiuſcumque iudicio, ex Ambroſio. Nam ſicuti dies iudicij appellatur in Scriptura dies Domini, ſic iudicium hominum, dicitur dies humanus: (quem locum ſupra, 2. Parte aliter explicuimus, etiam ad idem intentum) ſubdens deinde, ſibi nihil conſcium eſſe; muro aheneo ſe eſſe munitum: nulla facti conſcientia, nulla culpa, qua palleſceret, prægrauari: nihilominùs addit: [Qui autem iudicat me, Dominus eſt:] ideſt, approbationem, & commendationem Domini magnifacio; non enim qui, vel à ſe, vel ab alio commendatur, eſt approbatus: [ſed quem Deus] approbat, vel [commendat;] vt ipſe dixit, 2. ad Corinth. c. 10. Vel certè eſt ſenſus: ſoli iudicio Domini, neque alicuius alterius, ſubſum: quaſi Apoſtolus, quaſi veſter Epiſcopus, Paſtor, & Pater: [Nam per Euangelium ego vos genui.] ex 1. ad ipſos c. 4.

Neque obiter pertranſeundum nobis eſt: hic, Paulum Scripturæ antiquæ Interpretem Diuinum, videri formaliter, ac litteraliter alludere ad locum illum Ieremiæ, cap. 17. Vbi cum Propheta præmiſiſſet, maledictione eum hominem præpeditum iri, qui in homine confideret: ſtatuendo, videlicet, [carnem brachium ſuum:] ideſt, in humana fragilitate ſuæ ſpei figendo anchoram, & firmando potentiam: ex Auguſtino, lib. de Gra-

tia,& lib arb.cap.4.ſubdit deinde: [Benedictus vir, qui confidit in Do mino: & erit Dominus fiducia eius:]addit infra de Iudæis ſuis contribulibus, eius verbis, quaſi ex ore Dei non procedentibus,fidem abnegantibus : ac ſeſe prædicationis,ac commonefactionis Propheticæ iudicibus, ac cenſoribus conſtituentibus: [Ecce ipſi dicunt ad me : Vbi eſt verbum Domini? veniat . Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens;& diem hominis non deſideraui: Tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit. Non ſis tu mihi formidini:ſpes mea tu in die afflictionis.]

Ecce couqueſtio ſimilis Paulina cum Corinthijs,eos cùm fuit de verbo Domini, circa Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ac Politiæ immunitatem, cap. ſequenti 4.inſtructurus. Præiacto enim fundamento, ſe eſſe miniſtrum Chriſti, & diſpenſatorem myſteriorum Dei: hoc eſt in Deo,non in homine fidere, ſubdit: ſibi nihil eſſe curæ, quòd Corinthij de ſuæ doctrinæ veritate, de ſui miniſterij facultate, de ſuæ diſpenſationis, circa Eccleſiaſticam iuriſdictionem,auctoritate vellent iudicare: cùm nihil certè deberet turbari,etiam requiſitus à Corinthijs de hoc verbo Domini: cùm ipſum Dominum Euangelij ſui Auctorem paſtorem ſequeretur, cuius iudicio ſolo hæc erat cauſſa reſeruata. Et ſicuti Ieremias, rectum fuiſſe, quod de ore eius egreſſum fuerat,affirmauit: ſic Paulus, & ſibi nihil conſcium eſſe: & ſicuti Propheta adhuc poſt declaratam ſuam innocētiam, Dominum deprecabatur: ne illi eſſet formidini:ſic Paulus,à Domino conſiderans, ſe fore iudicandum, ſuæ diffidens innocentiæ,[non in hoc, inquit, iuſtificatus ſum.] Tamdem Ieremias diem hominis,ideſt, proſperitatem humanam, nō deſiderauit:& Paulus ab humano die,ideſt, Corinthiorum, ſiue quorumcumque fidelium laude approbari contempſit, ſiue ſicuti Ieremias, ex Chald. interpretatione, diem hominis,ideſt, tribulationem,& afflictionem inimicis ſuis non optauit:ſic Paulus,vt ſupra innuebamus,in die mala,nón timebat à die mala: in ſuis,videlicet, periculis,ac laboribus,pro Euangelicæ doctrinæ diſſeminatione,pro nihilo reputauit,præiudicata hominum ſententia, vel approbari, vel reprobari: nihil illis vmquam mali optans,qui ipſius in prædicando veritatem detraherent libertati: dummodo curſum Euangelij propagandi, ac ex eo docendi Eccleſiæ Prælatorum poteſtatem,conſummaret.

Quorsùm hæc omnia Paule? In fine illud additur Capitis: [Quid vultis? inquit,in virga veniam ad vos, an in charitate?] Quo loco per virgam exponit Auguſtinus,lib.3.contra Epiſt.Parmeniani, c.1.iudiciariā poteſtatem puniendi peccatores, & delinquentes, in foro etiam exteriori: in eamdem conſentientibus explicationem Chryſoſtomo, & ceteris eius loci Interpretibus. Ergo ſic intelligendus eſt Paulus loqui : ſiue approbetis,ſiue me commendetis præ alijs Apoſtolis,qui omnes ſumus miniſtri Chriſti: ſiue de mea vita,& moribus,& conuerſatione velitis,quā-

ttimuis veſtrum non ſit, ſed Domini, iudicare; omninò ego ſum veſter iudex Eccleſiaſticus in foro exteriori. Vultis ergo, vt veniam ad vos rigidus iudex, an manſuetus Pater? Audite ergo me patienter, & continuat, c. 5. [Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes; itaut vxorem Patris ſui aliquis habeat;] & proferens ſententiam, concludit poſtea: [Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt. In nomine Domini noſtri I E S V Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri I E S V Chriſti, tradere huiuſmodi hominem Sathanæ, in interitum carnis: vt ſpiritus ſaluus ſit, in die Domini noſtri I E S V Chriſti.] Quem locum ſic explicat Theodorus Græcus, quod per abiectionem ab Eccleſia, & abalienationem à Deo, in poteſtatem Sathanæ veniret.

Mirum eſt, quàm hic locus ſecundam Concluſionem, à nobis in 2. Parte ſuperiùs poſitam, illuſtret. Ecce Chriſtianus reus inceſtuoſus; cuius delictum, etiam hodie, ad forum exterius Eccleſiaſticum pertinet. Ecce iudex Epiſcopus, & Apoſtolus Paulus, quaſi pro tribunali ſedit: [Abſens, inquit, corpore, præſens autem ſpiritu, iudicaui eũ, qui ſic operatus eſt:] ideſt, condemnaui: ſic enim intellexit, & tranſtulit Interpres Syrus. Ecce ſententia: Chriſti nomine inuocato, videlicet: [In nomine Domini noſtri I E S V Chriſti, &c.] Hoc non eſt, expreſsè in Pagina noui Teſtamenti habere Eccleſiam, & ſuos Prælatos de iure Diuino, iuriſdictionem condiſtinctam à ſeculari Poteſtate in ciuilibus cauſſis? Eſt certè: niſi ab hac littera longè diſcedamus.

Sed legatur deinceps finis illius Capitis: [Nonne, inquit Paulus, de his, qui intus ſunt, vos iudicatis? nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.] Ecce verba expreſſa fori Eccleſiaſtici à laico foro, & iudicio diſtincti. Ecce Paulus, qui omnem animam docuit fore Poteſtatibus ſublimioribus ſubditam, & qui, ſi audiret Corinthium aliquem Chriſtianum laicæ Poteſtatis ſubterfugere dominationẽ, illum acriter reprehenderet; confirmat Corinthios, vt erigant tribunal Eccleſiaſticum, & in eo diffinitiuis ſententijs culpas ciuiles, ad illud, caſtigent, pertinentes. Ecce verba concepta, ſcilicet: [Auferte malum ex vobis ipſis;] mutuata ab Apoſtolo, ex præceptis iudiciarijs Domini, in antiqua lege, crediderimus, in Deuteron. à cap. 13. & deinceps nouies repetita.

Obiectio contra prædicta diluitur.

ATTAMEN pro huius primi notabilis maiori adhuc claritate, inſtemus cum ijs, qui hanc immunitatem ſentiunt, non eſſe diuinitùs traditam; ſic contra arguendo: Apoſtolus hoc caſu, ſolùm vſus fuit ſententia excommunicationis: neque negamus Prælatos Eccleſiæ, hanc

poſſe

poſſe imponere : hoc enim ad illorum pertinet ſpiritualem poteſtatem : de qua 1. Principio dictum eſt, non eſſe quæſtionem : nam pœnas ſpirituales, iuxta ſuam Politiam, ſeu Hierarchiam merè ſpiritualem, à nemine negatur, poſſe ab illis in Chriſtianorum delictis applicari.

Nam huic obiectioni, ſeu noſtri Notandi ſolutioni, ſic reſpondetur : vel hic Prælatus in Eccleſia Apoſtolus Paulus, impoſuit hanc pœnam, & protulit hanc ſpiritualem ſententiam excommunicationis in hunc hominem Corinthium, ea ſola ratione, qua Chriſtianus exſiſtens, delictum contra ſextum commiſit Decalogi præceptum ; quaſi idem potuiſſet facere contra quodcumque peccatum, circa quodcumque admiſſum præceptum; & ſi hoc datur, eſt conſequens, non ſolùm iuxta 1. Concluſionem 2. Partis, omnes cauſſas, & lites Chriſtianorum quorumcumq; à Prælatis Eccleſiæ poſſe iudicari, ſi illi conſentiant, vel illorum implorent tribunalia : verùmetiam debere iudicari neceſſariò, per pœnarum ſpiritualium applicationem; immò, quæ iam eſt maior Eccleſiæ potentia, per pœnas etiam corporales : quod non credimus admiſſum iri : vt Nauarrus infra citandus docet ; quòd Epiſcopus, videlicet, contra publicum furem, vel percuſſorem, vel contumelioſum in fratrem ſecularem quemcumque ſententiam ferat excommunicationis, & illum Sathanæ ſic tradat : vel illum pœna temporali, & corporali mulctet. Ergo illa pœna excommunicationis fuit per accidens ſpiritualis: ratione, videlicet, euitandi tunc ſtrepitum pœnarum corporalium, quibus, vt in Eccleſiaſtico tribunali fit nunc, debuiſſet ille Corinthius caſtigari. Ergo illa ſententia ab Apoſtolo in Corinthium inceſtuoſum prolata non fuit, quaſi à iudice ſpiritualis Hierarchiæ poteſtate vtente, ratione peccati ſimpliciter : ſed tamquam à iudice Eccleſiaſtico Politico, & Politica Eccleſiaſtici externi fori vtente poteſtate in cauſſa, quam hodie etiam in facto videmus ad Eccleſiæ forum externum pertinere. De quo argumento videndus Nauarrus, in c. Nouit. de iud. Notab. 6. num. 21. & 22. Vbi aſſerit ſibi difficillimum illucuſque viſum fuiſſe.

Quòd ſi dixerint, Cauſſa Corinthij inceſtuoſi erat mixti fori, vnde potuit Apoſtolus de illa cognoſcere : habemus intentum : Ergo Eccleſia habet de iure Diuino exterius forum, cum quo habeat ſeculare forum mixtim quarumdam cauſſarum cognitionem: nam, mixti fori, termini ſunt relatiui ad vtrumque forum, quorum altero deficiente, delicta neutiquàm, mixti fori, vocarentur.

II. NOTANDVM: SEV AD I. CONSEQVVTIO.

VRGENTISSIME verò hunc locum proſequendo, notamus ſecundò, Apoſtolum Paulum eoſdem Corinthios, 2. ad illos. cap. 10. inſtruxiſſe ſic: [Rogo autem vos: ne præſens audeam, per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos, tamquàm

ſecundùm carnem ambulemus.] Eſt ſenſus, ſic vos in bonum componite, ne, cùm ad vos venero, iure meo vtar: per iam poteſtatem, quà in ſuſpicionem venio aliquorum, quaſi corporeis pœnis velim vos in officio cõtinere: & ſubdit: [In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus:] ideſt, haud hac forma, per pœnas caſtigando corporales, diuulgare decreuimus Euangelium: eiuſq; Hierarchicam, ac Politicam poteſtatem: quod non terrore, ſed amore à vobis & credi, & operibus cupimus, acceptari. Subdit per parentheſim: [Nam arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, &c.] ideſt, adeò valida Dei virtute, vt munitiones & machinas Principis huius mundi euertere, & demoliri poſſint: ſequitur, [conſilia deſtruentes,] ideſt, (continuando ſuperiora) militamus non carnalibus pœnis legem Euangelicã plantantes, ſed conſilia Græcè λογισμοὺς, ideſt, ſyllogiſmos, & Philoſophorum vanas, ſicuti humanas rationes, quibus ad fidei noſtræ principia ſe muniunt deſtruenda, deſtruimus, & diſſoluimus. Sequitur: [& omnem altitudinem,] videlicet ſcientiæ, ſiue potentiæ deprimimus, [extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei: & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.]

Ecce forma diuulgandi Euangelium, quæ oculis, & auribus intuentium, & audientium propoſita, adeò faciles faceret progreſſus, vt ad illud quærendum, excipiendum, & obſeruandum Gentes mutuis ſeſe exhortationibus incitando confluerent, illud Iſai. c. 2. complentes, & dicentes: [Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Et docebit nos vias ſuas:] ne doceant nos vltrà Philoſophi, vel potiùs decipiant ſuis conſilijs, ſeu ſophiſmatibus: quia, [non docebit iam vir proximum ſuum:] ex Ierem. cap. 31. ſed omnes erimus θεοδίδακτοι, ideſt, [docti à Domino,] ex Iſai. c. 54. & Ioan. c. 6. quà audita, & credita doctrina, ſequuntur dicentes, quò ad promptam obedientiam fidei operum deſignandorum, [& ambulabimus in ſemitis eius;] & reddunt ſui facti rationem, videlicet: [quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem:] ideſt, hæc lex, & hoc verbum Euangelij docetur à Deo, dicitur, & commendatur à Domino, cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem. Iſai. c. 31.

Ecce differentia nouæ, & antiquæ Legis, & diuulgationis vtriuſq;. Veterem Legem laturus, Exod. c. 19. manifeſtatur Deus Moyſi terribilis in monte, ignem, & fumum ſpirante, qui mortis timorem ipſi populo incuſſit. Et c. 24. promittit, ſe illi daturum legem ſcriptam in tabulis lapideis. Et c. 31. dicitur: [Dedit quoque Dominus Moyſi completis huiuſcemodi ſermonibus in monte Sinai duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.] Et c. 32. [Et reuerſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini. Scriptura quoque Dei erat ſcalpta in tabulis.] De nouæ

legis

legiſlatione ſcribitur, Act.c.2. [Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ, tamquàm ignis:] in cuius medio non ſolùm non ſunt timore perculſi, non æſtuati, Eccl.c.51. verùm [cœperunt loqui,] ſcaturigine maximæ conſolationis perfuſi, [prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.]

Ecce non Moyſes portans in manibus legem ſcriptam in tabulis lapideis; ſed illud Deuteron.c.33.ad litteram completur, dictum de Deo, legem Chriſtianam ferente: [In manibus eius ignea lex;] de igne Dei in Sion, videlicet, & de camino eius; quod erat in Ieruſalē; vt dixit Iſaias procedens: iuxta cuius legis ſplendorem, & ardorem, docet Paulus cum ſua illa feruenti charitate, cum patientia, Corinthios, & Chriſtianos omnes legis Chriſtianæ diſciplinam; non cum carceribus; non cum pauore; non cum timore; non cum corporearum inflictione pœnarum, quibus occupatæ Gentes ad legem, & Legiſlatorem, & eius Miniſtros accedere formidarent. Toto cælo erant hæc myſteria agenda diuerſo: in Legis enim Moſaicæ latione, populus ad montem Sina appropinquare prohibetur; de legis Chriſtianæ diuulgatione, dicitur conſequenter in Deuteronomio: [Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.] De quanam doctrina? qua homines liberi vagentur, nullis pœnarum timoribus præpediti? quò natura ad malum prona inſtigante, & lege nulla pœna prohibente, per ſuorum poſſint deſideriorum exſequutionem ſpatiari? Abſit. Nam legis Chriſtianæ diſciplina non legibus Platonis, non Ariſtotelis, Licurgi, Solonis, & ſimilium erat ordine, & iuſtitia ſuperanda: in quibus lumine ſolùm naturæ ducti earum conditores, præmio, & pœna per leges oſtenſis, ac impoſitis, docuerunt optimè, omnem eſſe Rempublicam moderandam.

Haud hæc omnia otioſè videbûtur dicta, ſi Apoſtolum ad Corinthios, loco quē tractamus, poſt obſecrationes, & preces, ſermonem, proſequentem audierimus, inſtitutum: [In promptu, ait, habentes vlciſci omnem inobedientiam: cùm completa fuerit obedientia veſtra.] Verba aurea, immò verba ignea contra quoſcumque forum Eccleſiaſticum exterius, & immunitatem Eccleſiaſticarum perſonarum eſſe de iure Diuino, & à Chriſto ipſo fuiſſe inſtitutum, abnegantes. Quorum verborum hic eſt ſenſus germanus, nullo Doctore Catholico repugnante. Poſtquàm vos Corinthij remedia adhibueritis, à me præſcripta: illis non proficientibus, ad vltionem delictorum vlteriùs procedemus. Remedia autem data ab Apoſtolo, Corinthijs, & quę dabat Chriſtianis, in delictis puniendis, erant illa quidem ſpiritualia, erant illa pharmaca, quibus ex condicto Apoſtoli vti decreuerūt; qualia erant excommunicationes à Chriſtianorum fratrum commercio; ab Eccleſia eiectiones; ab Euchariſtiæ vſu priuationes: in Eccleſiaſticis verò perſonis, etiam depoſitiones; & ſimiles pœnæ, quæ ad animarum ſalutem ab Apoſtolis excogitatæ, omnem à delinquentium Chriſtianorum animis eximerent ſuſpicionem,

Prælatos Eccleſiæ aliud, quàm illorum æternam ſalutem procurare.

Quo autem erat vlteriùs procedendum, explicat illis verbis; [in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.] ac ſi diceret, remedijs lenibus, ſuauibus pharmacis, blandis medicinis, quæ, (quantumuis ſint aliis dura, cùm ad ſolam charitatem, & animarum tendant ſalutem, ipſis delinquentibus alicubi, ea vel per publicam, vel per ſolemnem pœnitentiam admittere non ſolùm non recuſantibus, verùmetiam, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini, illa appetentibus,) ex præſcripto noſtro proceſſerunt, veſtra obedientia applicatis in culpis publicis, energia, & optata efficacitate carentibus: iam deinceps ſum paratus, pœnis corporalibus, contra delinquentes procedere, ſignatis carceribus, & iudicio aduersùs eos inſtructo, Eccleſiaſtico in foro; vt iuſtitia charitati ſuccedens, partes ſit legis Chriſtianæ in nullo deficientis, impletura.

Igitur idem Apoſtolus, qui Corinthijs, quorum multi deliquerant, vel ipſi delicta perpetrando, vel aliorum culpis conniuendo, vt 1. Epiſt. ad illos, dicto c. 5. notauerat: ſcribens illis ſecundam, c. 1. ſic in fine ait: [Ego autem teſtem Deum inuoco in animam meam: quod parcens vobis, non veni vltra Corinthum; non quia dominamur fidei veſtræ:] idest, diſtuli venire ad vos, ne rigoroſo examine de veſtris delictis in foro exteriori Eccleſiaſtico eſſet mihi opus inquirere. Quod, abſit, dicam, quia præfecturam, & dominationem velim mihi ſuper vos arrogare, ea ratione, quia Chriſtianam apprehendiſtis diſciplinam; quod vel maximè ab ea, & à meis eſt moribus alienum. Epiſtolam tamen concludendo, c. 13. vt illorum animi hac ſemel imbuerentur opinione, Apoſtolum id magnis de cauſſis, & ſpeciali, & neceſſaria conſideratione feciſſe; non quòd ex legis ordinatione, aliter ſibi agere non licuiſſet; ſic ad eos loquitur: [Prædixi enim, & prædico vt præſens vobis, & nunc abſens iis, qui ante peccauerunt, & ceteris omnibus: quoniam ſi venero iterum, nō parcam.] Et infra ſubdit: [Ideò hæc abſens ſcribo: vt non preſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.] Duriùs poſſe agere Apoſtolum, poteſtatem habere ad alias pœnas, quàm excommunicationem, quam iam apud Corinthios exercuerat, infligendas; quænam alia poteſtas eſt, quàm coerciua poteſtas Eccleſiaſtica, medijs carceribus, catenis, compedibus, pecuniarijs pœnis, & ſimilibus corporalibus, & temporalibus caſtigationibus, quæ, in foro cōtentioſo Eccleſiaſtico, eas merentibus infliguntur? Quam poteſtatem non à Principibus ſecularibus, non ab eorum donationibus, priuilegijs, & exemptionibus habuiſſe, ſed à Chriſto, plenis buccis in Imperatorum Romanorum conſpectu, aſſeruit Apoſtolus ſibi traditam: quò Eccleſiaſtici fori ædificium perduraret. Vnde ſuperiùs eodem hoc dixerat capite: [An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?] dum in eorum errata exteriori iudicio, ac pœna, ſi

opus

opus eſſet, ſe animaduerſurum minaretur. Quamtumuis, vt poſtea dicetur, gladij huius poteſtatem Eccleſia, quoad Imperatores Christiani effecti fuere, conſultiſſima ratione, non fuerit vſa.

Cuius diſcurſus, & loci Paulini expreſſam aſſertionem de hac immunitate, ordinatione, & traditione Diuina in Eccleſia à ſuis initijs conſtante, ipſius Pauli viſum eſt alio teſtimonio vltimo confirmare: omnem huius ſecundi Notandi, & longam ſeriem hoc epilogo breui ex ipſo ad Timotheum 2. c. 4. ſcribente ſic, concludendo. [Teſtificor, inquit, coràm Deo, & Chriſto IESV, &c. Prædica verbũ, inſta opportunè; importunè argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.] & paulò poſt: [Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ.] Ecce quanta commendat Apoſtolus Epheſiorum Epiſcopo Timotheo, vt Chriſtianæ obſeruantiæ curſus apud Epheſios proſperaretur: vnico tamen verbo quod ſupererat ſic concludit: [Miniſterium tuum imple:] id eſt, ſi doctrina tua patiendo non capitur, fac vt agendo capiatur; Si dicta non ſufficiunt, accedant facta: Si contemnunt verba, experiantur verbera: Si conuincere reos non eſt ſat, vincire ſit ſatis: Si obſecrari ſe non ſinunt, obſerari conueniet: Si culparum increpatio deſpicitur, deprecatione indigeāt pœnarum: quas per Deum [per Chriſtum IESVM, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos per aduentum ipſius, & regnum, teſtificor] eſſe ab eo in Eccleſia ordinatas, iuxta Miniſtrorum, Prælatorumque Eccleſiæ præſcriptum, in foro exteriori, delinquentibus imponendas: quibus hanc dedit, ſicut, & mihi poteſtatem; vt eorum miniſterium copioſiùs impleatur. Immò vt lex Euãgelica, (iuxtà quod 3. Principio oſtendimus) legibus omnibus eſſe perfectior demonſtretur.

Quæ omnia à Paulo, Timotheo, & in eo omnibus in Eccleſia futuris Epiſcopis, Paſtoribus, & Præfectis, iniungebantur, eo modo tractanda, & in vſu, & exercitio præſtanda: vt pro temporũ varietate, iuxta Eccleſiæ maiores, vel minores vires prudēter, gererentur: quod nos docuit ipſa rerũ mater experientia; vt, videlicet, illis humilioribus Eccleſiæ initijs, Prælati in ea, pœnis ſpiritualibus prius adhibitis Chriſtianis diſcolis, iuxta delictorũ menſurã puniendos aliàs corporaliter, ciuilibus Principũ laicorũ Poteſtatibus traderēt: vt ſupra dictũ eſt: pro qua cauſſa gladiũ portabant, etiam vt Dei miniſtri. Temporũ verò ſucceſſu, Eccleſiaq; & reſpirante, & viribus aucta, in ſuo foro potentiori, & ad pœnas etiam temporales, & corporales adhibendas apto, & inſtructo punirentur.

Obiectio contra prædicta ex ipſo Paulo diſſoluitur.

VNVS ex ipſo Paulo, contra ipſius Pauli tam hic, quàm in ſuperioribus adductam doctrinam, ſcrupulus reſtare videtur; cùm tam ſerius Chriſti Domini imitator, qui Ioan. c. 6. ne Rex à turbis eligeretur, fugam in montem arripuit: immò poſteà cap. 18. regnum ſuum non eſſe

de hoc mundo affirmauit, Chriſtianos omnes, & præcipuè Eccleſiaſticos ſic docuerit Miniſtros. 2. ad Timoth. c. 2. [Nemo militas Deo implicat ſe negotijs ſecularibus:] qua doctrina, toties aſſertam temporalem Eccleſiaſticam Iuriſdictionem, quaſi ſeculi negotijs plenam, viſus fuit Apoſtolus condemnaſſe.

Reſpondetur tamen: Chriſtum, quem imitabatur Apoſtolus, noluiſſe Regem creari in hoc mundo, & mundi, qua mundus formaliter eſt, regnum prudentiſſimè recuſaſſe; quia Rex æternus à Patre conſtitutus erat ſuper Sion montem ſanctum eius: & acceperat Gentes hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ ex Pſalm. 2. Vndè etiam Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum non Regnum aliquod terrarum, ſed Eccleſiaſticam præfecturam cum ampliſſima commiſit poteſtate.

Quæ quamuis ad res Diuinas, & æternas propriè pertineat; (vndè etiam nomine clauium Regni cælorum appellata eſt;) tamen ad res etiā terrenas, & corporeas ſe extendit; quoties id poſtulat fidei cauſſa, religionis incolumitas, animarum ſalus, & exterioris, Politicæque adminiſtrationis Eccleſiaſticæ ratio. Quare non implicat ſe, (vt ad Apoſtoli Chriſti imitatoris deueniamus edictum;) negotijs ſecularibus, qui ſecularia negotia non propter præſens ſeculum, ſed propter æternam attingit felicitatem. Alioquin Apoſtolus ipſe negotijs ſe implicaſſet ſecularibus, dum. 1. ad Corinth. c. 7. & 1. ad Timoth. c. 5. de cōiugali debito reddendo, de nuptijs adoleſcentium viduarum, & de liberorum procreatione, & educatione adeò ſingularia præcepta tradidiſſet. At de hoc 2. Parte ſupra à nobis fuſius diſputatum eſt, Parergo de Eccleſiaſticis iudicibus. &c. fol. 57. & tit. Pro Eccleſiaſticis circa iudicia ſecularia occupatis fol. 66.

TERTIVM NOTANDVM.

Circa ſtatum Chriſtianorum initio Eccleſiæ.

NOTANDVM tertiò pro argumenti ſolutione, quo pacto initio naſcentis Eccleſiæ ſtatus Iudæorum, ſiue etiam Gentium, quæ fidem Chriſti amplectebantur, ſe haberet. Ergo eò ipſo quòd aliquis ex Hebræis ad Chriſtianam tranſibat profeſſionem, ceteri Iudæi crucis Chriſti inimici, tam efferato animo, tantaque eos indignatione inſectabantur; vt eorum nedùm perſonis, ſi poſſent, vim inferrent; verùm etiam illorum res perdere, inuadere, diripere, ipſis ſumma eſſet religio. Hoc Saulus verum eſſe, Actuum cap. 9. abundè demonſtrauit; primò [paternarum traditionum abundantiùs æmulator exiſtens;] vt ipſe teſtatur ad Galat. c. 1. Iudæos Neophytos perſequendo; poſteà verò à Chriſto miſericordiam conſequutus, ex Iudæo feruente factus Chriſtianus ardens, in ipſo ſuæ conuerſionis limine, multis modis à Iudæis ad mortem appetitus. Quod ipſum ex martyrio Stephani, & eius concione ad Iudæos

habi-

habita Act. c. 7. & ex perſequutione magna in Eccleſia facta Act. c. 8. vberiùs comprobatur.

Sed videndum, qualiter ipſe Saulus, iam Paulus, ad ſuos contribules ſcribens, cap. 10. ſic eos laudat: [Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. Et in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autẽ ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis; cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.] Neque maior fuit gratia Gentilium in eos, qui ex ipſis Chriſto nomina dabant: ab illis enim, vt erãt rabidi, & truces, Chriſtianorum bona crudeliter diripiebantur. Hoc docet idem Paulus ad Theſſal. 1. c. 2. ſic eorum fortitudinem commendans: [Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa: quoniam & vos eadem paſſi eſtis à proprijs contribulibus, quemadmodum & illi à Iudæis]

Illa tamen priori feritate, in Iudæis, iam proprijs ſedibus per Romanos pulſis, ratione commutationis ſtatus, deferueſcente: in Gentibus verò, ratione numeroſiſſimæ Chriſtianorum multitudinis, miteſcente: tam hi, quàm illi cœperunt Chriſtianorum bonis minus inhiare; ea, contenti Gentium Principes, (nam Iudæorum prorsùs corruit Imperium) cuiuſcumq; eſſent conditionis, ſiue laicis, ſiue Eccleſiaſticis vſibus inſeruirent, grauiſſimis tributis, vectigalibus, & cenſibus onerare. Exſtat huius veritatis inſigne teſtimonium apud Socratem Hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 3. de Iuliano Apoſtata Imperatore, qui exactione, & mulctis pecuniarijs perſequutionem Chriſtianorum grauiſſimè auxit: quam occaſionem nacti Prouinciarum Præſides, ipſi etiam emolumenti proprij cauſſa, longè grauioribus exactionibus Chriſtianos exhauriebant. Quod ſi addamus ex Tertulliano in Apolog. c. 43. ſolitos fuiſſe Gentiles conqueri de Chriſtianis, quòd à contributionibus, pro ſuorum templorum fabricis, ſe ſubtraxiſſent; facilè intelligemus, quibus oneribus ab ipſis Gentilibus ſuper ſuis bonis premerentur. Quæ rerum Chriſtianarum prioribus illis ſeculis facies, ne per Hiſtoriographos ampliùs relata quæratur; præſenti ſtatu bonorum, quæ Chriſtiani ſub tyrannide communis inimici Turcæ poſsident, ſub tot, & tam importunis tributis, exactionibus, & rapinis, manifeſtè qualis fuerit conſpicietur.

II. RESPONSIO AD ARGVMENTA.

QVIBVS adnotatis, iam eſt facilè ad Argumenta propoſita reſpondere. Nam cùm antiquis illis perſecutoribus ceſſantibus, Gentilium Imperatorum, & Principum, Chriſtianarum Prouinciarum ſucceſſores Imperatores, & Principes Chriſtiani cum ſuis Miniſtris, cum ſuo regimine, cum ſuarum Rerumpublicarum inſtitutione, in antiqua ſe

conſpi-

conſpicerent exſtare poſſeſſione, etiam attentata, etiam iniuſta, de delictis etiam Clericorum, in ſuis tribunalibus cognoſcendi; & exigendi tributa, & cenſus à bonis, etiam Eccleſiarum vſibus applicatis: non fuiſſet facilè immunitatem Eccleſiaſticam circà has res, per Eccleſiæ Patres ſibi demonſtratam, à Chriſto inſtitutam, & traditam fuiſſe de Iure diuino, ad vſũ, & praxim reducere; immò fuiſſet impoſſibile, niſi firmiſſimis ſuis Sanctionibus pragmaticis id cauiſſent; vel forum Eccleſiaſticum exteriùs ſtabilire: vel à tributis bona Eccleſiaſtica liberare. Vocentur ergo ab eis donationes, priuilegia, exemptiones, exceptiones, liberæ conceſſiones, vel huius integræ immunitatis relaxatio, alijs mille nominibus ad libitum ab eis, vel à quibuſcumq; contrarium ſentientibus Doctoribus, nuncupentur; nobis numquàm aliud certè erunt, quàm Leges, ſeu Conſtitutiones immunitatem firmantes, quã Dominus IESVS in Eccleſia tradidit, ac inſtituit; vel illius immunitatis declarationes: vel veriùs reſtitutiones; nam antiqui moris contrarij, & conſuetudinis numquàm allegare potuiſſent præſcriptionem: non ſolùm tamquàm malæ fidei poſſeſſores, verùmetiam, quia, cùm hæc immunitas eſſet de Iure diuino ſtatuta, eam contrà Eccleſiam non potuerunt præſcripſiſſe.

Quòd ſi ex Conſtitutionibus Imperatorum, vel Principum, immunitatem hanc, iuxtà veritatem, Eccleſiæ reſtituentibus, iuxtà aliquorum doctrinam, eam priuilegijs, vel donationibus, relaxantibus, licet arguere; illam, Eccleſiam de Iure diuino traditam non habere: licebit ſic viris contra vxores arguere, vbi non fuerit ſpecialis, & expreſſa lex prohibens concubinatum: videlicèt, Conſtantinus Imperator l. 1. de Connub. C. Theod. ſtatuit, vt nemini licentia concederetur, matrimonio conſtante, concubinam apud ſe habere; Ergò hoc fuit priuilegium ad vxorum editum fauorem, ergo aliàs licet concubinam vxori adiungere. Mala conſequentia. Concubinatus enim, de Iure diuino, vxoratis eſt prohibitus: Matth. c. 5. & 19. & 1. ad Corinth. c. 6. Sanciat igitur de hoc legem Imperator, ea enim opus eſt, non ad ius, quod iam præexſtitit, ſtatuendum; ſed ad, Imperatoria Maieſtate, Ius illud diuinum ad praxim, & vſum reuocandum.

Sancimus, dixit Imperator Iuſtinianus, vt Canones quattuor ſanctorũ Conciliorũ ſeruentur.] An idcircò Canones hi auctoritatẽ, robur, & vim habẽt ſuã à Iuſtiniani Sãctione? Abſit. Ergo dũ Imperatores, Reges, Principes, Populi, & Nationes de Deo, de fide, religione, ſtatutis, pręceptionibus, legibus, cõſtitutionibuſq; Diuinis aliquid ſtatuũt, ſciſcunt, ſanciunt, imperando, prohibendo, permittẽdo: haud earũ rerũ, quas ita iubent, vel vetant, Auctores ſunt, neque ab eis dicendæ ſunt inſtitutæ. Hominũ enim ſententiæ, ſcita, decreta, vel ſuffragia, vertere rerum eſſentiam, vim, & efficacitatem nequeunt: quã ex ſua natura ſortiuntur. Itaq. Imperatores, Reges, Principes, Conſtitutiones de ciuili Eccleſiaſtica poteſtate publi-

cantes,

cantes,quæ aliàs à Deo emanauit,non ſecùs fecerunt,aut faciunt,quam Magiſtratus,cùm Principum ſtatuta,& leges generales ſeruare iubent: quod rectè quidem faciunt,eſtque eorum munus: legum tamen vis haud ab eis proficiſcitur, quarum condendarum non ipſi, ſed Princeps habet poteſtatem:apud quem ſummum imperium ad id neceſſariumreperitur.

Sub hac agendi forma,multi Reges in ſuis dominijs, de Eccleſiaſticis rebus leges tradiderunt:quas ſuis populis,vt Eccleſiæ tutores, ac defenſores ſeruandas commendarunt. Sic Catholici Hiſpaniæ Reges copioſiſsimè, qui eorum erat Catholicæ fidei zelus,de rebus Sacris, ac Eccleſiaſticis perſonis,multa ſuis cauerunt legibus,ac ex veterum Patrum ſanxere decretis:ſicuti 1.Parte Conſtitutionum Regni,titulo 4.l.72.& quinto, l.66.vbi de Pontifice Maximo, quas ob cauſſas conſtitutus ſit, explicant: item quæ ſit eius auctoritas,ac poteſtas;quod fortaſſe nullo in loco alio clariùs,ac dilucidiùs pertractatur. Ibidem de toto ordine Sacro ſtatuitur: Epiſcopos demonſtrant hoſpitalitatis, docendiq. cauſſa inſtitutos.Et quid mirum, ſi de hiſce rebus,etiam à Regibus,tot leges ferantur? Omnium namque cùm interſit,illorum maximè intereſt, ſtatum, ac ordinem Eccleſiaſticum, quaſi Reipublicæ digniſsimam partem, ſanam, ac incolumem conſeruare.

Exſtitere olim frequentes,apud Ethnicos Philoſophos,diſputationes, quis optimus eſſet Reipublicæ ſtatus? Et varijs inter eos, diſcrepantibusque ſententijs,ſolus Chriſtus Dominus ſilentium impoſuit: cùm in optimis Antiſtitibus illum eſſe docuit collocatum. [Vos]inquit Matth. c.5.[eſtis ſal terræ:] quo ſine,omnia putreſiunt. [Vos eſtis lux mundi:] qua ſine, omnia tenebræ.[Vos eſtis ciuitas ſuper montem poſita:] ideſt, eſtis ceteris eminentiores: vt qui ſitis Epiſcopi, & Paſtores ab Spiritu ſancto conſtituti: quibus ſine Eccleſia nihil aliud erit cenſenda, quàm grex huc,atque illuc diſsipatus. Hinc non ſolum Pontificijs, Eccleſiaſticis,& Comitialibus fuit opus legibus:ſed iuſtiſsimorum etiam Regũ: vt conſultiſsimè iſta omnia ſuis in regnis anteuerterent: & ſtatus Eccleſiaſticus,ſub Regum protectione ſe eſſe conſiderans,ſuis munijs diligentiùs vacet obeundis:ac ſtatus,& ordo ſecularis,Regum, ac Principum curam,de Eccleſiaſticis conſeruandis functionibus attendens, ſuis contentus ſpatijs, Eccleſiæ non inhiet immunitatibus auferendis, ac diuitijs deuorandis.

Huc igitur Regum leges,& illę maximè Hiſpaniarum collimant: vt nedum Pontificij libri,Concilia, & Patres Prouinciam omnem de ſtatu edoceant Eccleſiaſtico, verumetiam Conſtitutiones, legesque Regiæ, quæ tantam apud Gentem habent auctoritatem. Hæ verò haud putandæ ſunt vlla ex parte Pontificis Maximi debilitare Maieſtatem; immo magis iuuare: cùm vtraque Poteſtas & ſacra, & profana ſibi mutuas impendunt operas: vt vtraque omni adhibita cura, ſolicitudine, ac dili-

gentia inuicem ſe conſeruare,& poſsit,& debeat: & Diuina, humanaque ſint coniuncta, & deuincta; cùm vnus ſit vtriuſque Princeps æternus Deus, & Chriſtus, à quo vtraque fluit, & qui vtramque continet in hac mortalium procuratione, vtramque miniſtram, vtramque habeat Reipublicæ Chriſtianæ, ex vtroque conſtante ſtatu, perennitati famulantem.

Sed pro maiori totius rei explicatione,& vt intelligatur, quid ad Imperatores,Reges,Principes Chriſtianos ſpectet: pro Hierarchiæ, & Politiæ Eccleſiaſticæ ſtatu tuendo,defendendo, ac conſeruando, placuit adſcribere formaliter quattuor Capitula Canonica,ex 23.q.5. quæ ſic habent.Primum eſt Iſidori dicentis:

Principes ſeculi nonnumquam intra Eccleſiam,poteſtatis adeptæ culmina tenent;vt, per eamdem poteſtatem, diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Ceterùm intra Eccleſiam Poteſtates neceſſariæ non eſſent:niſi,vt quod non præualent Sacerdotes efficere per doctrinæ ſermonem, Poteſtas hoc impetret, per diſciplinæ terrorem. Sæpè per regnum terrenum,cæleſte regnum proficit: vt qui intra Eccleſiam poſiti, contra fidē, & diſciplinam agunt,vigore Principum conterantur: ipſamque diſciplinam,quam vtilitas Eccleſiæ exercere non præualet, ceruicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat; & vt venerationem mereatur,virtutem Poteſtatis impartiatur.Cognoſcant Principes ſeculi,Deo ſe debere eſſe reddituros rationem, propter Eccleſiam; quam Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam, ſiue augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes,ſiue ſoluatur,ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit.]

Item Leo Papa c.[Res autem omnes aliter tutæ eſſe non poſſunt: niſi quæ ad Diuinā confeſſionem pertinent, & Regia,& Sacerdotalis defendat auctoritas.]Vbi Gloſſ.verb.Cōfeſsionem.explicat,ideſt,[ad Eccleſias Chriſtum confitentes.]

Item ex Cōcilio Turonenſi 3.c. [Inceſtuoſi,parricidæ,homicidæ, multi apud nos reperiuntur;ſed aliqui ex illis Sacerdotum,nolunt admonitionibus aurem accommodare; volentes in priſtinis perdurare criminibus: quos oportet,per ſecularis Potentiæ diſciplinam, à tam praua conſuetudine coërceri:qui, per ſalutifera Sacerdotum monita, noluerunt reuerti.]

Item Hieronymus ſuper Ieremiam. c. [Regum officium eſt proprium, facere iudicium, atque iuſtitiam,& liberare de manu calumniantium vi oppreſſos: & peregrinis,pupilliſque,& viduis, qui faciliùs opprimuntur à potentibus,præbere auxiliū:& vt curam eis præceptorum Dei maiorem inijceret,intulit:Nolite contriſtari,vt non ſolùm eripiatis: ſed ne patiamini quidē,vt veſtra cōniuentia eueniat,eos ab alijs contriſtari; & ſanguinē innocentē nō effundatis in loco iſto. Homicidas enim,& ſacrile-

gos,

gos,&c. Et poſt pauca: Si, inquit, hoc feceritis, ô reges Iuda, tenebitis priſtinam poteſtatem.

Huius Sanctorum doctrinæ limitibus, ſi ſe Imperatores, Reges, Principes Chriſtiani contineant, pacatam habebunt matrem ſuam Eccleſiã: quod Auguſtinus ab illis poſtulat: vt vidimus ſupra, hoc argumentum etiam tractantes, 2. Parte. Arg. 1. contra 2. Concl. tit. Pro ſolutione horum argumentorum generali. fol. 142.

Idem dixerimus de omnibus alijs Conſtitutionibus Imperialibus, quæ in corpore Iuris habentur, non ſolùm dictam tribunalis Eccleſiaſtici immunitatem, in rebus ciuilibus, attingentibus, ſed ipſa merè ſpiritualia, quæ in primo Principio retulimus, ordinantibus. Quo iure enim, (ſi ſana mente, quod credimus, procedebant,) de ſpiritualibus Sanctiones ediderunt, eodem & de ciuilibus ordinarũt; quòd ſi malo animo proceſſiſſent, qua neceſſitate fuere poſtea coacti, à ſanciẽdo circa merè ſpiritualia, ibidẽ cõtenta, deſiſtere: debuerunt etiã ab impedienda ciuili, & Politica adminiſtratione Eccleſiæ deſtitiſſe. Neque fuiſſet vmquàm poſſibile, omnes Chriſtianarum Nationum Imperatores, Reges, Principes, & laicas Poteſtates vnanimi conſpiratione, vt dictum eſt, in hac aſſerenda Eccleſiæ immunitate conueniſſe; niſi Ius diuinum in eorum cordibus id ſcriberet, diceret, inſpiraret.

TERTIVM ARGVMENTVM.

Contra totam Politiam Eccleſiaſticam.

AD calcem probationis primæ Concluſionis 2. Partis Tractatus huius, & alibi remiſimus argumentum difficile hoc loco diſſoluendum; quod eſt generale ad omnia, quæ de Eccleſiaſtica, & Iuriſdictione, & Immunitate, hucuſque, quaſi firmiſſima, diximus, conſedere. Arguere igitur ſic liceat, contra prædicta: Concluſionum præpoſitarum conſtante veritate, & ſtatu, ac ordine Eccleſiaſtico de Iure diuino immuni paſſiuè à Laicorum Principum iuriſdictione; eodemque ſtatu, ac ordine actiuè ſuperiore, ac iudice legitimo conſtituto, in omnibus Chriſtianorum cauſſis: nihil omninò videtur ab Eccleſiaſtico exceptum foro: vnde conſequens, ſeu neceſſe eſt, omnem ſecularium Principũ iuriſdictionem penitùs abſorberi. Quæ certè eſt grauiſsima difficultas: & à pijſsimo, & doctiſsimo Nauarro, dicto c. Nouit. de Iudic. optimè ponderata.

Itaque internam iuriſdictionem Eccleſiæ, eiuſque Prælatis eſſe attributam, facilè, ac ſine inuidia admittunt Principes: qua, communione, cõgreſſuque fidelium delinquentibus in materia congrua, interdicant: eos, videlicet, excommunicent: quod iuriſdictionis eſt: vt latè de Sent. excom. & ex l. Vlpiani 8. de Pœnis, habetur. Admittunt etiam ea, ſine quibus hæc

iuriſdictio nequit explicari: quæque neceſſariò comprehendit: qualia ſunt, rei vocatio, ſeu citatio; eiuſdem defenſio; & ſi oportuerit, & voluerit, inde ad aliud etiam Eccleſiaſticum maius tribunal prouocatio: qui ordo iudicij, etiam in hac interna iuriſdictione exercenda, neceſſarius eſt: ex Concilio Sardicenſi, & Carthaginenſi, & alijs apud Gratianum, 11. q. 3. Et tandem cauſſa eſt docenda legitima: vt habetur 2. q. 1. ex Iuſtiniano in Authentico, de Sanctiſsimis Epiſcopis: niſi interueniat contumacia: vt eodem loco ex Concilio Triburienſi demonſtratur. Hanc iuriſdictionē appellare etiam, externam, nihil vetat: nos eam, internam eſſe, dicimus: ea ratione, qua animos hominum, quaſi vinculis, adſtringit. [Omnis Chriſtianus,] dicit Auguſtinus, 11. q. 3. [qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur. Quomodo? quia, ſcilicet, extra Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus: ac per hoc quaſi diabolo traditur, qui de Eccleſiaſtica communione remouetur.]

Nec difficiles ſe præbent Catholici Principes, plures caſus Eccleſiaſticæ ciuili iuriſdictioni relinquendo: quos refert Nauarrus, ad c. Nouit. de Iudicijs. Notab. 3. num. 113. Attamen aſſerere, ſicuti nos mordicus & aſſeruimus, & aſſerimus, ex Euangelij diſpoſitione, Matth. c. 18. [Si peccauerit, &c.] omnes lites Chriſtianorum ad Iudices Eccleſiaſticos fuiſſe deferendas ita, vt peccatum, ſeu crimen, hanc iuriſdictionē illis tribuere videatur: adeo eſt difficile intellectu Principibus laicis, vt ſtatim colligant, hoc conceſſo, ad Eccleſiaſticum exterius forum omnia eſſe delicta pertrahenda, ſuaſque iuriſdictiones funditùs interire.

Molinæus vrget hoc argumēto: & eius euaſiones contra Politiā Eccleſiæ.

HOC argumentum fuit Molinæi, quaſi Achilles: quo Eccleſiæ poteſtatem, ac iuriſdictionem conuellere, ſibi poſſe perſuaſit. Premebatur certè primùm, expreſſo Euangelij textu, quem negare non poterat: licet illū detortè nimis voluerit explicare: quaſi non eſſet ibi ſermo, niſi de peccatis publicis: quod nullo modo ſubſiſtere poſſe, iam 2. Parte circa 1. Concl. dictum eſt. Deinde Conſtituta illa Theodoſij, & Caroli Magni, relata ſupra 2. Parte circa probationē 10. Concl. 2. fol. 125. quæ illa Epiſtola Innocentij III. ad Galliæ Epiſcopos, vnde c. Nouit. de Iudic. ſumptum fuit, etiam notat: vt ſiue actor, ſiue reus, poſſet, etiam alio inuito, & lite conteſtata, Iudice relicto laico, Epiſcopum adire: vt ſuo iudicio litem dirimeret: hæc, inquā, Conſtituta, hominem, aliàs ingenij acerrimi, valde conturbarunt: conſiderantem, illa veterem Epiſcoporum auctoritatem inſigniter demonſtrare: neque leuiter Imperatores tantos ad illud Epiſcoporum tribunal plurimùm ampliandum proceſſuros fuiſſe; niſi Eccleſia, & illius Sacerdotium Euangelica, quoad ſuam iuriſdictionem, maieſtate fuiſſent originaliter ampliata. Quocirca gratum lectori faciemus, ſi ad quas anguſtias res tanta Molinæum adegerit, ex ipſius

hac

hac formali reſponſione cognoſcamus.

Hoc factum eſſe,inquit,cùm Principes, etiam Franci, & Gallici nullū faciebant quæſtum de litibus ſubditorum:nec ſacroſanctam Iuriſdicundi adminiſtrationem quæſtui habebant; ſed debito oneri:nec aliud quærebatur, quàm vt lites, & earum occaſiones minuerentur: & ſubditi quambreuiſſimè,& minori ſumptu ſincerum ius obtinerent: quo etiam tempore ambitioſi, & indocti non fiebant Epiſcopi: ſed viri ſanctitate, doctrinæ, & vitæ conſpicui: quorum iudicio, (ſi eis vacabat) pacificari ſubditos, non ſolùm ſubditorum intererat, ſed Principum: qui ſic eatenùs commodè exonerabantur: nec periculum erat,quòd veteres illi Epiſcopi, hac occaſione,iuriſdictionem Principum ſibi vendicarent. Et paulò poſt: Et ſic ceſſante cauſſa legis, videlicet, Innocentia, Doctrina, & Fidelitate Epiſcoporum eius temporis, quibus tam Principes, quàm ſubditi tutò fidere poſſent, ceſſat lex.] huc uſq; Molinæus.

Contra euaſiones Molinæi.

HIC primò clariſſimè conſpicitur, quid ſit ἄνω ποταμῶν, ſeu contra torrentem niti: ecce quanta in paucis verbis cenſura digna, in homine, qui nedùm Epiſcoporum, verùm & Principum ſe Cenſorem iactitauit. Sacram ergo iuriſdictionem Epiſcoporum in laicos excidiſſe primò, ait, ex Principum quæſtu: cùm olim haud fuerit quæſtuoſa, ſed Principum munus,& officium.Et quidem primam huius aſſertionis partem difficilè probabit; cùm lucra ex iuris, & iuſti adminiſtratione, circa lites, & iurgia, antiquiſſima apud Principum, & Rerumpublicarum ditiones ſint: poſſentq; exempla, etiam inuidioſa,adduci contra litium antiquos comperendinatores, vipereumque ſibilantes aduocatos: quæ oſtenderent, quæſtus rationem numquam litibus, in foris ſecularibus, tractandis defuiſſe. Eſto tamen, alicubi quæſtuoſa non fuerit: ſed Principum munus,& officium haberetur:quid aliud ſecundò ſacrorum Miniſtrorum iuriſdictionem commendat magis, quàm eam à Principibus illis fuiſſe approbatam; qui eam,ſuum eſſe munus ,reputantes, haud meliùs ſuo functuros ſe munere credebant, quàm ſi eam exercendam Epiſcopis, ac Miniſtris Eccleſiaſticis reliquiſſent? Tertiò ingenuè, haud ab ingenuo teſte, ingenuam tamen in ſe ipſa confeſſionem excipimus, & veneramur:quòd,ſcilicet,quotieſcumque quærebatur,litibus, & earum iri obuiam occaſionibus, & ſubditos breuiter, paruo ſumptu, ſinceroque iure iudicari, id in Eccleſiaſticis Miniſtris fuiſſe omninò reperiendum. Hucuſque Principum antiquorum ſanam mentem fuiſſe narrat Molinęus,præſentium verò taxat auaritiam:qui,ſiue ſint,ſiue non ſint,Epiſcopi huius tempeſtatis tales, quales fuiſſe olim ſtatim ſubiungit: quæſtui tamen inhiantes,ab illis integram illam,quam habebant priùs,vel ſaltim, quam illis Theodoſius, & Carolus reliquerant, iuriſdictionem in

laicos abſtulerunt. Quo caſu, quid opus fuit ad inclinatam præſentium Epiſcoporum virtutem confugere? Quantumcumq; enim illa ſuis ſtaret numeris abſoluta, cupiditate intercedente Principum, exſtingueretur: hæc enim ſi regnet, potentior eſt, & res maiores in orbe demolitur: quanto magis iure, ſi quod erat illis ea in re, Epiſcopos ſpoliaret?

Attamen quartò, an mitiùs cum Epiſcopis agat, perluſtremus. Triplici eos inurit nota: ſcilicet, Innocentia, Doctrina, & Fidelitate defeciſſe: quæ ſupponit, legis exſtitiſſe cauſſam, eaque deficiente, vulgaribus id oſtendentibus iuribus, legem omninò ceſſaturam. Currit hic Molinæus, pluſquam diſcurrit: mouetur affectu, effectu non ſtat: rapitur oratione, ratione non fertur: quid enim opus eſt Innocentia Epiſcoporum? quid Doctrina? quid Fidelitate? Nihil enim eis ſuorum iurium tutum, nihil eis ſaluum foret, vbi quæſtu, & lucro res à Principibus ageretur. Deinde, integerrimis Epiſcopis aliquot, ex tanto eorum numero, exſiſtentibus, doctrinaq; & innocentia conſpicuis: cùm ratio in eis non ceſſaret legis, nec ipſa ceſſaret: niſi petulanter, ac procaciter tales eſſe hodie aliquos, immò multos Eccleſiæ Præſules negaretur. Quintò, iſthæc omnia inſanam eorum hominum redolent hæreſin, qui ſubiectionem, & obedientiam ijs Præfectis exhibendam aſſerunt tantùm, qui vitæ merito, ſanctitateq; pollerent: hæc enim interna ſunt, Deoq; ſoli cognita; neque parendi neceſſitas, efficiendiq; obligatio, quæ legitimi Præſides commendant, ab animorum puritate, ſed à ſuorum munerum naſcitur deſignatione: docente, & dicente Chriſto, etiam de Scribis, & Phariſæis Moyſis doctrinam exponentibus, cùm ab eius longiùs abeſſent exercitio: Matth. c. 23. [Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæ dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere.] Nam de Infidelitate Epiſcoporum, quod dicit cauſſam fuiſſe, quare adempta fuerit eis illa grandis iuriſdictio; periculo, ſcilicet, ſubeunte, ne reliquam etiam omnem ſibi vendicarent: fidem non reperiet apud prudentes: inermes enim Sacerdotes armatorum Principum numquam ditiones vi oppugnaſſent: ſicuti neque armati potentiaq; inſtructi eas hucuſque alicubi terrarum oppugnarunt. Ecce qua terra opplere, quo puluere voluit Molinæus, ſacram Eccleſiaſticam iuriſdictionem obſcurare.

PRIMVM EX XVIII. NOTANDIS.

ERGO pro huius rei declaratione, primò notandum eſt: Totius huius controuerſiæ caput eſſe, legem illam Chriſti, Matth. cap. 18. latam, & à nobis ſuperiùs expoſitam: 2. Parte, Concl. 1. ſcilicet: [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] Lex illa in hac potiſſimùm poteſtate ſpectanda eſt: quæ eum ſenſum facit, quem ibi diximus, quemque Innocentius III. dicto c. Nouit. de Iudicijs. conſtanter defendit; vt de peccato ſit

omni-

omninò Iudicum, ac Cenſorum Eccleſiæ iudicium; dicente Chriſto: [Si peccauerit,&c.] Diximus de peccato, vel certo, vel ab accuſante per errorem, vel malitiam, peccato reputato. Nullus igitur negare poteſt, Chriſtum Eccleſiæ de peccato decernere notionē, & iudicium: ait enim: [Si peccauerit,&c. dic Eccleſiæ.] Eò ecce res à nobis reducta, vt iam non cum perſonis, an ratio legis ceſſet in eis,ſit agendum: ſed ea ipſa ſit in ſe lex circumſpicienda; cui opponi, de dicta ratione ceſſante, non poteſt: vt cùm Chriſti Legiſlatoris iuſtitiæ, & æquitati nitatur, ab hominibus haud valeat reprehendi.

SECVNDVM NOTANDVM.

EST ſecundò notandum: Facilè nos admittere,in publicis, ſeu peruulgatis peccatis,nihil impedire, quem moneri priuatim;& ita de ipſis poſſe eum argui, adhibitis etiā teſtibus; & formula Euangelij ſeruata; quod & Hoſtienſis, & Felinus docent. Verè tamen non eſt neceſſaria: cùm neque teſte tunc, neque accuſatore ſit opus:vt iam oſtendimus. Vnde Paulus negotium hoc decidiſſe videtur:dum 1.ad Timoth. c. 5. ait: [Peccātes coram omnibus argue:]ideſt,[conuictos,]vt explicat Gloſſa: [vt ceteri timorem habeant;] docens publica publicè eſſe reprehendenda. At priuata priuatim arguenda, docent Ambroſius ad Caput 17. Lucæ, & Hieronymus ex ipſo Paulo 2. ad Theſſalonicenſes: ſic eos inſtruente: [Quod ſi quis nón obedit verbo nóſtro,per Epiſtolam hunc notate: & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur: & nolite quaſi inimicum exiſtimare: ſed corripite, vt fratrem.] Ecce diuerſæ reprehenſionis diuerſi fines: in priori,vt ceteri coerceantur,intendendum eſt; in poſteriori,ne quis ſuo vulgato ſcelere fiat impudens, & præfractus. Intelligi autem præcipua ratione in illo Euangelico textu, non ea flagitia, quæ peruulgata,ſeu notoria dicuntur; ſed quæ latent, explicuimus ſuperiùs,ex Auguſtino:quod & repetit ad Cap. Matth. 15. & apud Grat. 2.q. 1.ſic illum locum explicans: [Si peccauerit in te, ideſt, in te ſolùm ſcientem:] quod & Hieronymum, & Chryſoſtomum oſtendimus docuiſſe: neque hanc aliquis vmquam Doctor explicationem impugnauit.

Immò habemus eam ex Canone 79. Concilij Nicæni, ſic dicente: [Et quicumque ex Eccleſia aliquid indignum faciat; adhibebitur ei remedium,per exhortationem,& diligentem admonitionem;dum non eſt manifeſtum, quod facit: vt non perſeueret in eo, & diſcedat à via Sanctorū Dei, eorumq; conuerſatione; imponendaq; ei pœnitentia, prout conueniet. Quòd ſi pœnitentia, & exhortatione non emendetur, ſeparetur à communione fidelium,& abſcindatur, tamquam membrum putridum: ne contagio eius in reliquum corpus peruadat. Et qui non paruerit, Synodus eum excommunicat.] Hic Canon nihil aliud eſt certè, quàm expoſitio quædam verborum Chriſti: [Si peccauerit, &c.]

TERTIVM NOTANDVM.

TERTIO eſt notandum, Maximam inter Doctores Catholicos quæſtionem verſari, de quibus delictis loquatur Chriſtus Dominus: nam ſi de omnibus ſit eius ſermo, nihil erit, de quo non ſit ad Eccleſiam referendum; ſiue in criminali, ſiue in ciuili controuerſia ſit negotium peragendum: cùm omni iudiciali, & negotiali quæſtioni ſubſit iuſtum, vel iniuſtum; & peccatum verum, vel imaginatione comprehenſum. Nam ſi quis, vt de actione loquamur perſonali, ex aliquo contractu, vel quaſi contractu, maleficio, vel quaſi maleficio, ſit mihi obligatus, (qua ratione obligatio his contineri dicitur à Iuriſprudentibus, l. 1. de Actionibus, & obligationibus, & in Inſtit. Iuſtin.) num peccare videbitur in me, ſi non ſoluat? ſimiliter ille in quē actione, in rem, vel interdicto experiri poſſum; ſi rem quam vendico, vel poſſeſſionem non reſtituat, an non in me peccare dicam? Siue cùm etiam explicuerimus, illud peccatum genericè, ac in vniuerſum fore de ijs etiam, quæ contra Deū, & proximum perpetrantur, intelligendum; ſi illa etiam Eccleſiæ ſunt iudicio deferenda, quid ciuili iudicio relinquetur? Quòd ſi contra intelligamus, nihil horum Chriſtum complecti; quid ergo erit Eccleſiæ? quorſùm dici, vel quid dici Eccleſiæ à Chriſto imperatum eſt?.

QVARTVM NOTANDVM.

QVARTO eſt notandum, Doctores Canoniſtas huius legis Chriſti pondere hinc oppreſſos, & illinc Argumenti facti vi, abſolutam delictorum notionem Eccleſiæ negare: vt ſcilicet, per accuſationem proceditur: illam tamen certis in caſibus ei concedunt planè, & abſque vlla controuerſia. Sic Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Barbatius, Panormitanus, & alij multi cenſent, verbum hoc: [Si peccauerit, &c.] ad hæc tantùm pertinere: ad crimē ſuapte natura Eccleſiaſticum, vt Simoniam, Hæreſin, vſuras, nuptiarum cauſſas, iuſiurandum, pacem, publica delicta, & quibus præterea in rebus ciuile iudicium non datur; vt in obligatione naturali tantùm; ad cauſſas quoque calamitoſorum, miſerorum, & afflictæ fortunæ hominum; vt viduarum, pupillorum, inopumq́; ex ijs, quæ traduntur à Gratiano, d. 87.

Sed hæc omnia copioſiùs cum ſuis expreſſis textibus, refert Nauarr. ad c. Nouit. de iudicijs. Notab. 3. Argumēto poſito. n. 2. & reſoluit in eius ſolutione ſic. nu. 123. [Fatendum eſt poteſtatem Eccleſiaſticam in caſibus in eo relatis, & alijs, quos referunt in eo citati, cognoſcere inter laicos: eo quòd ea, de quibus cognoſcit, ſunt ſupernaturaliter inſtituta, vel reuelata: quales ſunt articuli fidei: & qualia ſacramenta, aut eis annexa: & ſacramentalia: & per legem Diuinam ſupernaturalem declarata, cùm eſſent obſcura, ſola lege naturali attenta; qualis eſt prohibitio vſurarū,

aut

aut ineſt eis aliquid ſupernaturaliter inſtitutum: quales ſunt perſonæ,& res Eccleſiaſticæ: aut cognitio illa eſt neceſſaria, vt aliqui conſequantur vitam æternam: aut ad tollenda impedimenta,illa conſequendi: qualis eſt gubernatio Imperij vacantis, & datio curatoris alicuius regis: & ſimilia.] Quæ ſequuntur apud Nauarrum,iam ad aliud genus rerum pertinent,ibi videantur.

A Doctoribus ergò ijs, qui ad hæc peccata, & ad res has circumſcribi volunt illam legem Chriſti, cuius rationem non docent, rogamus. Quis ampliſſimæ, ac vniuerſæ legis illius ſententiam cancellis illis circumſepſit? Deinde illæ diſtinctiones, ac ſubdiſtinctiones, potiùs caſuum confuſionem, quàm claritatem, innuunt: vt difficillimè inter Eccleſiaſticos, & laicos iudices, de illorum poſitiua, vel priuatiua cognitione, poſſit conuenire. Tertiò, hi caſus quanam via Eccleſiæ tuti, ac ſalui erunt? An, quia ei Chriſtus de iure Diuino, eos dicta lege conceſſit? an quia Principes ſic illos admiſerunt; vt potuiſſent etiam recuſare? an augeri, vel minui ad ſuam, ac ſuorum Conſiliariorum, & Miniſtrorum voluntatem poſſent? Nam ſi ex rerum, ac perſonarum ratione, ac circumſtantijs, viſum fuit ſemel,legis ſententiam hiſce vinculis adſtringere; illis, quod facillimum eſt,mutatis, rurſus oporteret,legem ſtrictiùs coarctare. Ac tandem, & à Principibus, & à Doctoribus inquirimus, cum Iſai.c.40. [Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes,& colles in ſtatera? Quis adijuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo inijt conſilium,& inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?] vt cùm illam ſanxit legem, ſic voluerit omninò,fuiſſe intelligendam, ſicuti dicti Doctores autumant, ne alias à iuris eorum prudentia deuiaret?

QVINTVM NOTANDVM.

QVINTO eſt notandum: Quod cùm aliqui Doctores Theologi, & Iuriſprudentes etiam teneant, hanc Eccleſiæ miram poteſtatem cœpiſſe à Chriſto paſſo, nempè à tempore, quo dixit Petro, Ioan. c.20. [Paſce oues meas:]& refertur c.Solitæ.de Maior.& obedientia.qui poſſent etiam adducere illud Matth.c.vlt.[Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.Euntes ergo, &c.] alij dicant ortum habuiſſe à tempore, quo Chriſtus dixit Petro, Matth.c.16.[Tibi dabo claues regni cælorum:] nos cùm hæc loca Euangelica partim iam ſupra tractauerimus; partim ſimus infra vberiùs tractaturi, 4.Parte: & ſciamus, ijs optimè probari, Eccleſiæ, ac eius ſummi Pontificis poteſtatem;nihilominus horum Auctorum ſenſui nihil repugnantes, etiam noſtrum proponimus, cùm Doctoribus alijs, approbandum.

Digitized by Google

Is ergo eſt, illam Chriſti legem, Matth. c. 18. toties à nobis repetitam, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fortiſſimum, ac firmiſſimum feciſſe fundamentum: vt qui eam impugnant, ſicuti impius Molinæus, impugnans iniquè, ac traducens Innocentium III. qui dicto c. Nouit. de iudicijs. ei, inter alia, innitebatur: legẽ illam oppugnare videantur, ad quam tuendam adiunxit Chriſtus Dominus, ſtatim ab eius ſanctione, admirabilem illam poteſtatem, qua nulla alia vnquàm hominibus continget maior: firmiſſimũq; illud excommunicationis Eccleſiaſticæ præſidium, quod innititur ijs verbis; ex receptiſſima ſanctorum Patrum, & Doctorum interpretatione; immò ab ipſis Hæreticis non negata: [Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos: vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.] Quæ lex, niſi de accuſationibus ſuper flagitijs, peccatis, delictiſue quibuſcumq; ſiue in nos, ſiue in proximum, ſiue, quod eſt maius, in Deum, loqueretur commiſſis, haud tam firmo fundamento ſancti Patres, & vniuerſa Eccleſia, eiuſdem poteſtatem in excommunicandis rebellibus, & accuſatis ſontibus, collegiſſent.

SEXTVM NOTANDVM.

NOTANDVM eſt ſextò Philoſophos antiquos multa de differendi arte, multa de rebus naturalibus, earumq; cauſſis, de Diuinis etiam non pauca, & diſputaſſe, & conſcripſiſſe; nam ingenioſè, quidam eruditè: quin etiam de ea Philoſophiæ parte, quæ ad mores pertinet, ſiue Ethicen, ſiue OEconomicen, ſiue Politicen ſpectemus, plurima litteris prodidiſſe. Legum latores præterea priſcos ſtatutis, decretis, ac ſanctionibus pluribus Reſpublicas ornaſſe, inſtituiſſe, ac gubernaſſe; ſic verò hæc, vt tam Philoſophi, quàm Legumlatores omnes virtutem nobis, tãquam egregium quoddam caput, oculis tamen orbum deſignarint. Cùm enim Charitas, & Humilitas virtutis veluti oculi ſint, quibus ſublatis, omnis eius ſplendor extinguitur; alteram illi, ſcilicet, Charitatem ne, per ſomnum quidem, quod dicitur, vnquam conſpexerunt: hinc omninò caruerunt vinculo perfectionis: alteram, ſcilicet, Humilitatem è virtutum numero ſemper expungendam, atque inter vitia cenſuerunt collocandam: vnde totius ſtudioſæ actionis abſolutum ædificium, eius fundamento ſublato, deturbarunt. Et hoc eſt, quod Auguſtinus in illis meritò deſiderabat, lib. 7. Confeſſ. c. 20: cùm ſe ex Platonicorum librorum lectione Charitatem, & Humilitatem diſcere, negaret, potuiſſe. Hoc & cap. ſequenti latè proſequitur: & à nobis nunc inducitur, qui ſenius mo-

mores, 3. Principij huius Tractatus, vbi differentiam inter leges Ciuiles, ac legem Chriſtianam notabamus.

Ergo quid amplius hæc Chriſtiana Reſpublica ceteris, ſeu antiquitùs celebratis, ſeu in poſterum celebrandis, habeat: quia parte earum, ac Regnorũ, Principatuum, Imperiorum emineat legibus, ſcitis, decretis, ſtatutis, ſanctionibus, ſi conſideremus; legis Chriſtianæ Charitatem, ac Humilitatem ſtatim inſpiciemus: & hiſce virtutibus ſuam Politiam omnem contineri videntes, oportet, illam quibuſcumque alijs legibus præponamus. Charitas Verbum æternum fieri hominem in tempore fecit: dicente ipſo, Ioan. c. 3. [Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitũ daret.] Quod & 1. Epiſt. c. 3. & 4. latiùs repetitur ab ipſo Ioanne: accinente Apoſtolo, ad Rom. c. 5. & ad Epheſ. c. 2. & alibi ſæpè. Et qui Charitate ſua ſola motus, ad tantam ſe demiſit Humilitatem, vt morte Crucis, humillimo patiendi genere, conſummaretur: nihil aliud ſæpiùs, nihil enixiùs, nihil diligentiùs hominibus, quàm Charitatem, per Euangelij latitudinem, commendauit. [Finis præcepti,] dixit Apoſtolus, 1. ad Tim. c. 1. [eſt Charitas:] τέλος, perfectio, etiã explicatur. Finis enim ac legis Chriſtianę perfectio vnico Charitatis nexu, exercitio, & vinculo terminatur. Nouerat hoc optimè Ioãnes Euãgeliſta, ſuis diſcipulis Charitatem, vſque ad illorum etiã nauſeam, prædicando: hoc adhibito pharmaco, vt eam quaſi repetitam Crambem, guſtu exciperent placido, facilibuſq; auribus eamdem iteratam ſæpiùs doctrinam auſcultarent: quòd præceptum Domini, Charitas in proximum, eſſet: quo adimpleto, ſubdidit Paulus, ad Rom. cap. 13. legem ſuis integrè partibus adimpletam.

Fuit igitur, quod optamus, maximè animaduerti ab Eccleſiaſticis omnibus, ratio ea præfixa Chriſto Domino, eiuſq; diſcipulis Petro, & Iudę, qui, ſua Canonica, dominationem ſpernentes taxat, & Apoſtolo Paulo, qui doctrinam hanc in tertio hauſit cælo: vt, videlicet, ſeculares ſecularium cauſſæ Chriſtianorum, quatenùs ſunt Chriſtiani, in Eccleſia per Eccleſiaſticos Miniſtros, vel ab eis deſignatos iudices, decernerétur: vt Charitas inter eos vigeret, nutriretur amor, ſeruaret dilectio, conſpiceretur Humilitas, flagitium tolleretur.

Charitatem Chriſtus, & eius Apoſtoli Chriſtianæ Politiæ inſtitutores, in Chriſtiano actore poſtulant: vt reum primò conueniat amicè ſuper delicto in ſe admiſſo, Chriſtianam ab eo ſatisfactionem exſpectando. Charitatem adhuc ab eo expetunt: dum vnum, vel duos adhiberi ſecum ſtatuunt; quò teſtibus additis, à conuicto reo, Arbitris cum illis confundentibus, aliàs ſatisfactio negata poſſit obtineri. Charitatem & vlteriùs ab illo exigunt, dum ad Præfectum Eccleſiaſticum rem totam iubent, ab eo deduci: vt non tantùm Ethnicis legibus, ſiue aliàs Ciuilibus, quãtùm ex legis Chriſtianę ęquo, & bono, ius & fas dicto actori tribuatur. Humilitatem commendant reo: dum, quia damnum intul

vel iniuriam fecit, volunt, abſque ſua iniuria, à læſa parte ſecretò conueniri, corripi, & admoneri. Humilitatem docent illum: dum argui teſtibus deberi volunt, & vnius, vel duorum ſui dedecus facinoris demonſtrātium ſtare verbo. Humilitatem illi exponunt vberiùs exercendam: dum Præfecti Eccleſiaſtici iudicio, vt obediat, præcipiunt: ni velit à communione fidelium extorris, ipſi Dæmoni præda factus, quaſi alter Cain profugus peruagare. Humilitatem contra actori præ oculis ponunt: dum iniuſtum paſſum, cum iniuſtè agente, mitiſſimò ſe gerere modo conſtituunt, vt conditionis humanæ, miſeræ, ſcilicet, ac talibus ſubiectæ accidentibus, memor, non tumore præſentis ſui iuris, ſed timore ſimilis futuri caſus, eamdem benignitatem impendat peccanti fratri, quam ſibi peccanti ab eo optaret exhiberi. Charitatem ſimul obtendunt reo: dum quam ipſe, iniquè agendo, diſcidit, cum fœnore reportat: quando ſiue actor, ſiue Pneumatici, vel ſpirituales, & ſapientes ab eo Arbitri inducti, ſiue Eccleſiaſtici Præfecti, ſeu iudices, non malum pro malo illi, quod ſupra dicebamus ex Auguſtino, reddentes: ſed iræ locum dantes, cum ad mutuam cum fratre charitatem, primò omnium procurant, conciliandam, reuocare.

SEPTIMVM NOTANDVM.

SEPTIMO notandum eſt: quo pacto hæc omnia, quæ theoricè dicta ſunt, in praxi vera reperiantur: ex locis & ſuperiùs adductis, & modo, quia id rei poſtulat ratio, repetendis. Clemens Epiſtola illa 1. ſæpè citata, refert, ſibi Petrum præcepiſſe: vt lites laicorum Diaconis, immò laicis ab eis inſtituendis, dirimendas committeret; propter neceſſitatem; ne laici apud infideles diſceptarent; quod eſt in Chriſtianam religionem contumelioſum; & ne Epiſcopus in ijs occuparetur, cuius cura, & ſolicitudo eſſent, Dei verbo prædicando, meliùs reſeruanda. Non commiſit etiam hoc Presbyteris, ſed Diaconis; vt puderet laicos ire ad Ethnicos iudices; cùm ſcirent eſſe in Eccleſia infra Epiſcopos, immò infra Presbyteros, qui poſſent, & noſcerent ſapienter cauſſas de diſſidijs, ac rebus ſecularibus iudicare. Sic docuit Paulus, 1. ad Corinth. cap. 6. vt πρὸς ἐντροπὴν, quo eius verbo vtamur, ideſt, vt [ad verecundiam,] illis dicens, eos, videlicet, rubore ſuffundens, à iudicijs Ethnicorum adeundis retraheret, dixit: [Secularia igitur negotia ſi habueritis; contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?]

Pertinent & huc, quæ ſuperiùs retulimus, ex Clemente libr. 2. Conſtit. Apoſtolic. c. 45. & 46. de iudicandis cauſſis ſecularibus in Eccleſia; eadem ſunt enim cum ijs, quæ Paulus illo loco docuit. Ex eiuſdem tamen

men dicta Epiſtola 1. notanda ſunt illa verba, ſcilicet: [Qui lites habent fratres, ne à Poteſtatibus mundi iudicentur: (has enim vocat ἐξουσίας) ſed à Presbyteris Eccleſiæ ad concordiam adducantur: eiſque omninò promptè pareāt.] Vbi Clemens prohibet fidelibus, contendere apud infideles iudices, ac, ne eorum iudicia, propter imperitiam legum ſecularium, adeant: iubet Presbyteris, non quidem, vt ſeculares cauſſas laicorum, tamquam ciuium forenſes iudices cognoſcant, & iudicent; ſed potiùs tamquā ij, ad quos pertineat præire laicis Chriſtianis, veluti Charitatis, & Humilitatis duces: vt hi illos ſequantur, & ad Deū, ex illorū arbitrio, iudicio, æquo, & bono, prolato ſe cōuertāt, & à peccatis deſiſtant, ac flagitijs, & ſceleribus perpetrandis: quod eſt officij ſacerdotalis propriū, vt ex Dionyſio Areopagita lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 9. poteſt intelligi, cùm de Melchiſedec dicit, cur in Scriptura vocatus ſit Sacerdos, idem Rex exſiſtens: vt qui vtroque, ſcilicet, munere, & Regis, quo ad populū, & Sacerdotis, quo ad Deum, inſignis eſſet: vt regiminis Ciuilis negotia, quæ temporalium naturam rerum habent, ab æterno fine, cui adipiſcendo inſeruit Sacerdotium, ſciamus, haud eſſe ſuperanda.

Immo ipſe Clemens c. eo citato ex 2. lib. Conſt. Apoſtol. clariùs ſe ipſum explicuit: cùm enim c. 46. dixiſſet: [Ne igitur diſceptationes veſtras Gentiles cognoſcant:] ſequenti deinceps c. 47. ait: [Fiant iudicia veſtra ſecunda Feria: vt ſi fuerit diſceſſum à ſententia: (deſt, ſi non paruerint promptè, vt in Epiſtola dixerat,) poſſitis liberè vſque ad ſabbatum ſedare controuerſiam: & pacificare diſceptantes in diem Dominicum.] Quod proximo ſuperiori capite dixerat: συμβιβάζειν εἰς φιλίαν; quo verbo συμβιβάζειν vſus eſt idem Clemens in eo loco Epiſtolæ nunc recitato: quod non eſt eorum, qui propriè modo ſecularium iudicijs præſunt; vt reddant tantùm vnicuique ius ſuum, nihil præterea ad eos ſpectet, vt diſceptantes à peccatis reuocent: ſed magis eorum, qui ideo tamquam feciales quidem legati, Chriſti præſunt huiuſmodi iudicio: vt omnem curam, ac diligentiam in primis adhibeant, quo ad concordiam, & pacem res omnis, ne peccent fratres, adducatur.

Verbum enim hoc συμβιβάζειν ſuum fecerunt tigniarij, ſiue fabrilignarij, qui duo ligna συμβιβάζουσι, cum illa inter ſe committendo, aptandoq́. coire faciunt, Vulgo *incaſtrare*, Hiſpanè *encaxar*. Vnde ſumitur pro cōpingere, & coagmentare, accōmodare, & ad cohærentiam adducere. Sic loquutus fuit Paulus de Chriſto Eccleſiæ capite, ad Coloſſen. cap. 2. [Ex quo totum corpus, per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.] ideſt, per commiſſuras, & compages, ſuppeditatum: & συμβιβαζόμενον, coagmentatum, ſeu compactum, augeſcit augmento Dei. Et ad Epheſ. c. 4. [Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo, per omnia, qui eſt caput Chriſtus; ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iuncturā ſubminiſtra-

tionis,ſecundùm operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri,augmentum corporis facit in ædificationem ſui, in charitate.] ideſt, ex quo totum corpus,conuenienter,congruenterque *συμβιβαζόμενον*, coagmentatùm,& compactum,ſiue commiſſum, &c.Inde tranſlatè *συμβιβάζειν*, (vt coagmentari pacem dixit Cicero,)ſignificat conciliare,& ad amicitiam, fœduſque adducere.

Hæc fuit mens Anacleti Papæ Epiſt. 1. item & Carthaginen. Concilij 3.c.9.quæ ſupra Parte 2.citauimus dũ ſecularia negotia abEccleſiaſtico tribunali voluere,ſacerdotali iudicio,terminari:Chriſti Domini primò, & Pauli doctrinæ inſiſtentes; qui priuatorum cauſſas Eccleſijs deferri iuſſit. Quibus locis,tam Anacleti,quàm Concilij Carthaginenſis,priuatorum cauſſas,ideſt laicorum,oportet, intelligamus: laici enim in genere ſunt priuati homines reſpectu Clericorum: qui cum ſint Eccleſiæ miniſtri,vel dignitates,vti communes,& publici homines reputantur. De quo videnda Gloſſ.diſt.4.c.Deniq;.verbo ipſo.

Habemus ex ijs tamdem Chriſti Domini, & Apoſtolorum eius finem, & intentum fuiſſe, ad Charitatem omnia inter Chriſtianos reducere, & Charitatis vnicam erigere Categoriam:vbi omnes eorum actiones locarentur; Charitati creandæ,fundandæ,radicandæ,augendæ,conſeruandæque incumbere; vt corpus illud,quod myſticum repræſentauit Apoſtolus, ad Coloſſenſes,& Epheſios,cuius caput eſt Chriſtus, cor vnum, & vnam tantùm habens animam, ex innumeris Chriſtianorum, & animabus, & corporibus reſultaret. Neque rem impoſſibilem, dum hoc & deſiderarũt, & iniunxerũt Reipublicæ Chriſtianę,eius inſtitutor Chriſtus & eius operis vicarij Apoſtoli animo conceperunt: cùm initio Eccleſiæ naſcentis, referat Lucas, Act.c.4 multitudinis credentium, cor vnum,& vnam animam exſtitiſſe. O mirum Chriſtianæ Reipublicæ ædificium! Eccleſiaſticis Præfectis tremendum, Principibus ſecularibus adorandum! *Quis* enim vmquam hoc genus iudicandi inter laicos Chriſtianos,tamquam de vita æterna,vel morte,vt ait Clemens ibidẽ, (ſiquidem agitur de peccato ad mortẽ tollendo,) ad poteſtatem Gentium,ſiue ad quamcumque Ciuilẽ poteſtatem laicorum Principum, qua Ciuilis eſt, pertinere dixerit? Quis velle *τὸ συμβιβάζειν εἰς φιλίαν*: ideſt, conciliare, ſeu pacificare diſſidentes,ſpectare vmquam putauit ad illud, quod de Gentibus dixit Chriſtus Dominus in Euangelio, Matth. ſcilicet, c. 20. & Marc. c. 10. [Principes Gentium dominantur eorum:& qui maiores ſunt,poteſtatem exercent inter eos.] *κατακυριεύουσι* enim, & *κατεξουσιάζουσι*, exercere poteſtatem contra eos,ſiue in eos dominari ſignificant: & hæc eſt vis illius præpoſitionis *κατὰ*, locis illis,vt ſupra etiam aduertebamus. Sed cùm hæc doctrina ſit quaſi communis & Euangelij,& illius Enarratorum conceptio, vidend. diſt. 90. per totam,& maximè illud ex Concil. Carthaginen.4. cap. [Studendum eſt Epiſcopis,vt diſſidentes fratres,ſiue Cleri-

cos, ſiue laicos ad pacem magis, quàm ad iudicium coerceant.] & ibi Gloſſa omnino videnda.

Legantur igitur ſacri Codices: Euangelia ſancta relegantur: Apoſtolorum euoluantur ſcripta, & inſpiciantur acta: ſuorum diſcipulorum primitiua illa millies repetantur Decreta: & Conciliorum, ſummorũque Pontificum Conſtituta ab Eccleſiæ exordio, ad noſtra vſque tempora, inquirantur: plenæ reperientur paginæ, quibus Imperatoribus, Regibus, Principibus, iubentur Chriſtiani, etiam Ethnicis, honorem, timorẽ, tributum, vectigal, & ſimilia deferre: attamen vbi Ciuilis poteſtas in Chriſtianos, qua Chriſtiani ſunt, illis immediatè attribuatur, inueniẽt nullibi; quia Ciuilis poteſtas, quatenùs Ciuilis, Charitatem illam neque habet, neque pro fundamento profitetur: quam voluit Chriſtus in ſua Republica, omnibus Chriſtianis eiuſdem incolis, in ſuorum operum actionibus, prælucere: & in ſuis quibuſcumque diſcordijs, litibus, & quæſtionibus, per Prælatos Eccleſiaſticos, miniſtrari: cùm, ex rei natura, Chriſtianus, qua Chriſtianus eſt, ſupernaturaliter Eccleſiaſticæ poteſtati ſubijciatur.

OCTAVVM NOTANDVM.

HINC eſt breuiter notandum octauò, quare Chriſtus Dominus, cùm illam tulit legem, qua huius iuriſdictionis iecit fundamentũ, dicens. [Si peccauerit in te, &c.] nõ dixit, [Si te audierit,] tibi de iniuria, vel læſione, ſeu quocumque errore in te admiſſo, fiet, per illum fratrem, ſatisfactio: ſed dixit: [Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.] Erat ſcitum hoc, Chriſtique Conſtitutum, Charitatis lex: de Charitate primò cogitauit: & qui iuſtitiæ potuiſſet, in illa gradatione, ac procedendi iuridica forma, primas deferre, detulit Charitati: quia voluit, vt præcipuè curaret frater de peccato, in fratre lædente, tollendo: & id maximè curarent Arbitri, vt à peccato, & errore, illũ ad Charitatis inducerent rectam viam: & eũ vltimò Iudices haberent principalem, & eximium ſcopum, vt pacem inter fratres diſcordantes conciliarent, ac coagmentarẽt. Nã in cæteris, quis vmquã negabit, illa via à Chriſto propalata, illa ab eo forma iudiciorũ præſcripta, etiam iuſtitiæ, quò læſæ fieret ſatis parti, ſuas fuiſſe partes aſſeruatas? Optimè hic illud Pauli, 1. ad Timoth. c. 1. dici poteſt: [Finis præcepti eſt Charitas:] ideſt, præcipuus huius præcepti ſcopus, Charitatis fuit inter Chriſtianos conſeruatio.

Hinc notanda clauſula ſuam Canonicam Epiſtolam concluſit Iacobus Apoſtolus, illuſtri Commentario hunc Euangelij locum explicans: (vnde in Biblijs Vulgatis ad marginẽ in eo loco, cũ hoc Matth. c. 18. concordantia citatur:) ſic dicens, [Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum; ſcire debet, quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte: & operit mul-

titudinem peccatorum.] Ecce Iacobus, ſaluatorem animæ fratris appellat eum,qui iuxta Chriſti doctrinam,& dictum,fratrem ſuum lucratur: vt fratrem lucrari , & fratrem ſaluare,idem ſint: neque mirum fiat, Apoſtolum, 1.ad Corinth.c.3.Chriſtianos, Dei adiutores nuncupaſſe : immo ad Coloſſ.c.2.hoc reſpectu,& ſimilibus,difficillimum illud aliâs Axioma [Adimpleo ea,quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius,quod eſt Eccleſia:]protuliſſe.

Et hanc præfatam ſanctionis Euangelicæ mentem fuiſſe , docuit clarè Photius Conſtantinopolitanus Patriarcha,in illius loci Scholio.Poſtquã enim Chriſtus Dominus reos egit auctores ſcandalorum, quique in fratrem peccant: ſermonem conuertit ad eos,qui ſe putant iniuria affectos ab illis: perindeque eſt,ait Photius,ac ſi diceret: [Ne concidas animo, neue peccatum proximi in te commiſſum,damnum putes: potes enim illud in magnum lucrum vertere : ſcilicet,ſi adieris eum,qui in te peccauit,oſtenderiſque ei peccatum, & reipſa coargueris: plerique enim,cùm peccant, excæcati,non vident turpitudinem facti: poſtea verò pulſa cæcitate,vident: qui exiguam occaſionem nacti , omninò corrigunt , quod commiſerunt.Tu verò,quamuis ille ſit duriuſculus, & ad emendationem difficilior,ne continuò negligas ire ad eum; immò ſemel , & iterùm , & tertiò adi ; eumque ad emendationem prouoca:magnum enim lucrum feceris,ſi fratris tui liberator exſtiteris.] hactenùs Photius.

Cuius in Scholio illa verba ſunt maximè notanda,ſcilicet,[eum reipſa coargueris:] item, & illa: [corrigunt,quod commiſerunt:] item illa : [ad emendationem difficilior :] tamdem illa: [ad emendationem prouoca.Nam eſto,peccatum fratris fuerit furto pretioſam ſupellectilem à fratre ſurripuiſſe: ſuppoſita ſuperiùs allata hac certiſſima Auguſtini regula :[Non dimittitur peccatum,niſi reſtituatur ablatum:] quomodo re ipſa frater coargueretur ? quomodo corrigeret , quod commiſerat ? quomodo illum ad emendationem difficiliorem,ac contumacem, frater adhuc ad emendationem prouocaret: niſi in omnibus his actionibus , ea ſubeſſet charitas , quæ reſtitutionem ablatæ ſupellectilis neceſſariò includeret:vt iuſtitia etiam ſuum locum conſequeretur ? Sed quia finis legis Chriſtianæ,eiuſque præceptorum eſt charitas, vt habemus ex Apoſtolo, per charitatis terminos loquutus fuit Chriſtus : ijſdem vſi ſunt Apoſtoli:ijſdem & Patres,ac ſanctorũ Codicum Enarratores. Chriſtus dixit,[Lucratus eris fratrem tuum:]Iacobus ſcripſit:[Saluabit animam eius à morte.] Photius explicuit, [Lucrum feceris , ſi fratris tui liberator exſtiteris.] Chriſtus docuit Petrũ de numero remiſſionis culparum, ac peccatorum:[Non dico tibi ſepties,ſed vſque ſeptuagies ſepties.] Iacobus dixit , [Operit multitudinem peccatorum :] Photius commentatur,[Quamuis ille ſit difficilior ad emẽdationem,ne continuò negligas ire ad eum : immò ſemel,& iterùm,& tertiò adi:&c.]& de vno , eodemq;

deli-

delicto agebat,cùm ſi ageret de pluribus, haud finito numero neceſſitatem,fratrem adeundi,comprehendere voluiſſet. Quæ omnia charitatem ſpirant,charitatem loquuntur,charitatem clamãt:qua ſemel inter fratres conſtituta, iuſtitiæ, in ſatisfaciendo iniurijs, neceſſarij ſunt dubio procùl omnes actus ſucceſſuri.

NONVM NOTANDVM.

NONO eſt notandum; Quòd cùm Chriſtiani primò Ieroſolymis, vt ex Apoſtolorum Actis cap. 4. & 9. conſtat ad illorum pedes omnia conferrent: nec quicquam cuiuſquam proprium eſſet, etiam litibus eos carere, neceſſum erat: neque iniuriæ, vel maleficij cauſſa, adeundus erat iudex: cùm bonorum communioni maior animorum accederet vnio: ingenti illo, ac numeroſo Chriſtianorum corpore, quaſi eſſet corpus naturale vnum, vno corde, & anima vnica, ſuſtentato. Et hæc quidem fuit huius nouæ Reipublicæ plantatio; quæ cùm latiſſimè deinceps diffunderetur, ac vbique terrarum propagaretur: ſolùm collegium Clericorum, vt infra vberiùs deducemus, communes fortunas habuit: ipſis enim & decimæ, & primitiæ, ipſis ſtipes, Chriſtianorumque dabantur oblationes: ab ipſis, tamquàm Reipublicæ totius Chriſtianæ Rectoribus, in eos vſus, quos infra referemus, inſumendas.

Hinc inter Clericos, de rei vindicatione, nulla lis, ſcelera fortaſſe erant aliqua: inter laicos verò, ab vtroque capite, variæ accidebant diſceptationes: quæ omnes illa ipſa Chriſti ſanctione, [Si peccauerit, &c.] iudicio Eccleſiæ ſedabantur. Ethnico verò tribunali vndique erat aditus intercluſus: niſi Chriſtiani in ius ab Ethnicis vocarentur: tunc enim neceſſe erat eis parere: vt Paulum quoque, & Petrum, & omnes viros ſanctos vi magis, quàm vltrò legimus feciſſe. Immo Paulo commodum, ſeu neceſſarium fuit viſum, Cæſarem appellare, Act. c. 25. Nec Chriſtus ipſe ab Ethnicis improbis, ac impijs iudicibus, & ab eis decreto ſupplicio euaſit: cùm tamen per ſe ipſe iure liber exſiſteret. Quæ omnia cùm originalibus illis Chriſtianis eſſent notiſſima, & vſu, & praxi recepta, iuſtiſſimè Paulus Corinthios, vt ſępius vidimus, increpabat, quòd iudicio inuicem coram infidis contenderent cenſoribus, & iudicibus: iubetque, pro ſuis negotijs Chriſtianum iudicem conſtituere. Vnde reſtat clarum, omne iudicium Chriſtianorum fuiſſe Eccleſiaſticorum Præfectorum, vel iudicum, quos vel Eccleſia, eiuſue Prælati nominaſſent.

DECIMVM NOTANDVM.

EST decimo notandum: In hoc Eccleſiaſtico iudicio cruentam non fuiſſe pœnam, nec ſanguinis imperium; ſed quaſi relegatio, vel deportatio, & capitis diminutio, excommunicatio ſuccedebat; per quam ciuitas Chriſtiana amittebatur; & à ſocietate, & fidelium communione

rebellis, ac inobediens Chriſtianus pellebatur. Hoc fuit Chriſti ſtatutum dicentis: [Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.] Cui & alia annectebatur animi, ac corporis pœna; cùm Sathanæ tradebatur, viſibiliter affligendus; quæ ex alijs ipſius legis verbis fuit ſumpta: cùm dixit Chriſtus: [Quicquid ligaueritis, &c.] Horũ omnium illuſtris, ſicuti curioſus, ac verax teſtis eſt Tertullianus, qui, Hieronymo Auctore, floruit anno Chriſti ducenteſimo decimo, & ante Imperatores Chriſtianos annis centum. Hic ergo in Apologetico cap. 39. mores, & ritus Reipublicæ ſic deſcripſit Chriſtianæ: [Certè, inquit, fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus denſamus; ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura Diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur.] Hucuſque Tertullianus.

De qua re Conſtantinus cognomento Apoſcholaſtichòn, ante hos mille annos, ſcripſit in prooemio Collectionis Canonum Apoſtolorum, & Synodorum, quos tempore Iuſtiniani in quinquaginta capita diſtribuit. [Diſcipuli, inquit, Chriſti, ijdemque Apoſtoli, quin etiam, qui ei ſucceſſerunt, & Eccleſiæ ſanctæ Epiſcopi, & Doctores fuerunt, quibus multitudinem Gentium, ac Iudæorum fallacia, & tyrannide Diaboli liberatam, & ad Regem, ac Dominum gloriæ recto animo, & fide conuerſam, Spiritus ſanctus, ſanctè regendam, commiſit; non ſunt arbitrati decere; vt qui peccarent, verberibus afficerentur, vt ciuiles leges faciunt: hoc enim valde ſtultum eſſe videbatur, ac nimis indecorum. Immo potius ſtudebant, vt quampromptiſſimè periculis ſe pro eis obijcerent; retrò regreſſos reuocarent; errantes adhuc, & à recta deflexos via, ſine mora corrigerẽt; in profundum præcipitatos omnibus modis extrahere curarent. Qui verò iam putreſcerent, ac valde ægrotarent, ſapienter gladio ſpiritus abſcinderent; confractos, & viribus defectos quibuſdam blãdis pharmacis, & vinculis rationalibus alligarent, & eis priſtinam valetudinem, Diuina gratia, & Spiritu ſancto adiuuante, reſtituerent.

VNDECIMVM NOTANDVM.

VNDECIMO eſt notandum: Quòd ad Clericos, ac ſtatum Eccleſiaſticum ſpectat, illorum ſolùm Epiſcopum iudicem ſemper exſtitiſſe; hoc teſtante Paulo ad Timoth. 1. c. 5. dum ſic illum inſtruit: [Aduerſùs Preſbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.] Laicis ab Epiſcopo iudex aſſignabatur: vt ex Epiſtola eiuſdem Pauli 1. ad Corinth. habemus, ſuperius à Clemente, & Anacleto, in ſuis Epiſtolis, explicata. Ex quo conſtat, Epiſcopos huius Chri-

ſtia-

ſtianæ Reipublicæ Principes fuiſſe,& eius regendæ, dirigendæ,& conſer uandæ habenas tenuiſſe. At, quia res tanti ponderis Moyſis præiudicato exemplo,in plures erat humeros diſpertienda; habebat Epiſcopus felicioris gubernationis cauſſa,quaſi duo Magiſtratuum genera: vnum erat Presbyterorum,qui veluti illius conſiliarij,& aſſeſſores, Reipublicæque ſenatores,iuxta nomen ſuum,maximis,ac ſummis rebus operam dabat: [Qui benè præſunt Presbyteri,] dixit Paulus ad Timotheū, loco relato: [duplici digni honore habeātur;]ideſt,ex Eccleſiaſticis bonis dupla portione: [maximè qui laborant in verbo,& in doctrina.] Quibus duabus rebus,vt ipſi Philoſophi Gentiles adnotabant,nihil maius,nihil poterat præſtabilius reperiri. Alterum genus erat iudicum, apud quos Chriſtiani diſceptabant: qui & ab Epiſcopo creabantur, & illi parebant. Vnde clarè perſpicitur,quòd omnis hæc iuriſdictionis poteſtas Epiſcopi ſolius erat;ſiquidem ipſi ligandi,ipſi ſoluendi facultas erat contributa; nemo alius id efficere poterat,præter Epiſcopi voluntatem; cùm id à Chriſto omnibus,ſine diſcrimine,non fuerit conceſſum: ſed Apoſtolis, quorum in locum ſoli Epiſcopi ſucceſſerunt.

Erat ergo neceſſarium,vt iudicio horum ſecularium Magiſtratuum, in cauſſis ſecularibus,Epiſcopus præeſſet ſententiarum pronunciationibus; vt quicumque non pareret, gladio ignis, ſic enim Anathema Clemens vocauerat,feriretur. Nihil enim prodeſſet iudicare laicos ſecularia,ſi nō fuiſſet, qui cogere poſſet ad parendum:quod tunc fiebat,quādo Epiſcopus, durum,& contumacem Chriſtianum, ſententiæ non obſequentem, ab ſpirituali conſortio ceterorum ablegabat. Non poterat tū aliud Eccleſia; nec grauiori ſupplicio ſub Ethnicis Imperatoribus aliquem afficere:neque aut illi,aut ſui Magiſtratus id eſſent paſſi: immò in Chriſtianos iudices,quaſi in ſicarios animaduertiſſent; qui ſine imperio mero,vel mixto,& nulla publica auctoritate,& poteſtate,id ſibi arrogarent;ignorantes,hanc Rempublicam à maiore,æterno,videlicet, Principe conſtitutam. Prædicto igitur modo Epiſcopus cum ſecularibus Magiſtratibus,ſecularia negotia iudicabat: quia non poſſent aliter Cenſores illi in ſuo iudicio exhibere,vt nunc loquuntur iuſtitiæ complementum; neque actores, ſiue litigantes quicumque obtinere ius ſuum; ex quo fieret,vt facilè in peccato remanerent,qui parere nolentes iudicio, nulla pœna ad id compellerētur: quod à Canonum Doctoribus dici ſolet,propter defectum, vel impotentiam: cùm tamen eò maximè totius illius Politiæ finis collimaret, vt malum auferre poſſet, ac efficaci medio, ne quis in peccato vſque ad mortem perſiſteret, prouideret.

XII. NOTANDVM.

DVODECIMO eſt notandum; Non propter prædicta eſſe exiſtimandum,Eccleſiam non habuiſſe gladij poteſtatem; licet Impe-

Digitized by Google

ratorum illorum,ac Principum metu, ea non vteretur. Hæc enim poteſtas Ciuilis, ſeu Politica eſt; quod eſt dictu,omnes homines iure in vnum cœtum ſociatos, per ſeipſos illam habere: eſt enim naturalis,& neceſſaria;ſine qua nulla populorum congregatio,aut ſocietas eſſe poteſt: ſed cum illa,& ex illa,quaſi propria quędam affectio,& proprietas,ex eſſentia rei,quod dicunt Philoſophi,naſcitur,& emanat.Nam niſi ſint,qui improbos coërceant,flagitioſos cohibeant, refrenent inſolentes,quique defendant ab iniuria bonos,vbi ſocietas conſiſtet? Eſt autem gladij poteſtas,ex ſententia legis tertiæ Vlpiani,de Iuriſdictione omnium Iudicum, nihil aliud quàm, Præfectura gladium habens, ad animaduertendum in homines ſcelere contaminatos; ideſt,Præfecti ſunt ipſi,tuendis bonis, cõprimendiſque facinoroſis, deſignati.

Hoc idem ſcripſit Paulus ad Romanos,c. 13. cùm Ethnicorum etiam patienter iniunxit Chriſtianis imperium ferre: dicens de Poteſtatibus; [Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote,non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:] ideſt,non ſolùm, quòd metuendi eſſent,qui conſtituti ſint à Deo miniſtri contra flagitioſos; ſed etiam ob conſcientiam, quòd malè agendum non ſit; id enim tum fuit conſcientia.Siue vt Chryſoſtomus ibi explicat,dicens:[Itaque etiamſi inobedientem nulla ira cõſequeretur; ſic quoque tamen te ſubijci oportebat, ne conſcientia carere videreris:atque erga beneficum ingratus.] Similiter Petrus 1. cap. 2. docuit,Duces Regum miſſos[ad vindictam malefactorum,laudem verò bonorum.]Vnde hæc præfectura non poteſt non eſſe laudabilis, & commendatione digna in omni hominum congreſſu, etiam latronum, etiam pyratarum:ſi inter eos vlciſcendi ſcelera ratio aliqua haberetur. Præfecturam iſtam habent populi,& ciuitates,quæ defectione imperium legitimi Principis diſruperũt;eam habent tyranni, qui prouincias, ciuitates,ditiones propriorum Dominorum occuparunt; hanc habere putantur Principes,Turca,Sophus, Scytha, Tartarus, &, Chriſtiani nominis perfidiores hoſtes;qua ſi carerent,in nullum hominem iuſtè animaduerterent, ſed iniuſtè, ſceleratiſſimi ab eis damnati, punirentur.

Poteſtatem verò hanc, & naturali lege conſtare, & Gentium Ciuiliq; iuri inniti,ea fortiſſima ratione probatur; ſcilicet, quòd præceptum de non occidendo homine,iuris naturalis Diuini ſit; ex cap. 4. Geneſ. Exod. c. 20. & Matth. c. 26. at à lege Diuina nemo poteſt caſum aliquẽ excipere; niſi Deus ipſe legis Auctor;quia illud verè eſt diſpenſare in lege naturali,& Diuina; quod fieri nequit ab homine: vt habetur apud Theologos Doctores, ſuper 37. d. 3. Sentent. & S. Thomam, 1. 2. q. 100. ar. 8. ad 3. Gloſſ. 1. memorabilem in Summa. diſtin. 5. Innocentium,communiter receptum, c. Quæ in Eccleſiarum. de Conſtit. Ergo ſi quæ eſt lex, quæ in aliquo caſu permittat,vel iubeat,occidere hominem ſontem, oportet illam legem eſſe, ſiue Diuinam, ſiue naturalem, ſiue Ciuilem, ſeu Gentiũ

legem iuſtam: ſed poteſtas iſta, de qua loquimur, in præfatis,& ſimilibus hominum Congregationibus, extendit ſe vſque ad hominis occiſionem incluſiuè, etiam ab Apoſtolis Petro, & Paulo commendatam; qui laudant gladij poteſtatem, id eſt, præfecturam,& Præfectos gladio vtentes, [ad vindictam malefactorum.] Ergo à Deo, ſiue à legis naturalis emanat principio; quaſi paſſio, affectio, ſeu proprietas ipſi hominum ſociato congreſſui naturalis.

Cùm verò Chriſtiana Reſpublica fuerit à Deo legitimè erecta, non caruit profectò hac Ciuili, ſimul atque inſtituta fuit, poteſtate: neque ſi coitiones hominum illę, quas retulimus, ſuam ſecum Politicã, attulerunt, & afferunt, quaſi naturali ex conſequio, poteſtatem, Chriſtiana tot Gentium communio illius erit expers æſtimanda. Quid expers? Propria eſt, germana, ac genuina hæc Eccleſiæ aſſignata Ciuilis facultas, ex eius eſſentia fluit; habent ſiquidem naturalia, habent moralia, habent & ſimiliter ſupernaturalia ſuas affectiones, & proprietates, vt ſupra innuimus, quibus carere non poſſunt. Hac poteſtate vti valet Eccleſiaſtica Congregatio, quotieſcumque res poſtulat; neque cùm ea vtitur, tunc talis poteſtas extrinſecùs accedit: ſed accedit actus, ſiue vſus: vt cùm ridet, qui eſt rationis particeps, & ſimul ad ridendum aptus. Tantùm igitur abeſt, vt ab Imperatoribus, vel Principibus Chriſtianis hæc fuerit poteſtas profecta, Eccleſiæq; communicata; vt ante Chriſtianos quoſcũque Principes illam habuerit; vti ſuæ coæuam natiuitati, ac erectioni: quare ab Imperatoribus, ac Principibus Chriſtianis eripi poſtea non potuit; neque iure aliquo hac ſponſali dote Eccleſiam potuerunt ſpoliare.

XIII. NOTANDVM.

TERTIODECIMO notandum eſt; Quòd neque inde colligimus, ſuccedente Republica Chriſtiana, cum ſua hac legitima ciuili poteſtate, Ethnicorum fuiſſe ciuilem extinctam poteſtatem; aut certè Turcarum, & Barbarorum nulla nunc Politica poteſtas haberetur; immò Chriſtiani in coercendis, ac caſtigandis Chriſtianorum delictis, capitali, vel cruento ſupplicio, illa Ciuili Ethnicorum poteſtate vtebãtur; vel cùm Ciuili in cauſſa, obedientia iniurij deficiebat fratris, fratri læſo licebat, illum fratrem ad vlteriorem, ex legum apicibus, Gentilium Ciuilem poteſtatem deferre iudicandum; quod Concilium Antiochenum cum Paulo Samoſateno egiſſe, iam ſupra retulimus. Et fortaſſe nihil intererat, à quocumque flagitia punirentur; cùm Chriſtiani, à ſuæ poteſtatis, etiam gladij exſerendi, eſſent exercitijs impediti. Cui malo vt iretur obuiam, & ne intelligerent Chriſtiani ſontes, flagitiorum à ſe commiſſorum, liberè pœnas debitas euaſuros, ſi monita, & ſupplicia, cũ quibus ab Eccleſia contra eos procedebatur, ſpiritualis ſuæ portionis obliti, minus obtemperarent; conſultiſſimè ab Eccleſia prouiſum fuit.

Et quidem Pius Pontifex, Epiſt. 2. Decretali. ſimiles homines, cùm expreſsè de Clericis diſpoſuit, Curiæ ſeculari tradi præcepit. Erat enim memor, Chriſtum Dominum, Matth. c. 5. lege Euangelij, quæ ſpiritualis eſt, iuſſiſſe; [iuſtitiam noſtram abundare, pluſquam Scribarum, & Phariſæorum;] quod Paulus, 1. ad Timoth. c. 1. interpretatus eſt, [ſuperabũdaſſe gratiam Domini noſtri I E S V Chriſti, cum fide & dilectione;] & item ad Hebræos, c. 10. [hanc legem non operari iam iram, vt illa vetus, quam qui irritam faciebat, ſine vlla miſeratione, duobus, vel tribus teſtibus moriebatur; [immò diuerſa ratione in futurum ſeculum iudicium mortis reſeruaſſe: nihil interim expreſsè in hoc ſanciendo, metu capitalis pœnæ: cùm nihil niſi propter fidem, & dilectionẽ, iubeat, aut vetet. Vnde Apoſtolus Epiſcopo, ſeu Presbytero, non eſſe percuſſorem expreſsè præcepit. Meminerat tamen, ex eo, quòd Chriſtus, vt habetur, lib. 6. de Conſtit. Apoſt. liberam reliquerat voluntatem Chriſtianorum, non præſenti, eademque breui morte mulctans Euangelicæ legis tranſgreſſores: ſed reijciens negotium in altero ſeculo iudicandum: non idcircò Poteſtates ſeculi fruſtra aduersùs, vel Clericos, vel in vniuerſum Chriſtianos omnes, gladium portare: quia vt docetur Conſtitut. Apoſtolica, libro earum 2. apud Clementem, c. 34. [Poteſtatis ſeculi eſt, præeſſe corporibus cuſtodiendis, & ad cuſtodiam corporum pacem, ac bellum ſuſcipere.] Hinc cùm Clericus reus mortis erat, Curię tradebatur; ideſt, Poteſtati ſeculari, vt pro Eccleſia cum eo bellum ſuſciperet: quod fiebat, cùm ab eo, iuxta delicti menſuram, pœnas exigebat; quod hodie in praxi ab Eccleſia etiam obſeruatur. Igitur & ex Euangelio, & ex Apoſtolorum traditione, quæ omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem in Chriſtiana Republica fieri præceperunt, habemus eas cauſſas, quæ poteſtatem gladij requirebant, ne delicta Chriſtianorum remanerent impunita, vnde ferociores indies fieri poſſent, Eccleſiæ gladio, cuius exerendi, quatenùs Reſpublica legitimè inſtituta erat, habebat poteſtatẽ, Principum Ethnicorum potentia, & legis Chriſtianæ, qua laborabant, ignorantia, intercepto, per ipſos ſaltem Ethnicos Principes, voluiſſe caſtigari.

Pro qua doctrina legendus eſt omninò Canon Apoſtolorum. 27. prohibens, [ne Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus fideles, propter peccatum, aut infideles, propter iniuriam verberarent; alioqui gradu mouerentur; non enim (inquiunt) Dominus hoc docuit, quin potius cùm percuteretur, non repercutiebat; cùm pateretur non comminabatur.] Quem Canonem ſequuta fuit Antiochena Synodus annis quinque poſt Nicænam celebrata: innouans enim ferè eiſdem verbis Canonis Apoſtolorum 32. ſententiam, in eum Presbyterum, qui Epiſcopo pio, & fideli alioqui contempto, per ambitionem, & tyrannidem, aliud altare, contra Epiſcopum erigeret; ſi vocatus ab Epiſcopo ſemel, iterùm, & tertiò pa-

rere

rere nollet, & gradu motus tumultus adhuc,& turbas in Eccleſia cieret; iubet Synodus Canone 5.vt, per ciuilem Poteſtatem, quam Pius Pontifex more, & vſu Romano, vocauit Curiam, corrigatur.

Citauit vtrumque Canonem, & Apoſtolorum, & Synodi Antiochenæ Synodus Conſtantinopolitana,quam retulimus 2.Parte,initio probationis 1.Concl.dum in extrema parte Canonis ſui Noni, in eos,qui Canonem Apoſtolorum malè interpretabantur: quaſi prohibuiſſet quidem Presbyteris, ne alios propter peccatum ſuis manibus verberarent; ſed non, ne iuberent ab alio verberari: ſic ſtatuit: [Si qui verò fuerint, qui neque monitis, neque ſupplicijs Eccleſiaſticis corrigi voluerint, nemo hos per Magiſtratus loci corrigi prohibuerit, ſiquidem Synodus Antiochena, Canone 5.ſanxit, vt qui ſeditiones in Eccleſia mouerent, manu externa, ideſt, per ciuilem Poteſtatem corrigerentur.] Non ignoramus hanc Conſtantinopolitanam Synodum,vtpote ſub impio quodam Patriarcha Photio habitam illegitimam eſſe reputatam, quantumcũq; Theodorus Balſamon, citando ex eo quoſdam Canones,ſanctam,& OEcumenicam nominarit: immò Gratianus, 7.q.1. c.Temporis. & c.Hoc nequaquam. eamdem etiam Synodum formaliter diſponentem, ibidem citauerit. Attamen hoc ſaltim certum eſt 383. Epiſcopos, in illa Synodo prædictæ ſententiæ fuiſſe, aſſerendo,ſe eam ab antiquitate, & præcipuè ex Concilio illo Antiocheno deſumpſiſſe. Iam verò certum eſt,Synodum Antiochenam legitimam, cuius Canoni dicti Epiſcopi inhærentes,illud decreuerunt, de incorrigibili Presbytero ſanxiſſe, vt Poteſtati ciuili traderetur: quaſi quòd ex traditione Canonica Apoſtolorum dimanaret, quæ Epiſcopis prohibet verberare. Ex quo conſequens certiſſimum eſt, primitiuam Eccleſiam idem,in omnibus omnium Chriſtianorum criminibus, quæ gladio, pœnaq; cruenta indigerent,obſeruaſſe. De quo Part.2.ſupra actum eſt, loco modo citato.

Totius tamen huius Notandi confirmationem, niſi fallimur,Apoſtolus Paulus, 1.ad Corinth c.6. ſupra fuſiùs explicato, manifeſtè præſtat. Nam primò optabat, nulla iudicia inter Chriſtianos exerceri: cùm dicit: [Iam quidem omninò delictum eſt in vobis, quòd iudicia habeatis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis,& fraudatis: & hoc fratribus?] Quo loco,ſicuti quando ſcripſit ad Romanos,c.12. [Non voſmetipſos defendentes, Chariſſimi: ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus:] enarrationem fecit Apoſtolus Euangelicæ illius doctrinæ, Matth.c.5.& Luc.c.6. [Audiſtis, quia dictum eſt, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo:ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuã, præbe ei alteram; & ei qui vult tecũ in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere,dimitte ei & pallium.]Hanc Chriſti, & Apoſto-

li doctrinam replicauit Clemens ſupra ex Conſtitutionibus Apoſtolicis citatus: vt quæ primò omnium Chriſtianis, pro Charitatis conſeruatione ſit replicanda.

Pergit tamen Apoſtolus, arguere Corinthios ex conceſſione; ac, quid illo Chriſti conſilio non excepto, litibus, diſſenſionibus, iudicijs, & eorũ occaſione, alijs accidentibus, gerendum inter Chriſtianos vniuersè ſit, demonſtrare. Hoc autem erat vt iudicia fratrum inter fratres tractarentur. Ergo ex ſuppoſitione, talis eſt Pauli Propoſitio: & Apoſtolica lex: [Secularia iudicia per Chriſtianos adminiſtrantor.] Et quia excipere poſſent Corinthij: Quid ſi fratres iuris ignorent Ciuilis diſciplinam? ſequitur Paulus legis ſuæ Apoſtolicæ conditionem: ſeu nouam apponere legẽ, ſcilicet: [Contemptibiles Chriſtiani,] ideſt, qui neque iuris ſcientia pollent, neque vlla in æſtimatione habentur; Ethnicis quibuſcũque prætermiſſis, fratribus Iuridicundo præficiuntor.] Hæc vltima legis pars, ſeu noua lex, eſt ab Apoſtolo inducta conſultò Corinthiorum tacitę obuiãs exceptioni: nam de priori ab illis neglecta, quaſi iam ipſis edicta & nota conqueritur; eos audaciæ, ob eam rationem, incuſando.

Sequitur quaſi nouæ legis, ſeu eius partis apud Apoſtolum correctio: cùm dicit: [Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum?] Eſt ſenſus; ſi non ſuppeteret frater intelligens iudicij inter vos, pro veſtris diſcordijs, ſeu negotijs adminiſtrator; cùm hucuſq; non inſtituerim, aut expreſſerim, etiam inferiores, ſeu fratres viliores iudicijs edicendis, eſſe præ Ethnicis, omninò ſufficientes, admitto vos nihil egiſſe inſolens; iuſtitiam apud Infideles iudices, de fratribus, vobis fieri poſtulantes. Ne enim delicta remaneant impunita, & vt ſuum ius vnicuiq; tribueretur: iudice competenti Chriſtiano non habito, quin iudex infidelis adiretur, haud prohibuiſſem. Colligimus ex his, ad rem noſtram: Deficiente iuſtitiæ adminiſtratione ex parte cauſſæ efficientis, iudice, ſcilicet, ſapiente, apud Corinthios, & Chriſtianos admitteret Paulus, iudicem adiri Ethnicum: Ergo deficiente iuſtitiæ exſequutione ex parte effectus, adire Ethnicum iudicem non vetaret: Ergo ſua illa lege, qua Chriſtianis forum ſeculare Gẽtilium adire prohibuit, haud iuriſdictionem voluit Principum ſecularium tam neceſſariam in mundo violare. Immò conſequenter ad ea, quæ dicta ſunt habemus ex Apoſtolica doctrina, Euangelicæ illius ſæpiùs citatæ: [Si peccauerit in te, &c.] confirmationem; fratres Chriſtianos monitis, arbitrijs, præceptis, ſententijs, ac tamdem ſupplicijs ſpiritualibus Eccleſiæ non emendatos, quin à fratribus læſis, actione ſuæ reſtitutionis, ſeu iniuriæ apud competentes alios Magiſtratus accuſarentur, prohibitum in Eccleſia nõ fuiſſe. Ad hoc facit mirè doctrina illa S. Iſidori ſupra adducta, ex Gratiano, 23. q. 5. Principes.

Voluiſſe autem Paulum Apoſtolum, Euangelio, quod à Chriſto de cæ-

lis

lis acceperat, ſibi præeunte, vt quamdiu à Chriſtianis, neque innocentes defendi, neque nocentes poterant caſtigari; quòd ab ipſis iuris, & iuſti præſtari non poterat, per ciuiles, etiam Ethnicos, Magiſtratus præſtaretur. Idem nos admonuit: cùm de eis, ad Romanos, c. 13. ſcripſit: [Nō ſine cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malè agit.] Hinc illis tributa pendere, & parere adeò ſolicitè Chriſtianis omnibus commendauit. Hanc obedientiam, quæ non præſtita, à primæuis illis Chriſtianis, ipſis adhuc Principibus Ethnicis, eos ſcandalizaret: vt, immorigeros, ex hominibus ciuilibus, immò ſicarios, lege Euangelica, eos effectos eſſe, proclamarent; tum maximè elucebat; dum crimine à Chriſtiano commiſſo, quod pœna capitis, aut alio quopiam graui ſupplicio eſſet plectendum; Ethnicorum Curiæ tradebatur. Qua enim ratione, lex Chriſtiana, totius iuſtitiæ ſpeculum, & exemplar, carere voluiſſet ea vtilitate, quæ ex correctione per leges Ciuiles, ac Poteſtatem, etiam Ethnicorum, percipiebatur; vt ſui profeſſores, ad bene viuendum, & à delinquendo ceſſarent, incitarentur? Et hac ratione vſus fuit Cyrillus in Iulianum ſcribens Apoſtatam, Chriſtianis, quòd Romanorum vterentur legibus, exprobranti. Quod priùs docuerat Calixtus I. Pontifex, Epiſtola 2. Decretali, hiſce verbis: [Quis enim dubitat, leges humanas, rationi, & honeſtati non repugnantes, eſſe amplectendas: præſertím vbi vel publicæ conſulunt vtilitati, vel Eccleſiaſticæ dignitatis auctoritatem defendunt, ac pro adminiculo tuentur?]

Hoc tamē vnū reſtat hic à nobis explicandū, quid eſſet factum: ſi, exēpli gratia, dū Petrus, & Paulus Apoſtoli Romæ ſacrū Euangelium prædicarunt; à cuius fontibus hanc Eccleſiæ poteſtatem Ciuilem, diximus, emanare, illud protinùs Imperator Claudius, & vniuerſus S. P. Q. R. ſuſcepiſſet, illud Nero, cum Romano eodem populo, & ſequentes Imperatores acceptaſſent? Cùm enim Chriſti IESV, eiuſq; Euangelij ſit quaſi Gentilitium inſigne: [Non eripit mortalia, Qui regna dat cæleſtia;] quid eſſet circa Politicæ huius adminiſtrationis rationem inter Apoſtolos, & Imperatores geſtum? & qualiter hoc merum Eccleſiæ imperium explicarent? Neque aliud reſpondendum videtur: quàm quòd Apoſtoli Chriſti IESV Romanis Imperatoribus, ac eorum miniſtris, & Magiſtratibus exponerent: legem Euangelicam leges omnes Ciuiles perficere, earumq; fas & ius eatenùs æſtimandum, quatenùs ab illius nō exorbitant iure: iuxta Concluſionem vnicam, 1. Parte à nobis aſſignatā. Adderent deinde: finem legis pręfatę eò excellentiorem fini legum Ciuilium; quò illa ad æternam, illhæc ad temporalem hominum tendant pacem fundandam, & conſouendam: iuxta quod 3. Principio à nobis fuit inductum. Subiungerent præterea: legem Euangelicam docere ſuos profeſſores, inter mundanas eorum diſſenſiones, vel per iniuriarum cōdonationem, vel per conuenientem ſeipſis actoribus, reis, arbitris, & iudi-

cibus ſatisfactionem, eas conſopire: vel Arbitris quibuſdam bonis viris cōſopiendas permittere; vel tādem Epiſcopis, ac Prælatis Eccleſiaſticis, ex iuſtitia, & charitate, abſq; illo ſtrepitu, & figura iudicij, cōmittere dirimēdas: iuxta Chriſti præſcriptū illud: [Si peccauerit in te, &c.] Adiungerent vlteriùs, & ſimilem agendi modum circa delicta in proximum, vel in Deum commiſſa: iuxta prædicta Parte 2. circa Concil. 1. explicationem: tamdem præſcriberent hoc certum Principium: Eccleſiam, hanc habere internam à Chriſto poteſtatem, per ſuos exercendam Prælatos, vt de Chriſtianorum omnium delictis, ac peccatis cognoſcat, nè in illis ad mortem vſque perſeuerent. Docerent etiam illos, Eccleſiam habere de iure Diuino, de cauſſis Eccleſiaſticorū iudicare, priuatiuè ad ſeculares Principes; explicantes illis luculētiſſimè ſeriem Euangelij, ac Chriſti eius Auctoris mentem, tam in terris, quàm in cælis à Petro, & Paulo hauſtam, & expreſſam. Hoc ſuppoſito, dicti Imperatores, eorumq; Magiſtratus abſque dubio, & Eccleſiaſticum tribunal, quò ad Eccleſiaſticas perſonas, primò omnium venerarentur, protegerent, & conſeruarent: deinde, eas leges, quas Conſtantinus, Arcadius, & Honorius, Theodoſius, & Carolus Magnus ediderunt, quas ſupra retulimus, ipſi priores edidiſſent. Et tamdem Eccleſiaſticum forum, exemplum facti totius mundi alijs Principibus, in ea, quam hodie habet in Hiſpanijs maieſtate, ſub Catholicorum Regum protectione, immò fortaſſe in maiori, ac grādiori auctoritate, conſeruaſſent.

Ex his omnibus eſt ſatis exploratum, Ciuilem omnem iuriſdictionem in Eccleſia fuiſſe, eoque iure vſos Chriſtianos ſemper præter eam, quam merum imperium Iureconſulti appellant: ideſt, gladij poteſtatem; quæ, accidente caſu, erat præpedita. Quod imperium, ſi gerere potuiſſent, geſſiſſent profectò, non minus, quam illi Chriſtiani nunc, qui ſub Turcæ ſunt ditionibus; ſi potentiores euaſiſſent. Sed cùm æquum ſit, flagitiorum eſſe pœnas, & iuſtos, ac bonos defendi, à quocumque id fieret, primitiui Chriſtiani, quaſi minus referret, non curabant: immò vt quietam, & tranquillam vitam degerent, tributa pendi, & vectigalia præſtari, Principibus iubebat Paulus; & orationibus, obſecrationibus, poſtulationibus, & gratiarum actionibus, pro eorum ſalute fundendis, Chriſtianos diſtineri. Quid tamen foret, ſi Paulus à vi, & gladio, meroque Ethnicorum imperio, omnique punitione cruenta, Chriſtianos eximere potuiſſet? Exemiſſet certè: vt à ciuili alia iuriſdictione, dum eorum foro fidelibus prohibuit; hoc namque poterat, illud minimè: vt enim ait illa priori ad Corinthios relata Epiſtola: indignum eſt, vt vos, qui Angelos iudicabitis, quibus omnia parebunt, ab impio, ab inſido, quaſi cane rabido, iudicemini. Oculis tamen lynceis Paulus inſpiciebat, ne quid officeret Euangelij propagationi; cuius cauſſa, faciliores alias res, cùm tamen poſſet, vt ipſe teſtatur alicubi, haud exſequutioni demandabat.

XIV.

XIV. NOTANDVM.

QVARTODECIMO notandum eſt, Imperatoribus poſtea Chriſtianiſmo imbutis, non ſimul & ſemel, Eccleſiaſticam hanc Politicam, Ciuilemue poteſtatem, in nouam fuiſſe formam commutatam. Non fuit vnum genus Magiſtratuum continuò, ex Ethnicis, & Chriſtianis iudicibus conflatum; immò annis octoginta poſt Magnum Conſtantinum, qui res Chriſtianorum ipſe Chriſtianus miro ſtudio auxit, Theodoſio item Magno imperante, Symmachus Ethnicus fuit Præfectus Prætorio Vrbis Romę; vt ex eius intelligitur Epiſtolis; qui ad Paganiſmum, qui iam ferè ſepultus erat, ſuſcitandum: curauit Valentinianum Imperatorem commouere. In quem Ambroſius, lib. 5. Epiſtolarum ſcripſit. Prohibuerant quidem edicto Conſtantinus primò, deinde eius filius Cõſtantius, ſacrificijs Ethnicis, Idolis, templis, ac omni Gentili ritu: vt docent lex 2. de Paganis. in Codice Theodoſiano, & lex 1. de Paganis. in Cod. Iuſtiniani. & ibi habetur pluribus alijs legibus: id ipſum à Gratiano, Valentiniano, Theodoſio, & tandem ab Arcadio, & Honorio factum eſſe cognoſcitur: & Concilia Imperatores, vt ita conſtituerent, hortabantur: vt Carthaginenſe Concilium V. poſtremo Capite. Nondum tamen Paganiſmus conciderat, quod ex Concilio Africano, c. 27. intelligitur: ſed Imperatores, ſicuti Iudæos, ſic & Paganos ſinebant, & à Theodoſio lege 6. in eo ipſo Iuſtiniani Codice fuit ſancitum, ne Pagani à Chriſtianis læderentur.

Exſtincto verò iam, ſenſimq; diſſuto, conſumptoq; Paganiſmo, (fuit enim poſtea crimen publicum, vt lege poſtrema ibidem Leone Imperatore, perſpicitur:) vnus tum fuit omnium Magiſtratuum laicorum ſtatus; neque iam, ſi quis frater Chriſtianus eorum ſententiæ non obtemperaret, haud erat neceſſaria Epiſcopi auctoritas, ac cenſura Diuina; cùm eſſet Princeps, qui cogeret, vel apparitoris ſeueritate, vel ſupplicio, vel ijs modis, qui referuntur in iure Cæſareo, de Iuriſdictionibus. de Re iudicata, & exſequutione. quiq; erant antea Paganiſmi: nam ius etiam Ciuile Digeſtorum, Paganorum fuit, & Codicis Iuſtiniani bona pars. Optimus enim Reipublicæ Romanæ ſtatus, ſicuti conſilio, prudentia, & æquitate, ſic amplitudine, ſplendore, & gloria omnem Ethnicum regiminis modum, qui aliàs fuit vmquam, ſuperauit. Id etiam factum fuiſſe, non ſine Diuino conſilio, adnotauit Cyrillus in Iulianum ſcribẽs Apoſtatam: vt Reſpublica Chriſtiana commodiùs dilataretur; quò, vt poſtea ſumus dicturi, Principum plurium inter ſe diſſidentium æmulatio, Euangelij non obſtaret promulgationi: ſed faciliùs ad Gentes, ſub vnius Imperatoris Romani contentas Imperio, penetraret.

Effecit itaque prudentia Iuris Ethnica Romana, vt Chriſtiani Imperatores, populi, prouinciæ, & nationes eam retinerent; illis demptis,

quæ Epiſcoporum diſciplinæ, Chriſtianæq; Reipublicæ moribus repugnarent: in reliquis, videtur in illis legibus, vt de Tutelis, de Contractibus, & alijs multis, ipſa Chriſtiana pietas relucere. Atque vt Imperatoribus illis, potentiſſimis aliàs, principiò Paganiſmum ferre, fuit neceſſarium: ſic & ſanctiſſimis aliàs Epiſcopis nonnulla à lege deuiantia Euangelica: ſicuti vſuras, Iuſtiniani etiam ætate; quæ omnia temporis proceſſu, Chriſtiana pietate, ac doctrina ſeſe in Gentium cordibus inſinuante, ac fidente, fuere in formam congruentem, ac debitam reſtituta.

Quando igitur non fuit iam opus adire Epiſcopos, contra illos laicos, qui Magiſtratuum Chriſtianorum dicto non eſſent obedientes, Imperatorum, Regum, ac Principum ea fuit præcipua cura, vt non tantùm iuriſdictionis huius negotia, ſed grauiorum etiam caſuum Reipubl. cæ momenta, & ad ſumma in eis ferenda Decreta, cum Epiſcopis, & Preſbyteris, ſicuti cum laicis primarijs Senatoribus conſultarent: cùm antea in maximis etiam Reipub. Chriſtianæ periculis, ac diſcriminibus, veluti tyrannorum Ethnicorum, vel ferenda, vel vitanda immanitate, rei totius clauum Epiſcopi tenerent. Immò in præſentem diem hinc Epiſcopi, vt apud Hiſpanos, Regum à conſilio, & ſunt, & nuncupantur. Quamobrem iam deinceps Epiſcopi ab illis antiquis curis vacui omnibus, & à grauiſſimo Iuriſdicundi, quod eminenter gerebant, munere, ac à reali præſentia in iudicijs aſſiſtendi, onere liberi, potuere diligentiùs, deuotiùs, & attentiùs Diuinis rebus, cum Presbyteris, ac Clericis dare operam, ac cæleſtia, duplicato cum fœnore temporis, meditari. Quo nouo, atq; inſolito otio fruẽtes, ſicuti olim Apoſtoli cum effectu dixerunt: [Nõ eſt ęquũ nos derelinquere verbũ Dei, & miniſtrare mẽſis:] Act. c. 6. ſic & Epiſcopi ſentiebant: Non eſſe bonũ, cæleſtibus, id eſt, potioribus occupationibus prætermiſſis, litium enodandis, vel calumnijs, vel anfractibus miniſtrare. Hinc Auguſtini, & aliorum, quæ ſupra retulimus ſanctorum Epiſcoporum ſuſpiria, ex rerum temporalium, ciuiliumq; negotiorum iudiciali inter laicos exercitio, quibus Deus nondum fecerat otia illa toties exoptata.

Iudicarũt ergo iam poſtea Magiſtratus Imperatorum, Regum, & Principũ illos ipſos laicos, quos antea Epiſcoporum Magiſtratus, ſeu ab eis cenſores, ac iudices conſtituti iudicabant: niſi cùm de religionis præceptionibus, ac cauſſis controuerſia naſceretur. [Quoties,] inquiunt Arcadius, & Honorius (l. priori de Religione in Codice Theodoſiano:) [de religione agitur, Epiſcopos conuenit agitare: ceteras verò cauſſas, quæ ad ordinarios Cognitores, vel ad vſum publicum pertinẽt, legibus oportet audiri.] Quicquid igitur religioni Chriſtianæ repugnabat, ad Epiſcopi iudicium deferebatur: & cùm multa repugnarent, multa quoque eius erant: cauſſæ quoque viduarum, pupillorum, & inopum: quod ex multis Concilijs, tum ex Carthaginenſi V. c. 9. & refertur 23. q. 3. explo-

ratum

ratum eſt.[Ab vniuerſis, inquit, Imperatoribus, viſum eſt poſtulandum, propter afflictionem pauperum, (quorum moleſtijs ſine intermiſsione fatigatur Eccleſia:) vt Defenſores eis aduerſus potentias diuitum, cum Epiſcoporum prouiſione, deligantur.]

XV. NOTANDVM.

EST quintodecimo notandum; Eccleſiaſticorum cauſſas omnes, Eccleſiaſtico ſemper foro iudicandas remanſiſſe; quod aliter fieri nequiuit: cùm hæc iuriſdictio de Iure diuino per ipſos adminiſtranda Clericos, fuerit à Chriſto inſtituta, erecta, & ordinata; neque potuiſſet Eccleſiaſticus ſtatus, ea ſe, etiam ſi voluiſſet, abdicare. Vt enim Clericorum inſtitutor, & probator eſt Epiſcopus, ita fuit ſemper, eſſeque debet iudex, & cenſor: neque hæc iuriſdictio potuit eſſe Imperatorum, Regum, aut Principum, cùm Magiſtratuum Epiſcoporum, eam ſolùm in Chriſtianos ſubditos iuriſdictionem nacti fuerint; ſeu ad ſe tranſtulerint, ſeu conſeruauerint, quæ ſolùm laicos, in negotijs laicorum, pertingebat. Huic veritati præſtat primò irrefragabile argumentum, Imperatores, ſcilicet, ac Reges, cæteroſque Principes, qui Euãgelicæ colla ſubmiſerunt diſciplinæ, cùm ad iuriſdictionis actum, & exercitium inter ipſos, & Epiſcopos deuentum fuit, Eccleſiaſticum forum, Eccleſiaſticis ſemper intactum, ac illibatum reſeruaſſe. Eſt quidem iuriſdicundi, hominéſque, ſub hac ratione, morigeros efficiendi, quo Reſpublica conſtet, Principibus innatus quidam zelus, vt numquam paſſi fuiſſent, tantam Clericorum multitudinem à ſuo ſeculari foro, iri ſubtractum: ſi ad ſe trahere, transferre, vel in ſe conſeruare hanc eorum iuriſdictionem, ſicuti eam, quæ ſecularium erat, potuiſſent. Hoc argumentum, propter materiæ zelotypia plenæ grauitatem, cùm ſit de iuriſdictione, à priori, quod docent Logici, noſtram aſſertionem videtur comprobare.

At ſecundo argumento illam etiam confirmamus: id autem eſt, quòd cùm nonnulli Clerici ius quæſituri, vel quæſiti, conferrent ſe ad Magiſtratus Imperatorum Chriſtianorum, (hæc eſt enim audaciæ, contumaciæ, & petulantiæ vis, niſi efficaciter comprimatur:) à Concilio 3. Carthaginenſi, citato 11.q.1.c.Placuit. fuit ſancitum, Eccleſiaſticos, forum proprium Eccleſiaſticum, in temporalibus ſuis negotijs ſequi debere; hac addita in contumaces nota: [Malè ſentire de Eccleſia, qui de iudicio ſeculari auxilium poſtularent.] De quo ſupra 2. Parte, hoc loco etiã adducto, eſt fuſiùs pertractatum. Huc pertinent leges illæ omnes Imperatorum, qui Magiſtratibus ciuilibus laicis hæc omnia interdixerunt; quæ à Gratiano 11.q.1. ex Concilijs ſacris adnotantur.

Neque ſolùm apud ciuiles Magiſtratus conueniri nequeunt Eccleſiaſtici: ſed nec damnati à ſuis Epiſcopis, ab illis debent adiuuari, aut vterque arcetur à fidelium communione, ex Concilio Agathenſi, c.13. & habetur 21.q.5. & ex Concilio Antiochenſi, paulò poſt Nicænum celebrato

Refer-

Refertur etiam ibidem:[Vt ſi Presbyter,vel Diaconus exauctoratus,ad Imperatorem confugerit, ob hanc ipſam temeritatem, numquam inſtituatur : neque veniæ ſpes vlla ei ſuperſit : ſed prouocet Metropolitanũ, vel legitimum alium ſuperiorem.]Quorum omnium ſacra Concilia, ac ſanctorum Patrum ſcripta luculẽtum pluries teſtimonium ſubminiſtrãt. videndus Gratianus citata 11. q. 1. multa his ſimilia referens.

Epiſcoporum autem cauſſas Romanus cognoſcebat, ſicuti hodie cognoſcit, Põtifex;quod ex Gratiano,loco citato, notum eſt: & ex Gregorio,lib.4.Epiſt.34.ad Conſtantinam Auguſtam, ſic ſcribente: [Si Epiſcoporum cauſſæ mihi commiſſorum apud piiſſimos Dominos, aliorum patrocinio diſponuntur: infelix ego in iſta Eccleſia quid facio? Sed vt Epiſcopi mei me deſpiciant, & contra me refugium ad ſeculares iudices habeant. Omnipotenti gratias ago, peccatis meis deputo.Hoc tamen breuiter ſuggero,quia aliquantulum exſpecto:& ſi ad me venire diſtulerit,in eo exercere diſtrictionem Canonicam nullo modo ceſſabo.]

Idem & tertio argumento breuiſſimo roboremus; quòd cùm illo tempore Epiſcoporum nulla eſſet potentia : neque diuitijs aucti,eo ſplendore externæ conuerſationis fulgerent; vnde poſſet præſumi, iuriſdictionẽ hanc Eccleſiaſticam in Clericos vſurpaſſe : eſt conſequens, illam tamquã inſeparabilem proprietatem à ſua Diuina,ac purè ſpirituali fluentem poteſtate: quaſi Eccleſiaſtico ordini,ac ſtatui naturalem,ac conſequam, inter ſupremas Principum ſecularium Poteſtates,non ex pacto, conuentione,aut contractu,inter ipſos,& Epiſcopos : non exemptione, priuilegio,aut libera illorum laxatione,aut conceſſione, aut conniuentia : ſed quale illud rei natura poſtulabat,integram conſtantiſſimè perſeueraſſe.

Et quartum etiam adiungemus, idem probans, argumentum : quia quoties Imperatores,vel Reges,ſeu Principes conati ſunt iuriſdictionem hanc ſacram Eccleſiaſticorum lædere, ſuam ipſi mutarunt, & imminuerũt: & quamdam malorum Iliadem ſuis & perſonis, & Principatibus inuexere.Exempla inter plurima alia ſint clara,Henrici,& Friderici Imperatorum,qui Epiſcopos dare & pellere præſumentes, & Eccleſiaſtica iuriſdictione, quaſi rebus vti profanis; ſicuti in ſuos ſpirituales patres inſurrexerũt,ſic in eos naturalibus eorũ liberis cõmotis,Hẽricus IV.à filio vexatus miſerè perijt,Fridericus II.à Manfredo filio ſuffocatus;Henricus II.Anglorum rex, qui Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem indignis habuerat modis, ac, eius occaſione,gladijs tamdem impiorum Martyrẽ occũbentẽ vidit, à filio propemodum oppreſſus fuit:Fridericus verò Imperator,cognomento Aenobarbus calamitoſior;cùm ſacrũ alias gerens bellum,ob totum tamen contra Alexandrum III. tot annis Schiſma,& Eccleſiaſticam Politiam,ac immunitatem adeo vexatam,

Obrutus inſanis diſperijſſet aquis.

Succedat & quintum firmiſsimum argumentum, quo clariſsimè con-

ſpiciatur,hanc iuriſdictionem Eccleſiaſticam,Eccleſiæ Miniſtris,tamquã eorum propriam,ac de Iure traditam, & habitam diuino, fuiſſe ſemper conſeruatam. Nam haud nuda,& formaliter in Eccleſiaſticos, & de Eccleſiaſticis cauſsis in Epiſcopis perſtitit: immo pluribus alijs attribuenda,& applicanda caſibus:quos ſupra ex Canoniſtis enumerauimus Doctoribus,& non omnes quidem; quod eſt illuſtre teſtimonium,non per attributionem iuriſdictionis à Principibus laicis factam Eccleſię,illius poteſtatem Politicam,ſeu Ciuilem conſtare: immo non eſſe modo ampliorẽ, per decretionem, ſeu imminutionem ſuæ ampliſsimæ illius poteſtatis contigiſſe;quæ non fuit tanta,quin Eccleſiaſticum forum ſuæ relictum primææ Chriſtianæ,& Apoſtolicæ inſtitutioni, ad lites multas laicorũ ſe extendat decidendas.Sic ſupra referebamus ex Concilio Carthaginẽſi 5.& ex alijs;quæ à Gratiano 23.q.9. referuntur,cauſſæ viduarum, pupillorum,& inopum, ad Eccleſiaſticum forum ſpectant; ſi quis ſimiliter per potentiam alicuius non poteſt ius conſequi à ciuili Magiſtratu, ad tribunal Eccleſiaſticum,tam ex.c.11.& 15.de Foro competenti, quàm ex pluribus Concilijs venire permittitur. Quin etiam Epiſcopi id per ſe ipſi curabant: [Vt iudices,aut potentes,] inquit Concilium Turonenſe, c. 27. [qui pauperes opprimunt,ſi commoniti à Pontifice ſuo,non ſe emendauerint:excommunicentur.] Leguntur multa etiam exempla, qualiter propter adulteria,vel diuortia,in viros potentiſsimos Epiſcopi, & ſummus Pontifex vſi ſint hac ſua Ciuili Eccleſiaſtica poteſtate. Et tamdem multarum aliarum cauſſarum notio, vt ex Concilijs ſacris, ac Canonibus Eccleſiaſticis colligitur, Epiſcoporum fuit,& eſt hodierna die; quæ nec breuiter perſtringi poſſunt; immo cùm ſuperiùs relatæ ferè ſint, & multum aliàs ſermonem poſtulent, relinquũtur,loco proprio cognoſcẽdæ.Quæ omnia demonſtratiuè probant,iuriſdictionem Eccleſiaſticam,nõ vt riuulum à flumine laicæ iuriſdictionis deductum, priuilegio currere: ſed,tamquam flumen ipſum à fonte Diuini iuris,ex ipſo Chriſti, & Apoſtolorum eius præſcripto, deriuatum.

Argumentum hoc ſextum rem omnem concludat: nam cùm illa demũ grandis cauſſa eſſet,cur Epiſcopus ex epiſtolis Pauli, Clementis,& Anacleti citatis,de ſecularibus cauſsis cognoſceret,ac iudicaret; ne, videlicet,in peccato ad mortem perſeueraret, qui eius decretis,vel ſententijs parere nollet; (ad hoc enim denunciabatur Anathema, vt ſicut Apoſtolus ait: [ſpiritus ſaluus fieret in die Domini:] & ſic Chriſtiani diſcerent non blaſphemare: ſicut dicit alibi;denique vt ſic diſcerent,nõ fraudare, non furari,aut ſimilia deſignare ſcelera, aut alia quacumque iniuria afficere:) immo quia, propter peccata impiorum, vt ait Salomon,Prouerb.c.28.iudicia,ſiue lites excitantur,& Epiſcopi ſunt medici ſpiritua les peccatorum:quibus curatis,lites tolluntur,& iudicia vacant: idcirco integrum ſemper,& abſolutum fuit, & eſt,de omnibus cauſsis ſecula-

Digitized by Google

ribus, Epiſcopis eatenùs ſaltem cognoſcere; vt in peccato ad mortem non remaneat frater; quod Canoniſtæ Doctores, cognoſcere per viam denunciationis, appellarunt. Hoc tamen intelligendum docent, dummodo laicus actor, qui relicto ſuo foro iudicium petit Eccleſiaſticum, non agat hoc, dolo, vel malitia: quod excipere poteſt reus, eamque exceptionem Eccleſiaſticus iudex, ſi legitima ſit, ex c. Nouit. de Foro competenti. omninò tenetur acceptare.

XVI. NOTANDVM.

SEXTODECIMO eſt notandum; Quibuſdam adhuc ſcrupulum hinc circa prædicta ingenerari: quia ſi vera ſunt ea tanta, tamque miranda, quæ hactenus de iuriſdictione Ciuili Eccleſiaſticæ poteſtatis explicauimus, cur, dicũt, lex illa Theodoſij Magni, & Caroli Magni, relata 11. q. 1. c. Quicumq;. Volumus. cuius ſupra mentionem fecimus, abrogata eſt? qua ſancitum erat, vt liceret cuique, ſiue is actor eſſet, ſiue reus, relicto foro ſeculari, etiam lite conteſtata, iudicium Eccleſiaſticum adire. Quibus faciemus ſatis, ex pluribus capitibus propoſitæ difficultati reſpondentes: ſi ante omnia cauſſas dictę legis ſtabiliendæ proponamus.

Et primò ex parte laicorum conſiderandum eſt; longam, ſcilicet, & antiquam à ſuis maioribus acceptam conſuetudinem, lites, quæſtiones, diſſidia, diſceptationes, omnigenaſque diſſenſiones, ac differentias, coram laicis Magiſtratibus, per Epiſcopos deſignatis agitandi, quarum exitus, ac termini faciles, præſentia accedente Epiſcopi, Anathematiſque timore, quæ partibus, quin eximiè placerẽt, erat impoſſibile: id in Chriſtianorum animis effeciſſe: vt cùm iuriſdictio laicorum, quos Imperatores Magiſtratus habebant, ſucceſſiſſet, quæſtuoſa forſan, & ſaltem formula, ſicuti longa, ſic & odioſa vtens, negotia, & lites ſine debito terminandi; ſuis honeſtis, ac frequentibus ab Imperatoribus querimonijs obtinerẽt, vt legem illam ferrent, inſtantibus tot inconuenientibus obuiaturam.

Secundò reſpondemus, quia religioſiſſimi Imperatores intelligebant, veriſſimum eſſe illud, quod ex Salomone dudum referebamus, ex impiorum peccatis lites ſuboriri, quas ſapientes exſtinguerent: ad Epiſcopos autem, tamquam ad medicos quoſdã ſpiritnales, ſpectare, peccatis medicinam adhibere; optabant ſanctè, & piè, vt ſublata inter Chriſtianos litium cauſſa, ideſt, peccatis, lites ſimul, eorum effectus, auferrentur.

Eſt tertia fortiſsima ratio, ex parte ipſius Chriſtianæ legis. Omnis enim Chriſtianus, quatenus eſt Chriſtianus, ſupernaturaliter videtur ſubijci poteſtati Eccleſiaſticæ, ſuper quocumque actu, etiam profano: vnde nihil aliud illi effecere Imperatores, cum illis legibus, quàm vt flumina ad locum, vnde exierant, reuerterẽtur; iuriſdictionem, ſcilicet, Eccleſiaſticam ſuo antiquo curſui reſtituere.

Has rationes, & cauſſas legis dictæ, quiſque de antiquorum Chriſtia-

norum ſinceritate,de Imperatorumque pietate meritus,& ſentiens bene, veriores,potioreſque iudicabit,quàm illam Molinæi ſupra adductam: quòd ea tempeſtate tanta eſſet iudicum Eccleſiaſticorum Innocentia, Doctrina,& Fidelitas,in iudicando: vt illi Imperatores legis huius latores è Republica eſſe exiſtimauerint,vt omnes lites, alterutra ex partibus volente,Eccleſiaſticorum iudicio cernerentur. Illæ namque integræ partes Sinceritatis,Scietię,& Fidei,eſto,illas concederemus beatis antiquioribus ſeculis, ſequentibus in malum, ac peius in dies labentibus: (quæ eſt & rerum,& humanorum maximè morum,& viciſſitudo,& incõſtantia,)deficere poterant;at hoc mutari non poterat, quia ad Eccleſiaſticos ſpectaret,tamquam ad ſpirituales medicos, peccatorum curatio; nec illud rurſus mutari,quod ait Scriptura,[Ex peccatis naſci lites:] & idem Salomon Prouerb.c.17.[Qui amat delicta, gaudet pugnis:] ideſt, iurgijs,& contentionibus delectatur.

Cauſſa ergo ſtabilitæ legis declarata,cur & abrogata fuerit,oportet, declaremus. Eſt quidem veriſſimum, ac certiſsimum, à Chriſto fuiſſe Eccleſiæ conceſſam eam iuriſdictionem Ciuilem,cum ſingulari poteſtate,quam Diuinam,ac ſpiritualem, non immeritò,nuncupare poſſumus: cùm ad cæleſtia homines legis Euangelicæ profeſſores eleuaret, efficeretque,vt terrena ſubitò peritura æternis, duraturis perpetuò, deſeruirẽt.Eſt perſpectũ ſatis,ex dictis diffuſè à nobis ſupra,legis Chriſti quaſi Interpretem Paulum exſtitiſſe:dum Corinthijs, & in eis Chriſtianis omnibus Ethnico prohibuit foro,ac iudicio.Eſt etiam extra controuerſiam, vſam fuiſſe Eccleſiam eo iure,vt ex Tertulliano, & ex Concilio Carthaginenſi, Ciuilis illius poteſtatis auctoritatem, & exercitium, IVS APOSTOLICVM, vocante,cognouimus. Neque dubium iam eſt, Eccleſiæ gladij poteſtatem non defuiſſe;cùm ſocietas,ciuitas,ac congregatio hominum legitima eſſet; neque eam clariùs dari, aut exprimi à Chriſto fuiſſe neceſſe:cùm inſtituendo ipſam Rempublicam,illam quoq; poteſtatem intelligatur,inſtituiſſe,ſine qua eſſe iuſtè, & ordinatè minimè potuiſſet;docente etiam naturali Philoſophia,eum,qui vult finem, & ea quæ ad finem neceſſaria ſunt media, ex conſequio, voliturum. Et vltimò certum eſt, hac gladij poteſtate non vſam Eccleſiam, niſi poſtquam Chriſtiani Imperatores Euangelicam doctrinam, ac fidem ſuſceperunt.

Et tametſi in Eccleſia iuriſdictio inſtituta fuit à Chriſto, ab eo quoq; vſu diſtincta fuit: vt Petrus eſt interpretatus. Sic enim dixit Clementi, in epiſtola ſæpiùs allegata,vt refertur,11.q.1.[Te quidem oportet irreprehenſibiliter viuere,& ſummo ſtudio niti,vt omnes vitæ huius occupationes abijcias:ne fideiuſſor exſiſtas;ne Aduocatus litium fias: neue in vlla aliqua occupatione prorſus inueniaris,mundialis officij occaſione, perplexus.Neque cognitorem ſecularium negotiorum hodie te ordinare

vult Chriſtus,ne præfocatus præſentibus hominum curis,non poſſis verbo Dei vacare. Hæc verò opera,quæ tibi congruere minus diximus, exhibeant ſibi inuicem vacantes laici: & te nemo occupet ab ijs ſtudijs, per quæ ſalus hominibus datur.] Relicta ergo fuit laicis exercitatio cauſſarum forenſium inter ipſos laicos, iuriſdictioque Ciuilis, ſeu merum,mixtumque imperium Ciuile:non illud quidem Diuinum ligandi, & ſoluendi,quod Epiſcoporum,tamquam qui Apoſtolis ſucceſſere, quibus illud dedit Chriſtus,proprium eſt, & quibus illo haud vmquam licuit abdicari.

Dum igitur lex illa Imperatorum optionem daret actoribus, & reis, cauſſas ſeculares ad Epiſcopum deferendi, doctrinam Petri, & Eccleſiaſticam diſciplinam,Chriſtianorum nimis aucto numero, iam confundebat, & ſolicitudinem ſalutis animæ, in ſolicitudinem ſecularia iudicādi,conuertebat. Hinc meritò fuit abrogata: cùm illa ſolùm in Eccleſiaſtico foro expedierit poſtea iudicare,quæ pertinent vel ad tollendum peccatum iniuſtitiæ,ex defectu;vel ad tollendum peccatum fratris fratrem ſcandalizantis:vel denique illa,quæ maturo,grandi,& antiquo cōſilio ſacra Concilia,& Pontifices ſupremi,(quæ recenſere denuò,vel omnia, haud eſt neceſſarium,) Eccleſiaſtico iudicio reſeruarunt.

Et hæc quidem præcedens ratio,tenet ex parte miniſtrorum Eccleſiaſticorum: addamus aliam ex parte litigantium: nam ſub Principibus Chriſtianis,& qui iuſtitiam,quaſi tales,volunt in ſuis Rebuſpublicis adminiſtrari: ſi reus declinaret laicam iuriſdictionem,optans apud Eccleſiaſticam iudicari; quoties illi iuxta Imperatorum legem allatam, libuiſſet:facilè intelligeretur,malitiosè,dolo,ac fraude,id facere. Quòd ſi actor rurſus,parato reo ad ſatisfaciendum coram laica Poteſtate, illū ad forum Eccleſiaſticum pertrahere vellet, facilè etiam perſpiceretur, malitiosè id,dolo,ac fraude machinari. Et hæc exceptio poſſet ſemper adhiberi,quam Eccleſiaſticus iudex admittere deberet: cùm Eccleſia ſancta fraudem,& dolum odio habeat:c.Sedes.c. Ex tenore. de Reſcript. c.2.de Operis noui nunciatione. nec vexare aliquem cupit, quæ omnes leuare deſiderat: c.finali.de Dolo,& contum. c. Vt debitus.de Appellat. Hinc igitur prudenter actum eſt; vt qui poteſt conueniri coram laico Magiſtratu,neutiquam corā Eccleſiaſtico conueniatur: & qui ibi iudicio ſiſti non vult, nullibi velle facere ſatisfactionem præſumatur. Hinc legem prædictam fuiſſe iuſtè conſtat antiquatam.

XVII. NOTANDVM.

DECIMOSEPTIMO notandum eſt, facilè ex prædictis, argumento propoſito fieri ſatis poſſe. Non ſolùm enim Principum ſecularium iuriſdictio,& poteſtas, ex Ciuili Eccleſiaſtica poteſtate,damnum non recipit;non ſolùm ab ea non abſorbetur,quin potius maximè ſtabi-

litur

litur, ac roboratur. Nam primò Eccleſiaſticum forum, olim ampliſſimum, ſeculares ſecularium cauſſas à ſe prorſus abiecit, eaſque laicis Magiſtratibus cognoſcendas, ac decidendas reliquit, caſibus exceptis excipiendis. Præterea ſacra illa propria poteſtate ligandi, & ſoluendi, quoties opus eſt, ſeculare forum adiuuat; vt iuſtitia in Republica quacumq; Chriſtiana floreat, ac ius ſuum vnicuique tribuatur. Quo loco videmur omninò nobis conſiderare ſacros Antiſtites, qui olim totius erant areæ meſſores, vtpotè ad quos prædicta Ciuilis integra iuriſdictio laica inter Chriſtianos pertinebat; nunc ſpicas ſolùm colligere, quæ metentium fugiunt manus; de certis quibuſdam cognoſcendo caſibus laicis; qui ſi rectè perſpiciantur, negotij multum, laboris plus, faſtidij plurimum ſecũ afferunt: vtilitatis propriæ, excepto exercitio charitatis, nihil, aut parũ: cùm ea, quæ honoris ſunt, & quæſtuoſa, omnia ab ipſis Magiſtratibus ſecularibus agitentur. Quod tamen Eccleſia non ſolùm non fert moleſtè, verùmetiam gratiſſimè accipit: id tantùm à laicis poſtulans Poteſtatibus: vt ſuis contentæ limitibus, ſacros Diuinæ, ac Politicæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ terminos non inuadant.

XVIII. NOTANDVM.

DVODEVIGESIMO tamdem notandum eſt, interim dum in 4. Parte intexímus differentiam harum Poteſtatum, Eccleſiaſticæ, & ſecularis: vtramque eſſe à Chriſtianis maximè colendam, & obſeruãdam: vt quæ à Deo proficiſcantur, qui hanc Chriſtianam Rempublicam gemino hoc brachio, voluit, eſſe potentem: vt bene refertur 96. diſt. Duo ſunt. vt ſcelera in flagitioſis vindicarentur, & ad illorum, qui iuſti ſunt, quibus lex non eſt poſita, ex Paulo 1. ad Timoth. c. 1. morum honeſtatem collaudandam. Oportet tamen, vt conſiderent laici Principes, Eccleſiaſticam in ſua latitudine, (quod ex antiquis Patribus, tota diſt. citata docetur,) ſemper ſuperare Poteſtatem: vt quæ à Chriſto Domino ſit immediatè inſtituta, vt fuſiùs 4. Parte videbimus; & quæ ab Eccleſiæ cœtu extrudere poteſt: quod omnibus mundi Principibus ſecularibus efficere numquam licuit, nec licebit. Talem enim, ac tantam, eam Chriſtus Eccleſiaſticis contribuit Præfectis, Apoſtolis, videlicet, eorumque ſucceſſoribus ſacris Antiſtitibus, & Prælatis, qui Chriſti eiuſdem locum replicant: vt nullus ab ea eximi valeat, ſi Reipublicæ Chriſtianæ incola velit recenſeri.

Quò tamen eſt hæc Diuina Eccleſiaſticorum poteſtas Præſulum maior, & excellentior, eò conſiderari magis oportet ab illis, vt ea, niſi grauiſſimis de cauſſis, vti prætermittant. Fuit quidem ea vtendum ſæpius, antequam Principes laici militiæ Chriſtianæ adſcriberentur; propter publicam Eccleſiaſticorum Magiſtratuum auctoritatem, ad ſcelerum coërcionem: cùm exercere aliam cruentam pœnam nequirent; neque com-

modiùs remedium vllum flagitijs ſuppeteret euitandis: gladij poteſtate,(quæ aliàs Eccleſiæ debebatur,)per Magiſtratus ſeculares, intercluſa. Vnde hoc erat tantum ſupplicium, hæc pœna, hic omnis metus, hoc vinculum, hic nexus totius Chriſtianæ Reipublicæ, eiuſque & ſpiritualis, & ciuilis diſciplinę. Itaque, vel, quod eſt ſimile vero, Chriſti Ieſu ſanguinis adhuc feruentis ſenſu, ac conſideratione intima, Chriſtiani omnes attentiùs à perpetrandis ſceleribus, à delictis abſtinebant committendis: & à commiſſis maiori cura reſurgebant; vel tamdem, Præpoſiti eorum, hac pœna aliquoties irrogata, & ſæpius ſolùm ſignificata, ſtatum Chriſtianiſsimi charitatis funiculis alligantes, debito in officio continebant. Poterat igitur tunc aptiſſimè dici illud, quod de Iano Ouidius Faſt. 1. loquente, ſic ſcripſit.

Proque metu populum, ſine vi, pudor ipſe regebat;
Nullus erat, iuſtis reddere iura, labor.
Nil mihi cum bello, poſtes, pacemque tuebar;
Et clauem oſtendens, hæc, ait, arma gero.

Attamen iam nunc in Principatu, Imperioque Chriſtiano non tantopere Anathemate, ſumma illa, videlicet poteſtate, eſt opus: gladius eſt namque præſto, adſunt apparitores, qui exſequantur: pœnę ad manum ſunt corporales: & agendum eſt cum hæreditate, & rebus, & corpore, non cum animo, vt confodiatur: neque eſt, pro libidine, hac ſacra abutendum medicina: empti enim ſunt Chriſtiani pretio magno: neque ſic ſũt facilè, & gratis iterùm pro calceamentis venundandi. [Ipſe præterea, ligandi, atque ſoluendi poteſtate ſe priuat,] inquit Gregorius Magnus, & habetur 11.q.1. [qui hanc pro ſuis voluptatibus, & non ſubditorum moribus, exercet.] & deinde: [Iudicare dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſſis, ſua, vel odia, vel gratiam ſequuntur. Non debet is pœnam ſuſtinere Canonicam, in cuius damnatione, non eſt Canonica prolata ſententia.]

De hoc Clemens, 2. lib. Conſt. Apoſtolicarum. c. 21. ſic ſcribit: [Scitote enim, quòd qui eum, qui iniuriam non fecit, eijcit: aut, qui ſe conuertit nõ recipit, fratrem ſuum occidit: & ſanguinem eius fundit. Sicut Cain ſanguinem fratris ſui fudit, cuius ſanguis, qui ad Deum clamat, requiretur. Iuſtus enim à quopiam iniuſtè occiſus, apud Deum erit in requie ſempiterna; ſimiliter eueniet ei, qui ab Epiſcopo, ſine cauſſa, fuerit excommunicatus. Qui tamquam peſtiferum eijcit eum, qui eſt extra culpam; is quidem ſæuior eſt interfectore: quòd neque in Dei miſericordiam intuetur, neque bonitatis Dei erga pœnitentes memor eſt; neque in eos aſpicit, tamquam in ſcopum, qui multorum peccatorum veniam, pœnitendo, impetrarunt. Idcircò violentior eſt ipſo homicida, qui corpus perimit, is, qui innocentem ex Eccleſia eijcit.] Et tamdem Leo Max. Epiſt. 89. in vlt.

edit. Concil. accedat, ſic ſcribens Epiſcopis quibuſdam: [Nulli Chriſtianorum facile communio denegetur: nec ad indignantis fiat hoc arbitriũ Sacerdotis; quod in magni reatus vltionem, inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim, pro commiſſis, & leuibus verbis, quoſdam à gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrigatione tam ſæui ſupplicij ſauciatã, & inermem, quodammodo, exſutamq; omni munimine, Diabolicis incurſibus, vt facilè caperetur, obiectam.]

Animaduerſio pro his, quæ de pœna Anathematis, ſeu ignis gladio, tam hic, quàm 2. Parte dicta ſunt.

CVM autem tam 2. Parte, circa 1. Concluſionem, quàm hic plura de hac vltima Chriſtianorum pœna, ſcilicet, Anathemate, ſeu gladio ignis, ſcilicet, excommunicatione, ſceleribus non cognitis, per flagitioſos, neque ſalutari pœnitentia purgatis, dixerimus: Aduertendum omninò eſt, haud nos ſenſiſſe, omnibus æqualiter delictis, quaſi ipſa eſſent æqualia, vt ſentiebant Stoici, illam Anathematis ſpiritualem fuiſſe pœnam applicandam, aut applicatam. Vltimis ergo flagitijs, extremiſq; contra Decalogi præcepta, ſeu legis Chriſtianæ claram diſciplinũ, commiſſis facinoribus, ſeu illis, quæ, cunctis attentis circunſtantijs, id exigebant, excommunicatio, & ab Eccleſiæ congreſſu eiectio ſeruabatur. De ceteris ſic docet Clemens, lib. 2. Conſtit. Apoſtolicarum. c. 48. [Ne de omni peccato idem iudicium pronuncietis: ſed de vnoquoque ſuum; ſingulis delictis, tum paruis, tum magnis, multa prudentia iudicatis. Aliter, inquam, facto, ſermone, item aliter propoſito; alio modo conuitio, alio ſuſpicione: atque etiam alios quidem ſolis minis, & terroribus ſubijcies: alios mulctatione largiendi pauperibus: rursùs alios ieiunijs comprimes: item alios ex Eccleſia eijcies, pro magnitudine, & grauitate criminis; ſiquidem lex non omne delictum eodem ſupplicio puniebat; quinimmo alio, atque alio, commiſſa in Deum, in Sacerdotem, in templum, in hoſtiam: aliter in Regem, in Ducem, in militem, in ſubditum, in æqualem, aut in famulum, aut in poſſeſſionem, aut iumentum, ſiue in pecus. Rursùs ſecùs peccata in parentes, & propinquos; aliter peccata ex conſulto, aliter non voluntaria: atque alios quidem morte puniebat, vel cruci affigendo, vel lapidando, alios verò mulcta pecuniæ, vel verberibus, vel talione. Ergo vos quoque diuerſa delicta, diuerſis pœnis plectite: neque iniuria accidat, quæ iram Dei prouocet. Cuius enim iuſti iudicij eritis intermedij, eius mercedem feretis: nam quo iudicio iudicabitis, Matth. c. 7. eo iudicabimini.]

Argumenti Concluſio.

QVAE quidem ſufficiant, vt Principes ſeculares, nullam de Eccleſiaſtica iuriſdictione in poſterum laborent ſiniſtra opinione: cùm

cùm neque antiqui, neque præſentes Eccleſiæ Prælati, vnquam aliud præ oculis habuerint, quàm vt Euangelij lege ſeruata, omnia Chriſtianorum acta in charitate fierent: & vtraque inconfuſa iuriſdictione, vni Deo Patri, & Chriſto IESV, in Spiritus ſancti vnitate, ab omnibus ſeruiretur. Sed iam reliqua proſequamur.

SECVNDA CONCLVSIO.

DISPENSATIO, & adminiſtratio bonorum ad Eccleſiam, & Eccleſiaſticos formaliter pertinentium, & ſimiliter circà eadē Legiſlatio ſpectat, de iure Diuino, ad Eccleſiaſticas perſonas, reſpectiuè; excluſa ab his omni laica Poteſtate: niſi ad horum aliquod, tamquàm miniſtra, ab Eccleſia conuocetur.

DIXERIMVS illud verbum in Concluſione, [formaliter;] vt intelligatur, hic non comprehendi bona, quæ etſi ab Eccleſiaſticis poſſideantur, ſunt tamen vel patrimonialia, vel aliàs ad ipſos pertinent: non verò qua ratione Eccleſiaſtici ſunt: de quibus Concl. 1. loquebamur. Dixerimus aliud verbū, [reſpectiuè,] vt intelligatur à Capite Eccleſię, ſummo, videlicet, Pontifice Romano, vſque ad quemuis Prælatum, vel miniſtrum Eccleſiaſticum, vnicuique, iuxta ſanctiones Eccleſiaſticas, dictas in Concluſione qualitates conuenire.

PRIMVM NOTANDVM.

PRO cuius Concluſionis explicatione, eſt hic notandum primò: Quòd cùm in ſuperioris 1. Concluſionis probatione, bona Eccleſiæ in alimenta Miniſtrorum, & vſus pauperum diuiſerimus tantùm; fecimus id, quia Chriſti Domini viuentis in carne paſſibili habuimus rationem; qui, ad duos dictos effectus, ſua bona deſtinarat. Quo ad cælos aſſumpto, iam oportuit, hæc bona Eccleſiæ, & ſuorum Miniſtrorum in tertium etiam effectum concedere: qui non minus illorum aſſertam immunitatem, eſſe de iure Diuino confirmabit.

Igitur Eccleſiæ bona ſunt adiudicata, atque diſtincta ad miniſtrorum alimoniam, primò: & ad pauperum ſecundò ſuſtentationem: & tertiò ad cultum Diuinum exteriorem inſtituendum, & conſeruandum, & ſi à tyrannis tollatur, reſtituendum: quod vnico verbo, pro fabrica, videlicet, declaratur: vt perſonis Eccleſiaſticis, & pauperibus, & fabricæ, ſint omninò dicta bona adiudicata. Hanc bonorum Eccleſiæ diſtinctionem, & partitionem, ſubdiuidendo portionem perſonarum, in partem Epiſcopis, partem ceteris Eccleſiaſticis attribuendam, primus lege Eccleſiaſtica induxit S. Silueſter: qui copioſiſſimis donatus fidelium oblationibus, co-

gitans, qualiter & eorum votis, & intentioni,& ſuo ſatisfaceret miniſterio: congregata Romæ ducentorum ſeptuagintaquinque Epiſcoporum Synodo, adhuc ſub Conſtantino Magno Imperatore, hanc Spiritu ſancto ibi aſſiſtente, definitionem promulgauit: cap.4. [Commoneo autem vos omnes mihi conſortes,monumentum hoc; vt de redditibus Eccleſię quattuor partes fiant:quarum vna cedat Pontifici,ad ſui ſuſtentationem;alia Presbyteris, & Diaconis,& omni Clero: tertia templorum, & Eccleſiarum reparationi: quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis.]

Hanc quadrifariam bonorum Eccleſiæ, ſeu ſimpliciter trifariam diſtributionem ſequuti ſunt omnes deinde Pontifices, Synodiq; omnes, vt S.Simplicius, S.Gelaſius, S.Gregorius Magnus, & alij, vt 12.q.2. latiſſimè legitur. Quæ quidem partes horum bonorum, quatenùs alimentis Eccleſiaſticarum perſonarum, & pauperum leuandis miſerijs aſſignantur, iam ſuperiùs probatum eſt, fuiſſe Chriſti Domini inſtitutionē: quod & Sanctorū roborauimus doctrina,& præcipuè Auguſtini,lib.de Mendac. c.15.adducta.c.Habebat.12.q.1. Tertiam verò portionem pro fabrica, ſiue templorum ædificatione, reparatione, & cultus Diuini exterioris conſeruatione, qualiter etiam de iure ſit inſtituta Diuino,vt probemus, ad principia proxima Eccleſiæ, vt moris eſt, & iuxta 7. Principij aſſignationem,mentis oculos conuertamus.

Ergo Iſaias cap.56. agens de ſtatu pręſentis Eccleſiæ,& Diuinis ad eā factis promiſſionibus, ſic Deum loquentem inducit: [Adducam eos in montem ſanctum meum: & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocauſta eorum,& victimæ eorum placebūt mihi, ſuper altari meo;quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.] Hoc eſt, Hieronymo,ibidem Auctore,[non vni Genti Iudææ,nec vni Ieroſolymæ vrbis loco: ſed in toto orbe terrarum.] Quem locum ipſe Chriſtus Dominus,Matth.c.21.Marc.c.7.& Luc.c.19.ad templorum,& ſacrarum Eccleſiarum, quæ in Chriſtianiſmo erant erigendæ, commendandam maximè venerationem, contra profanatores templi Ieroſolymitani Sacerdotes, & laicos adduxit. Eccleſias autem has,& orationis domus cœptas fuiſſe ædificari,ſaltem in domibus particularibus,vt in eis ad adorandū, & Sacramenta celebranda à fidelibus conueniretur, ſtatim à Chriſti in cælos aſcenſione, docet Paulus, 1.ad Corinth.c.11.eos reprehendens, quòd ab eis Agapæ, quas initio ſanctè in Eccleſia coluerant, iam in conuiuia, diuitum diſſolutione, fuiſſent commutatæ; ſic dicens: [Numquid non habetis domos ad manducandum,& bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos,qui non habent?] Et deinceps:[Si quis eſurit,domi manducet.]

In harum autem Eccleſiarum mole ſtruenda, & ſartatecta conſeruanda partem eſſe bonorum Eccleſiaſticorum inſumendam,eſt expreſſa Chriſti inſtitutio: cùm enim eo viuente in carne paſſibili,ipſe ſolus eſſet Ec-

clesiæ,

cleſiæ, templum, & ſummus Sacerdos, & ſacrificium: non ſolùm de eo illud, quod Salomon, ſuo templo magnificentiſſimè ædificato, 3. Reg. c. 8. dixit, poterat enunciari, ſcilicet: [Ergo ne putandum eſt, quòd Deus habitet ſuper terrā?] Verùm ſi Apoſtolo Paulo licuit, ad Corinth. 1. cap. 3. & in illis Chriſtianis omnibus dicere: [Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim ſanctum eſt, quod eſtis vos.] multò meliùs potuit, & debuit dici templum Chriſtus, in quo, iuxtà eumdem Paulum, ad Coloſſ. c. 2. [inhabitabat plenitudo Diuinitatis corporaliter.] Igitur cûm hoc ſanctiſſimum templum Maria Magdalena adiret venerabunda, cultum Diuinitatis plenitudini, & Chriſti humanitati latriæ exhibitura: Matth. c. 26. Marc. c. 14. & Ioan. c. 12: libra vnguenti pretioſi nardi piſtici illius caput, & pedes vnxit, trecentis denarijs à Iuda æſtimati proditore. Quo de tanti pretij perditione dolente, quaſi illo in egenorum vſum conuerſo, charitati fuiſſet meliùs conſultum; pro templis Chriſtus, & ſacrorum eorumdem vaſorum, vtenſiliū, & ornamentorum copia, & vſu, cauſſam ſuſcipiens, docuit, non ſolùm, de Eccleſiæ cunctis bonis, perſonarum Eccleſiaſticarum alimonijs prouidendum, ex iuſtitia: non ſolùm pauperum neceſſitatibus ſuccurrendū, ex iuſtitia, & charitate; verùm, & Eccleſiarum, & templorum cum ſuis omnis generis ſacris apparatibus, inſtandum erectioni, & conſeruationi, & reſtitutioni, ex iuſtitia, & religione: neque partes pauperum, & templorum, rerumq; dictarum, maiori neceſſitate non vrgente, confundendas, quas teſtamentum vltimum, & nouum ipſe iamiam condens, quaſi diſtincta legata, haud confundi permiſiſſet. Hæc cûm iam ſcripſiſſemus, legimus Theophylactum, ſuper Marcum, hanc Chriſti Domini vnctionem, quaſi forte argumentum, contra illos aſſumpſiſſe, qui, ſub erogandæ eleemoſynæ prætextu, Euchariſtiæ Sacramentum Auguſtiſſimum in vili pyxide, ſeu turricula conſeruabant.

Chriſto verò Domino poſtea de Cruce depoſito, ecce Ioſeph ab Arimathia, nobilis Decurio, ecce Nicodemus, vterq; Chriſti Diſcipulus, ecce deuotæ mulieres, Matth. c. 27. Marc. c. 15. Luc. c. 23. & Ioan. cap. 19. cûm varia dona Chriſto in viuis agenti, & eius Diſcipulis, & miſiſſent, & præſtitiſſent, tam pro ſua, quàm pro egenorum inopia perferenda: iā adeſſe tempus intelligentes, quo bona Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis oblata in vſum Diuini cultus etiam eſſent conuertenda: quis mercatur ſindonē nouam, Chriſti inuoluendo corpori; quis fert mixturæ, & aloës quaſi libras centum, ipſum vngendo, cum aromatibus ingentis pretij: quis parat aromata, quaſi integro triduo Chriſtus in ſepulchro fuiſſet vngi denuò exſpectaturus; quis auguſtum templum ædificatum donat templo ſanctiſſimi corporis, & plenitudini Diuinitatis ab eo numquàm diſcedētis: ſepulchrum, videlicet, illud nouum in petra exciſum: quo auguſtius aliud non fuit in mundo, templo præſepis excepto, quod Chriſto in car-

ne apparente,non poſt illius illuſtrem,& longam prædicationem, & miraculorum, etiam moriendo, raram patrationem, rationales creaturæ, ſed ipſarum deficiente charitate,in rupe etiam exciſa,fortuiti ipſius caſus, obuiæ naturæ ipſius manus parauerunt.

Neque mirum fiat, ſi ſepulchrum Domini,quod ex Iſaia, c.11.erat futurum glorioſum, templum etiam nuncupemus: nam in ipſis Eccleſiæ exordijs nedùm, verùm ſequentibus aliquibus ſeculis, in Cœmeterijs Epiſcopi, & Synodos congregabant, & Pſalmos canebant, & Sacramenta adminiſtrabant. Quòd ſi non oculis ipſis Romæ, in S.Pancratij Cœmeterio, ſeu Catacumbis, Conciliorum appellatam, ſicuti erat, ſubterraneam Cameram perſpexiſſemus, id habemus ſcriptum apud Clementem, lib.6.Conſtitut.Apoſtolic.c.29. & ab Athanaſio in Apologia ſua. Cùmque Cœmeteria, ſeu ſepulchreta, quæ vocat Plutarchus,lib.de Homero, & Catullo, eſſent Chriſtianis, quod nunc ſunt templa, & Orationum loca: vt conſtat etiam, ex Caſſiodoro, lib.5. Hiſtor.Tripar.cap.3. quando profani Imperatores perſequutionem in Chriſtianos inſtaurabant; in primis eos, à Cœmeterijs arcere ſolebant, ne in vnum facultas conueniendi ſuppeteret; eos inſuper ſugillantes, quòd ad mortuorum ſepulchra, tamquàm ad nouos Deos adorandos,concurrerent;vt legitur in vitis Sophiſtarum, ab impio Eunapio deſcriptis; dum verò perſequutionem intermittebant, rursùs mandabant, vt Cœmeteria Chriſtianis libera reſtituerentur. Vnde fit,ad noſtrum intentum conſequens, Cœmeteria cum templorum iuribus,de bonis Eccleſiæ participare.

Hinc iam ab antiquiſſimis Chriſtianiſmi temporibus,poſt exſtructam Baſilicam, duo decreta ſunt Eccleſiæ neceſſaria, ad rem Diuinam, in ea peragendam; vnum eſt dos, alterum conſecratio. Dos opus eſt, vt Sacerdotum victui, & veſtitui aptiùs conſuleretur: eorumq́; rationibus eſſet prouiſum. Sic enim habet Concilium Bracharenſe 2. tit.5. [Hoc tantùm vnuſquiſque Epiſcopus meminerit: vt non priùs dedicet Eccleſiam, aut Baſilicam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius, per donationem chartulæ confirmatum accipiat; nam non leuis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminarijs,vel ſine ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſeruituri ſunt, tamquam domus priuata, ita conſecretur Eccleſia.] Et in Concil.Tolet.3.cap.19.Epiſcopis interdicitur,Eccleſiã conſecrare: niſi priùs dotem chartula confirmatam habuerint. S. Chryſoſtomus verò Homil.18. in Acta: [Quaſi, inquit,ducta vxore,vel ſponſa, vel data virgine; ſic erga Eccleſiam affectus ſis; dotem inſcribe illi: ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur.] De quo habetur, de Conſecr. d. 1.c. Nemo.& c.Cùm ſicut.

SECVNDVM NOTANDVM.

SED vt primi huius Notandi ratio ab ipſa naſcentis Eccleſiæ origine deducatur; notandum eſt ſecundò: Quòd ea bona,quæ in ſuperio-

ris Concluſionis probatione, Notando 1. retulimus, Chriſtum Dominum habuiſſe: deinceps dicebamus, ea ſic ab eo fuiſſe adminiſtrata, vt, familiæ propriæ, exceptis alimentis, & alijs, quæ parciſſimè ad vitæ erant vſum neceſſaria, reliqua in egenorum manus peruenirent. Et cùm haberet Chiſtus plures Diſcipulos laicos viros pios, & mulieres religioſæ, & diuites, vt diximus, illum ſequerentur: quorum omnium aliquibus poſſet munera, & dona ſibi oblata diſpenſanda concredere: eis prætermiſſis; immò Septuaginta duobus alijs Diſcipulis prætetitis, ex ſuo Collegio duodenario Iudam dictorum bonorum diſpenſatorem elegit: qui etſi poſtea ſceleſtus fuerit, & immanis proditor, dignitate tamen, immò ſecundùm præſentem iuſtitiam, alijs vniuerſis diſcipulis, præter vndecim, illuſtrior, & ſanctior habebatur. Huic Chriſtus Œconomiam familiæ, huic pauperum curam commiſit, ipſi loculos tradidit; vt ea quæ mittebantur, non ſuo arbitratu, ſed Magiſtri ex præſcripto diſpenſaret.

TERTIVM NOTANDVM.

TERTIO eſt notandum: Quòd quantum ex Chriſti facto, & inſtitutione elicere poſſumus: hanc primam legem tulit de bonis Eccleſiaſticis diſpenſandis, Matth. cap. 14. & Marc. c. 6. vbi cùm referatur, Apoſtolos voluiſſe dimittere turbam hominum copioſam, poſt Chriſti concionem; vt per villas, & caſtella euntes corpora curarent; Chriſtus id illis prohibuit, dicens: [Vos date illis manducare.] Quod nihil fuit aliud, niſi, ex ſuppoſitione, quòd Apoſtoli viri Eccleſiaſtici, habebant tunc pecunias, vt habetur in textu, ex reſponſione illorum hac: [Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare:] hoc, inquam, caſu, Chriſti dictum fuit lex præceptiua talis: ECCLESIASTICI, DE BONIS SVIS, EGENOS ALVNTO. Quòd ſi reſponſio Apoſtolorum fuit repræſentatio ſuæ indigentiæ, & imperatæ ſubuentionis impoſſibilitas, referente Ioanne c. 6. Philippum fuiſſe, qui dixit: [Ducêtorum denariorum panes nõ ſufficiunt: vt vnuſquiſque modicum quid accipiat:] hoc caſu lex vrgentior eſt, videlicet, cum ſtricta clauſula, HABITA, VEL NON HABITA FACVLTATE, ECCLESIASTICI PRÆLATI EGENOS ALVNTO. Id eſt, quacunque curent induſtria, per alios pios, & locupletes Chriſtianos, pauperibus prouidere; vel, vt legis vim adhuc vrgeamus, (quæ explicatio effectibus mille quadrat ſubſequutis:) ſic lex concipiatur: ECCLESIASTICI PRÆLATI, AD PAVPERVM SVBVENTIONEM, SI ALIVNDE NON SVPPETAT, MIRACVLA EDVNTO. Ad cuius iuſſionis, ſeu legis ſonitum, fide plenus, orationi inſtans, S. Benedictus Pater noſter ducentis farinæ modijs, auctore benignitatis, præter Deum, ignorato, ad portam Monaſterij Caſſinenſis repertis, fuit famelicos ſuos fratres conſolatus: ex Gregorio Magno Papa, & ſuo olim Monacho, lib. 2. Dial. c. 21.

Immò cùm Chriſtus, Luc.c.12. ſic Chriſtianos fuiſſet exhortatus: [Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini;] & infra: [Pater autem veſter ſcit, quoniam his omnibus indigetis;] decuit omninò dicta lege prouidere, quo ſolicitudinem, quam ab his remouere curabat, aliorum ſolicitudine, qui de illis, & pro illis eſſent ſoliciti, compenſaret. Vnde quando paupertas, neque eſſet effectus primæ hominum inobedientiæ: quando non pareret fructus, qui ab Auguſtino, ſerm. 2. de Serm. Domini in monte, à D. Bernardo, Sermon. in Feſto omnium Sanctorum, à Caſſiano, Coll. 3. & à S. Thoma, 3. Part. q. 40. art. 3. referuntur; Diuinam certè maximè declarat prouidentiam, potentiam, & ſapientiam; quæ de hac pauperum OEconomia inducitur, Prouerb. c. 8. ſic loquens: [Cum eo eram cuncta componens, ludens in orbe terrarum;] quod dixit quidam:

Ludit in humanis Diuina potentia rebus.

Eſt enim hic Diuinus luſus, vt paſcens, ſcilicet, Chriſtus ſæpiùs hominũ millia, ex paucis panibus, & piſcibus: velit ſe, & ſuam Apoſtolicam familiam à Martha ſolicitè hoſpitari, & paſci. Lucæ c. 10. Eſt Diuinus luſus potentis Dei, impotentes velle hic inter verſari homines, & egenos: & nomen illorum, olim probroſum, coram ſe honorabile reddere: ex Pſalm. 71. vt diuitibus mundi eos eſſe ditiores oſtenderet; cùm diuitiarum abiectâ ſolicitudine, diuites ipſos, vel alios pauperes, ſed cæleſti virtute locupletes, ſuæ inopiæ curatores, & prouiſores fuiſſent conſequuti.

Vnde in hac lege condenda, ex conſequio, miris modis Chriſti effulget prouidentia: qui, ne materia deeſſet vmquàm Eccleſiaſticis Prælatis, eam obſeruandi; vniuerſam Eccleſiam hac prærogatiua decorauit; vt in ea pauperes ſemper conuerſarentur, quibus confratres Chriſtiani benefacerent, & quorum curam Eccleſiaſtici gererent. Quod priuilegium ipſe Legifer, & ſummus Pontifex ſuo diplomate muniuit, quo tempore, vltimò fuit ad Patrem diſceſſurus. Accedente etenim, vt referebamus, ex Matth. c. 26. Marc. c. 14. & Ioan. c. 12. Maria Magdalena ad Chriſtum recumbentem, & illius capite, & pedibus vnguento pretioſo delibutis, Chriſtus excepit Iudæ murmurationem, quaſi in fraudem eſſet pauperũ factus ille tantus ſumptus, hiſce verbis: [Sine illam, in diem ſepulturæ meæ ſeruauit illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.] Ideſt, cura pauperum te minus tangit, qui diuitis, & pauperis ſimul in vnum ſanguinem vendidiſti. Sciant tamen Eccleſiæ meæ Prælati, eò ab eis maiori ſtudio illorum curã retinendam, quò eos certiores reddo, cùm præſentia mea corporali paſſibili caruerint, in mei locum, & vicem, pauperum copioſam turbam numquam in Eccleſia defuturam.

QVARTVM NOTANDVM.

VBI libet maximè quartò aduertere; Chriſtum Dominum impenſè deſideraſſe: vt apud nos multis, miris, & ineffabilibus modis illius memoria conſeruaretur: immò vt apud nos ſeipſum paſſim, volentibus, nolentibus præſentaret. Hinc voluit remanere apud nos primò, per præſentiam realem corporalem, ſub figura viſibili: ſecundò per præſentiam realem ſpiritualem, inuiſibilem: tertiò per præſentiam figuralem, viſibilem. Sic primò habemus Chriſtum præſentem in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: ſecundò habemus Chriſtum ſpiritualiter Eccleſiæ regimini, immò Chriſtianorum quorumcumque in vnum, in illius nomine, coeuntium directioni aſſiſtentem: tertiò habemus Chriſti Vicariam pauperum multitudinem. De primo ipſe dixit, Matth. c. 26. & 1. ad Corinth. c. 11. [Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum:] & Luc. c. 22. [Hoc facite in meam commemorationem.] De ſecundo ipſe promiſit, Matth. c. vltim. [Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.] Et c. 18. [Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.] De tertio dixit illud: [Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.]

Circa primum, præceptum habemus: id enim eſt illud: [Hoc facite, &c.] ac ſi dicat, Præcipio vobis, vt ſacrificetis. Facere enim, eſt ſacrificare, tam apud Ethnicos Auctores, Plautum in Aſinaria, Virgilium in Bucol. Eclo. 3. Cicer. pro Muræna. Macrob. 3. Saturn. quàm apud ſacras Litteras, Leuit. c. 15. & 23. Numer. c. 6. 8. & 9. Iudic. c. 13. 3. Reg cap. 18. Ezech. c. 43. Ierem. c. 7. עשה, enim verbum Hebraicum, & facere, & ſacrificare ſignificat, ועשינו, habetur Exod. cap. 10. ideſt, [& faciemus,] ideſt, ſacrificabimus Domino: ſicuti idem verbum habetur, *Pſalm. 66.* dum Latinè tranſtulere Interpretes: [Offeram tibi boues cum *hircis*.] Et Ezechiel. c. 45. dum Latinè transfertur: [Et ſacrificium ephi per vitulum: & ephi per arietem faciet.] Eſſe verò præceptum, fieri hoc ſacrificium, eſt doctrina S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. c. 3. S. Martialis, Epiſt. ad Burdegalen. c. 3. Clementis lib. 3. Apoſtol. Conſtit. c. 18. & omnium ſequentium Eccleſiæ Doctorum. Circa ſecundum, & tertium habemus Chriſti promiſſum, quod certius eſt, fore adimplendum, quàm eſt certum, nos primum illud præceptum adimpleturos.

In primo vult Chriſtus, memoriam retineri ſuę præteritæ paſſionis, in ſecundo ſuæ præſentis actionis, in tertio noſtræ paſſionis, & actionis: pauperibus enim conſpectis, vult, vt faſtum demittamus, humilitatis admoniti; & miſeriam eorum conſiderantes, ad mentem, aliàs auerſi, redeamus; charitatis operibus, & eleemoſynis propria peccata redimendo.

In primo eget ſtatus laicus Eccleſiaſtico ſtatu; cùm apud ſolos Sacerdotes poteſtas conficiendi illud Diuiniſſimum Sacramentum, & ſacrifi-

cium

cium reſideat; in ſecundo eget vterq; ſtatus Chriſto, immò eget Chriſto, & ſeipſo; ille enim ſemper ſtat ad oſtium noſtri pectoris, etiam pulſando. Apocalyp.cap.3. vnde ſi per nos non ſteterit, vaſa ſubtrahentes, 4.Reg.c.4.oleum illud & pretioſum, & effuſum, Cant.c.1. Diuinæ ſuæ ſpecialis aſſiſtentiæ, ſiue maioribus,ſiue minoribus Chriſtianorum Cõgregationibus influere non ceſſabit: in tertio quaſi eget Chriſtus nobis: cuius tanta eſt ad homines charitas, tantus amor, vt cùm reſurgens ex mortuis iam non moriatur,ex Paulo ad Rom.c.6. cùm humanæ miſeriæ mala pœnæ, quæ pro nobis ſuſcepit, iam ad eius Diuinum,& humanum non accedant tabernaculum: ex Pſalm.90.voluit inter nos certiſſimos ſuæ ipſius perſonæ olim in terris viſæ, & cum hominibus conuerſantis, indigentes,& pauperes,Vicarios eſſe ſubſtitutos,ipſo teſtante,Matth.toto cap.25. Eſt Diuina Chriſti mens: vt ſi forſan in throno Euchariſtiæ maieſtate eminentem, in Congregationum regimine, & directione ſuperiorem reſidentem, ad illum accedere vereamur: in pauperibus egentem, & nobis ſupplicẽ, quaſi ſuperiores adire promptis greſſibus audeamus.

In primo tamdem ſtatus Eccleſiaſticus eſt natu maior, & excellentior laico ſtatu. Sacerdotes enim ſunt [miniſtri Chriſti,& diſpenſatores myſteriorum Dei:] ex 1.ad Corinth.c.4. ſed ex conſequio ſunt ſtatui laico ſuperiores, & Patres; in ſecundo vterq; ſtatus eſt æqualis,egendo Chriſti ſpiritu, qui actiones omnium aſpirando præueniat,& adiuuando proſequatur: ſine quo nihil poſſunt facere, ex Chriſti ipſius aſſertione,Ioan. c.14. in tertio ſtatus Eccleſiaſticus eſt miniſter: ex Paulo ad Rom.c.15. eſt ſeruus, & laico ſtatui hoc ſenſu inferior: cùm Chriſtus voluerit ab huius humeris tantum onus adminiſtrandi, diſpenſandi, & legibus erigendi, & emendandi, bona, & circa bona omnia, quæ ipſe habet in Eccleſia, ad Eccleſiaſticorum Prælatorum humeros tranſportare.

Neque ex hoc diſcurſu intelligat ſtatus ſecularis, nos, aſſerentes noſtram immunitatem, in bonis Eccleſiæ adminiſtrandis, diſpenſandis, & leges circa iſthæc ferendis, velle illum reddere immunem ab eleemoſynis erogandis, quò pauperum inopiæ ſubueniatur. Immenſum certè ab hac doctrina diſtamus. Habent namque Chriſtiani omnes à Chriſto Domino ſibi impoſitum hoc præceptum, Luc.cap.11. [Quod ſupereſt, date eleemoſynam: & omnia munda ſunt vobis:] ideſt, non neceſſaria, ſine quibus vitam vos, veſtrique commodè tranſigere poteſtis, pauperibus largimini: ſeu, ex his, quæ vobis diuitijs affluentibus ſuperfuerint,eleemoſynas erogate. Et Luc.c.16.præcepit diuitibus, vt [facerent ſibi amicos de Mammona iniquitatis.] Et ibidem c.17. viduam pauperculam, duo minuta mittentem in Gazophylacium, vnicè commendauit; cùm priùs cap.16. diuitem immiſericordem in Lazarum mendicum æternis flammis punitum demonſtraſſet. Et Paul.ex Pſal.111. 2.ad Corinth.c.9. ſic docuit: [Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in bene-

dictio-

Digitized by Google

dictionibus, de benedictionibus & metet.] Et ſuperiùs c.8. terminum, & modum in eleemoſynis faciendis ſeruandum, Chriſtianis proponēs, ait: [Si enim voluntas prompta eſt, ſecundùm id, quod habet, accepta eſt: non ſecundùm id, quod non habet. Non autem vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate, in præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.] Sed cùm de hoc omnes ſancti Doctores ſuper his locis diuinè loquantur, & S.Thom. 2. 2. q. 32. ſit precipuè videndus: vnum Gregorium Nazianzenum, Orat. 16. audiamus, dicentem: [Haud exiſtimaſſem, eſſe præceptum de eleemoſyna largienda: niſi viderem, quòd in iudicio de hac re rationem ſibi reddi poſtulabit, quòd famelicus fuit in ſuis pauperibus, & eius fami non fuit ſubuentum.] Et Chryſoſtomus Homil. 37. ad Popul. Antioch. docuit, eleemoſynam non tantùm fuiſſe à Chriſto Domino, propter pauperes, quantùm propter eam facientes commendatam.

QVINTVM NOTANDVM.

QVINTO eſt notandum: Quòd Chriſtus Dominus ſecundam legem tulit de bonis Eccleſiaſticis adminiſtrandis, Matth. c. 10. & Luc. cap. 10. cùm ad prædicandum deſtinans Apoſtolos, ſic dixit: [In eadem autem domo manete; edētes, & bibentes, quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.] Hæc fuit lex præceptiua circa bonorum Eccleſiæ diſpenſationem: cuius eſt ſenſus: ECCLESIASTICI, EX BONIS EORVM, QVIBVS ECCLESIASTICA ADMINISTRANT, ALVNTOR. Quam legem Paulus, 1. ad Corinth. c. 9. & ad Galat. c. 6. & ad Timoth. c. 5. inſigniter fuit interpretatus. A cuius tamen obſeruantia inter Corinthios abſtinuit; vt ipſe docet dicto c. 9. & 2. ad ipſos Corinth. c. 11. ſpeciali motus cauſſa, ſcilicet, offendiculum quoddam à via Euangelij auferendi: propter quoſdam Pſeudoapoſtolos. Felicior in hoc Protoparentibus, qui cùm comedendi de omni fructu arborum paradiſi, vno excepto, haberent mandatum, Geneſ. c. 2. eos de illo ſolo vetito, & intra breue tempus, legimus comediſſe; cùm Apoſtolus non in vno paradiſo, ſed inter Corinthiorum populoſiſsimam Eccleſiam, voluerit, per longum tempus, ab illorum, ad ſuum victum, ex lege Chriſti, conceſsis, bonis omnibus abſtinere.

SEXTVM NOTANDVM.

SEXTO eſt notandum; Quòd Chriſtus Dominus tertiam legem tulit de bonis Eccleſiaſticis diſpenſandis, quando cultui Diuino externo, ea inſinuauit inſeruitura: loco dicto, Ioan. c. 12. cùm, vel Apoſtolis pluribus, vel ſolo Iuda indignè ferentibus, vnguenti pretioſi effuſionem ſuper caput Chriſti; quaſi melius fuiſſet conſultum, ſi pretium vnguenti

ven-

venditi, in pauperum conſolationem ceſſiſſet. Chriſtus mulieris bonum opus, verbis gratiſſimis, futuris ſæculis, & æternam facti memoriam cõmendauit. Quod certè nihil aliud fuit, quàm legem hanc condere, videlicet; DE BONIS ECCLESIAE, CVLTVS DIVINVS EXTERNVS INSTITVTOR, AVGETOR, ET CONSERVATOR.

SEPTIMVM NOTANDVM.

SEPTIMO eſt notandum; Quòd creſcente in millibus, & millibus numero fidelium, vt habetur Act. c. 2. & 4. viri, & fœminæ diuites, & opulenti cuncta, quæ habebant, etſi ampliſſima eſſent, & opulentiſſima, bona terrena, vt expeditiùs Chriſtum conſequerentur, diſtrahebant: eorumque pretia Apoſtolis, quibus ſuas animas concrediderant, pro ſuo arbitratu, ceteris Chriſtianis, hilariter offerebant, diſpenſanda. Teſtatur hoc Luc. Act. c. 2. dicens: [Omnes qui credebant, erant pariter, & habebãt omnia bona communia. Poſſeſsiones, & ſubſtantias vendebant, & diuidebant ea omnibus, prout cuique opus erat.] & c. 4. [Multitudinis Credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia.] Et infra: [Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.]

Hac rerum pulchra facie in Eccleſiã introducta; oportuit, vt Apoſtoli lege ſancita, quo pacto, tot, tantaque bona, tot fidelium adminiſtrarentur, & ſanctè diſpenſarentur, ordinarent. Multitudo igitur Chriſtianorum ex varijs coaluerat Nationibus, cumque Græcorum Hebræorum animos ſuſpicio intercedentis cuiuſdam affectus, circa hanc bonorũ partitionem, verſus Hebræos Palæſthinos, vel veri, vel imaginatione comprehenſi, titillaret, Act. c. 6. ecce Apoſtoli conuocata multitudine, illi optionem, conſiderandi viros boni teſtimonij, præſtiterunt, quos Apoſtoli ipſi præficerent ei muneri, inter alia, vt pauperibus miniſtrarent: quò ipſi interim menſarum miniſterio liberi, prædicationis officium liberiùs adimplerent.

Hæc fuit ratio ſeptem illos primos Diaconos, ſeu Eccleſiaſticos conſtituendi miniſtros, per manuum impoſitionem, qui Apoſtolis rem ſacrã facientibus aſsiſterent, qui Euangelizarent, & tandem pauperum, & viduarum curam ſuſciperent, eiſq, miniſtrarent non tantum, verùm, vt diſſidia, quæ inter ipſos pauperes, ac pauperum miniſtros orirentur, componerent, & tranſigerent; & vt in vniuerſum iurgia omnia inter promiſcuam Chriſtianorum multitudinem excitata, per illos, vt ſupra ex Iſidoro retulimus, ſopirentur.

Horum Diaconorum inſtar, in omnibus Eccleſijs, iuxta Chriſtianorũ

maio-

maiorem,vel minorem numerum, & Eccleſiarum in bonis temporalibus ſufficientiam,Diaconi plures,vel pauciores fuere ab omnibus Apoſtolis creati. Benè tamen Diaconos illos nominauere: quia non ſolùm miniſtri pauperum,& multitudinis Credentium fuere electi: ſed, vt miniſtri Apoſtolorum etiam eſſent;à quorum ordine, arbitrio, & imperio haud debebant exſilire: cùm certè Apoſtoli,vt ex c.2.Epiſ.ad Galat.ſuperiùs probauimus,curam pauperum abſolutè, tamquàm à ſuo munere, & ab Euangelizando inſociabilem,neutiquàm abieciſſent. Et hoc nihil aliud fuit,quàm hanc de bonis Eccleſiæ acquiſitis, & acquirendis,legem condere: videlicet: ECCLESIAE BONA, PER DIACONOS, ECCLESIASTICOS VIROS, ADMINISTRANTOR.

OCTAVVM NOTANDVM.

ET quia de electione, ac inſtitutione Diaconorum egimus,operæpretium erit,ſemel de Hierarchia Eccleſiaſticorum notitiam inſerere: vt qualiter à ſecularibus diſtingueretur, agnoſcatur.

Notandum eſt ergo octauò,qualiter,& in quos ſtatus hæc noua Reſpublica,quam Eccleſiam appellamus, ſcinderetur. Nuncupauit Chriſtus Dominus hanc ſuam Rempublicam, Eccleſiam,ideſt concionem, & gregem:& in vtraque nomenclatura, ſuam eſſe conſtantem voluntatem declarauit,vt vnus eſſet Eccleſiaſtes,& vnus Paſtor,iſque eſſet Petrus: cùm Eccleſiæ nomine attento,ei dixit,Matth.c.16.[Tu es Petrus,& ſuper hāc petram ædificabo Eccleſiam meam:] gregis verò ſpectato vocabulo, [Paſce,]inquit,Ioan.c.20. [oues meas:]& cùm Apoſtolorum nulli tale quid dixerit, Petri Præfectura omnium eſt aliarum certiſſima: vt ea ſit ſola Eccleſia,concio;& grex,quam ducit Petrus eius Paſtor,à Chriſto Domino primo Paſtore deſignatus. Ergo quantumuis Græcè, Eccleſia, concionem denotet; nos tamen Chriſtiani eo nomine, Fidelium eſſe ſolùm congregationem,iā per Antonomaſiam intelleximus; cui Petrus,& eius ſucceſſores Romani Pontifices,Eccleſiaſtes, Coryphæi, & Paſtores exſiſtant:quod & Cyprianus,& Hieronymus,olim dixerunt;nam qui ab hac μάνδρα, ſeu grege diſcedunt, vt docet Ambroſius, citatus 24.q.1.c.Aduocauit: fideles nec ſunt,nec dicuntur; vnde Nouatorum, & omnium Hæreticorum,& antiquæ,& nouæ congregationes, & coitiones, Eccleſiæ non ſunt:& Theodoſius,& Valentinianus de Hæreticis,l.5. conuenticula dici voluerunt,nomenque Eccleſiæ,aiunt,nimia ſibi audacia vendicare.

In hac Eccleſia, ſeu Republica Eccleſiaſtica, Hierarchia eius tota ſic fuit nata,ſic adoleuit: vt eius cauſſa omninò Diuina ſit, nihilque humana ratio,vel ſecularium Principum,in ea ſtatuenda,ſibi attribuere poſſit diligentia.Principiò igitur Chriſtus ipſe Hierarchiæ Auctor Eccleſiaſticæ,duos inſtituit ordines, Apoſtolorum,videlicet,duodecim, ac Septuaginta Diſcipulorum:ex Luc c.6.& 10. multitudo reliqua, Credentium,

no-

nomine ſignabatur: ex Act.c.2.vbi, Credentes, vna eſſe referuntur. & c.4. [Multitudinis Credentium erat cor vnum: &c.] Fratres etiam dicebantur: Act.c.11.& tamdem Antiochiæ Chriſtianorum nacti ſunt nomen: ex eod.cap. Apoſtolos creauit Chriſtus, qui pro eo legatione per mundũ fungerentur, ex Paulo, 2.Corinth.c. 5. & ad Epheſ.c. 6. Diſcipulos ſeptuaginta per regiones, ad quas ipſe erat venturus, binos, ac binos prædicatores deſtinauit: ex Luca, c.10. Tertius Diaconorum ordo ab Apoſtolis fuit adiectus: qui in communi vita degentibus Chriſtianis omnibus miniſtrarent, iuxta nomen ſuum: διακονεῖν enim Græcè id ſignificat, miniſtrare, ſcilicet: quem ordinem, re, & nomine facilè percipiemus ab ipſo Chriſto Domino in ſua fuiſſe inſtitutum perſona, qui dixit, Matth.c. 20. [Nõ veni miniſtrari, ſed] vt ſim Diaconus, [διακονῆσαι,] Græcè, ideſt, [miniſtrare] ceteris, & illud actu, & reuera præſtiterit, diſcipulorum lauando pedes, & ſuũ ſacratiſſimũ corpus ipſis tũc diſpertiendo; vnde cetera ſacra munia, quæ ad Diaconos, præter menſarũ curam, pertinebant, facilè colliguntur. De quo viden.d.93.apud Gratianum per totam.

Apoſtoli etiam, qui omnes à Chriſto fuerant Epiſcopi creati, Epiſcopos alios creauerunt, qui ſibi vita functis ſuccederent, quique per ciuitates Chriſtianis præſiderent, & verbum Dei, quod illorum erat, ſicuti eſt, maximum munus, prædicarent. Hi haud poterant vbique in ciuitatibus docere publicè, neque cetera curare, quæ huius Reipublicæ erant, impediti Ethnicorum impietate, ac potẽtia: (immo neque ipſi Apoſtoli, initio paſſi mille Iudæorum perſecutiones, Ieroſolymis:) prohibebant enim collegia, cœtuſque, vt Plinius Nicomediæ, ex Traiani edicto, ſe feciſſe narrat, Epiſt.lib.10.& Martianus Iuriſconſultus de Collegijs illicitis, mandatis principalibus, ad Prouinciarum Præſides, ita contineri ait. Fuit igitur neceſſum primò ab Apoſtolis, deinde ab Epiſcopis ab eis inſtitutis, & eorum ſucceſſoribus eligi viros ætate prouectos, atque ingenio, doctrina, probitate, religioneque eximia, qui Presbyteri inde dicti ſunt, quos ſacerdotio inaugurarent: ſicuti & ipſi à Chriſto Domino in vltima cœna ſacerdotes fuerant ordinati; & cum quibus ſua onera diſpertirent: vt, ſcilicet, docerent populum in ciuitatibus, vel vicis, publicè, vel priuatim, vt rei ferebat commoditas: ſacrificium Deo offerrent, Epiſcopoſque iuuarent in toto hoc munere, Chriſtianæ Reipulicæ gubernandæ.

Presbyteros hos fuiſſe iam Apoſtolorum temporibus, ex eorum Actis, c.14.& 15. conſtat, & alibi; item 1.ad Timoth.c.5.ait Paulus: [Qui benè præſunt Presbyteri, duplici digni honore habeantur: maximè qui laborant in verbo, & in doctrina.] Et ipſi vetat, quominus accuſationẽ contra Presbyterum, niſi ſub duobus, vel tribus ſuſcipiat teſtibus: quod ex Apoſtolorum Can. 2. eſt peruulgatum. Quæ omnia haud ſine exemplo veteris Reip. ab Apoſtolis geſta ſunt: in qua Num.c.11.iuſſus fuit Moy-

ſes ſeptuaginta congregare Presbyteros, cum quibus Dominus Deus, de ſpiritu, ac energia Moyſis, aliquid partiretur: quò populi in regimine, eum ſanctiùs, ac expeditiùs adiuuarent. Horum inſtar, Presbyteri ab Epiſcopis conſtituebantur: vt docendi, baptizandi, ſacra faciendi, ac denique adminiſtrandæ huius Reipublicæ, cum eis curam, & onus ſuſtinerent. Exſtant de hoc Apoſtolici Canones 2. & 38. & Tertullianus id docet, Apologet. c. 39. dicens: [Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti: neque enim pretio vlla Dei res conſtat.] vbi vocat Epiſcopos, Seniores: quia Epiſcopi omnes, Presbyteri, ſeu Seniores dicebãtur; licet nõ è cõtrario: Epiſcopus enim Presbyterorũ omniũ eſt maximus; vnde, & ſummum Sacerdotium, Epiſcopatũ, Taurinatẽſe Conciliũ c. 1. nuncupauit. Epiſcopatus igitur eſt dignitatis nomen, Presbyteratus ætatis, vt & Hieronymus ait, apud Gratianum, 93. d. de quorum Seniorum, ſeu Presbyterorum ad Epiſcopos ſubiectione, præter id, quod ex Paulo ad Timoth. ſtatim retulimus, Ignatius Epiſt. ad Trallianos, & Magneſianos, & Philadelphienſes, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi partes deſcribens, eſt legendus. Erat & inferior ordo eorum, qui Hypodiaconi dicti ſunt: & ſemilatinè, vulgò, Subdiaconi, appellantur, in Diaconorum creati ſubſidium, quibus & ſuberant, ac miniſtrabant: de quo fit mentio Can. 43. Apoſtolorum.

His Ordinibus, quos ſacros maiores noſtri vocauere, acceſſerunt ſequentes minores. Acolythus, videlicet, dicebatur, quaſi non prohibitus, à verbo, κωλύειν, Græcè, quia ei quaſi ſoluto, & libero, ac initiato, licebat ſe ſacris immiſcere, ac cereolum, & vrceolum, quod ſacræ conficiendæ Euchariſtiæ parabatur, quaſi res ſacras contrectare: cuius & erat munus, Eccleſiæ lucernas, ac luminaria concinnare. Licet Iſidorus, omninò vidẽdus pro his, quæ referimus, d. 21. Cleros. Ceroferarios, appellet Acolythos: & nonnullis placeat, dictos eſſe Acolythos, vel Acoluthos, à verbo ἀκολουθεῖν, quod ſequi ſignificat: vt eſſent quaſi pediſſequi, ac famuli, ſeu comites, quos definierunt quidam Iureconſulti, de Iniurijs l. 15. eos, qui frequentandi cuiuſque cauſſa, vt ſequerentur, eſſent deſtinati.

Exorciſtæ deinde erant, qui Chriſti auſpicio, numine, ac nomine, Dæmones profligabant, vel comprimebant: & precationes, quibus ad hoc vtebantur, Exorciſmi dicebantur. Hoc munus eſt antiquiſſimum, & à Chriſti diſcipulis, vt ex Euangelio conſtat, Luc. c. 11. & alibi, peragebatur: & Act. c. 19. oſtenditur, & etymon verbi, & Exorciſmi forma, dum dicitur: [Tentauerunt autẽ quidam, & de circumeuntibus Iudæis Exorciſtis inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini IESV, dicentes: ὁρκίζομεν ὑμᾶς τὸν Ἰησοῦν; ideſt, orcizamus vos, per IESVM, quem Paulus prædicat: &c.] ideſt, [adiuramus,] vt trãſtulit Latinus Interpres: vt faciat ſenſum, iuramento adſtringimus: id enim ſignificat ὁρκίζειν, exacto iuramento, ab aliquo cauere; & illi Exorciſtæ reli-

gione, quā, iuſiurandum, veteres appellarūt, obſtringebant Dæmones, religionis IESV Domini vi, eos coercebant, ac ſedabant poteſtate; ſibi ab Epiſcopis data: qui cùm eam à Chriſto accepiſſent ligandi, ac ſoluendi: & comprimendi, & adſtringendi Dæmonis facultatem etiam fuerant cōſequuti; cùm eam Chriſtus Dominus in ſe credentibus, Marc. c. vltimo, communicauerit, dicens, illos, in eius nomine, ab Energumenis Dęmones eiecturos.

Præterea & Anagnoſtes erat, Latinè Lector: qui ordo Apoſtolorum etiam fuit ætate: vt apparet ex eorum Canone 43. Is maximè fuit neceſſarius, nam precationes, & ſupplicationes, ac proceſſiones publicę fiebant, legendiq́, in concione ipſa Chriſtianorum mos erat, horis etiam antelucanis: vt Plinius, lib. 10. Epiſt. ad Traianum, & Tertullianus in Apologetico, c. 2. & 29. tradiderunt: & oportebat, vt eſſent aliqui, quibus horum incumberet cura, vt commodè fierent: cum S. P. N. Benedictus, etiam ad lectionem inter epulas, cauerit, cap. 38. Regulæ, ne frater quicumque arrepto caſu codice, recitaret, aut concineret: ſed is, qui & præuia, Hebdomadę initio, benedictione, ad Miſſarum Dominicalium ſolemnium exitum, & ſtudio diligenti facto priùs, fratrem edentium valeret aures recreare. Anagnoſtis his quidam annumerant Pſaltes, Latinè Cantores; ſed certè hic non eſt ordo, cum Pſalmiſta poſſet abſque ſcientia Epiſcopi, ſola Presbyteri iuſſione, cantandi ſuſcipere officium, ab eo admonitus, vt quod ore cantabat, corde crederet, neque id operibus improbaret.

Oſtiarius eſt vltimus; quem nedum cùm ædes ſacræ conſtrui cœperunt, verùm & initio eiuſdem Eccleſiæ per domos ſingulas, quaſi peregrinantis, eſt veroſimillimum exſtitiſſe, cui claues committerentur: ſub quibus & ſacra vaſa, & cetera myſtica ornamenta, ad ſancta facienda, aſſeruabantur. De quibus omnibus miniſtris Eccleſiaſticis ab Epiſcopo, vſque ad Oſtiarium, & Pſalten, videndum Concil. 4. Carthaginenſe, à c. 2. vſque ad 10. citatum à Gratiano, 23. d. ſubdiaconus. cum 5. ſeqq. Attamē de eorū muneribus, ac functionibus, cùm hodie in Eccleſia perſeuerent, & praxi ipſa conſtent, plura dicere ſuperſedemus: ſolùm antiquiſſimo vno teſte Ignatio, Epiſt. ad Antiochenſes, eorum antiquitatem demonſtrantes, dum ſic ſcribit: [Saluto ſacros Diaconos, &c. ſaluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, atque Confeſſores.]

Facilè eſt iam ex dictis colligere, diſcrimen grande totius Chriſtiani populi tunc cœptum eſſe, duplicem eiuſdem ſtatum, ac conditionem ſucceſſiſſe: cùm hi miniſtri, ordinem integrarent vnum, qui omninò fuit à reliqua Chriſtianorū multitudine, quaſi alio ordine ſecernendus. Ergo Fideles, ſeu Credentes omnes, aut Clerici erant, aut laici: ducimus genus Chriſtiani ab Oriente, & Græcis: quid mirum, ſi & ab eis nomina

Digitized by Google

Græca ſortiamur? Laici dicuntur Latinè populares, ſeu,vt quidam interpretantur, profani; λαὸς namque eſt, populus: Clerici dicuntur, qui in ſortem peculiarem Domini ſunt adſciti: κλῆρος enim ſortem ſignificat: vnde & Clerici, ſicuti Iſidorus, d.21. dicta declarauit. De quibus omnibus, & ibi,& d.23. licet plura videre:ſicuti, apud Apoſtolorum Canones,& Concilij Romani per Silueſtrum ſtatim poſt Nicęnum celebrati, c.7.& Epiſt.Nicolai, 1. ad Michaelem Imperatorem: vt in corpore iuris Canonici pluribus in locis.

Cùm igitur hæc Reſpublica indies per orbem augeretur: liberum erat cuiq; ſua retinere, vt dicemus poſtea: menſibus tamen ſingulis, vel cùm vellet, cõferebat ſtipem,aut quiddam maius pro deuotione,vel pietate, aut ſufficientia maiore; vt habetur ex Tertulliano vbi ſupra: quibus tempore procedente,ac toto ferè orbe Chriſtiana in pace compoſito, primitiæ fuerunt, & decimæ contributæ. Alebantur ex ijs præfati ordines, qui ſacris faciendis,Reipublicæq; adminiſtrandæ operam dabãt; & quòd ita in eam ſortem, victus, curandæq; rei ſacræ, & publicæ eſſent vocati, & quaſi ſortitò delecti, Clerici appellabantur. Res eæ omnes, quæ dabantur à fidelibus, in Epiſcopi erant manu, & is diſtribuebat illas Clericis, quibus erant communes, necnon & inopibus: vt ex Canone Apoſtolorum,3.& 4. compertum eſt. Hæc omnia exemplo antiquatæ nuper Hebræorum Reipublicæ facta ſunt: vti Hieronymus citatus 12.q.1.Clericus. docuit. Terram namque Cananæorum, Deuter.c.23. iuſſit Deus diuidi vndecim Iſrael tribubus, duodecimæ autem quæ Leuitarum, ſiue Eccleſiaſticorum erat, ſacrificia, decimas, primitias, oblationesq; dari voluit: eorumque partem ſeſe eſſe dixit: vnde Leuitæ verè dicebant,[Dominus pars hereditatis meæ:] quod ſic interpretatur Hieronymus, illa ipſa Quęſtione. Clericos etiam eo dici ait,quod Deus ſit ſors eorum, ideſt pars, & ſorte electi ſint: omnes, inquit, Deus in ſuos elegit: hi namque ſunt reges, ſe & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, quod ipſum & corona in eorum capite deſignat. Et alibi idem Hieronymus latè demonſtrat, quanta olim Clericorum, & præſertim Presbyterorum dignitas exſtiterit.

Qualiter autem [Chriſtus Dominus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum,] ex Paulo ad Hebr.c.9. & quando geſſerit hæc omnia enarrata munia Eccleſiaſtici corporis huius myſtici, per ſuum reale corpus, petendum eſt ab ijs Doctoribus, qui de ſacris ritibus, de ordine Eccleſiæ Hierarchico, agunt ex profeſſo; nobis ad ſtatuum, ſeu ordinum Eccleſiæ notandam diſtinctionem,dicta ſufficiunt.

NONVM NOTANDVM.

NONO eſt notandum; Qualiter vnus Apoſt. Paulus Concluſionis propoſitæ probat efficaciſſimè veritatem.Is enim 1. ad Corin.c. 8.

Macc-

Macedonum,& Chriſti exemplo,ad largiendas in vſum pauperum eleemoſynas, Corinthios exhortans,Macedones,per illius manus, ſuas eleemoſynas,etiam rogando,vt illas acciperet, Sanctis Ieroſolymæ egentibus,teſtatur,remiſiſſe.Eodem capite laudat Apoſtolus Deum,cui pauperum cura adeò eſt cordi,vt,mirabili ſua prouidentia,miniſtros prędeſtinaret,qui ardentiſſimo zelo procurarent, quæ ad pauperum eſſent vſum conferenda.Inter eos autem Titum huius miniſterij commemorat ſtudioſiſſimũ,dicens:[Gratias ago Deo,qui dedit eãdem ſolicitudinem pro vobis,(videlicet circa pauperes,)in corde Titi:quoniã exhortationẽ quidem ſuſcepit:ſed cùm ſolicitior eſſet,ſua voluntate profectus eſt ad vos. Miſimus etiam cum illo fratrẽ noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio,per omnes Eccleſias. Non ſolùm autem,ſed & ordinatus eſt ab Eccleſijs comes peregrinationis noſtrę,in hanc gratiam,quæ miniſtratur à nobis,ad Domini gloriam,& deſtinatam voluntatem noſtram.]

Ecce Paulus mittit cum Tito Presbytero,ſeu iam Epiſcopo fratrem, & comitem ſuæ peregrinationis Barnabam,etiam Epiſcopum,ſegregatũ ex Dei præcepto,Act.c.13.in opus Euangelij,& adminiſtrandi bona Eccleſiæ, qui cum alio tertio fratre Presbytero, cuius infra eodem capite meminit, faciant Collectas, ſiue colligant eleemoſynas à Corinthijs oblatas, quas à ſe ſolùm, non à ſecularibus miniſtris, dixit adminiſtrari ad Dei gloriam, iuxta Pauli promptam voluntatem. Similiter bona Eccleſiæ ex fratrum eleemoſynis, Act.c.11. corrogata, ad ſubuentionem pauperum Sanctorum, qui, fame graſſante ſub Claudio Imperatore in vniuerſo orbe, Ieroſolymis vehementer angebantur,per manus Barnabę, & Sauli mittuntur ad Presbyteros Ieroſolymitanos, qui ea Chriſtianis egentibus diſpenſarent. Item ad Rom.c.15.eſt inſigne exemplum huius adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ,pro alimentis miniſtrorum, & ſubuentione pauperum,ſed ijſdem bonis per Eccleſiaſticos ſolùm diſpẽſandis: dum ſic ſcribit Paulus: [Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc: Si vobis primùm ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiſcor in Ieruſalem, miniſtrare Sanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctos,qui ſunt in Ieruſalem.Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent,& in carnalibus miniſtrare illis. Hoc igitur cùm conſummauero, & aſsignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.]

Ergo Macedonia, & Achaia contribuunt ad alimoniam pauperum Sanctorum, qui erant Ieroſolymis: ideſt, Eccleſiaſticorum Miniſtrorum præcipuè,& Chriſtianorum, è quibus exierant, qui illis Gentibus annunciauerant verbum Dei: hi enim tamquam qui paupertatem illam grandem in Euangelio ſolùm conſultam, amplexi fuerant, Sancti, ad

dif-

differentiam communium pauperum, vt infra videbimus, dicebantur.

Attamen vt fundaméta hæc, quibus innititur Concluſionis probatio, firmiſſima perſtent, vnus locus Pauli accedat, ex 1. ad Corinth. c. 16. vbi ſic eos alloquitur: [De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens, quod ei bene placuerit: vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. Quòd ſi dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt.] Super quem locum notat valdè illud verbum, [ordinaui,] Chryſoſtomus; [Non conſilium dans, inquit, non rogans, ſicut aliàs fecerat, ſed Apoſtolica auctoritate ſtatuens, & ordinans.]

Ecce Apoſtolus ſtatuit, & ordinem adhibet, quo pacto Eccleſiæ bona ad alimenta Sanctorum Miniſtrorum, qui erant Ieroſolymis: (quibus nihil minus, quàm à Macedonibus, debebâtur à Corinthijs, qui ſpiritualiũ illorum bonorum participes etiam fuerant facti:) & ad eleemoſynas etiã Sanctorum aliorũ, per collectas Dominica Die, qua præcipuè ad Deum colendum Chriſtiani, iam ab ipſis Eccleſiæ primordijs, conueniebant, cõgregata, ſint mittenda Ieroſolymam, per talium Presbyterorum manus, quibus comitem aſſignari Paulum ipſum, ſibi maximo ducendum eſſe honori, iudicaret. Ordinatione ergo Spiritus ſancti, per Paulum ordinantis, ſancitum eſt de iure Diuino, hæc bona Eccleſiaſtica, ſiuè pro alimentis miniſtrorum; ſiuè pro eleemoſynis pauperum, ſiue tamdem pro fabricis ſint expendenda; vt per Eccleſiaſticos adminiſtrentur, diſpenſentur, & circa horum bonorum rationem leges Eccleſiaſticæ conſtituantur. Immò crediderimus, ſacrum Concilium Tridentinum, ad hunc locum Pauli reſpexiſſe, quando Seſſ. 25. c. 20. loquendo de Eccleſiaſtica immunitate in genere, [Dei ordinatione,] illam, dixit, fuiſſe conſtitutã.

Colligitur Concluſionis integra prima probatio.

QVIBVS præmiſſis notationibus, Concluſio poſita ſic probatur. Bona Eccleſiæ formaliter adiudicata, quadrifariam, vel ſimpliciter trifariam diſtribuenda ſunt, vt ex S. Silueſtri Conſtituto patet, in 1. Notando: ad alimenta, videlicet, Eccleſiaſticarum perſonarum, ad pauperum ſubuentionem, & ad cultus Diuini externi maieſtatem. Et vt conſtat ex 2. Notando, Chriſtus Dominus ſua bona, in cuius locum Eccleſiæ bona ſucceſſere, per Eccleſiaſticum ſuum miniſtrum Iudam, diſpenſauit: neque ſimpliciter ad illius arbitrium, ſed vt ſemper ex Magiſtri nutu, in bonis illis adminiſtrandis, dependeret. Similiter vt ex 3. 4. 5. & 6. Notandis clarum eſt, Chriſtus ipſe, qui apud nos miris voluit modis remanere, leges tulit, & ordinationes, & diſpoſitiones fecit, quo pacto hæc bona eſſent diſpenſanda; tractantes. Et vt apparet ex 7. No-

tando

Digitized by Google

tando, Apoſtoli Præceptoris Chriſti veſtigijs inhærentes, ordinarunt, & diſpoſuerunt, qualiter hæc bona eſſent diſtribuenda. Et vt 8. habet Notandum, Hierarchia apparet Eccleſiaſtica, quam hæc bonorum pertingebat diſtributio. Et 9. Notando Apoſtolus Paulus clariſſimam lucem huic doctrinæ dedit, ſiue hęc bona diſtribuendo, ſiue circa ea, vt Apoſtolus, pręcipiendo, legem ferendo, ordinando cum imperio; quo toto primitiuæ Eccleſiæ tempore, pluribus exſiſtentibus ſecularibus Diſcipulis ſanctiſſimis, nulla illorum vmquàm, circa hoc, habita fuit ratio. Ergo excluſa omni laica Poteſtate, ad Eccleſiaſticos pertinet horum bonorum diſpenſatio, adminiſtratio, diſtributio, & circa illa Legiſlatio: niſi, ex illorum commiſſione, aliquid horum laicis gerendum commendetur.

DECIMVM NOTANDVM.

Pro 2. & 3. integra Concluſionis probatione.

VERVMTAMEN, vt ſicuti teſtimonijs, ſic ratione etiam, ex intimis ſacræ Scripturę viſceribus educta, Cõcluſio probetur, notandum eſt decimò: Hanc bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem, & circa ea legislationem adeò eſſe cum ſpirituali Eccleſiaſticorũ immunitate, & poteſtate, immò cum ipſa religione Chriſtiana, quatenùs Reſpublica Chriſtiana eſt, cõiunctas: vt quantumuis, circa bona temporalia diſtribuenda, verſentur, nequeant tamen religione, & ſpirituali poteſtate, & immunitate illæſis, ab eis, in praxi ſeparari. Scimus autem apud omnes de Chriſti Domini Euangelio rectè ſentientes, conſtare, quæ pertinent ad religionem, & Dei cultum, adeò cum iure coniungi Eccleſiaſtico, vt qui alterum tulerit, vtrumque videatur ſuſtuliſſe: cap. Quicumque. 12 q. 2. cap. Frater. 17. q. 4. l. 1. C. de Sepulch. violat.

Hoc ergo primum ſciendum eſt, antiquos diuerſarum hæreſeon, ſeu ſectarum Auctores Philoſophos, omni ſtudio ſemper curaſſe, ad ſuas ſectas propagandas, diſcipulos externis beneficijs allicere, & in ſocietatẽ, & amicitiã, temporalibus ſubſidijs, conciliare. Refert Diogenes Laertius, in vita Epicuri, illum Philoſophum moriturum, in vltimis tabulis, partem magnam ſuorum reddituum conſignaſſe, ad eorum ſuſtentationem diſcipulorum, qui eius doctrinæ ſectatores, ſuis patrimonijs diuenditis, in communi vixerant; ne deinceps, Præceptoris præſentia orbati, mendicare cogerentur. Plato 12. Dialog de Legibus, hoſpitia publica voluit propè templa ædificari, in quibus Sacerdotes, eos omnes, qui ad Athenarum ſtudia, & mores, & ceremonias confluerent viſendum, ex proprijs templorum redditibus ſuſciperent, & alerent. Lucianus in Dea Syria eſt Auctor, ſimilibus publicis hoſpitijs peregrinos, qui ad eã, religionis ergò, proficiſcebantur, hoſpitatos fuiſſe. Gymnoſophiſtæ,

refe-

referente Philoſtrato,in vita Apollonij,lib.6.c.4.domos habebant communes,in quibus,& excipiebant,& benignè, proprijs ſumptibus, tractabant eos,qui conueniebant ad eos,conſilijs poſtulandis, vel Philoſophię ſecretis myſterijs,aut Deorum ceremonijs addiſcendis. Ioſephus narrat de Hebręis,lib.21.quanta charitate,& benignitate Proſelytos amplectebantur; de quibus Chriſtus ſic reddit teſtimonium, Matth. c. 23. [Vę vobis Scribæ,& Phariſæi,quia circuitis mare,& aridam, vt faciatis vnũ Proſelytum,&c.] Quod idem facere Turcas hodie,cũ his, qui Machometi turpibus myſterijs initiantur, referunt Marinus Barlecius,& Cuſpinianus,ille lib.1.Hiſt.Epit.hic de Relig.Turcarum.

Sed vt ad priora, & antiquiora Eccleſię ſecula veniamus, Auguſtinus lib.2.de Morib. Manich.ſcripſit, quemdam ditiſſimum Manichæum, Romæ Diſcipulos plures Manichæi diu domi continuiſſe, & proprijs ſumptibus ſuſtentaſſe; quia doctrinæ ſui Præceptoris nondum capaces, eam non ſequendam, ſed irridendam auditoribus proponebant, Gennadius de Iuliano Epiſcopo Capuan. Hæretico Pelagiano ſcriptum reliquit, illum pauperum cura ſuſcepta, & inter eos, & pecunijs, & muneribus largis diſtributis, plures ex illis ſtudioſè, & acriter, in Pelagianæ hæreſis partes ſolicitaſſe. Sit vltimum exemplum, ad cognoſcendũ quantum doctrinæ accedat auctoritatis, ſi ex ea ſperent auditores, compendia ſibi temporalia etiam affutura: Heraclides lib. de Paradiſo c. 30. ait, ſe oculatum eſſe teſtem, plures Hæreticos ad Catholicæ fidei gremium Galatiæ rediſſe, duorum piorum coniugum, valida graſſante fame, largis eleemoſynis inuitatos.

Fuit ergo iuſtius, vt Apoſtoli Chriſti doctrinæ ſectatores,Chriſti operis Vicarij,maiori intenderent cura,Chriſtianis Neophytis alendis,non vt quaſi arcta, beneficentiæ, & communionis, de qua loquitur Apoſtolus ad Hebræos c.13.arte,homines vellent, vt Chriſtiani fierent, ineſcare; quod grauiter annotauit Bonifacius Papa,& habetur 1.q. 2.c.Quam pio. idque eò minus de Eccleſiæ illius columnis potuit cogitari, quò bona, quæ diſtribuebant,pro maiori portione, ab ipſis ea acceperant, Chriſto, & eius pauperibus renunciata, in quorum ea rurſùs beneficium diſpenſabant.

Attamen Apoſtoli ſancti id ſolùm præ mentis oculis habebant,hominum animos diabolica fraude deceptos,è tenebris Aegyptijs,ad veritatis lumen adducere: & quouſque virtutibus plumeſcerent, curabant, in Eccleſiæ nido, pullis coruorum eos inuocantibus,ex Pſalm.146. eſcas præparare; quouſque ad montana, ad cæleſtia, videlicèt, poſſent,ſicuti maiores paſſeres, tranſmigrare;poſtulantes ab Aegyptijs vaſa aurea, & argentea,& veſtem pretioſam, Exod.c.11.& 13.quæ deerant, ad plenè,extrà Aegyptum,Domino ſacrificandum.Tunc ad litteram adimpletum fuit id, quod Chriſtus Dominus Marc. c.10.& Luc. c. 18. promiſe-

rat,dicens: [Nemo eſt,qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros,propter me, & propter Euangelium; qui non accipiat centies tantum nunc,in tempore hoc; domos,& fratres,& ſorores,& matres,& filios,& agros, cum perſecutionibus;& in ſeculo futuro vitam æternam.]

Quæ res tantæ fuit apud Apoſtolos conſiderationis, vt priuſquàm ſeptem illos Diaconos eligerent; de quibus diximus ſupra: etiam relicta prædicatione Euangelij,& cum verbi Dei diſpendio,quod in bonam terram cadens faceret fructum centuplum:Matth.c.13.numeroſiſſimæ Chriſtianorum multitudini ſuſtentandæ deſudarent; vt ipſi conqueruntur Act.c.6. dicentes: [Non eſt æquum derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis,]non ſolum Chriſti legis,ex Marco nunc citatæ, ſed etiam veteris legis,licet mortuæ,nondum tamen forſan tunc mortiferæ, habẽtes rationem; qua Deuter. c. 15. ſic cauetur: dum de libertate ſeptimo anno ſeruis agitur reſtituenda: [Et quem libertate donaueris,nequaquã vacuum abire patieris: ſed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo,quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.] & infra: Non auertes ab eis oculos tuos,quando dimiſeris eos liberos; quoniam iuxta mercedem mercenarij per ſex annos ſeruiuit tibi.

Hac lege edocti Apoſtoli,eos,quos Chriſtus Dominus ſeruos ſuo pretioſo ſanguine in libertatem Euangelij,ideſt,à legis duritia, & à peccato aſſeruerat,ipſi Chriſti operis geſtores, & actores, neutiquàm vacuos abire permittebant:immo illorum neceſſitatibus corporalibus apprimè ſemper conſuluerunt:quaſi paupertatis, deformis alias ſponſæ, ſpecioſi Paranymphi:ne charitatis paralyſi in ventrem Neophytorum inſiliente, Chriſtianæ profeſſionis feruor tepeſceret, vel omninò deficeret: donec [formato iam Chriſto in illis,]ex Apoſtolo ad Galat.c.4. [in menſuram ætatis plenitudinis deuenientes fidei,]ad Hebr.c.10. [ſcirent ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti:]& ſic [implerentur in omnem plenitudinem Dei.]ad Epheſ. c. 3. vnde quaſi viri,[perfecti in agnitionem eiuſdem Dei filij,]ad Epheſ.c 4. [occurrere potuiſſent.]

Hęc etiam eſt expreſſa doctrina D. Ioannis 3. Can. ſic ſcribentis ad Caium:[Chariſſime,fideliter facis,quicquid operaris in fratres; & hoc in peregrinos,qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ, in conſpectu Eccleſiæ;quos benè facies deducens dignè Deo. Pro nomine enim eius profecti ſunt,nihil accipientes à Gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſmodi:vt cooperatores ſimus veritati.] Explicant hic aliqui illud [veritati,]videlicet fidei,alij ſãctitati.Eſt tamẽ germana huius loci explicatio hinc ſumenda.Chriſtus eſt Veritas,ipſo dicente apud Ioan.c.14. [Ego ſum via,& veritas,& vita:]cooperari ergo veritati, eſt opera ſimilia facere veritati,vel cum eadem veritate,ſcilicet Chriſto,eadem opera efficere.Chriſtus igitur Luc. c. 9. volentibus Apoſtolis dimittere turbas,

poſt concionem habitam ab eo, vt ſupra notabamus, ſic illis præcepit: [Vos date illis manducare:] quod & præſtitit ipſe, hilari, & abundanti conuiuio, ad manum panibus paucis, & paucis piſcibus multiplicatis, eos excipiendo.

Vbi Ambroſius non decuiſſe, docet, copioſam illam auditorum multitudinem famelicam dimitti: ne deficerent in via; i deſt, non ſolùm, ne corporali defatigatione langueſcerent: verùmetiam, ne à doctrina audita deficerent, ac ſcrupulis circa illam angerentur, & dubitationibus, quæ ſubnaſci in eorum animabus, (quæ ex doctrina Ariſtotelis, & Galeni, afficiuntur à corpore, ſicut è conuersò) ex corporibus fame laborantibus, moleſtarentur. Cooperari, iuxta hoc, veritati, dixit S. Ioannes, eſſe, Chriſtianos, ſcilicet, pauperes, & peregrinos, cibo animæ, cibo etiam corporis, Chriſti imitatione, recreare.

Similem reddit Auguſtinus rationem Collectarum, quas Apoſtolus faciebat: lib. de Catechizandis rudibus: quia hi, qui ex Gentibus ad fidem Chriſti veniebant, & ſuis diuenditis facultatibus, ſemel eas pauperibus largiebantur; haud potuiſſent, & Deo ſeruire, & vitæ neceſſaria procurare: adhuc rudes in doctrina Chriſti, & quaſi tyrones in arcta militia Chriſtianiſmi. Cumque ex Remigio ſuper c. 15. ad Rom. hi Neophyti haud eſſent myſterijs inſtituti, vt poſſent verbi Dei incumbere prædicationi, ideò ieiunijs, vigilijs, & orationibus vacantes, ſacræ Scripturæ intelligendæ, quod reliquum erat temporis, incumbebant.

Hinc ad Apoſtolorum imitationem, primis illis Eccleſiæ temporibus, ex Tertulliano, in Apol. c. 34. tanta cura, tanta ſolicitudine, condemnatos Chriſtianos ad arenarias, ad aurifodinas, ad lapidicinas, ad metalla, ad balneorum ſtructuras, (quorum veſtigia adhuc ipſa Romanæ Vrbis nos docet ruina,) denique ad carceres, ſubuenire ſuis largis, & frequentibus eleemoſynis, ceteri Chriſtiani procurabãt, ne tam neceſſario deſtituti ſubſidio, fidei Catholicæ profeſſioni renunciarent.

In quibus omnibus neutiquam hæc ſubſidia temporalia, finem dicimus fuiſſe conſtituta eorum, qui illis adiuuabantur; quod fuiſſet non Deum, ſed ſeipſos, & corporalia quærere: ſed erant quædam conditio, ſine qua haud fuiſſet, miraculis crebris non ſuccedentibus, poſſibile, tanti ædificij molem, vel conſurgere, vel inconcuſſam perſeuerare. Et his conſonat doctrina illa Auguſtini, à nobis ſuperius adducta, videlicet, [Non eſſe cogitandum de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum à Chriſto, vt nihil pecuniæ ſeruaretur à Sanctis, ſed ne Deo, propter iſta, ſeruiatur, & propter inopiæ timorem, iuſtitia deſeratur.]

Quibus antiquioribus rebus geſtis, ſi præſentis Eccleſiæ ſtatum comparemus, in partibus vtriuſque Germaniæ hæreſi infectis, in Anglia, Scotia, Hibernia, Polonia, Geneua, Seduno, Rupella, & vbicumque Hæreticorum audacia Eccleſiæ bona in ſecularis poteſtatis transferenda docuit,

&

Digitized by Google

& effecit poteſtatem: vnde omninò abſciſſa eſt ſpes, per Epiſcopatuum, Abbatiarũ, Sacerdotiorum pinguium, & Eccleſiaſticorũ redditũ ſubſidia, pauperes hæreticos ad ſaniorem mentem, ex occaſione, cõuertendos, & Catholicos in ſancta ſua profeſſione confirmãdos; facilè ex his omnibus, hac ratione collecta, Concluſionem roborabimus.

II. Probatio integræ Concluſionis.

BONA temporalia Eccleſiæ, quatenùs vtilia ad opera virtutum exercenda, quibus in vitam æternam perducimur, videlicet, ad eos vſus, quibus, iam diximus, eſſe adiudicata; ſecundùm hoc directè, & ſimpliciter contenta fuere ſub merito Chriſti Domini; ſicuti & noſtra prima gratia, & illius augmentum; & omnia illa, quibus adiuuamur, poſt primam acceptam gratiam, ad beatitudinem conſequendam. Vnde dicta bona nuncupantur congruè, ſanguis Chriſti in cruce effuſus; ergo ſub hac ratione, ab illis ſolùm ſunt adminiſtranda, & diſpenſanda, & ab illis, circa ea, ſunt ordinationes, & leges præſcribendæ de Iure diuino, quibus ſpirituale noſtræ beatitudinis opus, eſt de Iure diuino, per Chriſtum Dominum, & per eius ſacros Apoſtolos, demandatum. Sed hoc ſolùm ſpectat ad Eccleſiæ Miniſtros, & Prælatos, & maximè ad ſummum Pontificem: ergo Concluſio noſtra vera eſt.

Maioris antecedens propoſitio eſt doctrina Sancti Thomæ, 1.2.q. 114. art. 10. Conſequentia in maiori eſt nota; quia media neceſſaria ad finẽ ſpiritualem, vt ſic, à curantibus ſpiritualia ſunt tractanda. Aſſumptio cũ ex pluribus locis Sacræ Paginæ poſſit probari, ſufficiat modò ille Apoſtoli Pauli ad Epheſ.c.4. de Chriſto ſcribentis: [Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti.] Ecce Prælati Eccleſiæ ſunt conſummatores Sanctorum, vt corpori Chriſti reali, & vero corpus Eccleſiæ myſticum cohæreat: & ædificium conſurgat Eccleſiæ integrum, & illud Regnum reſultet, quod Deo, & Patri eſt tamdem Chriſtus traditurus: ex ipſo Paulo, 1. ad Corinth. c. 15. de quo inferius adhuc ſermo redibit. Tota ergo argumentationis vis cohæret.

Obiectio quædam ſoluitur.

NEQVE obſtat, ſi dicatur contrà, Ratione eadem poſſe probari, omnia bona ſtatus ſecularis eſſe etiam ab Eccleſiaſticis, & miniſtris ſpiritualibus diſpenſanda, &c. quatenùs ſunt vtilia ad dicta opera virtutum, quibus ducimur in vitam æternam; & quæ comprehenduntur etiam ſub merito Chriſti.

Nam reſpondetur; quòd hæc bona temporalia ſunt bona hominum, iuxta illud Pſalm. 113. [Terram autem dedit filijs hominum:] & non

ſunt ſimpliciter,& per ſe ad illum finem deſtinata : vnde habent ſe ad eū remotè: quocircà eorum diſpenſatio ſimpliciter ſpiritualem ordinem non attingit:ſed ad homines,vt ſic,pertinet. Attamen bona Eccleſiæ ſunt deſtinata ab ea ad illum finem proximè,ſcilicet,dum ſunt alimenta Eccleſiaſticorum,vt habeamus Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum;dum ſunt ſubuentio pauperum,vt dum [pauperes Euangelizantur,]ex Iſai.c,62.Matth.c.11.& Luc c.4.[& beatificantur.] Matth.c 5.& Luc.c. 6. Chriſtus exſulans in illis ſæpius à domibus diuitum , habeat in Eccleſiaſticis bonis vbi caput ſuum reclinet; dum ſunt applicata pro fabrica,& cultu Diuino externo, habeat Eccleſia vbi Deo penſum debitum exſoluat ſuarum laudum, & venerationis ; in quibus omnibus conſiderationibus ſunt ſimpliciter , & per ſe bona ad illum finem diſtincta;vt illis medijs,in ſuo genere,vltimam quietem in cælis adipiſcamur. Ergo tamquàm bona Dei,& Chriſti,& media ad illum colendum, illi ſeruiendum,& ipſo fruendum,ſunt à ſolis ſuis miniſtris Eccleſiaſticis , qui Matth.c.16.& Ioan.c.10.maiores hominibus, & Dij ab ipſo Chriſto vocantur,diſpenſanda, &c.

III. Probatio integra Concluſionis.

VNDE ſicuti colligebamus ſupra , immunitatem perſonarum Eccleſiaſticarum,ex coniunctione,quam habet ad ſpiritualem poteſtatem,eſſe factam quaſi illius ordinis, & ab illa eſſe inſeparabilem ; ſic modo colligimus, hanc diſpenſationem bonorum Eccleſiæ , & circà ea legiſlationem,ex coniunctione,quam habent,ex Chriſti,& Eccleſiæ inſtitutione, ad dictum finem,eſſe factas altioris ordinis,ad ſolos Eccleſiaſticos,& ſpirituales Miniſtros pertinentes.

Quod ex eo vltimo cōfirmatur:quia niſi ab hoc eſſet excluſa laica Poteſtas,[abundante iniquitate,& charitate refrigeſcente:] quod futurum prædixit Chriſtus Matth. c. 24. facilè timentes Dominum minuerentur omni bono,contra illius promiſſum, Pſalm. 33. & videremus iuſtum derelictum,& ſemen eius quærens panem : cùm id numquàm viderit Regius Propheta: ex Pſalmo 36. quo tempore charitas in mundo breuioribus ſpatijs arctabatur.

LEGES
De Bonorum Eccleſiæ diſpenſatione.

SED pro Concluſionis ; & eius probationis complemento, adiungimus leges expreſſas , quas Apoſtoli, & Eccleſiaſtici ſequentes Prælati , in ſui muneris exſequutionem, circà hæc bona Eccleſiæ tulerunt , vel antequàm à S. Silueſtro , ſicuti diximus ; in Concilio Romano qua

drifa-

driſariam diſtribuerentur, vel paulò poſt. Ergo ipſi Apoſtoli Canone 41. citato, 12.q.2.ſic diffiniuerunt:c.[Præcipimus, vt in ſua poteſtate res Eccleſiæ habeat Epiſcopus. Si enim animæ hominum pretioſiores illi creditæ ſunt, multò magis decet, eum curam de pecunijs agere: itaut eius poteſtate omnia indigentibus diſpenſentur, per Presbyteros, & Diaconos; & cum timore, & omni ſolicitudine miniſtrentur,] ſequitur in c.[Ex his autem, quibus Epiſcopus indiget, ſi tamen indiget, in ſuas neceſſitates, & peregrinorum fratrum vſus, & ipſe percipiat: vt nihil ei omninò poſſit deeſſe. Lex enim Dei præcipit, vt qui altari deſeruiunt, paſcantur de ipſo.]

Fuit ſecunda lex lata præcedentis germana, in Concilio Agathenſi, c.35.& refertur eadem 12.q.2.c.[Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem: ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reuerentia, & timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi tamen indiget, tam in ſuis, quàm in fratrum, qui ab eo recipiuntur, neceſſarijs vſibus, profuturis: itaut nulla qualibet occaſione fraudentur: iuxta S. Apoſtolum ſic dicentem: Habentes victum, & veſtitum, his contenti ſimus. Quòd ſi contentus his minimè fuerit, conuertat autem res Eccleſiæ in ſuos domeſticos vſus: & eius commoda, vel agrorum fructus non cum Presbyterorum, Diaconorumque conſcientia pertractet: ſed horum poteſtatem domeſticis, aut propinquis, aut fratribus, filijſq; ſuis committat: vt per huiuſmodi perſonas occultè res lædantur Eccleſiæ, Synodo Prouinciæ pœnas iſte perſoluat.]

Tertiam legem edidit Concilium Carthagineń. tertium nomine, & inde refertur, 12.q.3.videlicet, [Placuit, vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros, vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tamquàm rerum Dominicarum inuaſionis crimine teneantur obnoxij: niſi admoniti, Eccleſiæ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis propriè aliquid liberalitate alicuius, vel ſucceſſione cognationis obuenerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruit. Quòd ſi à ſuo propoſito retrorſum exorbitauerint, honore Eccleſiaſtico indigni, tamquàm reprobi, iudicentur.] Fuit igitur hoc Patrum ſacrum ſancitum, vt quæ Epiſcopus, aut Clericus ex paupere ditior factus, ex bonis Eccleſiæ emiſſet, eadem Eccleſiæ cederent, eidemque illa, in quemlibet, quouis titulo, transferendi facultas non eſſet. Sanciendi autem huius Canonis hæc fuit occaſio: Cùm reddita Eccleſiæ pace, vbique bonis afflueret, quamplures ex his, qui ei miniſtrabant, pietatē in quæſtum commutantes, ſtudio ſanctitatis, & cura pauperum abiectis, diuitias colligendi ardore dumtaxat flagrabant. De quibus ſic ſcripſit Hieronymus, Epiſt. 2. ad Nepotianum: [Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quàm fuerant ſeculares: vt Clerici, qui poſſident opes, ſub Chriſto paupere, quas ſub locu-

plete,& fallace Diabolo non habuerunt: vt ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos.] Et paulò poſt: [Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quamdam peſtem, fuge.]

Quartam legem tulit Symmachus Papa, ſic ad Cæſarij conſultationes reſpondens: Epiſt. 5. [Poſſeſſiones quas vnuſquiſque Eccleſiæ proprio dedit, aut reliquit arbitrio, alienari, quibuſlibet titulis, aut diſtractionibus, vel ſub quocumque argumento, non patimur: niſi fortè, aut Clericis bonorum meritorum, aut Monaſterijs, religionis intuitu, aut certè peregrinis, ſi neceſſitas largiri ſuaſerit: ſic tamen, vt non perpetuò, ſed temporaliter perfruantur.]

Quinta lex eſt Gelaſij, qui 12. q. 2. ſic ſtatuit. [Quattuor tam de reddi- tu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuſlibet Eccleſiæ facultas admittit: ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, conuenit fieri portiones. Vna eſt Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricæ.] Et ſimilia habet Gregorius Magnus ibidem, dum ſcribit Auguſtino Cantuarienſ. Archiepiſcopo, in hæc verba: [Mos eſt Apoſtolicæ Sedis, ordinato Epiſcopo præcepta tradere: vt de omni ſtipendio, quod accidit, quattuor debeant fieri portiones: vna, videlicet, Epiſcopo, & familiæ eius: propter hoſpitalitatem, atque ſuſceptionem: alia Clero: tertia verò pauperibus: quarta Eccleſijs reparandis.] Quod Concilium Toletanum, ead. q. inſtitutum ab Apoſtolis fuiſſe, teſtatur, vt ex Can. 41. ſupra adducto exploratum eſt. Et de horum Eccleſiæ emolumentorum iuſta partitione, habetur diffuſè, per Ambroſium, alids citatum, 12. q. 2. cap. Aurum habet.

Epiſcopus vnde dictus.

ET cùm hiſce legibus, Epiſcoporum appellentur perſonæ, vt Eccleſię res, iuxta illius adminiſtrent decreta: placuit ſemel adnotare: nomen hoc, vnde, vel quare retinuerint. Probauimus partim in ſuperioribus, Epiſcopos Eccleſiæ, & præfuiſſe, & præeſſe debere, & ſummam Eccleſiaſticæ adminiſtrationis ad illos ſpectare: quod ipſum eſt adhuc inferiùs comprobandum. Epiſcoporum tamen nomen potiùs, quàm Præſidum, vel Præfectorum, vel illuſtrius aliud ſequuti ſunt; quia quantũuis Epiſcopus, Latino vocabulo, Inſpector ſit, quod eorum optimè adaptatur muneri: hi tamen apud Ethnicos etiam Epiſcopi dicebantur, qui pani, ac rebus præfecti erant venalibus: quæq; ad quotidianũ victũ pertinebant. Hoc erat perſonale munus: vt Arcadius Ethnicus Iureconſultus docet, in l. poſtrema, de muneribus, & illud definit eſſe, quod functione animi, & corporis exſequimur, ſine aliquo noſtro incommodo: Vt tutela, & cura. Sic Valentinianus, & Valens Imperatores, in l. 1. de Epiſcopali audientia, ſcribunt. [Negotiatores, qui ad domum noſtram

per-

pertinent; ne commodum mercandi videantur excedere, Chriſtiani, quibus verus cultus eſt iuuare pauperes, & poſitos in neceſſitate, prouideant Epiſcopi.] Nondum erat Paganiſmus ſepultus, & id antea Epiſcopi Ethnici curabant. Item ex Concilio Valentino, de emptione, & venditione, ſic ſcriptum eſt. [Placuit vt Presbyteri plebes ſuas admoneant,] vt & ipſi hoſpitales ſint, & non cariùs vendant tranſeuntibus, quàm mercatu vendere poſſunt; alioqui ad Presbyterum tranſeuntes hoc referant: vt illius iuſſu, cum humanitate ſibi vendant.] Vbi Presbyter, Epiſcopus dicitur, vt etiam Bernardus explicat.

Primum ex quattuor Corollarijs, quæ colliguntur notanda.

QVÆ Apoſtolorum, & ſummorum Pontificum, Conciliorumque Decreta, alijs ſimilibus, quæ afferri poterant nunc omiſſis, eo etiã fine fuere hic inſerta, quia magno vſui, ad inferiùs tractanda, ſunt nobis profutura. Interim tamen primò ex illis colligimus: non ſolùm prædicta fuiſſe curæ Epiſcopis; ſed ex Eccleſiæ etiam bonis, ſua nimirùm parte, vt ex Gregorio Magno perſpeximus, hoſpitales erant in gentes aduenas, & peregrinos. Vnde Ioannes Apoſtolus Diotrophem quemdam exſecratur, quod iſtud officium negligeret præſtare. His addit Concilium Carthaginenſe, 4. c. 30. excipi etiam ſolitos conuiuio; quod conuiuium, quæ hoſpitalitas, & humanitas, Agapæ pauperum dicitur, in Laodicenſi Concilio, & apud Gratianum, d. 42. ἀγάπη Charitas dicitur, ab ἀγαπᾶν, ideſt, diligere. Epiſcopi autem à ſuis Diaconis, de ſuorum, & aduenarum inopia, certiores fiebant, de morbis eorum, & grauioribus quibuſcumque caſibus, quò eſſent parati, illis ſubuenire. Et hoc fuiſſe inter præcipua munera Diaconorum, ex Epiſtola Clementis, iam citata ſupra, habemus: ſicuti ex illo Apoſtolorum Canone, paulò ante adducto, per eos, & per Presbyteros neceſſaria fore illis ſubminiſtranda. Nunciabatur etiam Chriſtianæ plebi, vt inuiſeret, ac largis eleemoſynis, grauiſſimè decumbentes ſubleuaret.

Secundum Corollarium.

COLLIGIMVS ſecundò, & quantò in periculo ſuarum animarum verſentur Epiſcopi, vel ſimiles Prælati, qui quadrantem illum pauperum retinent inter ſuos redditus: neque eum pauperibus, & egenis, per ſingulos annos, reſtituunt, reddunt, & conſignant. Quadrans certè ille, ideſt, bonorum Eccleſiæ temporaliũ quarta pars lege Apoſtolica, Pontificia, Comitiali; voluntate denique eorum, qui res Eccleſiæ donarunt, quotannis eſt pauperibus perſoluendus: nam non plus iuris Antiſtites in ſua quam egentes, in ſua habent portione: ſunt enim illius tantùm adminiſtratores, ad erogandum illis, non autem ad ſuis, vel ſanguine, vel affinitate iunctis, vel domeſticis arrogandum. Neque ad

cor-

corruptelam prauæ, ac inueteratæ conſuetudinis, licet illis appellare, quæ ius nulli tollit: ſed ipſa potiùs eſt tollenda. Abuſus & vitij apud integros iudices nulla eſt præſcriptio: immò pœna grauior: vſucapiendum enim eſt, non abuſu: & conſuetudo auget flagitium, non minuit, denique non præmium, ſed ſceleris pœna computatur. Habent Clerici Eccleſiæque miniſtri, ſua & pinguia alicubi ſacerdotia, & ſtipendia, quæ partes eorum loco ſufficienter eſſe poſſint: ex Concilio Toletano, relato. 12.q.2. quadrans ad reficienda ædificia ſacra, alijſque miniſterijs templi inſeruiendum, conſtitutus, licet alicubi non integer, attamen nulla præſcriptione ſummouetur, quin ſi opus eſt per iudices competentes dictis munijs, inuitis etiam eius detentoribus, applicetur. Cur quadrans hic quartus afflictorum, & egentium, quæ eſt quaſi tot liberorum legitima pars, in iudicium, Romanis id Pontificibus, quorum eſt Chriſtiani populi cura, præcipientibus, non veniet: ſiqui ſunt Antiſtites, qui æs iſtud alienum diſſoluere recuſarent?

Quid? illa lapidea ab Eccleſiane magis, quàm animantia iſta curanda? Abſit. Cùm præſertim in ſumma egeſtate, vel Reipublicæ vltimo damno, ac quaſi extremo ſpiritu, non tantùm, quæ ædificijs reficiendis, vel erigendis ſacris, ſimilibuſque muneribus deſtinata ſunt, verùm etiã ſancta ipſa vaſa, & omnia penitus intima domus Dei vtenſilia, externa denique, ac interna, quęcumque ſunt paramenta, egentibus ſint contribuenda: quin etiam demolienda eſſent templa: ſi eorum lapides panes eſſent, aurum, vel argentum, vt pauperes, inopes, & afflicti in illa annonę caritate leuarentur. Quid vmquam ſacri Pontifices Romani æquius, pium magis, ſanctum magis, & magis Numini æterno gratum, ac Reipublicæ Chriſtianæ ex vſu magis, quàm hæc vna res eſſe poſſet? cùm hanc ob cauſſam pietatis in iacentes, infirmos, miſeros, viduas, pupillos, ſenes imbecillos, & Nobiles ad inopiam redactos, felix publica res, & priuata ſumma pax, & tranquillitas, ſempiterna ſalus, & incolumitas promitti à Deo, ex ſacrorum Codicum teſtimonijs, comprobetur.

Se pręſentem, etiam corporaliter, in Sacramento mirabili Euchariſtię, Chriſtus Eccleſiæ ſemper affuturum promiſit: dicens, vt habet Eccleſia: [Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.] & Luc c.22. [Hoc facite in meam commemorationem:] quod ſupra dicere cœpimus. Se affuturum præſentem Eccleſię, ſpopondit, per gratię, & regiminis aſſiſtẽtiam, & ſubminiſtrationem: cùm dixit: [Ego vobiſcum ſum, vſque ad cõſummationem ſeculi:] at quia ad corporis realis Chriſti receptionem ea requiritur, ex Apoſtolo, 1. ad Corinth. c. 11. probatio, ne indignè illud præſumamus manducare: quia ad gratiæ, per Sacramentum pœnitentię, vel aliàs veram contritionem, grandis requiritur in peccatore diligentia: ad regiminis ab Spiritu ſancto communicati, grandis eſt in Paſtoribus Eccleſię vigilantia neceſſaria: facillimam tertiam inijt

Chri-

Chriſtus viam, ſeſe hominibus præſentandi, dicens: [Quicquid vni ex iſtis,] de minimi habitis, ac pauperibus, & afflictis loquebatur, [feciſtis, mihi feciſtis:] quod per regium prædixerat Vatem, Pſalm. 40. [Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem:] ideſt, ex Euthymio, intus egenum, & pauperem, legit Chriſtum.

Locus eſſet infinitus communis in liberalis eleemoſynæ laudibus, & excellentijs declamandis: quid, non in liberali, ſed de iuſtitiæ rigore debita ab Epiſcopis portione pauperibus poſtulanda? Nonne hæc voluntas Imperatorum, Regum, Principum, Rerumpublicarum, & eorum qui Eccleſias locupletarunt, appareret: quamtumuis Apoſtolorum, Conciliorum, Pontificum, Patrumq; Eccleſiæ ſanctorum Decretis ſancitum eſſet prorsùs nihil: vt egenis, ac inopia laborantibus, relictam aliquam partem quoque vellent, non autem totum vni ſoli, qui, quaſi Charybdis vorax, omnia valeret abſorbere? Numquam profectò ea tot defunctorum mens fuit: numquam is tot Chriſtianorum animus: immò ſalutis æternæ ſtudium, quod in hac exercenda pietate effulget, quod in miſerorum ſuccurrendis neceſſitatibus declaratur.

Quòd ſi tantopere leges, & omnis Diuina, & humana ratio, atque iudicium, defunctorum voluntates amplectuntur, & colunt in rebus, quæ ſingulorum ſunt vſibus applicatæ: quid in hac publica, Diuina, & religioni adeò coniuncta? Quocirca ſupplicamus ſummo Pontifici Paulo V. piiſſimo, ac Canonum Eccleſiaſticorum zelantiſſimo exſequutori: & per Chriſti IESV, cuius perſonam gerit, viſcera obteſtamur: idemque viui, idemque mortui, tam ab eo, quàm à ſuis Romanis Pontificibus ſucceſſoribus, ſupplices deprecamur: vt commoneant, & vbi opus eſt, cogant ſua auctoritate Apoſtolica Antiſtites, per orbem Chriſtianum: ſiqui ſunt, qui iſtud negligunt: ne hoc ſacrum Euangelicum, Apoſtolicum, Conciliare, Pontificium, Comitialeque ius excidere patiantur: ne ſtatus ſecularis ab Eccleſiaſtici ordinis reuerentia deterreatur: ſi videat, dum millia millium ſcutorum aureorum, immò decies centena millia non miniſtrant, (cùm abſcondita, & inuiſa ſint:) ſed aſſiſtunt ſolis Antiſtitibus; millium millia pauperum, & decies centena millia virginum, viduarum, ſeniorum imbecillium, orfanorum, Nobilium egentium, carceribus detentorum, ac peregrinorum egent, torquentur, & affliguntur.

Exempla duo adminiſtrandi Eccleſiæ bona, pro ſequentibus Corollarijs notanda.

HIC tamen nolumus ſilentio premere duo notanda exempla: alterum laicæ Poteſtatis, circa bona Eccleſiæ diſpenſanda, iniquè ſatagentis, per Eccleſiam æquè reiectæ: alterum laicæ Poteſtatis, circa legem iuſtam, de bonis Eccleſiæ ferendam, curantis, ab Eccleſia non admiſſæ: ex eo, quòd leges Principum, ac Ciuilium Magiſtratuum, ſi quid

priuatim ad Eccleſiæ,ſiue Clericorum vtilitatem decernant: niſi firmentur Eccleſiaſtica auctoritate,irritum ſit,& inane:cap.Bene quidem.d.96. cap.Final.de reb.Eccleſ.non alien.Gloſſ.& Doctor.cap.Eccleſ.S.Mariæ. de Conſtit. præcipuè Panor num.2. notab.3.Butr.num.3. Zabarel.nu 3. Imol.nu.7.Berous.nu.6.& 26.Dec.nu.16. 88. 91. Felinus latiſſimè.Bal. nu.5.& cap.Si duobus.nu.3.de Appell.Abb.cap.Non minus.num.10.de Immun.Eccleſ.Surd lib.3.Cōſ 62.& 301. Turrecrem.cap.Cùm ad verū. d.96.nu.4.Card.cap.Quæ in Eccleſiarum.nu.2.de Conſt.Imol.ibidem nu 6.Dec.nu.16.& infra.Butr.num.97. quæ omnia iura Canonica nihil ſunt aliud, quàm iuris Diuini,& Euangelici latior explicatio.

Ergo cùm Sixtus I. Pontifex, in ipſa ad martyrium via, ſanctum admoneret Leuitam, ſeu Archidiaconum Cardinalem Laurentium, de theſauris Eccleſiæ feſtinè in pauperes diſpenſandis: cùm poſt triduum eſſet ipſum glorioſi martyrij triumpho ſequuturus: ea diſpenſatione per eum ſtudioſè facta, ad Pontificis vota; Principe laicæ poteſtatis tyranno armato gemina face; auaritia, vt à Laurentio tolleret aurum; impietate,vt auferret Chriſtum;Laurentius vnico verbo victoria ouans,oſtenſis Eccleſiæ pauperibus, per eorum manus, in cæleſtes theſauros Eccleſiæ facultates fuiſſe, reſpondit, deportatas. Cùmque ex Euſebio,lib.6.Hiſtor.cap.26. Et ex Oroſio, lib.1.c.25.diuitiæ illæ Eccleſiæ maximè fuiſſent theſauri Philippi Imperatoris primi Chriſtiani,quos Fabiano,pluſquàm decennio ante, ad pauperum vſum, pro expiandis ſuis obtulerat facinoribus: ne nobis ſint importuni contradicentes, illum fuiſſe Principem Infidelem, cui Laurentius tradere Eccleſiaſtica bona nō debebat: fingamus, fuiſſe eumdem Philippum Chriſtianum Imperatorem, qui ea bona à Pontifice, vel eius Miniſtris repetebat; eadem certè animi fortitudine, per martyrij etiam, ſi oportuiſſet, interceſſionem, fuiſſent illi à Laurentio deneganda: atque in pauperum vſus inſumenda.

Alterum eſt exemplū ardentiſſimi zeli immunitatis Eccleſiaſticæ defendendæ:cùm in Concilio Romano,ſub Simplicio Papa,Baſilio,Odoacri Regis vicemgerenti,legem,de non alienandis bonis Eccleſiaſticis,ferenti Patres interceſſerint: legem aliàs competentem, ab incompetenti laico Legislatore editam conſultiſſimè refutantes. Videndum Concil. 3.ſub Symmacho Papa,cap.1.& ſeqq.

Tertium Corollarium.

HINC colligimus tertiò, loquendo vniuersè,tam quò ad perſonarū Eccleſiaſticarum,quàm quò ad earum bonorum immunitatem: quo magno Conſilio, tam iura Canonica,quàm Ciuilia cauerint:vt cùm ſemper ſpectandus ſit animus Legiſlatoris, vnà cum verbis, quibus leges exprimuntur:l.Cùm Pater.§.donationis.ff.de legat.3.Calder.Conſil.12. inter Conſil. Anchar.n.3.Anch.ipſe Conſ.145.& ad c.Canonum ſtatuta,

quæſt.11.princ.num.168.de Conſt. Alex.lib.2.Conſ.211.nu.10. Si legis verba Ciuilis obſcura ſint, aut ambigua, Iudex tum Eccleſiaſticus compellere poteſt Legiſlatorem, vt legem perinde interpretetur: vt appareat, ea Eccleſiaſticos non comprehendi. Gemin.c.Fin.de immunit.Eccleſ.in 6.Franc.ibidem.nu ...

Quartum Corollarium.

COLLIGIMVS quartò, quàm rationi congrua eorum ſit Iuriſprudentium ſententia, qui eas leges Ciuiles, contra libertatem Eccleſiaſticam eſſe definiunt, ex quibus Clerici efficiuntur timidiores. Bartol. Auctent.Caſſa.C. de Sacroſ.Eccleſ.& l.1.§.quæ oneranda.ff.quarum rerum actio non detur. Angel.ibidem.Bald.d.Auctent.Caſſa. Abbas. cap.Nouerit.de Sent.excommun.& in repet. ad cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ.de Cõſtit.Anchar.c.Canonum ſtatuta.verſ.quarto circa hoc.de Conſtitution. item quàm certa ſit eorum Iuris ſcientium opinio, qui illas leges, eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, affirmant, per quas tolluntur, vel imminuuntur, ea quæ iuris communis beneficio, vel aliquo ſaltem priuilegio Eccleſijs, atque perſonis Eccleſiaſticis debentur: ſic Cin. & Salicet.d.Auctent.Caſſa.C.de Sacroſ.Eccleſ.Bald.in repet.ad l.Cunctos populos.verſ.nunc de tertio membro.C.de ſumm.Trinit.& Fid.Cathol.& in Auctent.ſtatuimus,in fin.C.de Epiſc.& Cleric.Conſ.187.& §.ius autem Ciuile. q:vlt.Inſtitut.de Iure nat.Gent.& Ciuil.Fulgoſ.l.1.C. de Summ.Trin.& fid.Cathol. Lap.alleg.91. Alex.lib.2. Conſ.211.lib.6. Conſ.18.Conſ. 209. nu.14.Conſ.210.num.11.Butr.Imol.Felin.c.Eccleſ. S.Mariæ.nu.69.de Conſtit.idem Butr.c.Nouerit.de Sent.excommun.n.9. Innocen.& Panorm.ibidem.nu.2.qui lib. 2. addit, hanc eſſe communem theoricen. Rursùs Imol. in c.Cùm terra.de elect.

Explicatur vltima pars Concluſionis.

ILLA particula vltima Concluſionis, qua aſſerimus, laicos homines, ex commiſſione Eccleſiaſticorum, ad quos ſpectat bonorum Eccleſię diſpenſatio, poſſe aliquid circa ea gerere negotij: nulla eget probatione. Nam ſuppoſita veritate Concluſionis, tamquàm miniſtri, ad illud munus poſſunt aſſumi. Hic tamen nullum præiudiciũ factũ eſſe volumus, ſecularibus Iuſpatronatus habentibus, in quibuſcumque Eccleſiaſticis, & pijs locis; & ob id aliquam bonorum ibi adminiſtrationem, vel curam; de quo videre licet Concil.Tolet.9.c.1.quod nihil obſtat noſtræ Concluſioni. Cùm talia Eccleſiaſtica, & pia loca nequeant inſtitui, erigi, conſeruari, niſi Eccleſiaſticis viris, & Prælatis, reſpectiuè, conſentientibus, ea conſeruantibus, viſitantibus, reformantibus. Quæ omnia altioris ſunt ſpeculationis, longè diſtantia à noſtri Tractatus inſtituto.

Dubia quædam circa prædicta.

VERVMENIMVERO, vt his faciamus ſatis, qui vel Eccleſiæ opibus, ſitibundi, & hiantes, inſidiantur: vel illas ſaltem Eccleſiæ inuident: vel vltimò circa earum diſpenſationem dubitant: vel ſatagunt: vel, quod peius eſt, ſe ingerunt non vocati: conueniens viſum fuit, ſequentia tractare Dubia fuſiori diſputatione.

I. *Circa Eccleſiæ bona, & maximè immobilia.*
II. *Circa bonorum Eccleſiæ acquiſitorum diſpenſationem.*
III. *Circa Legiſlationem de bonis Eccleſiæ acquirendis.*

DVBIVM PRIMVM.

Circa Eccleſiæ bona, & maximè immobilia.

NON deſunt, qui zelo, & æmulatione, Dei forſan, ſed non ſecundùm ſcientiam: ex Apoſtolo, ad Rom. cap. 10. voluiſſent, Eccleſiã Chriſtum ſuum caput pauperem ſequendo, in ea puritate, & ſimplicitate permanſiſſe: qua primitiui eius poſt Chriſtum inſtitutores Apoſtoli fuere, per orbem vniuerſum, conuerſari; tantò à rerum temporalium extranei cura, quantò æternarum auidi curatores; qui in carne degentes, verè dicebant cum Paulo, 2. ad Corinth. c. 10. [In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus:] quia, ad Philipp. cap. 3. [noſtra conuerſatio in cælis eſt.] Felicis ſtatus felix quidem votum: felicior etiam Eccleſiaſticis hominibus actus: ſi poſſent, inſtantibus his temporibus periculoſis, dicere cum ipſo Paulo, 1. ad Corinth. c. 6. [Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes:] & non potiùs vereri poſſent, de illis prologuium eiuſdem Apoſtoli verificandum: ſcilicet: [Nihil intulimus in hũc mundum, haud dubium, quia neque auferre quid poſſumus.] 1. ad Timotheum, cap. 6.

PRIMVM NOTANDVM.

ET vt faciliùs ab hac difficultate nos expediamus, eius abdita per decem ſequentia Notanda propalemus. Eſt ergo notandum primò: Philoſophos antiquos voluiſſe inducere Reſpublicas, ad publicas res, & communes habendas. Hoc fuit Platonis inſtitutum, in ſuarum legum conditione: ſicut & S. Clemens, Epiſt. 5. De communi vita docet: & refertur 12. q. 1. c. Dilectiſſimis. Eſt tamen Auctor Theodoretus, lib. 9. contra Gentiles, nullam Rempublicam, Regnum nullum leges Platonis ſuſcepiſſe: neque ipſos ſuos Athenienſes illarum curaſſe: quas crudeles, & inhumanas eſſe cenſuerunt: & Ariſtoteles, lib. Politic. 1. c. 2. eam com-

mu-

municationem rerum,difficilem nuncupauit.

Nihil tamen mirum, homines in natura lapſa,ex Protoparētis delicto, & in proprijs mille alijs criminibus volutantes,ingens id naturæ integræ bonum,quo temporalibus bonis indiſtinctè,abſque, meū, & tuum, pronominibus,frui hominibus licebat,& neſciuiſſe,& ad praxim reduci,impoſſibile eſſe, iudicaſſe. Neque mundum ad illa retrahere ſuæ infantiæ felicia initia,gloria erat Philoſophis concedenda,quæ mundi Conditori, & Reparatori eſſe noſcebatur reſeruata. Itaque Chriſtus Dominus hāc bonorum temporalium communionem, & Apoſtoli eius Diſcipuli prædicarunt,& ad vſum,& praxim reuocarunt: & inter primos Chriſtianos fuit obſeruata religioſè:vt conſtat ex Apoſtolorum Actibus:cap.4.& refertur 12.q 1.c.Scimus.& hodie in Religionibus obſeruatur, & fortaſſe perfectiùs:vt ſentit R.Epiſcopus Toſtatus q.29.ſuper 3.cap.Geneſ.quàm tunc inter Chriſtianos communes ſeruabatur.

SECVNDVM NOTANDVM.

VBI omninò aduertendum eſt ſecundò: Hanc vitæ communitatem ab Apoſtolis ſanctis inſtitutam,&, Apoſtolico exemplo, primæ illi Eccleſiæ Ieroſolymitanæ commendatam, ad quam hortatur Clemens dicta Epiſtola,vt ad vitæ ſanctitatem commodiſſimam.ne quis eam,tamquàm otioſam,& humanæ vitæ incommodam,contemnere,aut reprehendere auderet:vt iam olim auſi ſunt Hæretici quidam, patres eorum qui hiſce vltimis temporibus, eam ab Eccleſia, etiam cum Eccleſia, à ſuis prouincijs perfidè profligarunt: idcircò ad ortum naturæ integræ ante peccatum retulit eius originem Clemens,dicens: [Vſus enim omnium, quæ ſunt in hoc mundo, communis omnibus hominibus eſſe debuit: ſed per iniquitatem,hoc eſt,propter peccatum Adæ,factum eſt: vt alius hoc ſuum eſſe dicat,& alius iſtud: ſic inter mortales facta diuiſio eſt.] Et ad hunc eumdem ſtatum naturæ integræ,ac nondum,propter peccatum, diuiſæ,hoc genus vitæ communis,Magnus Baſilius docuit,referendum.

Quo ergo Clemens,exemplo Apoſtolorum,traditionem vitæ communis,maximè ex voto ſuſceptæ, commendaret, & ad eius neceſſariam vouentibus obſeruantiam commoueret: rationem ex naturæ integræ ſtatu petiuit,ac ſi diceret.An ſtatus naturæ illius,quæ à Dei manibus, ſuis numeris abſoluta egreſſa eſt,in quo vſus omnium rerum eſſe debebat communis,non ſatis edocet vos,communem vitam à ſanctis Apoſtolis traditam, ad excellentem ſtatum pertinere? Vt iam qui ſtatum vitæ communis Religioſorum improbant, vt faciunt noui Hæretici, ſit conſequens vt ſtatum quoque primæ innocentiæ Paradiſiacæ improbaturi planè videantur.

Huius tamen vitæ communis, ex naturali charitate proficiſcētis, perfectio,& conſummatio,eſt vita communis per Diuinam gratiam oſtenſa

& tributa: cùm Dominus, vt docet Baſilius in Aſceticis Cõſtitutionibus, congregatis diſcipulis communia omnia, & ſe ipsũ communem eis præbuerit: ſicuti charitatis naturalis perfectio, & abſolutio, eſt charitas ſpiritualis, & Diuina. De quo notando videndi ſunt dictus Baſilius, & Auguſtinus, & maximè dum Pſalmum 127. [Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum:] pertractant: cum alijs Patribus, & Doctoribus, qui Cœnobiticam defendunt viuendi diſciplinam.

TERTIVM NOTANDVM.

TERTIO eſt notandum: Bona temporalia, & eorum poſſeſſionem haud eſſe legi Chriſtianæ repugnantia: ſicuti Hæretici dicti Apoſtolici, apud Auguſtinum de Hæreſ. c. 40. malè docebant, & Iulianus Apoſtata; qui, ſicuti ſupra diximus, Eccleſiæ perſequutionem augens, cum vectigalibus, tributis, & varijs extorſionum modis, Chriſtianorum bona ferè omnia depeculabatur: ad eorum querelas, ex Chriſti doctrina, iuxta ipſius commentationem, Chriſtianos mala fide bona habere temporalia, ſolitus erat reſpondere.

Vltimis autem temporibus in Conc. Conſtantien. fuere damnati hi VVitcleffi tres errores grauiſſimi, Seſſ. 8. 10. 32. & 33. Primus videlicet, [Ditare Clerũ, eſt contra regulam Chriſti.] Secundus, [Silueſter Papa, & Conſtantinus Imperator errauerunt, Eccleſiã ditando.] Tertius, [Contra Scripturam ſacram eſt, quòd viri Eccleſiaſtici habeãt poſſeſſiones.] Sanctus autem Thomas 2. 2. q. 188. a. 7. quærens, An habere aliquid in communi diminuat perfectionem Religionis? partem negantem acerrimè defenſauit. Neque pœnitebit lectorem conſulere Orationẽ R. Ioannis de Polemar Hiſpani, S. Rotæ Auditoris, quã habuit in Concil. Baſilienſi, de Ciuili dominio Clericorum: anno Chriſti 1433. & habetur To. 4. Conciliorum in vltima editione Colonienſi.

Attamen D. Dionyſius lib. de Diuin. nomin. c. 6. ſcripſit Chriſtianam Rempublicam initio naſcentis Eccleſiæ trifariam fuiſſe diuiſam: in Monachos, Clericos, & Seculares. Monachi, ex Philone, lib. de Vita contemplat. in remotioribus locis vitam agebant auſteram in communi, & ſine proprio: orationibus, & myſterijs addiſcendis, & contemplandis vacantes. Clerici viuebãt in communi, & vixerunt vſque ad tempus Vrbani I. Papæ, de quo dicemus ſtatim: non tamen quin ex illis aliqui ſuas in particulari facultates poſſiderent: ſicuti fuit Philemon, & aliqui Chriſti Domini, ſecundùm carnem, conſanguinei: qui fuerunt Epiſcopi, & hereditates poſſidebant: iuxta Euſebium, & Egeſippum: de quo videndus Thom. Vualden, lib. 1. art. 3. c. 37. Ex Chriſtianis ceteris multi, vel quia Concilium Apoſtolorum, Act. c. 15. id non poſtulauit; vnde arctiſſima nolebant conſtringi vita: vel alijs de cauſſis, de quibus quinto Notando ſtatim dicemus, ſuarum facultatum neque vſum, neque proprietatem abdi-

cabant: vt conſtat ex Act.c.9. vbi refertur Dorcas pijſſima fœmina Ioppe à Petro reſuſcitata, precibus etiam plurium viduarum, quæ Petro oſtenderunt tunicas,& veſtes,quas,ex ſuis facultatibus, illis fecerat.

Ibi etiam habetur, Petrum in eodē portu apud Simonem Coriarium, per dies multos,fuiſſe commoratum. Act.etiam c.16. Lydia purpuraria Paulum cum Timotheo coēgit in domo ſua manere. Hoc clariſsimè probatur ex Pauli 1.ad Corin.c.11.vbi reprehendit diuites Corinthios,qui ſacratiſsimam ſumpturi Euchariſtiam; ſoliti primò ex ipſius Pauli inſtitutione,Chriſti aſſeclæ,pauperes ad conuiuium excipere in Eccleſia: iam illis contemptis,vel non exſpectatis, charitatis fraternæ fomento in libidinem ſolutam diuitum commutato, & conuiuia communia, & opipara celebrabant,& ſacræ Communionis cæleſtibus myſterijs paſcebantur. Vnde eſt conſequens, Corinthios ſuas integras facultates retinuiſſe.

Immo iudicia, & Iudices erant,& lites: ibidem c.6.& ad rei familiaris curam,& ſtudium hortatur idē Paulus Ep.ad Timoth.c.5.& ad Titū,c.2. Nec ſerui,propter Baptiſmi ſuſceptionē manumittebātur,aut liberabantur dominorū poteſtate: ead.Epiſt.c.6.In quo etiā conſtat,diuites fuiſſe, cùm eos exhortetur,ne in theſauris ſuis ſpem reponant,&c & ad Coloſſ. c.3.ait: [Exſpoliantes vos veterē hominem,cum actibus ſuis:& induentes nouum; eum, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius,qui creauit illum: vbi non eſt Gentilis,& Iudæus,circumciſio,& præputium; Barbarus, & Scytha; ſeruus, & liber; ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.

Alij tamdem Chriſtiani,licèt facultatum ſuarū proprietati nō renunciaſſent: vſum tamen earum ex charitate liberum reliquerunt, fratribus Chriſtianis,tanta cum animorum ſinceritate,vt referat Lucianus in vita Peregrini,multos ex Gentilibus aſtu,& dolo malo Chriſtiana abutentes ſimplicitate,diuitiarum non mediocria feciſſe compendia, ſe Chriſtianos egentes ſimulando. De qua Gentium oculis inuiſa, auribus inaudita, & moribus inſolenti fraternitatis charitate,immò de ipſo nomine fraternitatis, & fratrum, qualiter in admirationem Gentiles raperentur, notat Tertull.in Apologet c.39.

QVARTVM NOTANDVM.

HIC tamen eſt quartò ſubnotandum; quòd ſingularis fuit ratio de Chriſtianis, qui Ieroſolymis, ad Chriſti, & Apoſtolorum prædicationem, crediderant: hi enim omnem ſuarum diuitiarum proprietatem, & vſum à ſe abdicantes, tam mobilia, quàm immobilia bona diſtrahentes, ſuarum facultatum pretium ad pedes Apoſtolorum adducebant; vt habetur Act.c.2.& 4.qui prout ſingulis erat opus Chriſtianis & veſtitum,& victum quotidianum,initio per ſeipſos, deinde per Dia

conos,

conos, quos ad id crearunt munus, diuidebant. Cùm enim in hanc Rempublicam, qui venirent, & ſua venderent, & vniuerſitatis eorum pretia etiam facerent, ad Apoſtolorum diſpenſationem: fuit conſequens, vt inde, tamquam ex ærario publico, Chriſtiani omnes alerentur: eiſque, quaſi in Prytanęo, victus quottidianus præberetur.

Hæc Apoſtolica inſtitutio habuit cauſſam materialem, Iudaicæ Reipublicæ, videlicet, futuram diſperſionem, & ciuitatis vaſtationem à Chriſto prædictam: Matth. c. 24. Marc. c. 13. & Luc. c. 19. ſic habetur 12. q. 1. c. [Futuram Eccleſiam Apoſtoli in Gentibus prauidebant. Idcircò prædia in Iudæa minimè ſunt adepti: ſed pretia tantùm ad fouendos egentes, & cetera.] Cùmque ciuitas, & templum eſſent ſubuertenda, ne, vt docet Beda Venerab. paruuli, & lactentes in fide, admirando ſanctum ſeculare, à Prophetis ſanctis, à Domino ipſo inſtitutum, à ſinceritate fidei Chriſti ad carnalem Iudaiſmum laberentur: conſulta ratione nihil proprij voluerunt Apoſtoli in ea terra ab Eccleſia poſſideri, in qua Chriſti ſanguine clamante Iudæorum obſtinatorum interitum, radices non erat altas habitura.

Verùm ad formalem, & finalem cauſſas adſpiciendo, id ea ratione ab Apoſtolis fuit geſtum: vt reparationis noſtræ per Chriſtum IESVM gratia affulgeret mundo, ad eius creationis gratiam comparata; & ſecundi hominis de cælo cæleſtis 1. ad Corinth. c. 15. ad primum hominem de terra terrenum excellentia coruſcaret. Vnus enim Adamus, & eius coniux in gratia conditi, quam Deus illis cum natura fuit ipſa largitus: in paradiſo omnibus affluentes bonis, quaſi omnibus egerent, ligni vetiti copia non ſuppetente, de eo guſtantes, non Dei ſcientiam, falsò à Dæmone promiſſam, ſunt conſequuti: ſed gratiam, & ſanctitatem perdiderunt. Erant certè vnica tantùm prohibente lege adſtricti, ad cuſtodiam facili, in materia non odioſa, & quam, ſi per extrema Paradiſi, & non per proprij appetitus vagarentur extrema, in medio virtutis obedientiæ habitantes, in medio Paradiſi non frugiſſent.

Quibus contrà opponitur Ieroſolymis, Act. c. 2. & 4. ampliſſima ciuitate, O Chriſti IESV gratia immenſa, & donum non vt delictum 1. ad Rom. c. 5. multitudinis Credentium inuicem, & cum Chriſto cor vnum, & anima vna: qui omnibus egentes, omnibus abundabant: quoniam nullus eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: & legis Chriſtianæ arcta via, ex Matth. c. 7. circumſepti, quaſi ex Matth. c. 11. Iugum ſuaue, & onus leue ſufferentes, in medio nationis prauæ, ex Epiſt. ad Philipp. c. 2. templi adita vnanimiter frequentantes, frangentes circà domos panem, ſalutari ſcilicet ligno vitæ, Euchariſtiæ ſacramento recreati, cum exſultatione, & ſimplicitate, & charitate, quæ omnem exſuperabat ſcientiam, Deum nouæ lucis, & noui Mundi, & nouorum hominum Conditorem collaudabant.

Vnde

Vnde quò noſtrum afferamus intentum, de illa primitiuorum Eccleſia in cælis conſcriptorum, relata ad Hebr.c.12, placet conſiderare; fuiſſe dubio procul dictum in ſpe, quod in re de illorum fuit parente Iacob pronunciatum: Sapient. c. 10. Cùm enim filij, ex Ariſtotele, ſint aliquid patris: de Iſraele ipſo, & ſimul dictum fuit de ſuis carnalibus, &, quod glorioſiùs eſt, de ſpiritualibus filijs, iuxtà illud, quod Ioan.c.1. dixit de Nathanaele Chriſtus, ſcilicet; [Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt:] & iuxta illud Pauli, ad Rom.c.2. [Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera:] &, c. 9. [Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij; ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.]

Ergo Spiritus ſancti proloquium de Iſraele parēte, & Iſraelitis filijs tale eſt: [Iuſtum deduxit ſapientia per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei: & dedit illi ſcientiam ſanctorum.] Verè enim ſapientia Dei Patris Chriſtus IESVS, qui olim in Iſrael effecerat & hæc, & quæ inferiùs referuntur, in veris Iſraelitis Chriſtianis primis idem perfecit: illos enim deduxit per vias rectas: quando ſuos Diſcipulos eduxit è ciuitate Ieroſolymitanâ, Luc.c.24. quaſi valedicerent legis Moſaicæ obſeruantiæ: & deduxit eos foras in Bethaniam, iuxta ſuum nomen, domum videlicet, obedientiæ legis Euangelicæ: præcipiens eis, vt eo ad cælos aſſumpto, ne diſcederēt à ciuitate Ieroſolymitana: ſed exſpectarent promiſſionem Patris: Act. c. 1. qua impleta, deducerentur, & deducerent alios per vias, & ſemitas rectas. Iſai.c.40.

Inſuper oſtendit illis regnum Dei: quando rogatus ab eis ibidem: [Domine ſi in tēpore hoc, reſtitues regnum Iſrael?] ei reſpondit: [Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: ſed,] aliud, videlicet, vobis ego regnum meditor: [accipietis enim virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos:] qui efficiet vos [regnum Sacerdotale, & regale Sacerdotium:] 1. Petr. c. 2. & Apocalypſ. cap. 5. [qui docebit vos omnia quæcumque dixero vobis.] Ioan.c. 14. Et tandē ſic dedit illis ſcientiam Sanctorum: qua, ſcilicet, ſcirent [reprobare malum, & eligere bonum.] ex Iſai. c.7.

Felix certè infelicis promiſſi, in donum felix, commutatio: tunc enim pro ſcientia promiſſa à Dæmone primis parentibus, quæ illos in barathrum coniecit ignorantiæ, & ſui, & Dei, data fuit Chriſtianis primordialibus illa ſcientia Sanctorum, vt poſſet Paulus, Sanctos eos ſimpliciter, ad ceterorū per orbem Chriſtianorum diſtinctionem, celebrare: ſic enim de eis ad Rom.c.15. loquitur: [Nunc igitur proficiſcor in Ieruſalem miniſtrare Sanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia colla

tionem aliquam facere in pauperes Sanctos, qui ſunt in Ieruſalem.] Quo loco Remigius eos, ait, à Paulo appellari pauperes Sanctos, qui fortunis ſuis venditis, ad Apoſtolorum proiecerunt pedes earum pretia: vel illos, qui propter fidei confeſſionem, ſuorum bonorum rapinam cum, & gaudio ſuſtinuerant: ad quos Paulus ſępius argentum, aurum, triticum, & veſtes, vt antiqui ſcripſerunt Doctores, affluenter etiam demandauit.

De quibus idem Paulus ſic loquitur 2. ad Corinth. c. 9. [Quoniã miniſterium huius officij, non ſolùm ſupplet ea, quæ deſunt Sanctis: ſed etiam abundat, per multas gratiarũ actiones, in Domino.] Agebat Paulus de eleemoſynis à Corinthijs erogandis primitiuis Chriſtianis, Ieroſolymis egentibus: & eſt ſenſus: Quoniam harum eleemoſynarum adminiſtratio, non ſolùm neceſſaria victui, & veſtitui Sanctorum, qui ſunt in Ieruſalem, ſubminiſtrat: ſed etiam facit, vt plurimæ, à plurimis, Deo gratiæ agantur; quia veſtra ea charitate corda inflammat, vt tanto cum animi candore, Sanctis illis ſubuenientes, quaſi confiteamini demùm Euangelium Chriſti, illius primis profeſſoribus communicantes. (iuxta quod ipſe ad Galat. c. 6. docuerat) in omnibus bonis: quaſi, qui ab eis, & vos, & ceteri catechizentur Chriſtiani: & inſuper, quia ipſi reciproca, vel etiam eminentiore, pro vobis obſecrant charitate.

QVARTVM SVBNOTANDVM.

CONSEQVENTER quartò eſt ſubnotandum ex Auguſtino, libro nunc citato cap. 23. quòd hi pauperes, ſeu Sancti, in numeroſo Eccleſiæ exercitu excubias faciebant; ieiunijs, & orationibus aſſiduò vacantes; & contra Dæmonum efferatas, vitæ ſanctimoniæ, dimicantes poteſtates: quibus ſtipendia, ex aliorum Chriſtianorum bonis, Apoſtoli mittebant: qui, ſi nihil aliud facerent, quàm Apoſtolis, ad debellanda vitia, per orbem diffuſis, cuſtodire ſarcinas Conſtitutionum Chriſtianarum, & rituum cultus Diuini, quæ Chriſtus, quæ Apoſtoli, inſtituerant, & docuerant; ſtipendio illo non eſſent priuandi, ex ſpolijs auarorum diuitum, quos Apoſtolica victoria Chriſto ſubdiderat; hoc Iure belli, per os Magni illius bellorum Domini Ducis Dauidis, olim ſic enunciato 1. Reg. c. 30. [Aequa pars erit deſcedentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas; & æqualiter diuident.]

Sed cùm de his Sanctis Ieroſolymitanis pauperibus, & cauſſis eos ſic Apoſtolos conſolandi, Ambroſ. in 2. ad Corinth. & Hieronymus epiſt. cõtra blaſphem. Vigilant. & q. 1. ad Hedibiam, optimè loquantur: ſolùm notentur, in c. 15. ad Romanos, illa verba, quæ conſultò hic referenda voluimus, ſcilicet: [Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem Sanctis.] Quo lo-

co Hieronymus illorum inde arguit excellentem ſanctitatem,quod Apoſtolus,quaſi quid excellens,dixerit primò,ſe proficiſci in Ieruſalem, miniſtrare Sanctis; ſed inde præcipuè, quod orationibus ſe Romanorum commendat,vt dicti Sancti velint illas eleemoſynas acceptare. Vnde concludimus,de illis ad litteram Iſaiam fuiſſe vaticinatum, dum c. 6. Iudaica delineata cæcitate,in Chriſto agnoſcendo,& conuerſione quorũdam ex eis, maximè ex ciuitate Metropoli Ieroſolymitana, ſic prophetat: [Et adhuc in ea decimatio,& conuertetur:] & infra: [Semen ſanctũ erit id,quod ſteterit in ea;] id abſque dubio ſemen,de quo c. 1. dixerat: [Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus,& quaſi Gomorra ſimiles eſſemus.]

SEXTVM NOTANDVM.

SEXTO eſt notandum; vix Apoſtolis,vel eorum pluribus vita ſanctiſſimè functis,priſtinum illum Credentium ardorem paulatim tepuiſſe; ac pro communi illa quiete diſcordias,ac contentiones, conſilio diabolico,ſuccreuiſſe. Fuit eius rei illa potiſſimùm occaſio; quòd non eodem omnes iure haberentur, qui ad fidei profeſſionem accedebant. Siquidem ab ea multitudine,quæ ex alienigenis,& varijs,ac diuerſis gentibus confluebat,Eccleſia,iam vſque à primis Apoſtolorum temporibus, ex eorum Conciliari decreto, Act.c.15. edito,nihil amplius requirebat, niſi, vt ab immolatitijs Idolorum,à fornicatione,à ſuffocato, & ſanguine temperarent. Hoc enim pro ſtabiliendis fidei fundamentis, abolendaque inueteratæ Gentilitatis conſuetudine,expedire iudicatum eſt.

Hæc libertas malè accepta,deteriorem reddidit antiquũ cõmunis vitæ ſtatum; cùm enim non omnibus, ſed Gentilibus tantùm, ea, quam diximus ratione,indulta fuiſſet;effecit nihilominus,vt Ieroſolymitanæ etiam Eccleſiæ perfectio contaminaretur: ſiquidem creſcente magis in dies indigenarum,aduenarumque numero,eò paulatim res fuit redacta, vt non ſolũ in ijs,qui ad fidẽ Chriſti recens conuenerant, verùmetiã in illis,qui erãt Eccleſiæ Principes,cõmunis antea vitæ vinculũ laxari cœptum fuerit: vnoquoque ex illis ſecum ſtatuente,nihil ſe magnopere reprehenſione dignum admittere: ſi,quod Gentibus conceſſum eſſe videbat; retentis ſubſtantijs,proprijſque facultatibus, Chriſti fidem, ac confeſſionem ſequeretur. Tractat de hoc fusè Caſſian. Coll.18.cap. 5. & hæc fuit occaſio Clementi,ſcribendi epiſtolam illam 5.ſupra relatam,de Communi vita, fratribus Ieroſolymitanis.

Vtcumque ſit; quo faciliùs genus Chriſtianum propagaretur, in ſuis, quemque ad fidem venientem,facultatibus viuere permiſſum eſt: ne rerum communicandarum,aut amittendarum metus,à Chriſtianiſmo quẽquam reuocaret. Verumenimuerò non ſolùm quo tempore, quadrageſimo poſt Chriſti Domini mortem anno, Iudæa à Veſpaſiano, & Tito va-

ſtata, & Ieruſalem ciuitas, olim ſancta, fuit cum templo diruta, & igni, ac ferro depaſta, ſaltem aliquod hoc ſemen ſanctum, quod referebamus adhuc ſuperfuiſſe in ciuitatem Berithum tranſlatum fuit: ne cum impijs Iudæis deperiret, & ibi diu conſeruatum Verumetiam Sanctis illis originalibus, in ciues Sanctorum, ad Epheſ. c. 2. & domeſticos Dei in cælos tranſlatis, ſucceſſere Eccleſiaſtici religioſiſſimi, immo & ſeculares viri multi, qui in communi viuentes, Apoſtolorum, & Sanctorum, quos diximus, vitam imitantes, vitæ Chriſti memoriam, non libris ſcriptis, ſed rebus geſtis, diutiùs conſeruarunt.

De quo videnda Epiſtola Decretal. Vrbani I. de Comm. vi. & oblat. fidel. ad omnes Epiſcopos. Videnda etiam Epiſtola ad Ieroſolymitanæ Eccleſiæ Clericos, Clementis I. qui hanc ipſam viuendi regulam tenuit; & refertur 12.q.1. Conſilium. Quo verò ne latiùs ſerperet malum illud præconceptæ diſcordiæ, magiſque in dies ad contentionem animi incitarentur: hac ratione tanto huic periculo primùm occurſum eſt. Siquidem communi & Sacerdotum, & fidelium omnium conſenſu fuit præclectum: vt loco pretij, quod pro venditis agris ſolui conſueuerat, hæreditates ipſæ, ac agri, Epiſcopis traderentur. Exiſtimarunt autem id fore conſultiùs, Ananiæ, & Saphiræ exemplo perſuaſi, cum ſic omnis in poſterum mentiendi ſimiliter occaſio tolleretur.

Dicti verò Vrbani I. ſanctiſsimi Pontificis, iam tertio Eccleſiæ ſeculo, anno Chriſti 224. exſtat de hac re diſpoſitio cap. Scimus. 12. q. 2. & cap. [Videntes (ſequitur) ſummi Sacerdotes, & alij, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis poſſe conferre: ſi hæreditates, & agros, quos vendebant, Eccleſijs, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent: eò quòd ex ſumptibus eorum, tam præſentibus, quàm futuris temporibus, plura, & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus, communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipſorum: cœperunt prædia, & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſijs tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Ipſæ verò res in ditione ſingularum Parœciarum Epiſcoporum, qui locum tenent Apoſtolorum, erant, & ſunt vſque adhuc, & futuris ſemper debent eſſe temporibus; è quibus Epiſcopi, & fideles diſpenſatores eorum, omnibus communi vita degere volentibus miniſtrare cuncta neceſſaria debēt, prout melius potuerint: vt nemo in eis egens inueniatur: ipſæ enim res, fidelium oblationes appellantur, quæ à fidelibus Domino offeruntur. Memoratis ergo augmentationibus, in tantum Eccleſiæ, in quibus Epiſcopi præſident, Domino adminiculante, creuerunt, & in tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus ſit in eis communem vitam gerens, indigens: ſed omnia neceſſaria ab Epiſcopo, ſuiſque miniſtris percipiat. Ideo ſi aliquis exſtiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hęc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.] Hucuſque Pontificia Conſtitutio.

Conſectaria decem ex prædictis habita.

EX quo contextu plura colliguntur, quæ ad rẽ apprimè faciunt: primò enim miramur fuiſſe, qui dicant, Eccleſiam à tempore Vrbani I. Pontificis, bona immobilia poſſediſſe: cùm ipſe teſtetur, iam antiquitùs cœpiſſe ſuperiores Eccleſiæ Prælatos immobilibus prædijs, in communi vitam agentium neceſſitatibus ſubuenire. Sic legimus Calixtum quintum decimum à Petro Pontificem, iuxta Auguſtini ſupputationem, decreuiſſe, vt ex eius Epiſtola 2. Decretali conſtat; ne Prælati alienarũ Parœciarum, ſibi poſſeſſiones vendicarent: ex qua habentur Canones, 7. q. 1. Sicut alterius vxor. & 9. q. 2. Nullus. Ipſo etiam prior Pius Papa I. decimus à Petro, decretum tulerat contra ſeculares, Eccleſiæ in ſuos vſus prædia pertrahentes. exſtat Epiſtol. 2. & inde habetur, 17. q. 4. Sicut qui Eccleſiam.

Eccleſias, ſecundò, Chriſtianorum poſſeſſiones olim ſub Gentilibus Imperatoribus habuiſſe, non tantùm Pontificum dicta Decreta declarant, ſed ipſa etiam Imperatorum Edicta, quibus eas illis ablatas reddi mandauerunt, idem euidenter demonſtrant. In Edicto namque Conſtantini, atque Licinij, hæc ſcripta leguntur: [At quoniam ipſi Chriſtiani non ſolùm ea loca, in quæ conuenire ſolent, ſed etiam alia habuiſſe cognoſcuntur, quæ non priuatim in ſingulos, ſed ad ius totius ipſorum Communitatis, ideſt, Chriſtianorum ſpectabãt: ſingulis, qui ea poſsident, mandes, velim, vt omnia per legem, quam ſupra poſuimus, abſque vlla controuerſia, Chriſtianis, ideſt, Societati ipſorum, & conuentui reddãt.] Illa autem loca, quæ ad Chriſtianos dicit ſpectare, Eccleſiaſtica fuiſſe, ſequens eorum Edictum, ad Annullinum conſcriptum declarat, his verbis: [Quare volumus, vt ſimulac haſce litteras à nobis acceperis, ſi quæ ex his poſſeſſionibus, quæ ad Catholicam Chriſtianorum Eccleſiam, in quibuſcumque ciuitatibus, aut locis pertinent, &c.]

Quæ geſta, & Pontificum decreta tertiò, maximam habent cum geſtis, & decretis in antiquo Teſtamento affinitatem: in quo omnia, ex Paulo, 1. ad Corinthios c. 10. in figura contigerunt. Nam olim Leuitis, quamquàm decimis ditarentur, non erat omninò interdicta rerum poſſeſsio; quippè qui ex mandato Dei, Num. cap. 35. in ſingulis tribubus vrbes ſacerdotales habebãt, ad habitandum: ipſiſq; conceſſa erant ſuburbana ad alenda pecora: & poterant agros, & vineas ex oblationibus populi licitè emere, licitè etiam diſtrahere, & vendere: quod Leuit. c. 25. & 3. Reg. c. 2. & Ierem. c. 32. & Act. c. 4. ſatis indicatur apertè. Si ergo hoc antiquis illis Sacerdotibus Diuino erat iure conceſſum, quo iure, quauè ratione, hoc noui Teſtamenti miniſtris Eccleſiaſticis erit interdictum? Approbauit quidem Deus Patriarchæ Iacobi filium Leui, exhæredantis ſententiam, eiuſque poſteris nullam partem terræ in duodecim dumta-

xat partes, pro numero duodecim tribuum diuiſæ aſſignari permiſit. Attamen decimam partem omnium fructuum ſibi, tamquàm proprio Iudæorum Regi, loco tributi debitã, vna cum quadraginta & octo ciuitatibus, incluſis illis quæ erant refugij, & earum ſuburbanis prædijs, illis tamquàm ſuis hæredibus donauit. Eſſet quidem ridicula vehemens illa multorum Pontificum, & Conciliorum Decretis, rerum Eccleſiaſticarum interdicta alienatio: ſi Eccleſia nullam rem licitè poſſideret.

Neque obſtat quartò, Chriſtum, Luc. c. 14. ſic docuiſſe: [Qui non renunciat omnibus, quę poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus;] id enim intelligendum eſt, ſicut & illud, quod ſequitur: [Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem; & vxorem, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.] Certum eſt enim, non ad odium, ſed potiùs ad amorem parentum, filiorum, vxoris, & vitæ propriæ quemlibet hominem Diuina lege obligari: ſi horum amor Dei charitati, quem ſuper omnia diligere debemus, nihil obſtet, aut præiudicet. Sic ſi rerum poſſeſſio, animum à Dei cultu auocet, mala eſt, eoque caſu planè deſerenda. Si verò Miniſtris Dei, & pauperibus alimenta præbendo, eumdē Dei cultum promoueat, vtiliſſimè ſanè, & iuſtiſſimè Eccleſia temporalium rerum, & bonorum dominium, ac poſſeſſionem, iam ab antiquioribus ſuis ſeculis, eſt ſolita retinere.

Quintò patet, hanc bonorum immobilium aſsignationem, non ſummorum Pontificum ſolùm, non Epiſcoporum, non Presbyterorum, non Diaconorum, & tandem Eccleſiaſticorum ſolùm iudicio, verùmetiam ſecularium fidelium hominum ſententia, & aſſenſu fuiſſe factam: vt qui in communi, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue laici degebant, commodiùs poſſent ſuſtentari. Hinc notent ſeculi præſentis, & deterioris ſeculares, quo animo Eccleſiæ diuitias, vel inuadant, vel inuideant, quas ei ſecularium melioris ſeculi ſententiã confirmauit.

Sextò eſt certum, quòd ad ſolos Epiſcopos, & fideles ab eis nominatos diſpenſatores, cura horum bonorum pertinebat; & in poſterum voluerunt prædicti omnes pertinere.

Septimò apparet, quòd horum bonorum ea lege diſtributio fiebat, vt Miniſtri, quorumcumque in communi viuentium, rationem habentes, iuxta perſonarum qualitatem, officium, & meritum, vitæ neceſſaria eis largirentur.

Octauò eſt maximè ponderandum; quòd hæc bona immobilia, ex ſua primæua inſtitutione, ſolùm fuerunt deputata ad eorum vſum, qui illis renunciantes, in communi vitam agere, ritu Apoſtolico, eligebant: & ad pauperum, qui illis adhærebant, ſubuentionem. Nam ad victum, & veſtitum Eccleſiaſticorum Catechiſtarum, & Miniſtrorum, quibus, ex Apoſtolo, contenti eſſe debebant, vt diximus, fideles omnes de iure Diuino contribuere aliàs tenebantur; excluſa conſideratione illorum bonorũ

im-

immobilium, quæ alinndè ex fidelium oblationibus fuerant ſolidata. Et hoc primò conſtat, quia cùm miniſtrorum labor, & his, qui bona ſua retinebant, & illis, qui ea in communi vtenda erogabant, inſudaret: fuiſſet iniuſtum, diuitesç & commoditatibus affluentes Chriſtianos à Miniſtris eximi ſuſtentandis, vt ex pauperum oblationibus viuentes, illis gratis inſeruirent. Secundò conſtat, ex Agathenſi Concilio ſupra relato: cap. 33. de quo, 12. q. 2. cap. Epiſcopus. vbi omninò ſupponitur, Epiſcopum ex bonis, quæ adminiſtrabat, neutiquàm ſibi, & familiæ neceſſaria comparaturum; niſi eo caſu, quo aliàs indigeret: addita hac conditionali: [ſi tamen indiget:] quaſi res eſſet infrequens, Epiſcopum & Paſtorem aliàs à ſuis ouibus non paſci corporaliter, quibus ſpiritualem paſtum miniſtraſſet.

Nonò, quòd hæc bona appellantur bona Domini, ipſi in terra morientium oblata à fidelibus, vndè quaſi ſuperioris iuris, extra hominum ſecularium ſunt curam, & adminiſtrationem: quæ ſpectat ad eos, qui ſunt de ſorte Domini, & quorum Deus eſt ſors, ſcilicet, Clericos.

Vltimò, quòd Epiſcopis horum bonorum curam gerentibus, miris incrementis Eccleſiaſtici hi redditus augebantur.

SEPTIMVM NOTANDVM.

SEPTIMO eſt notandum, eà quæ, de vitæ communione inter Chriſtianos hucuſque obſeruata fuiſſe, retulimus, promiſcuè ad vtrumq; ordinem, & Eccleſiaſtici, & Secularis ſtatus pertinuiſſe. Laicis tamen ab eâ communione ſecedentibus, Clerici in eodem vitæ ſtatu diutiùs permanſerunt: Auaritiæ enim motus illi, vndè tota Laicorum orta fuit, abiectâ vitæ ſocialis participatione, ſeceſſio, haud ita facilè eorum, qui Diuino ſe cultui addixerant, mentes concuſſerunt. Hoc eſſe verum id valdè confirmat, quod Hieronymus relatus 12. q. 1. c. Duo ſunt. Leuitā quemdam, quòd propria obtineret bona increpans, ſic ait. [Illi autem, nempè Clerici, victu, & veſtitu cōtenti, debēt omnia habere communia: at ſi eà bona habere propria paſſim licuiſſet, reprehenſioni illi locus nō fuiſſet.] Accedit Auguſtinus Hieronymo, qui Serm. 52. ad populum Hypponenſem, & refertur ead. cauſ. & q. cap. Nolo. ſic loquitur: [Qui habuerit proprium, vel habere voluerit, parum eſt, vt dicam, non mecum manebit:] & infrà. [Quomodo ergo cuicùque, qui voluiſſet extra manere & de ſuo viuere, non tollerem Clericatum ei?]

Quibus non obſtant, quæ ſupra diximus, de diuiſione tripartita, ſeu quadripartita bonorum, per Siluestrum Pontificem facta, ex quibus pars quarta Clericis erat aſſignata: hoc enim ſic eſt intelligendum, eam inter eos fuiſſe ſic diuiſam, vt cuiuſque neceſſitatibus ſubueniretur: non tamen vt proprium, eis eſſet licitum poſſidere. Succedente tempore, licèt communis hæc vita à Clericis fuerit ſuſcepta, non tamen eodem modo, eam legimus conſeruatam. Nam cùm paſſim à ceteris fructus tantùm

Digitized by Google

cùm communicarentur, agrorum verò proprietates poſſent eſſe ſingulis peculiares: exſtitere nonnulli, qui propoſito ſanctiori, ſeſe ex voto arctiori communioni deuinxere: ac præter fructus, communicata inſuper rerum ſuarum omnium proprietate, eodem plures in loco vitam degere præoptarunt. Quem morem ab Vrbani Papæ primi ætate, vt iam inſinuauimus, à nonnullis inſtitutum, cap. Scimus. &, c. ſeq. 12. q. 1. ad Auguſtini, Gregorij I. immò & Gregorij VII. vſque tempora, traductum fuiſſe pluribus in locis reperimus: vt c. Nolo. c. Certi. c. Tua fraternitas. ead. q. & cauſſa: cap. Quoniam. de vit. & honeſt. Cleric. & in Cathedralibus Eccleſijs præſertim fuiſſe ſeruatum, aſſerit Gullielm. Durand. lib. 6. de Diuin. offic. de ſeptem diebus poſt Paſcha nu. 6.

Cùm igitur conſtet, hanc rerum temporalium communionem diutiùs inter Clericos, quàm inter laicos fuiſſe retentam: etiam certum eſt, hos non ita conſtanter in ea perſeueraſſe. Et quidem circa eam, aliud de bonis Clericorum patrimonialibus, aliud de Eccleſiaſticis eſt ferendum iudicium: cùm non ſimul & ſemel hæc bona communia eſſe deſierint. Et de patrimonialibus ſi agamus bonis, illorum diuiſionem, non eodem tempore, & tentatam, & obtentam fuiſſe reperimus: ſed illud in hac re, quod in alijs rebus, vſu videmus contigiſſe, quas aduerſùs Principes, ſiue ſpirituales, ſiue temporales ſint, attentat multitudo: vt non niſi poſt ingentes, diuturnaſque contentiones, ſuorum votorum optatum exitum conſequatur.

Teſtis eſt huius contentionis Hieronymus, qui à rerum cupiditate propriarũ Clericos curauit reuocare, oſtendẽs ſequentibus verbis, quod illis vitæ inſtitutum conueniat maximè, qui ſe Clericos eſſe profitẽtur. [Eſt autem,] vt refertur. c. Duo ſunt. 12. q. 1. inquit, [vnum genus, quod mancipatum Diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt Clerici. Aliud verò genus eſt Chriſtianorum, vt ſunt laici: his licet temporalia poſſidere.] Et ead. q. & cauſ. c. Clericus. ſic idem loquitur: [Quòd ſi Clericus quidpiam aliud habuerit, præter Dominum, pars eius nõ erit Dominus: verbi gratia, ſi aurum, ſi argentum, ſiue poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis partibus, non dignatur Dominus fieri pars eius.] Et infra ſubdit: [Sed quaſi Leuita, & Sacerdos viuo de decimis, & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor: habens victum, & veſtitum, his contentus ero, & nudus nudam crucem ſequar.]

Auguſtinus verò multitudini efflagitanti nolens amplius obſiſtere, eiuſq; annuens votis, ſic Hyponenſem populum, Ser. 52. affatur: & refertur 12. q. 1. c. Nolo. & c. Certi. [Qui volunt habere proprium, quibus nõ ſufficit Deus, nec Eccleſia ſua, maneant vbi volent, & vbi poſſunt: non eis aufero Clericatum, nolo habere hypocritas: malum enim eſſe, quis neſciat? malum eſt cadere à propoſito, ſed peius eſt ſimulare propoſitum,

& infra ſubdit: [Dixeram enim, & ſcio me dixiſſe, quòd ſi nollent ſuſcipere ſocialem vitam mecum, non illis tollerem Clericatum: ſed ſeorſum manerent, & ſeorſum viuerent: quò quomodo poſſent Deo viuerent: & tamen ante oculos poſui, quantum mali ſit, à propoſito cadere: malui enim habere cæcos, vel claudos, quàm plangere mortuos: qui enim hypocrita eſt, mortuus eſt.] Attamen quia Clerici profeſſioni iudicatum eſt non aduerſari, vt propria quis bona obtineret: in Concil. Agathenſi, ſupra citato, cùm leges de bonis temporalibus Eccleſiaſticorum referebamus, ea illis omninò permiſſa fuere: vt 12. q. 1. c. Epiſcopi. habetur, & additũ, vt de rebus Epiſcopi proprijs, vel acquiſitis, vel quicquid Epiſcopus de ſuo proprio habet, hęredibus ſuis, ſi voluerit, derelinquat.

Et hæc quidem de bonis patrimonialibus Clericorum dicta cùm ſint, ſi de bonis proximè Eccleſiaſticis agamus, ea communicari ſeriùs deſiere: ſicuti enim Clerici diuturniori tempore, in vitæ ſocialis communione permanſerunt, ſic & fuit par, illos cum ſibi adiudicata à Siluestro portione bonorum Eccleſiaſticorum, diutiùs in vitæ communione perſeueraſſe. Sic ſupra diximus, Simplicium Papã I. illam diuiſionem bonorum approbaſſe: c. De redditibus. 12. q. 2. & Gelaſium anno Chriſti 494. c. Nobis. & cap. Conceſſo. ead. q. & cauſ. Cùm verò Epiſcopi, ſibi cœpiſſent vendicare etiam ea bona, quæ Parochialibus Eccleſijs, etiam cum onere illas ſartas, & tectas, conſeruandi, erant obligata: Clerici ſuo præiudicio moniti, etiam cœpere quiſque ſuæ Eccleſiæ oblata, vt propria retinere, certa parte decimæ Epiſcopis reſeruata: quod conſuetudine primùm introductum, poſtea lege fuit cautum in Tarraconeñ. Concilio 1. c. 8. ſub annum Chriſti 482.

OCTAVVM NOTANDVM.

NOTANDVM octauò, qualiter ſe res habuerit poſtea, illo priori deuotionis feruore in dies iam tepeſcente, quo vitæ communio fuerat aſſeruata; nam cùm plures reperirentur Chriſtiani, qui neque in abditos deſerti ſeceſſus ſe vellẽt recipere: neque etiam palàm in vrbibus, hominumque frequentia commorari: medium quoddam vitæ genus elegerunt, in ciuitatibus quidem, ſed ab hominum ſemoti commercio, intra clauſtra ſeſe continentes, cum certis legibus, & ſpecialibus regulis alicuius Senioris imperio ſubiecti morabantur. His autem nullo iure denegari potuit, quin certa prædia, reſuè alias immobiles poſſiderent; quorum redditus communem illis victum ſuggererent. Immò cum deuotione, vt diximus, in Chriſtianis frigeſcente, nihilominùs illos in quibus frigebat doleret, grande illud bonum vitæ communis, ſeu Paradiſi cæleſtis è manibus ſibi eripi, ab oculis ſibi dilabi: cœpere fideles nobiles, & pecunioſi, diuitijs proprijs ſupplere, quod vitæ inſtituto non valebant, ſeu volebant præſtare, & illis, qui vitæ arctam communionem

conſeruabant ſub prædictis legibus, & obedientia affluenter opes diuidere, quibus loca communia conſtruerent: ad quæ ſe reciperent, vitam communem culturi, quicumque, ex vocatione Chriſti, maioris perfectionis ſtudio tenerentur.

Inſtitutum hoc probauit Iuſtinianus Imper. Nouel 133. & confirmatum fuit in Concil. Agathen. cap. 38. illa verò loca appellata fuere Cœnobia, à communi ibidem obſeruata viuendi ratione: ſicuti quòd ea conuerſatio non multum abeſſet à ſolitudine, illius profeſſores Monachi, ipſa autem loca, Monaſteria etiam fuere nuncupata. Neque Anachoretæ, Monazontes, & Sarabaitæ lectorem præpediant: quaſi ab illis vel Monaſticæ vitæ inſtitutum primò emanarit, vel de illis ſermonem non ſubtexamus ſpecialem, quia de re hac vniuerſè agimus, neque ad propoſitum nobis ſcopum ſpectat, horum ſeu originem, ſeu progreſſus indagare. Hoc certiſſimum eſt in Orientali Eccleſia primò, Magni Baſilij tempore, anno Chriſti 369. & in Occidentali deinde, à S.P.N. Benedicti ætate, ab anno 500. circiter vſq; ad 542. & deinceps, Monaſticũ hũc Ordinem, ab Antonio item Magno in Aegypto, ſub annum 357. & ab alijs ſanctis Patribus in deſertis varijs, excultum inſigniter floruiſſe. Et tunc Anachoretæ pro Monachis, & Monachi pro Anachoretis ſunt habiti: ſicuti conſtat ex Caſſiano Collat. 18. & lib. 5. c. 36. & ex Hieronymo epiſt. ad Paulinum, & habetur c. Si cupis. 16. q. 1.

Hic tamen omninò eſt aduertendum, non omnes qui hoc vitæ communis genere vtebantur, & Monachos extitiſſe, cùm fuerint multi etiam qui Monachorum inſtar, eumdem locum plures ſimul incolerent, vnoque omnes refectorio, & dormitorio vterentur: qui à vita communi, quam ducebant, Canonici appellabantur: qui pariter, ſicuti de Monachis dictum eſt, res poſſidebant immobiles: vnde ſingulis Præbendæ ſuggerebantur. De his extat Conſtitutio Gregorij I. anno Chriſti 592. cap. Quia tua fraternitas. 12. quæſt. 1. & Eugenij I. anno 654. c. Neceſſaria. ibidem: eiuſque à Gregorio VII. facta approbatio, anno 1073. cap. Quoniam. de vit. & honeſt. cleric. quò ſpectat decretum illud Concil. Toletan. 4. c. 23. [Ob hoc conſtituendum oportuit, vt ſi qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exſiſterent, omnes in vno conclaui atrij commorentur: & lubricæ ætatis annos in diſciplinis Eccleſiaſticis agant: deputato probatiſſimo ſeniore, quem teſtem vitæ, & magiſtrum diſciplinæ habe-rent.] cap. Omnis ætas. 12. q. 1. Quorum Canonicorum duo genera exſiſtunt, alterum eorum, qui præter communia bona, ipſi etiam ſinguli proprium aliquid obtinebant: qui quoniam non erant adſtricti certæ alicui regulæ, poterant dici, non regulares Canonici: vnde paſſim, Canonici, ſimpliciter appellabantur: alterum eorum, qui communi vitę, paupertatis inſuper votum adiunxerunt. Vnde rebus omnibus relictis, præter quas in dies ex communitatis, & cœtus ſubſtantia, ad vitæ ſuſtenta-

tionem

tionem percipiebant, diuino cultui ſeſe totos dicauere: & quia arctiori vitæ generi, & inſtituto erant addicti, fuere Canonici Regulares appellati.

Hinc egreſſum fuit examen illud ſanctorum Monachorum, qui D.P.N. Benedicti diſciplinæ ſectatores, ipſius coronæ fuere in cælis effecti participes. Hinc exortus ſanctorum copioſus numerus Canonicorum Regularium ſub D. Auguſtini regula viuentium, vt de Occidente ſolummodò loquamur, atque etiam de eo tempore, quo ſequentes in Eccleſia Religiones nondùm fuerant inſtitutæ: ſed vel Canonici Regulares, vel Monachi Benedictini præcipuè Apoſtolicã viuendi formam in Eccleſia conſeruabant. Hic licuit videre, quanto conſilio Eccleſia Spiritu ſancto inſpirata, immobilia bona voluerit ab Eccleſiaſticis poſſideri: cùm ex hiſce duabus tantùm ſcholis Apoſtolicæ diſciplinæ, pro Apoſtolis, & viris Apoſtolicis patribus, tot filios fuerit conſequuta: vt illud Iſaiæ, c.49. ad litteram viderit in ſe completum: [Viuo ego, dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento veſtieris: & circumdabis tibi eos, quaſi ſponſa: quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt, præ habitatoribus: & longè fugabuntur, qui abſorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: Anguſtus eſt mihi locus: fac ſpatium mihi, vt habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? Ego ſterilis, & non pariens, tranſmigrata, & captiua, & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta, & ſola, & iſti vbi hic erant?]

NONVM NOTANDVM.

NONO eſt notandum, conſequenter ad doctrinam ſuperiùs adductam ex Chryſoſtomo; quòd Eccleſiam, & eius Miniſtros bona immobilia poſſidere, in illorum potiùs fauorem ſecularium, qui ea bona Eccleſiæ contulerunt, geſtum eſt, quàm in eorum, qui iiſdem bonis ſuſtentantur. Quocircà meminiſſe oportet, id quod iam ſuprà innuebamus, & modò vberiùs proſequimur; Chriſtum Dominum in ſuis Diuinis concionibus grandi feruore diuites, & potentes, ad opera miſericordiæ præſtanda, ſemper fuiſſe exhortatum: quaſi negotiorum, quæ à Patre in mundo agenda ſuſcepit, vnum eſſet ex maximis, pauperibus, & inopibus parcere: & ex vſuris, & iniquitate redimere animas eorum: Pſal.71. & hoc, nunc duris, & tenacibus interminando; nunc ſuauibus, & benignis magna promittendo. Luc.c.11. ſic ad Phariſæos diuites hypocritas dicebat, [Date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.] Et cap.14. conſulens, quæ perſonæ eſſent ad conuiuium ab illis excipiendæ, ait: [Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne fortè te, & ipſi reinuitent: & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conui-

uium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris.] &, c. 6. diuitibus auaris, duris, & immiſericordibus ſic comminatur: [Væ vobis diuitibus, qui hic habetis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.]

Et certè cùm diuites, vt propoſitum noſtrum adhuc inducamus, poſſent eſſe contenti: quantumcumque aliis pauperibus ſuccurrere iuberentur, hac ſorte, quòd bona, quæ natura fecit communia, Gentium iure, à ſe fuerint occupata; quæ forſan pauperum Maiores olim occuparunt, & vel impotentia, vel negligentia, vel per alios mille caſus, mille rerum diſcrimina, perdiderunt: vndè ab ijs ipſi eſſent liberi difficultatibus, quas inopia, & egeſtas innumeras ſecum aduehit: nihilominùs tamen Chriſtus, qui hinc pauperum cauſſam adeò benignè fouendam, & fauendam ſuſcepit; ne vel illud ipſum, quòd diuites in pauperum conferrent ſubſidia, & vſus, extimeſcerent ſibi periturum: magnificis promiſſionibus, ampliſſimaque tum temporali, tum æterna mercede pollicita; eleemoſynæ præceptum nedum exornare, verumetiam voluit communire.

Sic Matth. c. 19. Apoſtolis ſciſcitantibus à Chriſto, quid præmij tamdẽ ſibi, qui propter ipſum cuncta reliquerant, eſſet exſpectandum? Præceptor dulcis, nihil moratus, eos inclinaſſe cor ad eius faciendas iuſtificationes, propter retributionem: ex Pſalm. 118. ſic reſpondit: [Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet;] vbi Marcus addidit, dixiſſe: [etiam in tempore hoc: & vitam æternam poſſidebit.] & Matth. cap. 5. ſic loquitur ad miſericordes; [Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.] Luc c. 6. ſic ad diuites concionatur: [Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagulatam, & ſupereffluentem dabunt vobis in ſinum veſtrum. Eadem quippè menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.] Hoc eſt exceſſu haud comparabili præmij, & retributionis magnitudo, pro eleemoſynis vobis in futura vita rependenda, ſuperabit officiorum veſtrorum, quæ in præſenti vita pauperibus præſtitiſtis, meritum, ac dignitatem.

Quid quòd Matth. c. 18. & 25. ſe hoſpitem in hoſpite ſuſceptum, egenum in egeno beneficio affectum fuiſſe, infirmum in infirmo fuiſſe curatum, carcere incluſum in carceri emancipatis fuiſſe viſitatum, & tamdem quicquid in minimos ex ſuis beneficij collatum fuerit, in ſe fuiſſe collatum, conſtantiſsima doctrina aſſeuerauit? Et Matth. c. 5. dum cæleſtem mercedem promittit illis, qui non vti gloriæ vanæ mancipia damnata, ſed, vti veri filij Dei, opera faciunt, & patris æterni gloriam ſuis ſtudijs ſatagunt promouere, ſic effatur: [Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.]

Spectant etiam hnc parabolæ duæ,altera de diuite epulone,& Lazaro paupere,Luc.c.16.altera c.10.de homine illo, qui cùm ab Ieruſalem in Iericho iter peregeret inſtitutum,à latronibus interceptus, & miſerabiliter exſutus,& læſus,ac vulneribus confoſus,derelictus à Sacerdote etiã, & à Leuita interim immiſericorditer prætcritus ; à Samaritano, ſaucij calamitate tacto,erectus,equoq; impoſitus,in ciuitatem reductus,hoſpiti,qui eius curam gereret,ſolutis priùs ſumptibus,fuit commiſſus. Hinc Theophylactus ſuper Epiſt.ad Theſſal. c. 4. docet, Deum plures feciſſe pauperes,vt hac medicina ſaucijs diuitum conſcientijs mederetur.Et vbi Paulus ad Rom.c.15.ſcribit:[Obſecro vos fratres, &c. vt adiuuetis me in orationibus, &c. vt obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem Sanctis:]notat Hieronymus,inde colligi,plus vtilitatis dantibus,quàm eleemoſynam accipientibus ſuccreſcere:cùm orationibus ſit à Deo obtinendum, vt pauperes velint eleemoſynam acceptare. Auguſtinus Serm. 26. de Verb.Domini, & Theophylact.ſuper Epiſt.ad Titum c.3. latè põderant,qua ratione Chriſtus,qui Angelorum miniſterio, ſicut aliquando fecit,poterat paſci,Marthæ,& ſororis ſedula miniſteria, illarum conſulens meritis,& vtilitati ſpirituali, voluerit experiri. Simili inducit ibi Auguſtinus cauſſa,olim Eliam ad viduam fuiſſe Sareptanam à Deo miſſum paſcendum,3.Reg.c.17. qui certa, & quottidiana portione, priùs à coruo paſcebatur;vt viduæ,ſcilicet,vtilitati potiùs, quàm Prophetæ neceſſitati conſuleretur.

Vbi neque eſt prætereunda ſilentio parabola illa villici, Luc. c. 16. apud herum profuſionis inſimulati ; qui ad rationes ſubducendas vocatus,adeo prudenter cum heri debitoribus negotia tranſegit ; vt ſi in poſterum villicatione deſtitueretur,illorum, quos ipſe medijs liberauerat debitis,gratitudine intercedẽte,poſſet ſubſidijs adiuuari.In qua parabola inducenda,Chriſtus Iudæos fuit exhortatus, vt facerent ſibi amicos de Mammona iniquitatis: id eſt, beneficentia in pauperes, conciliarent ſibi amicos,qui cùm ipſi deficerent,vitæ curſu exacto,in Diuina, & æterna ſua tabernacula eos reciperent.

Ergo ex Mammona iniquitatis,videlicet, diuitijs (quæ non quòd per ſe ſint malæ, ſic fuere à Chriſto appellatæ ; ſunt enim creaturæ Dei, & eius dona,ſed quia plerumque ad malum inflectunt :) plures Chriſtiani Eccleſias erigentes,Monaſteria Fundantes, Cœnobia condentes, eaque redditibus copioſis exornantes,id tamdem effecerunt; vt agmina Sanctorum Eccleſiaſticorum,Epiſcoporum,Canonicorum,Sacerdotum,Leuitarum,Monachorum,& vtriuſque ſexus perſonarum,religionis vinculo adſtrictarum conſurgerent;quæ tot Fundatorum, & ingentium diuitiarum largitorum,peccata comedentes,& ipſos,quaſi Angeli ab Abrahamo, & Sara hoſpitio ſuſcepti,Geneſ.c.18.vt fructus operum Deo acceptorum producerent,benedixerunt : eos etiam, vt agnum diuitiarum ſacrificio

com-

completo, iuxta præceptum Exod. c. 12. comederent, animarum ex vicinio pauperum addito numero, adiuuerunt: ipſorumque oculos in fractione panis ſuarum diuitiarum aperuerunt: ſicuti fecit Chriſtus in Emaunte, Luc. c. 24. vt myſteria cæleſtia penetrarent: & tamdem in æternis tabernaculis, manſiones etiam illis æternas, ſicuti & beatas præpararunt.

DECIMVM NOTANDVM.

DECIMO, & vltimò, circa præſens Dubium, eſt notandum: quòd cùm creſcente mundi malitia, & in diuitibus opũ tenacitate, iàm à fundandis nouis Monaſterijs, poſt vndecimum Eccleſiæ ſeculum ferè fuiſſet ceſſatum: & ea quæ erant fundata, aliquantulum à ſua perfectione originaria defeciſſent: & Eccleſiaſtici ceteri etiam partim inutiles facti eſſent, & à ſemita recta declinaſſent: Chriſtus Dominus, qui eſt lapis ille Zachariæ, c. 3. ſuper quem ſeptem oculi ſunt, circumſpiciens, non dormitans, neque dormiens, ex Pſal. 120. cuſtodiens Eccleſiam; qui vt benè notat Alex. Alen. 4. p. q. 107. memb. 2. art. 2. prioribus Eccleſiæ ſeculis prouidit Eccleſiæ de miraculis, in Sanctis, potentibus in opere, & ſermone, contra Idololatriam: ſeculis ſequentibus de doctrina, in tot Patribus, & Doctoribus lumine ſuperno, ad Scripturas intelligendas, illuſtratis, contra Hæreſes: & nos addimus de doctrina, & charitate prouidiſſe tot, & tantorum Monachorum, contra ſeculorum currentium tepiditatem: hiſce tamdem vltimis ſeculis, contra hominum declaratam auaritiam: cùm in illis adeò iam abundet iniquitas, & refrigeſcat charitas: iuxta Chriſti prædictionem, Matth. c. 24. prouidit de Religionibus mendicantium Religioſorum; quorum exercitus ad debellanda ſuperflua diuitiarum in ſecularibus à Deo armatus, & inſtructus, bona poſsidet, etiã in aliquibus Religionibus immobilia, millium millibus Religioſorum, & pauperum ſuſtentationi, & cultus Diuini exterioris vſui ſufficientia: quæ in manibus ſecularium paruiſsimo hominum numero forſan ſuſtentando, haud, vt iamiam explicabimus, ſuffeciſſent.

DVBIVM SECVNDVM.

Circa Bonorum Eccleſiæ acquiſitorum diſpenſationem.

LONGIVS ſe protraxit ſtilus, quàm voluiſſemus, in præcedenti tractando Dubio, ſicuti etiã, nobis inuitis, ipſe Tractatus totus protrahitur: neque alia meliùs ratione à lectore veniam precari ſcimus; quàm ſi conſideret, tam illa, quæ de Eccleſiaſticis perſonis, quàm, quæ de Eccleſiaſticis bonis, & vtrorumque immunitate differimus, ea ex Scri-

pturis

pturis ſacris firmitate muniri: vt ſi ipſi inimici noſtri Hęretici ſint iudices, ex Deut. c. 32. quin ſobrietatis, & veritatis verba cum Paulo, Act. c. 26. loquamur, nequeant inficiari.

Igitur de adminiſtratione bonorũ Eccleſiæ dicturi, duas claſſes diuiſas videmus, eorũ, ſcilicet, qui, ſiue bona æmulatione, ſed nõ ſecundũ ſciẽtiam, ex Paulo ad Rom. c. 10. vt dicebamus; ſiue mala mente, & malo animo, de Eccleſiæ diuitijs argumentantur. Et de his vltimis nihil curemus; quia cùm bella argumenta, vbicumque potuerunt, in bellica conuerterint tormenta, pilis, & gladijs de fide Catholica diſceptando, Eccleſijs diruendis, Monaſterijs ſubuertendis, Cœnobijs diſſipandis, & Xenodochijs deſtruendis: ad ſimiles diſceptationes reſpondere non eſt facilè, quia [acie vincendæ ſunt:] ex Tacito. Scimus tamen, quod dolemus, id obtinuiſſe Hæreticos Germanos in multis ſuperioris, & inferioris Germaniæ prouincijs, & quorumdam Principum ditionibus, Hæreticos Anglos, & Scotos etiam in Anglia, & Hibernia, & Scotia obtinuiſſe: ſicuti alibi Hæretici alij obtinuerunt: vt, videlicet, dirutis templis, vel in ſordidas officinas commutatis, expulſis Sacerdotibus, Epiſcopis ſuis ſedibus exactis, Monachis è ſuis Cœnobijs excluſis, cunctis denique Eccleſiaſticis, Catholiciſq; Miniſtris è ſuis dignitatibus perturbatis: bona illorum, poſſeſſiones, ſcilicet, hæreditates, prædia, redditus, emolumenta, & prouentus, Principibus ſecularibus adiudicarentur. Hæreſiarchæ, Lutherus, Zuinglius, Philippus Melancthon, Brentius, Caluinus, Beza, & alij ſimiles, ſceleſti, & facinoroſi, filij Diaboli, & gloriæ infernalis putida mancipia, Principibus, inquam, ſecularibus, quorum venabantur gratiã, & fauorem, diuitias Eccleſiæ, reformationis, quod peius eſt, intuitu, nefariè tradiderunt.

Retinent ea Eccleſiæ bona illi Principes: & quieto, quamuis malo animo; poſſident tamen: quaſi veluti cum delectabili, & vtili, ſic etiam cũ bono honeſto attentata illa poſſeſſio cohæreret. Rogamus interim ipſos, vt nobis ſignificent, quotus illorum ſit, qui in locũ tot vnius Ordinis S.P.N. Benedicti Monaſteriorum funditùs euerſorum, in quibus tot Monachi, tot Sacerdotes, tot Nobiles, tot pauperes, tot peregrini, tot hoſpites alebantur: ſaltem vnum Xenodochium erexerit: in quo bona illa Monachis, & alijs, & ſecularibus, & Eccleſiaſticis viris erepta, pauperibus Chriſti, ſaltem quò ad centeſimam ex his, quas abligurierunt, partibus, contribuantur! Vnicum certè non proferent, neque proferre poterunt, qui hoc fecerit: cùm nobis ſit in promptu oſtendere, conſilio horum Hæreticorum, quæ illorum eſt conſueta pietas, pluſquàm ſexcenta Xenodochia, inter alia pia loca, ſuorum Principum auctoritate, euerſa, direpta, & ſuis bonis fuiſſe ſpoliata.

Neq; ignoramus, ipſos Duces Saxoniæ, iam ſæpiùs doluiſſe ruinam, & direptionem tot Monaſteriorum, quæ in ſuis ditionibus olim illuſtriſſi-

ma exſtiterunt: videntes iuuentutis mores in dies ad peiora dilabi; neq; eſſe vnum in ampliſſima Prouincia locum communem, vbi ſi non Catholica, ſaltem morali, ſaltem humana, illa iuuentus imbui poſſit diſciplina, & à frequentibus,quæ ſecum aduehit,vitijs deterreri.

Sic in ſpecie Auguſtus Saxoniæ Dux,dum Ratisbonæ cũ Maximiliano Imp.patre Rodolphi pręſentis Glorioſi Imp.in publica ageret Diœta,cõfeſſus fuit ingenuè Alberto Duci Bauarico,pręſẽtis Guilielmi Ducis patri, ſe vnius brachij fuiſſe abſciſſione, ſi liceret,redempturum, vt tot, ac tanta ſuæ prouinciæ exſtarent Monaſteria;tot,ac tanta loca ſimiliter pia manerent: quæ ſui ſubditi Lutherani ſolo adæquauerant: ea adducta ratione, quòd nobilitas filiorum aucta proſapia, ac tot felicia ſuorum vaſallorum ingenia,neutiquàm vltra poſſent placido negotio, ſcientiarum,& totius litteraturæ otia excolere: otia profana, & iuuenilem libertatem, conſectariaque inde mille vitia deuitando.

Confitetur idem ingenuè Scotiæ prouincia: agnoſcens Monaſteriorum tam virorum,quàm feminarum generalem in ea demolitionem, eorumque redditum in profanos ſtatus ſecularis vſus conuerſionem, quaſi totius prouinciæ opes,diuitias,& pecunias exhauſiſſe. Mirum dictu! ſed quod experientia,rerum matre,verum eſſe cognoſcatur: diuitias,videlicet,Eccleſiaſticas,ſecularibus additas diuitijs,quaſi aquilæ plumæ,inferiorum auium plumas erodunt, ſeculares diuitias corroſiſſe.Nullo enim inter ſtatum Eccleſiaſticum,& ſecularem interiecto diſcrimine, hominũ ſacrorum cœlibatu ceſſante:ſeculari pompæ omnes cùm ſeruiant, familijs ſtudeant augendis,liberis propagandis, neceſſum eſt,vt diuitiæ prouinciæ,non iam inter Eccleſiaſticos,& laicos, proportione proportionis laico ſtatui, vtili,& congrua,& Eccleſiaſtico ſufficienti: ſed commutata Mathematica proportione,inter laicas perſonas diuidantur.Hinc non ſolùm Scotiæ,ſed & Angliæ,& Germaniæ ſuperioris,& inferioris prouinciæ hæreſibus infectæ,ſuis edoctæ malis,intuentur, qualiter à ſe proiectis Eccleſiaſticis,& Catholicis miniſtris, per quos res earum ſecundæ quondam erant ornatæ, nunc ſi aduerſæ ſint, haud à ſuis Pſeudominiſtris, vel minimum, ſubleuantur.

His tamen Hæreticis omiſſis, quorum iniquitates, quando completæ fuerint,ex Geneſ.c.15. tunc miſertus Dominus Eccleſiæ ſuæ, ſuper illis acriter viſitabit: ex Iſai.c.10. ad illius primæ claſſis homines deueniamus; qui, quaſi charíſmata æmulantes meliora, ex Paulo 1. ad Corinth.c.12.circa diuitiarum,quas habet Eccleſia,diſpenſationem, optarent,vt alia via procederetur.Boni ſanè viri, ſed ſtultè ſibi conſulentes: qui cùm cane peius, & angue,ab Hæreticorum deberent ſententia fugere,qui Eccleſiaſticos viros, & Eccleſiam Romanam matrem noſtram, & dilectam Chriſti ſponſam ſuggillantes,& infamãtes,fictis in dies criminibus,apud incautos,& inſcios populos admurmurant,obijcientes:bona

Eccleſiæ eſſe bona pauperum,& ſubinde viros Eccleſiaſticos eſſe illorum crudeles necatores.

Hi, inquam, boni viri,cùm vniuerſa alia Hæreticorum dogmata , vti exſecranda,maximè deteſtentur: quo tamen malo genio ducti, neſcimus, hac in cauſſa illi plùs nimio ſe fautores præſtiterunt. Eſt autem nobis pluſquam compertum,ſi hoc à grato in Eccleſiā animo, vereque in pauperes liberali proficiſceretur: fuiſſe illos cautiorem,ac moderatiorem liberalitatem deſideraturos. Attamen cùm ex eorum controuerſis de hac cauſſa ſermonibus,ſæpè à mendacio, contra veritatem, homines ſeculares ſtare conſueſcant:eorum non ſolùm dicendi, verùm & carpendi incauta aſſiduitas,ingentem in illis dicendi,immò,& faciendi,(quod experimentali conuerſatione cognouimus:) aduerſùs Eccleſiaſticorum diuitias audaciam generauit.

Quibus,vt faciamus ſatis,eorū vota, Sanctorū Patrū eſſe vota proponamus: vt ſi Sāctis illis Eccleſiæ Proceribus ſatisfactū fuerit per nos,nequeāt ſibi non ſatisfactū iri denegare. Ambroſius 2. lib. de Officijs. c. 28. & refertur 12.q.3.c. Aurū.ſic docet. [Aurum Eccleſia habet,nō vt ſeruet: ſed vt eroget,& ſubueniat in neceſſitatibus. Quid eſt opus cuſtodire,quod nihil adiuuat?]& infra: [Aurū ſacramenta non quærunt: neq; auro placent,quæ auro non emuntur:ornatus ſacrorū,redemptio captiuorū eſt.] Cuius argumenti tā ibi,quàm alibi plura idem S. Doctor ſæpius repetit.

Hieronymus Epiſt.ad Nepotian. & habetur ibidem,c.ſequenti,ſic ait: [Gloria Epiſcopi eſt,pauperum opibus prouidere : ignominia Sacerdotis eſt,proprijs diuitijs ſtudere.]& infra,eodem cap. ex eodem Hieronymo de inſtitutione Monachi, ad Paulinum: [Crates ille Thebanus,homo quondam ditiſſimus,cùm ad philoſophandum Athenas pergeret,magnum auri pondus abiecit: neque putauit, ſe poſſe, & virtutes, & diuitias ſimul poſſidere. Nos ſuffarcinati auro, Chriſtum pauperem ſequimur.]Idem Epiſt.ad Demetriadem,cauſſam pauperum, & infirmorum, etiam contra templorum fabricas, & Eccleſiarum ornamenta, perorat. Et epiſt.ad Ruſticum,S.Exuperij commendat charitatem, qui vaſa altaris diſtraxerat Tholoſæ, vt pauperibus ſubueniret : ſic illum laudans : [Nihil illo ditius,qui corpus in caniſtro, ſanguinem portat in vitro.] illam ſacræ Euchariſtiæ pyxidem,ſeu Cuſtodiam,omnibus vaſis aureis, vt pauperes ſuſtentarentur, præferendo.

Chryſoſtomus ſic docuit : [Pauperibus Chriſti debentur ornamenta altaris.] & Homil. 16.in Matth. conſulit, vt potiùs pauperibus, quàm Eccleſiæ ornamentis, in legatis diſtribuendis,prouideatur.

D. Bernardus in Tractatu de colloquio Simonis,& Ieſu, dixit: [Sanè patrimonia pauperum,ſunt facultates Eccleſiarum.]

Neq; ignoramus Cimonem Athenienſem prædiorū, & vinearū, hortorū,& poſſeſſionum parietes,muros, & ſepes,vt refert Plutarch. demolitū,

vt egenis omnibus,& peregrinis ſuæ eſſent diuitiæ communes.

Fabium Maximum,apud Valerium, lib.4.de Liberalit.legimus,vnicã hæreditatem propriam vendidiſſe; ne captiui Romani quidam ciues apud hoſtem Hannibalem remanerent.

Hæc exempla,& has,& alias mille ſententias ſimiles, quas Hæretici vanè iactant,Catholici imprudenter commemorant, perlegimus, vidimus, ac pro dignitate expendimus. Sed quid inde? An ne, quia vel aliquis abuſus in bonorum Eccleſiæ diſpenſatione irrepſit;vel ſi(abſque veritatis præiudicio,)non hodie,ſicuti olim,tam ſanctè expenderentur, inde eſſet conſequens, vt Eccleſia,dicta bona non poſſideret; & ſecularibus,ac dominis forent attribuenda profanis,quibus plures alere poſſent canes,equos paſcere,ſuſtentare paraſitos?An ſi,circa bonorũ Eccleſiæ diſpenſationem, aliquot litteræ commotæ ſint, fuerintve, conſequium fuit,vel eſt,vt tota,de eis adminiſtrandis,Chriſtiana labet diſciplina?

Suppoſitum ad ſequentes Conſiderationes.

ET pro dicendis, ſupponendum ducimus:Diuitias,inter alias, hanc ſecum difficultatem comportare,vt inter homines diſcordiarum facilè ſemina ferant: quod abundè vel Geneſ. c. 13. illa manifeſtat hiſtoria; quando Abrahamum,& Lothum,quos natura ſanguine, gratia coniunxerat charitate,vnũ ad dexterã,& alterũ ad ſiniſtrã regionis,inſociabilis diuitiarum ſocietas ſeparauit. Hinc colligamus oportet, nihil eſſe mirum,ſi diuitiarum Eccleſiæ occaſione,acutã,pluſquàm pia, nonnulla ingenia tumultuentur:quæ ſperamus, ſequentibus Conſiderationibus, ſi non in facto, de iure tamen quietanda.

PRIMA CONSIDERATIO.

Circa Oeconomiam difficilem diuitiarum Eccleſiæ.

PRIMA ſit conſideratio. Tractare diuitias, res eſt difficilis: diuitias autem tractare Eccleſiaſticas,difficillima res eſt. Primam propoſitionem latiſſimè probare potuimus,poſt Gregorium Magnum lib. 2. Moralium in Iob, c. 26. eam tamen lectoris experientiæ probandam relinquimus: circa ſecundam ſic verſamur. Vnum habuit Chriſtus,ex duodecim Apoſtolis,ſpecialem ſuorum bonorũ diſpenſatorem,Iudam:& hic fur erat:& præ auaritia,ipſum tradere Diuinum Præceptorem non dubitauit.Sic Ioannes in Euangelio, c.12.cùm expoſuiſſet Iudæ murmurationem,propter vnguentum à Magdalena,in Chriſti caput,& pedes effuſum,adiecit: [Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, & loculos habens,

quæ

quæ mittebantur, portabat.] De quo Caſſian. lib. 7. c. 23. affirmat, eum nequaquàm ad tam ſceleſtum proditionis facinus fore deuolutum: [niſi Philargyriæ morbo fuiſſet infectus: nec Dominicæ necationis reus ſacrilegus exſtitiſſet: niſi prius ſolitus fuiſſet creditos ſibi loculos cõpilare.]

Apoſtoli ipſi, Chriſti Domini primi filij, & Eccleſiæ primi Patres, erant diſpenſatores eorum bonorum, quæ ad illorum pedes à Fidelibus oblata, omnium Chriſtianorum communi vſui deſeruiebant; & Act. c. 6. [Creſcente numero Diſcipulorum, factũ eſt] ſubitò [murmur Græcorũ,] (id eſt, Iudæorum, qui ex Græcia erant,) [aduerſus Hebræos, eò quód deſpicerentur in miniſterio quottidiano viduæ eorũ.] Paulus 2. ad Corint. c. 8. refert, ſibi datũ fuiſſe ab Eccleſijs comitẽ, vt eleemoſynę, quæ in pauperes colligebantur, quàm rectè diſpenſarentur, ſuo teſtimonio comprobaret. Locus eſt inſignis, & ſic habet: [Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cuius laus eſt in Euangelio, per omnes Eccleſias. Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſijs comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatã voluntatem noſtram: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis in Domini gloriam. Prouidemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.]

Idem Apoſtolus ſcribens ad Rom. c. 15. de eleemoſynis, quas à Macedonia, & Achaia collectas Ieroſolymam ad Sanctos deportabat, ſic loquitur: [Hoc igitur cùm conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc, &c.] vbi Gloſ. id eſt, pecuniam obſignatam reddidero. Et Anſelmus docet, pecunias Eccleſiarum, regionum, ſeu prouinciarum, ſigillis fuiſſe Paulo traditas obſignatas, qui in earum conſignatione, illius fidelitatis ſignum euidentiſſimum exſtitiſſent. Quibus addendum eſt, ex Ambroſio, & Theophylacto, non ſolùm ſignatam pecuniam Paulum tuliſſe; verùm etiam illam Ieroſolymis Sanctis diſtribuendam aſſignaſſe: ideſt, in publico ærario, ſeu depoſito, ſub fideli cuſtodia, vt moris erat, poſuiſſe.

Ipſe Apoſtolus ſic ſcribit ad Corinth. 1. c. 16. [De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita, & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrùm apud ſe ſeponat, recondens, quod ei benè placuerit: vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. Quòd ſi dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt.] Ecce Apoſtolus Dominica die iuſſit, quemque Corinthium domi ſuæ ſeponere eleemoſynam, quæ viris probatis in Ieruſalem tranſportanda traderetur: ne, vt inquit Gloſ. in Eccleſiam delata, fortè à Sacerdotibus in alios vſus conſumeretur.

His ſi adiungamus Deuteron. c. 14. fuiſſe præceptum, vt Iſraeliticus populus, tertio quoque anno ſepararet decimam partem ex omnibus, quæ ſibi naſcebantur, & intra ianuas ſuas reponeret: vt peregrini, pupil-

li,& viduæ comederēt,& ſaturarentur:quaſi ſecuriùs,apud vnumquemq; decimas dantem,decimæ illæ, quàm apud quoſcumque Collectores cōſeruarentur.Item ſi meminerimus, 4. Regū, c. 12.prohibitos fuiſſe Sacerdotes, propter infidelitatem, vltra accipere pecuniam à populo, ad inſtauranda ſartatecta domus Domini: ſed Ioiada Pontificem,Gazophylacio inſtructo,ſtatuiſſe:ibi recipi offerentium eleemoſynas:quod pro maiori populi,& Regis Ioas ſatisfactione, coram ipſo Pontifice, & Scriba regio aperiebatur,& pecunia operum Templi Præſidibus numerabatur: ex his,inquam,habebimus,quàm ſit difficilis,quàm fuerit,quàm ſemper erit,bonorum Eccleſiæ,recta,pura,& immaculata diſpenſatio.

Hinc Chriſtus,Matth. c.24.& Luc.c.12. ſic dicebat: [Quis putas eſt fidelis ſeruus,ſeu diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam,vt det illis cibum,ſeu,in tēpore tritici mēſuram?] Et Paulus hortabat r,ſcribēs ad Rom.c.12.[Qui tribuit in ſimplicitate,] id eſt, ex Sanctorum Patrum expoſitione,diſpenſator,& bonorum Eccleſiæ diſtributor,ad iuſtitiæ,& æquitatis normam, nulla intercedente fraude,ea bona diſpenſet.I t 1.ad Corinth. c.4.dicebat: [Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur?]

Et hæc quidem dicta ſint,circa difficultatem tractandi Eccleſiaſticas diuitias, quò ad obiectum ipſum: nam ſi quò ad illud conſequentia, faſtum,videlicet,& ſuperbiam, quæ,ex occaſione,in harum diſtributione opum,Diaconibus ſolita ſunt innaſci,calamus eſſet extendendus,longiùs forſan,quàm deſideramus,& propoſueramus,abiremus. Interim tamen ad præſentium temporum leniendam inuidiam, & ſimul, vbi, & quibus opus eſt, cautionem debitam applicandam: hoc ſolùm,& retuliſſe, & meminiſſe iuuabit:Anaſtaſium,ſcilicet,I. Pontificem ſummum, circa annum Domini 400.conſtituiſſe,vt quoties Euangelia recitarentur, Sacerdotes non ſederent,ſed curui ſtarent; cuius decreti, & ſanctionis noſcet lector hanc occaſionem interceſſiſſe.

Tempore enim Anaſtaſij Romæ inter Presbyteros, & Diaconos grauis fuit oborta contentio: hi enim res Eccleſiæ temporales adminiſtrantes, elati ſupercilio, Presbyteros, ordine ſuperiores, contemnebant. Hinc Presbyteri in illos inſurgentes,ex conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, eiuſque præſcripto, ipſis ſedentibus, Diaconos ſtare debere, contenderunt. Contentionis eò eſt progreſſa pertinacia, vt etiam cùm ſtantes Diaconi coram populo legerent, ſeu Euangelium decantarent, Presbyteri tamen minimè è ſedibus exſurgerent. Hoc factum fuit Anaſtaſius illo decreto deteſtatus: vt Auguſtinus, & Hieronymus monuerunt.

Licet verò Romanæ Eccleſiæ Diaconi maiori tumeſcerent faſtu, Auguſtini teſtimonio, propter Vrbis Romanæ magnificentiam, quæ omnium Chriſtianorum eſt caput, & quia ordinandis Presbyteris adſtarent, & cauſſas diuerſorum ad ſummum Pontificem referrent, accepta-

que ab ipſo reſponſa petentibus redderent : attamen ex bonorum temporalium adminiſtratione, non Romæ tantùm, ſed vbique maiori obſequio Diaconi, quàm ſacerdotes frequentabantur: eaque occaſione aduersùs Presbyteros ceruicem faſtuoſiùs erigebant. Exſtat celebre teſtimonium de hoc apud Gregorium Magnũ lib.1.epiſt.19.& lib.2.epiſt. 14.15.& 16. Honoratus namque ibi Archidiaconus Salonitanus conqueſtus eſt degradari ſe potiùs, quàm prouehi; cùm ab eo in Presbyterum tentaretur ordinari; non aliam ſanè ob cauſſam, quàm quod Diaconi maiori honore, propter bonorum adminiſtrationem ſibi commiſſam, à populo obſeruarentur. Horum autem procaciam c. 15. & 18. Concilium etiam Arelaten.1.Can.16.vulgato 18. Concilium Nicænum cap. 18. Concil.etiam Carthagineñ. 6. nomine, licet ordine 5. c.36.& Concil.Toletan.4.poſtea vberiùs vidimus retudiſſe.

SECVNDA CONSIDERATIO.

Circa cauſſam Eccleſias locupletandi: & earum bona iuſtè expendendi.

SECVNDA ſit Conſideratio. Charitas, quam viri Eccleſiaſtici in pauperes exercebant, exſtitit potiſſima cauſſa, vt Chriſtiani tot prædia, tot poſſeſſiones, tot Eccleſijs hæreditates, tot bona applicarent temporalia; hoc pro comperto habentes, & Dei cultum ſic ſemper augendum, & redditus, & bonorum prouentus, inter Eccleſiaſticos miniſtros, & pauperes, fideliter iri diſtributum: [Neque ſunt fraudati à deſiderio ſuo;] ex Pſal. 77. cùm ſanctus Martyr, & Pontifex Vrbanus in ſuis illis decretis ſuprà ex 12. q. 2. c. Videntes. relatis, hoc reddat teſtimonium: [Memoratis ergo augmentationibus, tantùm Eccleſiæ, quibus Epiſcopi præſident, Domino adminiculante, creuerunt; & in tantis maxima pars eorum abundat rebus, vt nullus ſit in eis, communem vitam gerens, indigens: ſed omnia neceſſaria ab Epiſcopo, ſuiſque miniſtris percipiat.]

Quapropter maximè ab Eccleſiaſticis viris curandum eſt; vt bona Eccleſiaſtica fideliter, & cum charitate diſpenſentur: ne ſi partim iam adimpleta eſt, tandem omninò illa D. Bernardi Prophetia adimpleatur: ſcilicet: [Deuotio peperit diuitias, filiæ ſuffocabunt matrem.]

Et vt interim quænam hæc deuotio fuerit, ſiue in Sacerdotibus accipientibus, ſiue in ſecularibus donantibus, ſiue fuerit in vtriſque, quod eſt veroſimilius, explicare pertranſeamus: verendum certè multum eſt, bona Eccleſiaſtica, & eorum redditus notabiliter imminuendos; niſi de eorum fideli, integra, & religioſa diſpenſatione, per Eccleſiæ Prælatos, & per ſummum Pontificem præcipuè, legibus; & ſanctionibus Eccleſiaſticis, quæ vel antiquas ſanctas innouent, vel nouas efficaciſ-

ſimas

ſimas addant, quantocitiùs prouideatur. Non recitamus hæc ex folijs Sibyllinis, neque oracula Apollinis venditamus, Lacedæmonum Rempublicam, propter auaritiam, ire peſſum, reſpondentis; Cicerone aſſeuerante 2. lib. Offic. idem, de omni diuite Republica, prædixiſſe. Sit etiam quaſi parergon, id quod Theophraſtus lib. 5. de Plantis, c. 15. & lib. 6. c. etiam 15. ſcribit: plures plantas, & arbores, plura etiam animalia à ſua propria craſſitie ſuffocari; ſpiritibus vitalibus, per poros, & venas, ne tranſeant, interceptis.

Ad Chriſtum ergo noſtrum veniamus Diuinum Legislatorem: qui ſi in templo, lege Moſaica adhuc viuente, illicitas non admiſit negotiationes, & arrepto, ſeu potiùs paulatim, & magna cum patientia, facto ex funiculis flagello, Ioann. c. 2. vendentes oues, boues, & columbas. & ad menſas, manibus colybo decoloratis, ſedentes menſatores eiecit è templo, effuſo ære, & menſis eorum ſubuerſis: credimus, illum haud facilè eſſe paſſurum, Eccleſiaſtica bona iniquè adminiſtrari; cùm Eccleſiaſticos viros, ad ſecularium hominum reformationem curandam, in Eccleſia conſtituerit: & ad eos Sanctos conſummandos: quod dicebat Apoſtolus, ſæpius ſuprà relatus: non autem vt bona Eccleſiæ, eiuſdem Miniſtris, & pauperibus erepta, qui ſunt filij, dent canibus ad manducandum.

Dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum?

aiebat D. Bernardus, epiſt. 41. ex Perſio: tot miſeris, egenis, & pauperibus, ob ſimiles ſuperfluitates Eccleſiaſticorum, fame pereuntibus. Refert Gaguinus lib. 4. Hiſt. Gall. Ludouicum Pium Imperatorem Aquiſgrani in Epiſcoporum Synodo, id ab eis obtinuiſſe: vt veſtium profanitate, & annulorum, ac gemmarum curioſitate reiecta, Eccleſiaſticam viuendi modeſtiam externo cultu Epiſcopi, & Sacerdotes repræſentarent. De quo videnda, quæ decreuit Concil. Toletan. ſub Sixto IV. Pont. de anno 1473. ſub tit. [Quòd Prælati non incedant publicè ſine roccheto: nec induantur ſericis veſtibus, nec calcient ſotulares albos, &c.] item ſub tit. [Quòd non induantur Clerici veſtibus ſericis, rubris, vel viridibus: nec calcient ſotulares albos: vel borſeguis albos, vel rubros, niſi cum nigris deſuper ſotularibus.] Immò de vita, & honeſtate Clericorum, quales debeant eſſe, iura Canonica ſæpius alloquuntur.

Quòd ſi aſſeramus, hiſce vltimis Eccleſiæ temporibus, ea maximè ratione, ſeculares Principes occaſionem ſumpſiſſe, ad bona Eccleſiæ, pro grandi parte, ſiue licitis, ſiue illicitis modis, in ſuos fiſcos inuehenda; quia tranſuerſam illorum diſpenſationem fieri ab Eccleſiaſticis conſiderabant: forſitan à vero nihil deuium proferemus. Hæ ſunt decimæ, hæc ſunt ſubſidia, hæc ſunt in dies alia onera à ſecularibus Principibus petita, & à ſummis eis conceſſa Pontificibus, ex bonis Eccleſiaſticis. Sunt, videlicet, commemorationes iſthæc Eccleſiaſticorum imme-

morum

morum Chriſti I E S V beneficij, & vel cum Zachæo, dimidium ſuorum, dixerimus meliùs Chriſti eiuſdem, bonorum, pauperibus tribuere: vel quartam ſaltem partem à S. Siluestro, & ſacris Canonibus illis attributam, fideli diſpenſatione conſignare.

Templorum immunitate, ò Eccleſiaſtici diuites, tamdiù malefactores, & illorum res, & bona gaudent, quàmdiu eorum ſacra ſepta non transgrediuntur: in perſonis, & in bonis pœnas, ſi tranſgrediantur, protinùs luituri. Eccleſiæ bona, eorum ſunt Chriſtianorum magna ex parte, oblationes, vt S. Vrbanus, loco citato, dicebat, qui pro ſuis redimendis peccatis, eleemoſynarum loco, Eccleſijs, & Eccleſiaſticis viris diſpenſanda tradebant; quæ quàmdiu in Eccleſiaſticos legitimos vſus fuerint diſtributa, immunitate gaudebunt; quæ malè, & iniquè diſpenſata, vel quia ab ipſis ſecularibus, modis quibuſcumque, Deo ſic iuſtiſſimè permittente, intercipientur; vel quia Chriſtus Dominus aliàs ea velit imminutum iri, ab immunitate ad imminutionem facillimè dilabentur. Quantumcumque enim habeamus eiuſdem Chriſti Domini promiſſionem; Eccleſiam in finem vſque ſeculi duraturam: bonorum tamen eius temporalium durationem, haud eſt certum, ſub hac promiſſione contineri. Qui enim fecit, vt initio naſcentis Eccleſiæ multitudinis Credentium eſſet vnum cor, & anima vna, omnibus bonis temporalibus pro nihilo reputatis, abiectis, & contemptis; efficere poterit, vt ad locum, vndè exierunt hæc charitatis, & fraternitatis clara, & rapida flumina reuertantur, vt iterùm ſimiliter fluant: Eccleſ. c. 1. niſi fide, integritate, ac religione, à priuatis Eccleſiaſticis diſpenſentur.

Hanc Conſiderationem hac conſideratione concludimus; Eccleſiaſticos omnes orantes; conſiderent: hinc tot exactiones, per Principes ſeculares, à bonis Eccleſiaſticis quottidie fieri; quia id expetunt debita, ex illis, pauperibus non ſoluta. Vndè Chriſtus ſummus Pontifex aſſiſtens futurorum bonorum ad Patris dexteram, ad Hebr. c. 1. & 9. & ſimul Aduocatus pauperum apud Patrem, per ſuos Vicarios ſummos Pontifices præſentium ſuorum bonorum vult fieri has vel commutationes, vel compoſitiones: quæ ſi nunc tertiam, ſi mediam bonorum vel ſimilem attingunt quotam, quo caſu hæc bonorum Eccleſiæ temporalium adminiſtratio ad iuſtam non reducatur bilancem, timendum eſt; ne Chriſtus ipſe ficum aridam omninò reddat, [ne vmquàm ex illa fructus naſcatur in ſempiternum:] ſicuti fecit Matth. c. 21. & Marc. c. 11. quo loco ex Lyrenſi, de Sacerdotibus ad litteram, facto ipſo, Chriſtus Dominus fuit loquutus: in quibus nullam fuit expertus pietatem.

Quis enim crediddiſſet, Prophetam ſanctum, grauem concionatorem, ipſorum Sacerdotum modeſtum veneratorem, Ieroſolymæ triumpho publico, ſicuti inſolito, ac miro exceptum; ipſis infantibus ipſius laudes perficientibus, non fuiſſe aliàs ab vno ex Sacerdotibus hoſpitio, & con-

uinio excipiendum? cùm Gloſſa ſuper c.11. Marc.aſſerat, eum, an ab aliquo inuitaretur, oculatiſſimè circumſpexiſſe. Vndè illum,oportuit Bethaniam,eadem die,regredi impaſtum: vt Lazari, & ſororum ſolita charitate paſceretur. Hauſerunt forſan Sacerdotes Hebræi impietatem, & in pauperes tenacitatem ab Aegyptijs Sacerdotibus; de quibus refert Herodotus lib.2. ad recipiendum faciles, ad donandum ſemper tenaces,& difficiles reperiri. A quorum omnium moribus eò plus decet Eccleſiaſticos eſſe longè, quò Sacerdotio excellentiori initiati, temporalia bona calcando, æterna, quæ ſunt illorum pars, funiculus, & hæreditas, debent ſemper meditari.

TERTIA CONSIDERATIO.

Circa tempus, & modũ Eccleſiæ diuitias,&c.pauperibus,&c.erogandi

TERTIA ſit Conſideratio: Non ideò quia bona Eccleſiæ immobilia non diſtrahuntur, ornamenta Eccleſiarum non litiantur, altarium, & totius cultus Diuini vaſa ſacra non venduntur; vt inde pauperes alantur, redimantur captiui, orphanis, & pupillis, peregrinis, ac vtriuſque ſexus indigentibus Chriſtianis omnibus ſubueniatur, Eccleſiæ bona, eſt colligendum iniquè diſpenſari. Abſit,abſit, Ratio enim, quæ in primitiua Eccleſia, vel ſuadebat Patribus, vel verius ab illis exigebat, vt Eccleſiarum bona ſiue eſſent prouentus annui, ſiue ſacra vaſa,in pauperum vſus, & ſubſidia,ſiue in quottidianum victum, & veſtitum interdum conflata expenderentur, illa fuit, quæ à nobis ſupra cùm fuerit tractata,ſuperfluum eſſet, modò eamdem repetere pluribus; breuiter tamen erat: vt fidelibus, qui ſiue ex Hebræis, ſiue ex Gentilibus fidem ſuſceperant, bonorumque ſuorum, poſt perſonales perſequutiones, fieri ſpolia ab Infidelibus conſtanter patiebantur, apud fideles ſumma eſſet charitate conſultum: neque temporalium ſubſidiorum defectus, æternorum valeret votorum curſum retardare.

Ex his Chriſtianis plurimi Tyrannorum deuitantes rabiem, & furorem,ad eas ſe conferebant ciuitates, in quibus Epiſcoporum protectione, & auctoritate contutatis, ſecuriùs vitam tranſigere, concedebatur. Tanta verò interdùm horum confluebat multitudo ſimul, vt in vna ciuitate propè Conſtantinopolim, Nicæa dicta, plura quàm decem millia propter Chriſtum exſulantium fuerint inuenta: ad quorum ſubſidium Atticus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus ſanctitate, & doctrina vir inſignis, ex Nicephor. lib.14. c. 24. trecentos coronatos miſit Calliopio Presbytero Nicæno, vt eos in dictos egenos Chriſtianos diſtribueret, conſignandos. Teſtis eſt Chryſoſtomus Homil.33. ad populum

Antio-

Antiochenum, qualiter vna ſola Eccleſia Antiochiæ, ſuis annuis redditibus, tria millia viduarum, & virginum ſuſtentabat.

Quotieſcumque igitur caſus ferebat, tantam, tamque copioſam fidelium multitudinem ad aliquam ſe recepiſſe ciuitatem, tum temporis, ſi vel diuitum, vel omnium aliorum Chriſtianorum eleemoſynæ non ſufficiebant eis ſuſtendandis; Epiſcopus, cui ex Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutione, hoc onus incumbebat; ſuo ex officio in horum fidelium pauperum victum, & alimoniam, quicquid haberet inſumere tenebatur. Et ſi adhuc id non eſſet illorum leuandis neceſſitatibus ſatis, bona Eccleſiaſtica, quæcumque illa forent, conſultis Presbyteris, Diaconibus, & viris alijs Eccleſiaſticis, in hos ſanctos vſus poterat, & debebat expendere: adeò vt ſi bona ruralia, ſi prædia, hæreditates, & agri, & ſimilia non ſufficerent, ipſa vaſa ſacra, rebus deputata Diuinis peragendis, ipſæ veſtes ſanctæ, quibus ornabantur Miniſtri ſacra facturi, omnia denique templorum eſſent ornamenta diſtrahenda; vt dictæ neceſſitati omninò ſuccurreretur.

Itaque ſi quando Symmachus Papa, referente Ioan. Diacono, in Anaſtaſio, & in Hiſt. Miſcell. lib. 15. ducentis viginti, iuxtà Sigibert. verò in Chronic. ducentis viginti quinque Epiſcopis Africanis in Sardinia inſula exſilio relegatis, per impium Traſamundum VVandalorum Regem, quottidiana præbebat ſubſidia, aliunde illi theſauri Eccleſiæ non ſuppeterent: (ſicuti propter ſuam largiſſimam charitatem, abundè ſemper ſuppetierunt,) niſi ſacra profunderet vaſa templi Vaticani, niſi ab ipſis Sanctorum Petri, & Pauli capitibus adorandis, gemmas, & ſapphyros auferret in Sacroſancta Baſilica Lateranenſi, cum ceteris eius pretioſis paramentis: vaſa ſacra, gemmæ, & ſapphyri, paramenta omnia fuiſſent, ac Eccleſiæ Romanæ ornamenta, ſubhaſtanda: quo ſacris illis Epiſcoporum Africanorum capitibus neceſſaria ſubſidia non deeſſent.

Sic etiā præſentiū ſuorum temporū peregrinis neceſſitatibus ſubueniendum, & ex charitate, & ex iuſtitia, cenſuit Ioannes IV. ſummus Pontifex, dum de anno Domini 640. referente Anaſtaſio, miſit per omnem Dalmatiam, ſeu Iſtriam multas pecunias ad redimendam captiuorum multitudinem, quam Slaui Gentiles fuerant deprædati. Qui eò prudentiùs ea fuit liberalitate vſus, in Eccleſiæ Romanæ, ad ſimiles vſus, erogando theſauro, quo experientia compererat, illud ab Honorio prædeceſſore in damnum fuiſſe ipſius Eccleſiæ congregatum. Cùm enim ſciret, Imperatores, eorumque miniſtros auidè in Eccleſiarum inhiare bona; eamque ob cauſſam in eas, ſacrilegas plures feciſſe inuaſiones, quò malum præuerteret, indemnitatique Romanæ conſuleret Eccleſiæ, præiudicata S. Laurentij ſententia, & efficacitate, illud vtile ſatis remedium æſtimauit, theſaurum, videlicet, Eccleſiæ pauperibus erogare, Chriſtianos tot captiuos è Gentilium manibus redimendo.

Vbi volumus omninò, poſteritati in his ſcriptis antiquorum Eccleſiæ ſeculorum memoriam conſecrari: quibus, ſi pauperes, ſi infirmi, ſi peregrini, qui beneficijs, eleemoſynis, & ſubuentione indigerent vrgentioribus in ciuitate aliqua non conſpicerentur; tunc ad pauperes Eccleſiarum, & ciuitatum viciniorum ſubſidia reſidua mittebantur: ita tamen, vt miſſæ illæ oblationes ab Epiſcopis & Paſtoribus, Presbyteris, ſeu Diaconibus, & reciperentur, & diſtribuerentur. Immò non proprij noſtri iudicij ſenſui innixi, ſed Apoſtoli Pauli auctoritate ſuffulti, & eius Diuinis exemplis inſtituti, & præceptis ſalutaribus confirmati, audemus, & dicere, & docere: ſi res eueniret, caſuſue id poſtularet, ità omninò præſentibus ſeculis fore faciendum. Is enim Diuinus, & Doctor, & Apoſtolus collectas Macedoniæ, & Achaiæ factas, atque Corinthi, Ieroſolymam in eorum pauperum, qui illic agebant, (quos, vt ſupra vidimus ſæpiùs, Sanctos vocat) miſit: vt etiam ſuperiùs fuit latiſſimè relatum. Paulus autem cùm eſſet Epiſcopus, & illis tunc pauperibus ſic conſuleret, etiam facto ipſo, Oeconomiæ ſubſequuturis in poſterum Epiſcopis obſeruandæ, quotieſcumque ſimilis emergeret neceſſitas, viuum exemplum dereliquit.

Cùm verò Romana Eccleſia, omnium per orbem Eccleſiarum mater, & magiſtra, & fuerit, & ſit, & vſque ad finem ſeculorum, (quicquid Hæreticorum turba obſtrepat) ſit futura: hoc Apoſtolicum adeò excepit exemplum, adeò illud quaſi vni ſibi impoſitum agendi præceptum fuit amplexa: vt olim, ſi quæ, pauperibus Romanis paſtis, eſſent analecta, ſeu reſidua, ab illa, per ſui ſummi Pontificis manus, ad pauperes aliarum ciuitatum, quorum tunc temporis magnus erat concurſus, mitterentur. Huius religioſæ conſuetudinis exſtat inſigne teſtimonium Dionyſij Epiſcopi, apud Nicephorum Calixtum, lib. 4. cap. 8. Hiſt. Eccleſ. is enim in Epiſtola, quam ad S. Soterem Romanum Pontificem ſcripſit, ſic ait: [Iam indè ab initio hæc vobis conſuetudo: vt fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis; & Eccleſijs multis, quæ paſſim ſunt in vrbibus, ſubſidium mittatis: per quod iamdudum egenorum penuriam recreatis: & fratres in metallis opus facientes alleuatis: moremque Romanum à maioribus acceptum Romani retinetis. Quem non ſolùm conſeruauit, ſed adauxit etiam Beatus Epiſcopus veſter Soter: cùm liberaliter munera ſubmittendo: tum fratres ad nos redeuntes, vt filios ſuos pater amantiſſimus, ſermonibus beatis cohortando.] Hucuſque ex Nicephoro.

In quibus animaduerſione dignum eſſe maxima cenſemus, id quod affirmat, morem, ſcilicet, à maioribus acceptum fuiſſe Romanis, plura beneficiorum genera, & ſubſidia mittere fidelibus fratribus, qui in alijs ciuitatibus commorabantur: vt hinc liceat nobis colligere, Eccleſiam, quæ in tot, ac talibus benedictionibus ſeminauit, & in dies varijs bene-

ficentiæ generibus ſeminat, de benedictionibus, ſecundùm Apoſtoli Pauli, ex Pſalm. 111. etiam prophetiam, ad Corinth. 2. c. 9. iuſtiſſimè tantam, ac talem maieſtatem in ſpiritualibus, & in temporalibus meſuiſſe.

Præuia hac obſeruatione, erit facilè intelligere, quo ſenſu ſit excipienda Chryſoſtomi ſententia illa, ſcilicet, [Eccleſiæ ornamenta pauperibus debentur.] Item, & illa Venerab. Vualfredi Abbatis, de Rebus Eccleſiæ, c. 14. cùm ſatiùs eſſe, dixit, pauperibus, quæ viua Dei ſunt, & ſic nobiliora tẽpla, ſubuenire, quàm tẽplorũ parietes exſtruere, vel exornare: eoque nomine B. Gregoriũ in primis laudat. Item, & cunctæ aliæ ſententiæ à SS. Patribus prolatæ de bonis Eccleſiæ adminiſtrandis. Id enim pij viri ſolũ docent, videlicet, in his, quãuis ſacris, ac religioſis tẽplorũ ædificijs, & ornamentis, ſi cetera non adſint Chriſtianæ pietatis officia, religionis perfectionẽ nequaquam eſſe ſitam: ſed præſtantiores, nobilioreſque virtutes ſedulò parandas, quibus animus ad pietatẽ informatur, Deo Opt. Max. longè gratius acceptiuſque videri beneficentiæ genus illud, quo indigentium inopia ſubleuatur, quàm quo templa, atque altaria auro gemmiſque fulgent. Quo ſenſu aliquid ſubolfaciebat naturali lumine ſolùm ductus Perſius à D. Bernardo ſupra citatus: dum dixit:

Dicite Pontifices, in ſacro quid facit aurum? &c.

Vbi referemus conſultò ex Auctore vitæ eiuſdem D. Bernardi lib 2. cap. 8. tantum illum Abbatem, & pijſſimum, & Dei cultus zelantiſſimum, quondam Theobaldum Comitem, eadem pietate, ſimiliq́ue zelo, magnos facientem ſumptus in Abbatijs conſtruendis, & nouis templis ædificandis, monuiſſe: vt domeſticis fidei pauperibus ſubleuandis inſeruiret: vt templis egentium Chriſtianorum immortalibus ædificandis plurimum operæ impenderet. Intellexit ſanè ſanctus ille Doctor, quàm certa, quàm ſecura ſit Philoſophia illa:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines: Quos, &c.

neque ideò quaſi qui contra templorum, & Monaſteriorum erectionem declamauerit, incuſandus eſt: de quo veriſſimè enunciari potuit illud Eccleſiaſt. c. 50. [Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt; duplex ædificatio, & excelſi parietes templi:] qui nedum materialia plura templa, & Monaſteria exſtruxit: verùm, & templi maioris, quod eſt Eccleſia vniuerſa, altitudo, & moles tunc ab ipſo, quaſi fundata, quaſi in veritate, rectitudine, & iuſtitia fuit confirmata, quando Petro Leone Antipapa excluſo, Innocentium eſſe verum, & certum Pontificem Eccleſiæ, illum abijcientibus demonſtrauit.

Igitur quid noſtræ ætatis Epiſcopi nonnulli Deo in extremo iudicio rationem cũ ipſis ponenti, & hoc ipſis exprobranti, poterũt reſpondere? Qui cùm non multitudinem, ſed exiguum ſatis hominum numerum, propter Catholicæ fidei confeſſionem exſules, proſcriptos, egenos, nudoſq́; videant, incerta ſede vagari, panemq́ue vitæ ſuſtendandæ viliſſima, &

abiectiſſima quærere mendicatione, ipſi nihilominùs nulla commiſeratione tanguntur, nihil patiuntur ſuper eorum contritione: iuxtà illud Propheticum lamentum, Amos c. 6. nec eorum ſortem miſerantes, eis non ex ſacrorum vaſorum pretijs, ſed ex ſuorum theſaurorum, à tineis, & blatis corroſorum, ſuperfluitatibus minimè curant prouidere.

Quod audiuimus, quod vidimus, & perſpeximus, & Miniſtrorum Regis noſtri Catholici Philippi II. æternæ, claræ, & piæ memoriæ manus contrectauerunt, & per eorum manus, omni exceptione maiorum, accepimus, hoc teſtamur: Regem illũ habita notitia D. Nicolaum Sanderum Anglia profugum Callaica, verſus Hiſpaniam, petijſſe littora; in hanc Archiepiſcopo Compoſtellano ſcripſiſſe formam: [Nicolaus Sanderus Doctor Catholicus, & pius, & amicus noſter, propter Chriſtum, Anglicis finibus extorris, ad Callaicas noſtras appellet oras: bene facietis, ſi per vos, & veſtros ſuffraganeos Epiſcopos deduxeritis illum ad nos, dignè Deo.] Qua tanti Regis animaduerſione, & tantorum Archiepiſcopi, & Epiſcoporum Euangelica charitate nobiliter exceptus, & ad Regem introductus Catholicum Doctor ille cum ſuis ſocijs, Apoſtolica gauiſi ſunt ſe vidiſſe apud Hiſpanias tempora, qui Apoſtaticam ſuorum contribulium fuerant experti tempeſtatem.

Quòd ſi ad inſtantis temporis, quod nos ad hæc ſcribenda impulit, ſtatum, hanc Conſiderationem traducamus: tanta ſupererogationis quaſi opera vlteriùs vrgere prætermittentes, quæ ſupra de Eccleſia Romana, & de Attico Conſtantinop. Archiepiſcopo, versùs longè diſſitos pauperes retulimus: aduertant, obſecramus, Epiſcopi, aduertant Eccleſiaſtici diuites, & pecunioſi, quomodò ſe gerant cum Sacerdotibus, cum viris Religioſis, cum Eccleſiaſticis, cum ſecularibus ex dominijs terrarum, quæ hæreſibus detinẽtur, ad ſe confugientibus, vt Catholico ſibi liceat more viuere: nam aliqua nos inuadit rationalis ſuſpicio, plures Eccleſiaſticos, & ſeculares ab illis dominijs receſſuros fuiſſe, ſi charitatem maiorem in diſpenſandis bonis Eccleſiaſticis ſe ſperarent, inter nos Eccleſiaſticos, recepturos.

Pro talium ergo, & ſimilium pauperum exſulum, & extorrium cauſſa, licet Epiſcopis res alienare Eccleſiaſticas: immo illas debent diſtrahere; quam doctrinam latè definitam reperirent apud Ambroſium lib. 2. de Officijs, c. 28. qui fuſioris huius rei cognitionis deſiderio tenerentur.

Alia eſt etiam cauſſa, ratione cuius ſacri Canones decreuerunt, Eccleſiaſtica bona venundari, & alienari; & hæc eſt, captiuorum redẽptio; Declarauit, hanc eſſe idoneam cauſſam, S. Gregorius Magnus ſummus Pontifex, lib. 6. Epiſt. c. 199. ſeu Epiſt. 35. ad Epiſcopum Meſſanum, & refertur 12. q. 2. ſic docens: [Et ſacrorum Canonum, & legalia ſtatuta permittunt, miniſteria Eccleſiæ, pro captiuorum eſſe redemptione vendenda.] Et ad Demetrium, & Valerianum Firmanos Clericos, idem, de re-

eadem, ſic conſtituit, lib. 7. Epiſt. 14. & apud Gratian. cap. ſequen. [Sacrorum Canonum ſtatuta, & legalis permittit auctoritas, licitè res Eccleſiaſticas in redemptione captiuorum impendi.]

Eſt ſimile & illud decretum, quod ex Ambroſio lib. de Officijs, ibidem citatur c. Aurum. & aliud, quod ex octaua Synodo ſub Hadriano II. c. 15. ibidem refertur c. [Apoſtolicos, & paternos Canones renouans hæc ſancta, & venerabilis Synodus definit: neminem prorſus Epiſcopum vendere, vel vtcumque alienare ciuilia, & vaſa ſacrata: excepta cauſſa, olim ab antiquis Canonibus, ordinata: videlicet, pro redemptione captiuorum: ſed non tradere ſalaria Eccleſiarum in emphyteotica pacta: nec alias ruſticas poſſeſſiones venundare; ac per hoc Eccleſiaſticos redditus lædere, quos ad propriam vtilitatem, & ob eſcam pauperum, & peregrinorum ſuſtentationem, eſſe decernimus.] & infra: [Quiſquis autem poſt hanc definitionem noſtram, contrarium quid huic ſanctæ Sedi, & vniuerſali Synodo agere tentauerit, deponatur, vt præuaricator Diuinarum rerum, & præceptorum: caſſata, videlicet, quæ facta eſt in ſcriptis, vel ſine ſcriptis, ab Epiſcopo, venditione, vel emphyteotica traditione, vel alia qualibet alienatione ciuiliorum, & ſalariorum locorum. Qui verò ceperit, aut emerit aliquid ex prædictis ciuilijs, vel ſalarijs, & non reſtituerit Eccleſiæ iterùm, quæ Eccleſiæ ſunt: vel non reddiderit, ad incidendum, chartam venditionis; vel emphyteoſeos, ſit Anathema, vſque dum fecerit, quod ab hac ſancta, & vniuerſali Synodo confirmatum eſt.]

Tertia eſt etiam cauſſa, qua ſacrorum alienationem bonorum Canones permiſerunt: & hæc eſt fabricæ neceſſitas, & indigentia. Et pro maiori totius huius rei, & claritate, & confirmatione, viſum eſt, doctrinam integram Ambroſij, dicto c. Aurum. apponere: [Aurum, inquit, habet Eccleſia, non vt ſeruet; ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus.] & poſt pauca: [Nonne melius conflat Sacerdos, pro alimonia pauperum: ſi aliqua ſubſidia deſunt: quàm ſi ſacrilegus contaminet, & aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus: Cur paſſus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, vnde alimoniam miniſtraſſes.] & paulò infra: [Quid dices? Timui, ne templo Dei ornatus deeſſet; reſpondet: Aurum ſacramēta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus ſacrorum, redemptio captiuorum eſt; nemo poteſt dicere, cur pauper viuit; nemo poteſt queri, quòd captiui redempti ſunt; nemo poteſt accuſare, quia templum eſt ædificatum: nemo poteſt indignari, quia humandis fidelium reliquijs ſpatia laxata ſunt: nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorum eſt: In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ, etiam initiata, confringere, conflare, vendere licet: Opus eſt, vt de Eccleſia, myſtici poculi forma non exeat, nec in vſus nefarios ſacri calicis miniſterium transferatur: ideo intra Eccleſiam primùm quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent, deindè comminuta, po-

ſtre-

ſtremo conflata, per minutas erogationes, diſpenſata egentibus, captiuorum quoque pretijs profuerunt.]

Quandocumque vna ex his tribus narratis cauſſis vrgeret, eſſet tunc temporis integrum Epiſcopis, & Eccleſiaſticis viris, res Eccleſiaſticas in eos vſus, quos Canones ſacri præſcribunt, inſumere: ea tamen adhibita moderatione, quam octaua illa Synodus adhibendam decreuit: ſcilicet, Eccleſiarum ſalaria, non eſſe tradenda in emphyteotica pacta: neq; alias poſſeſſiones ruſticas fore vendendas; neque Eccleſiaſticos redditus imminuendos: quos in vtilitatem propriam, & pauperum eſcam, peregrinorumque ſubuentionem, & ſacri cultus externam profeſſionem, eſſe deſtinatos, antiqui Patres Eccleſiæ ſtatuerunt.

Imperatorum etiam Sanctionibus, ſecus ne fiat, rerum ſacrarum alienatio, quàm ex relatis cauſſis, ſolerter cautum eſt; ad ſacrarum legum maieſtatem exſequutioni faciliùs commendandam: vt l. 16. de Sacroſanctis Eccleſijs. & Authentica, quæ ſequitur eam legem, ob æs alienum Eccleſiæ, id quoque licere docet, in vaſis tantùm non neceſſarijs. Egentibus ergo, captiuis, & Sacris, ab antiquis Patribus eximia charitate, pietate, bonitate, & iuſtitia, conſultum eſt; adeò vt ipſa Sacra, inopum quoque cauſſa in promptu ſint, non ſolùm res aliæ Eccleſiæ. Et quid mirum, ſi decimas ipſas, vt ſuperiùs diximus, magna ex parte, ſuæ conſequuntur iuſtitiæ complementum, quia egentium animarum ſunt tributa? [Decimæ,] inquit Auguſtinus 15. q. 1. [tributa ſunt egentiū animarum. Quòd ſi decimam dederis, non ſolùm abundantiam fructuum recipies; ſed etiam ſanitatem corporis, & animæ conſequeris. Non igitur Deus præmium poſtulat, ſed honorem: Deus enim noſter, qui dignatus eſt totū dare, decimam à nobis dignatus eſt recipere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturam.]

Qui oblationes] inquit Concilium Carthaginenſe 4. c. 95. & habetur 13. q. 2. [defunctorum, aut negant Eccleſijs, aut difficulter reddunt: tamquam egentium necatores excommunicentur.] Et Concilium Vaſenſe 1 c. 4. eodem loco Gratiani. [Qui oblationes, inquit, defunctorum retinent, & Eccleſijs tradere remorantur, vt infideles, ab Eccleſia ſunt abijciendi; quia vſque ad exinanitionem fidei peruenire certum eſt, hanc pietatis diuinæ exacerbationem: quia, & fideles de corpore recedentes votorum ſuorum plenitudine, & pauperes conſolatu alimoniæ & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi ergo tales, quaſi egentium necatores neque credentes iudicium eſſe Dei, habendi ſunt. Amico quippiam rapere, furtum eſt, Eccleſiam verò fraudare, ſacrilegium.]

Iuſtiſſimæ ſanè, & ſanctiſſimæ, & Pontificiæ, & Conciliares, & Imperatoriæ Cōſtitutiones: nam vt ad importunas hominum quorūdam propoſitiones conniueremus: vt ad illorū vota, ſemel bona Eccleſiaſtica diſtracta, vendita, & alienata, in captiuorum concederent redemptionē, vel i

pau-

pauperum manus traderentur:attendăt ipſi,& attendite,precamur,boni viri ſeculares,dicite,amabò,Eccleſiaſtici,& Patres Regulares, harū propoſitionum, vel Doctores,vel introductores, quàm miſerabilis, quàm obſcura,quàm fœda præſentis noſtræ Eccleſiæ facies conſpiceretur? Bonis enim Eccleſiæ ſemel diuenditis,& diſtractis,neque vnde Eccleſiæ miniſtri viuerent, neque exſtruendis templis, neque iuuandis pauperibus, aut vnde peregrini exciperentur,eſſet reliquum: templa ruerent, miniſtri deficerent,qui in ſacris miniſterijs operantur,religio funditùs interiret: & Eccleſia, regina,& ſponſa,quæ adſtat à dextris Chriſti, ex Pſal. 44.[In veſtitu deaurato, circumdata varietate,] viduam ſe doleret; & pro lætitia,& exſultatione, luctum eſſet maximum inuiſura. Hoc Lutherani vellent, hoc Zuingliſtæ optarent, hoc magno mercarentur Caluiniſtæ,hoc inferni proles, Hæreticorum colluuies ad praxim reduci votis omnibus deſiderarent.

Præterea vt veſtris ſemel dictis faciamus ſatis, qui Eccleſiaſtica bona in captiuorum,velletis,redemptionem commutari; eſto, venundentur: ad Turcam tranſmittantur:nihil prorſus Eccleſiæ ſit reliquum:vt nullus apud hoſtes Chriſtiani nominis homo Chriſtianus detineatur: ſi hoſtes Chriſtianiſmi his denuò diuitijs aucti,irruptionibus nouis factis, alios caperent Chriſtianos:quibus bonis eſſent in libertatem vindicandi? veſtriſne viri ſeculares? (nam iam cum Eccleſiaſticis omnibus,firmata ſuppoſitione,ſpoliatis bonis temporalibus,non loquimur.) Sed hoc quantū vobis arrideat,vos ipſi iudicate,qui ardentiùs aurum, auidiùs argentū, propenſiùs temporalia bona, quàm viri omnes Eccleſiaſtici procuratis.

Hoc opus, hic eſſet labor,illis ſecularibus perſuadere, vt vel decem captiuos Chriſtianos,cum centies milleſima ſuorum bonorum portione, in libertatem aſſererent,qui omnes captiuos vellent hodie redimi, omnibus Eccleſiæ bonis alienatis.Quàm efficaciter,ſiue Logicè,ſiue Rhetoricè declamarent.Vnde familiam,dignitatem, filios, domeſticum ſplendorem,ea,quam à maioribus accepimus,ſuſtentabimus honeſtate? Qui Reipub.cauſſam, qui amicorum; qui ſanguine nobis coniunctorum negotia tractabimus? Qui Regum,& Principum obibimus munia?Qui inimicorum effugiemus ſanna? Qui augendis ſufficiemus fortunis, ne creſcente prole,in plures diuiſa hæreditate,plures relinquamus filios pauperes, vnius patris diuitis ſucceſſores? Compertum habemus, hæc,& ſimilia plurima,tales inuidos,& rerum Eccleſiaſticarum oſores,ſuarumq́. amatores, fuiſſe enunciaturos; qualia ſunt ſoliti inculcare, quoties ad ipſos,de eleemoſynis largiendis, ſermo,per Dei præcones,enarratur.

Sed cùm ad plura,quæ adhuc reſtant dicenda,noſtra properet oratio, & ſit animus in ſequentibus hoc argumentum, contra ſeculares viros, pro Eccleſiaſticis,fortiùs vrgere:hanc gratiam à viris Religiones ſacras profitentibus,nobis fieri ſupplicamus;vt, qui in diſpenſatione bonorum

Eccle-

Eccleſiaſticorum, præcipua debeant eſſe exemplaria ceteris Eccleſiaſticis; notent, quid Chryſoſtomus, & Theophylactus explicent oleum quinque prudentium virginum eſſe, apud Matth. c. 25. vbi illud ad opera miſericordiæ omninò autumant pertinere. Gregorium legant lib. 1. Regiſt. Epiſt. 24. vnctionem illam lapidis à Iacob factam, Geneſ. c. 28. ad contemplatiuos religioſos, interim ad fratrum ſubleuandas neceſſitates, deſcendentes, applicantem. Iſidorum lib. 2. de Diuin. offic. audiant, Monachorum antiquorum circa pauperes alendos curam maximam commendantem. Caſſianum auſcultent lib. 10. c. 20. Diuinè de Monachorum opere manuali differentem. Auguſtinum tractent lib. de Moribus Eccl. c. 21. omninò videndum, vt antiquorum Monachorum inſpecta charitate, præſentium Monachorum tepiditas confundatur. S. Baſilium Epiſt. ad Iulianum videant, & ibi quemdam Monachum ſacrorum Euangeliorum codicem diſtrahentem, vt pauperibus eius pretium daret: hoc addito elogio, [Vendidi doctrinam, quæ me docuit omnia vendere, & dare pauperibus.] D. Thomæ attendant Theologiæ declaranti, 2. 2. q. 187. ar. 2. quid ſeculares, quid religioſi teneantur, tempore neceſſitatis, facere, vt pauperibus ſubueniatur.

Et tamdem cùm ſanctorum Monachorum, & Patrum charitas effecerit, vt plures viri ſeculares, ſuas libentiſſimè ipſis diſpenſandas relinquerent poſſeſſiones; quibus bona temporalia Eccleſiæ inſigniter fuere aucta: vt Petrus Bleſen. optimè notat epiſt. 29. timeant cum eo ibidem, ne auaritia Principum futurorum, occaſione accepta à Religioſorum negligenti charitate, in redditus, & poſſeſſiones Eccleſiaſticas inuolet: & illud Iob cap. 31. impleatur: [Si deſpexi prætereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem: ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt: ſi leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta ſuperiorem: humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur.] In pœnam enim iuſtam frigeſcentis charitatis, aduertit ibi grauiſſimè dictus Bleſen. Monaſteriorum, & Conuentuum redditus minorari.

Et qui Eccleſiaſticos, per horum Sanctorum doctrinam, credimus eſſe de ſuis muneribus, ac obligationibus ſufficienter commonefactos; modò ſeculares oramus, meminerint, lib. 2. Machab c. 3. grauem vindictam factam de Heliodoro; quòd, ex mandato Regis, vellet aurum etiam creditum, ſeu depoſitum, intra templi ſepta accipere: grauior enim eſt exſpectanda vindicta à Deo in ſeculares, qui non ſolùm depoſita in Eccleſia: ſed bona ipſius Eccleſiæ, quæ ipſius Chriſti depoſita ſunt, ex quo ipſi ſepoſita, auferre volunt, vel tentant: in quo templi ſanctitas magis in proprijs, quàm in alienis, violatur.

QVAR-

QVARTA CONSIDERATIO.

Circa præſenti tempore, Eccleſiaſticorum bonorum diſpenſationem.

INTERIM tamen, dum conſiderantes cum S. Leone ter Maximo, naturã hominũ, ſicuti ſemper habet quò recedat, ſemper habere quò creſcat, Eccleſiaſticos, quaſi fideles diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, conamur, per Sanctorum Patrum exempla, & exhortationes, in officio continere: deuios verò ad officium reuocare: & laicos circa huius materiæ tractationem conſideratiores reddere: quarta ſequatur Conſideratio: & ſtatum Eccleſiæ hodiernum parumper inſpiciamus, in bonis Eccleſiæ diſpenſandis: & forſan, non ſolùm Hæreticos, verùm Catholicos quoſdam nimis ſciolos, de hac bonorum diſpenſatione vanè differentes, confundemus. Vbi cùm viros Religiones graues profeſſos videamus, circa bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem, & Monaſteriorum diuitias, non differere, ſed blaterare, facilè ſuſpicamur, externo eos tantùm cultu, habitu tantùm externo, religionis materiã deguſtaſſe. Si enim quos Eccleſię fructus Religiones ſolũ Monaſticæ, cum ſuis diuitijs, pepererint, millium, & millium Sanctorum, & Doctorum, & Pontificum ſummorum, & Cardinalium, & Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum conſideremus, vel vnus S.P.N. Benedicti Ordo inſipientium Religioſorum ora debuiſſet obturare.

Ergo ab Eccleſia Romana, aliarum omnium Imperatrice, & Magiſtra vſque ad vltimas per Orbem Eccleſias, ſi leuemus oculos ad ingentia Sacerdotia, pingues Epiſcopatus, affluentes Eccleſiaſticos redditus, in ſeptuplo, credimus, ſecularium hominum, quàm Eccleſiaſticorum vſui deſeruire. Et qui Eccleſiaſticorum bonorum prouentus, ſi inter Eccleſiaſticas ſolùm perſonas diuiderentur, forſan quottidiano victui, & veſtitui illorum congruè non ſufficerent: inter plures diſtributi, per ipſos Eccleſiaſticos, ſeculares, aliquorum ex illis forſan delicijs, pluſquàm neceſſitatibus mancipantur.

Vbi vellemus maximè aduerti Hiſtoriam Iudic. c. 17. relatam de Micha diuite, Leuitam apud ſe hiſce verbis detinentem: [Mane apud me, & eſto mihi parens, ac ſacerdos: &c. fuitque illi quaſi vnus de filijs. &c.] Itaque, quem, vt parentem, ad illum venerandum, excepit; vt filium, ad illum delicatè tractandum, acceptauit. Noſtris verò temporibus, qua prȩuia diligentia, quo medio examine, qua, etiam Mathematica, ſeu, ſtrictiùs loquẽdo, Aſtrologica indagine, Princeps vnus, vel Nobilis, ſeu mauis pecunioſus mercator, ſacerdotem vnum in domum admittit ſuam; quò rem ſacram, Miſſam, ſcilicet, celebret: quem ad hoc munus ſemel exceptum, paulatim filij pædagogum, domus ſemiœconomum, grauium

deinde negotiorum conſtituit geſtorem: vt à Miſſa, ad miſſum ſe conſpiciens trāſlatum, ne mittatur foras, oporteat, ſuas omnes res miſſas facere, exſpectans in dies, quando cura, ſeu ſuperaſſiſtentia equorum, ſeu comeſtallia, modeſto Sacerdoti concredatur. Quod omne, præmium ingēs vnius parcæ portionis, cum duodecim forſan annuis ſcutis, conſequitur: reliquum, in exſpectatione præſtandi ſibi in poſterum, apud aliquem potentem Eccleſiaſticum, fauoris continetur.

Cùm è conuerſo, quicumque Eccleſiaſticus, vel ducentorum annuis ſcutorum redditibus honeſtatus, duos ſaltem ſecum aſſumat ſeculares; & ſimili proportione omnes Eccleſiaſtici in ſuis inſumendis procedant redditibus: vt Eccleſiaſticorum bonorum vſus ferè ſit ſecularium, cura verò, & ſolicitudo, vt illi commodè degant, ad Eccleſiaſticos ſit potiùs patronos deuoluta. Sunt certè Eccleſiaſticæ diuitiæ hodie, quaſi agnus ille Paſchalis, Exod. c. 12. Nam cùm Eccleſiaſticorum, (qui alios deberent ex domeſtica æquitate, & charitate, Eccleſiaſticos, ad illius eſum admittere, ſiue hac, ſiue illa non fiat occaſione, de quo nunc non diſputamus) maior ſit numerus, vt ſufficere poſſit, ad veſcendum agnum, ſcilicet, ad illas diuitias conſumendas; aſſumunt vicinos, ſeculares homines: iuxta numerum animarum, non ſolùm quæ ſufficiunt ad eſum agni: verumetiā quæ interdùm ſuperſint, vt oſſa illius, aliàs non comminuenda, confringant: ipſa videlicet Eccleſiaſtica bona, quò ad proprietates, hæreditates, poſſeſſiones integras, vel debitis onerent, vel prorſùs comminuant, infringant, & diſtrahant: contra ſacrorum, quæ ſupra referebamus, Canonum inſtituta.

Sunt Eccleſiaſtica bona, appoſita quidem Eccleſiaſticorum menſis: quorum redditus, & prouentus cum Eccleſiaſticis cantant; ſi tamen attentè conſiderentur; non opus eſt, cum Daniele c. 14. pauimenta domorum tot hominum Eccleſiaſticorum cinere ſpargere; non opus eſt abſcōditos introitus, & ſubterraneos inquirere meatus, per quos videantur introire, qui ad ea bona concurrunt deuoranda ceteri non Eccleſiaſtici: nam clarè, & apertè, Eccleſia id diſſimulante, ea innumera ſecularium turba conſumit, varijs ad menſam, & demenſum Eccleſiaſticorum titulis admittenda. Inter quos ille Princeps Eccleſiaſticus Toletanus Archiepiſcopus, hunc grauiter retulit, cùm nobili quodam viro ei inſeruire ambiente, in familiæ contubernium ab eo tamdem admiſſo, & Oeconomo interpellante, illius minimè domum, vt quæ familia numeroſa conſtaret, noui hominis egere miniſterio: ſubiunxit Archiepiſcopus: [Si nos illo non habemus opus, opibus ille noſtris habet.] Vnde valde miramur, homines ſeculares non votis omnibus deſiderare, vt Eccleſia, & Eccleſiaſtici diuitijs augeantur: quas vident, & ſciunt, in ſuos ipſorum ſecularium vſus eſſe maximè conuertendas.

Pergamus tamen vlteriùs, & ab his rigidis Eccleſiaſticorum redditus

cen-

cenſoribus percontemur: quidnam futurum eſſet de tam copioſa ſexus vtriuſque multitudine, quæ in Religionibus Deo ſeruit, conſilia Euangelica pro præceptis colens, ſi ea Eccleſiaſticorum bonorum pars, tot Monaſterijs virorum, ac mulierum non fuiſſet attributa? Nam vt prætereamus, quod in hac re præcipuum eſt, prædeſtinatorum numerum, hac ratione, multum iri auctum; dum Chriſtiani vocationi Diuinæ annuentes, in portu Religionis ſecurè nauigant, quis tantam eſſet hominum cógregationem, pro dignitate, in ſeculo ſaturaturus? Nobiles ſuis fideicómiſſis, & primogenituris, ad primogenitos, omnes ferè ſuas, volunt, opes deriuari: primogeniti, quæ hominum eſt auaritia, & ambitio, ſecundo, & tertio, deindeque genitos, ſuaſque ſorores contemnunt, & alicubi, neque menſis dignantur: & non ſolùm vna hæreditas, vna poſſeſſio, ſed neque [Romanos geminos,] vt Diuinè adnotauit S. Cyprianus, [vnum nó cepit regnum, quos vnum vteri ſuſcepit hoſpitium.] Et tam inſolenti ambitioni, auaritiæque ſecularium ſola medetur Religio: dum Monaſterium vnum alicuius Ordinis Monachalis, (vt ibi modò fiat exemplum, ac iuxta noſtræ Hiſpanæ prouinciæ moré:) tribus millibus annuorum redditũum ſcutis dotatum, triginta (præter aliam variam hominum multitudiné,) alit Religioſos, ſeu Religioſas, & nobiliter, cuius Monaſterij ſplendorem plures ſeculares primogeniti, cum ſingulis tribus millibus ſcutis annuis, non exæquant.

Solùm meæ profeſſionis Monaſterium Regium S. Benedicti in ciuitate Vallisoleti, S. Sedi Apoſtolicæ immediatum, & cuius R. Abbati, poſt ſummum Pontificem, tantùm debeo obedientiam, cum decem millibus vix ſcutis annuorum prouentuum, domi ſexaginta Monachos, viginti Conuerſos, triginta ſeruitores, ſeminarium vigintiquattuor ſcholarium laicorum alit: præter eleemoſynas, quas in particulari, & ſecretò, viris, & feminis aliàs honorem profitentibus, ſed egeſtate laborantibus, & promiſcuis pauperibus, publicè bis in hebdomada largiſſimè ad portam tribuit: præter in fabricam, & cultum Diuinum, & benignam hoſpitalitaté, amplas expenſas: & præter ſumptus non modicos, quos in reformatione ordinaria ſuæ Congregationis Vallisoletan. per ſuũ Abbaté facit: & præter impenſas, in celebrandis ſingulis triennijs in domo propria Congregationis Capitulis generalibus: quibus oneribus vnus ex illius prouinciæ Potentatibus, cum ſuis centum millibus ſcutorum annuis, non eſſet ſufficiens perficiendis, & perferendis.

Hæc conſiderata fuere iam longè ante à Chryſoſtomo Homil. 33. ad populum Antiochenum: dum diuitum taxans auaritiam, dixit: [Si vellét diuites, facilè poſſent alimenta egenis præſtare: quandoquidem Eccleſia Antiochiæ, & quidem non amplioribus redditibus, quàm illorum quilibet, honeſtata, neque etiam ad ditiores facta collatione, alit quottidie tria millia viduarum, & virginum, abſque carcere incluſis, ægrotis, pe-

regrinis,& egenis mendicis,quibus etiam ſuccurrit, & abſque victu , & veſtitu Miniſtrorum,& omnibus eſt ſufficiens.] Ingens,ac mira ſanè vnius illius Eccleſiæ charitas ! non ſolùm veneranda,ſed & imitanda: quam vtinam vetuſtatem,nouitas legum , & Eccleſiaſticarum Sanctionum per ſummos Pontifices,& per ſacra Concilia reſtauraret.

Quod interim dum fit,ab Eccleſiaſticis omnibus eſt enixè poſtulandũ vt Hymnis,Pſalmis,& Canticis ſpiritualibus,quibus ſe quottidie, iuxta Apoſtoli doctrinam,inuicem exhortantur: ad Epheſ. c.5. & Deo ſacrificium laudis,ex Pſalm. 49. immolant: ſymphoniam adiungant manuum ad linguæ concentum:vt[in intellectibus manuum ſuarum]ex Pſalm.77. proſperè deducantur, bona Eccleſiaſtica,quaſi bona non ſua,ſed aliena, Dei, ſcilicet,profuſiſſimè in pauperes,& eiuſdẽ cultum impendendo. Sic enim miſericordia ceteris ſacrificijs à Deo, per Oſeam cap. 6. præponitur : qui Diuinas alias laudes Sacerdotis perſonantis, pietate, & charitate nudas; ſic per Amos increpat,c.6.[Qui canitis ad vocem Pſalterij: ſicut Dauid,putauerunt ſe habere vaſa cãtici . Bibentes vinum in phyalis,& optimo vnguento delibuti:& nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.] Quos certè,manibus ad os applicatis, Dæmon formidaret;qui à Saule Regum 1. c. 16. Dauide coràm eo pſallente , recedebat , non tam Muſicæ artis concentu , quàm Dauidica tremefactus pietate.

QVINTA CONSIDERATIO.

Circa ea,quæ ab Eccleſiaſticis præſtanda ſunt, in Principum, ac Rerumpublicarum neceſſitatibus.

VERVMTAMEN pro bonorum Eccleſiæ diſpenſatione iuſtificanda; & vt penitiùs hanc cauſſam introſpiciamus,& eius,quam tractamus,rei ſecretiora myſteria diuulgemus,quinta iã ſequitur Cõſideratio.Ergo Imperatores,Reges,Principes,Reſpublicas, egentes non ſolùm fingamus,ſed facto ipſo, & experientia cõſideremus,eos; plus forſan,quàm particulares ſuos ſubditos egere ; & pecuniarum inopia,ad tot,& tam grauia ſufferẽda onera , laborare.Et ſupponamus modò,pontem ciuitatis,maligna fluminis irruptione,demolitum,rurſus reficiendum: mœnia,vel vetuſtate,vel hoſtis tormentis diruta,& collapſa; vias communes diſsipatas : vt ceſſare cogantur per eas tranſeuntes ; & denique ciuitatis,vrbis, prouinciæ,communia,& confinia loca ea defenſione,erectione,reædificatione,ſeu inſtauratione indigere,quę à Principe ſolùm,à Republica ſolùm,à ciuibus ſolùm, vel fieri eſt impoſsibile , vel eſt nimis difficile,vel quantumcumque ſit poſsibile,vel non tam difficile,eſt tamen difficillimum , ſecularium,& comprouincialium hominum ſedare multitudinem:quin contra Eccleſiaſticos viros , ſe ab his oneri-

Digitized by Google

bus ſubtrahentes, non murmurent cum ſcandalo, vel non inſurgant: Quid tunc factò eſt opus? quænam hæc eſt immunitas Eccleſiaſticorum bonorum, quæ has murmurationes, vel non ſopiat, ſi eſt de Iure diuino; vel non quietet, ſi adeò fundamentis validis ſolidatur? Quòd ſi his addamus, Imperatores, Reges, Principes, Reipublicæ Duces in ſuis etiam perſonis egere, argumentum ad vltimum ſui ponderis deducemus.

Quod circà hanc Conſiderationem dicitur, eſto, non ſolùm Eccleſiæ, verùm cuiuſlibet lectoris pij iudicio ſuppoſitum: nã, & Eccleſiæ, & Chriſtianorum Doctorum ſapientium, & inſipientium omnium appellamus iudicium, & ſententiam, quibus ex Paulo, ad Rom. c. 1. debitores nos eſſe confitemur.

Supponimus quidem omninò, & præmonemus, non eſſe inuidendum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis viris: ſi laicis perſonis bella gerentibus, longè à ſuis domibus pugnantibus, tributis, cenſibus, vectigalibus, ad Reipub. munera tuenda, & functiones obeundas, oneratis, huiuſmodi Eccleſiaſticæ res, & perſonæ ſua immunitate, & libertate potiantur; quamquam, & ipſi in eadem contineantur Republica, in eodem ſint loco: & quamuis in priuilegijs, & vtilitatibus publicis, ex dictis cõtributionibus ſuccedentibus, participes ſint: & commoditate, defenſione, & beneficio, quæ per tributa, & vectigalia indicta, & ſuperindicta, eueniunt, perfruantur. Siquidem ſicuti Eccleſiaſticæ perſonæ, & cum ſuis bonis Eccleſia, immunes ſunt à laicorum illis oneribus, & participant nihilominùs commodis, & vtilitatibus illorum; ſic contrà, laicorum perſonæ immunes ſunt ab oneribus, laboribus, muneribus, & functionibus Eccleſiaſticis: & nihilominùs participes ſunt cultus Diuini, orationum, meritorum, & miniſteriorum Eccleſiaſticarum perſonarum. Sic corpus nutritur Reipublicæ, per temporalia, corporalibus neceſſarijs, per ſpiritualia verò, verbo in anima: & ità onera in vtriuſque vitæ diuerſis modis agendi, & degendi iuſtiſſimè compenſantur.

Ergo Eccleſiaſtici Deo Domino quottidiè pro ſe, & pro populo inſeruiunt, & miniſtrant. Hinc vt laici in corporalibus onera contrà ſoli ſuſtineant, eſt congruum: ne Eccleſiaſtici duplici onere, & miniſterio corporali, & ſpirituali prægrauentur. Hæc doctrina traditur optimè à Nicolao I. in epiſt. 7. ad Michaelem Imperatorem: & inde refertur diſt. 10. c. Quoniam idem. quæ videtur expreſſa in populo Iſraelitico. Exod. c. 17. contrà Amalec, pugnante, & Moyſe ſedente in collis vertice, & Dominum, pro victoria obtinenda, manibus leuatis, exorante. Vndè non eſſe abſurdum, quòd Eccleſiaſtici gaudeant beneficijs ſtatutorum populi, licet non ſupportent onera temporalia, quæ ſeculares ferunt; quia onera, & certè maiora, ſubeunt ſpiritualia; docuit Paul. Caſtren. Conſ. 300. incipiente, In Chriſti nomine. Et hoc primò docue-

rat Apoſtolus Corinthios 1. Epiſt. c. 9. ſic ſcribens; [Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus!] Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potiùs nos?] Et ad Romanos ſcripſit c. 15. [Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent, & in carnalibus miniſtrare illis.]

Hæc tamen omnia ea ſunt non diſtrictione, ſed diſcretione tractanda: cum eo nedum grano, verùm integro modio ſalis condienda, vt facilè ſit aliàs in errores plures incidere: facilè ſit, non ſolùm quietè non conuerſari vtramque, & Eccleſiaſticam, & laicam Poteſtatem; verum etiam illas miſceri, vocari in inuidiam, & penitùs conturbari. Nam ſi illo Exod. loco c. 13. Moſem, interim dum populus deſcendit ad prælium, orantem conſideremus; licebit videre, Aaron, & Hur manus Moſis graues ſuſtentantes: quo habitu corporis durante, inſpexerant, victoriã ab Iſraelitis ſtare, quo deficiente, è manibus elabi. Et hoc idem eſſe dictu, haud incongruè intelligemus, ac Imperatorẽ, Regem, Principẽ omnia pacata, omnia proſpera populo negotiari, dũ Deo primùm per orationes, & preces placato, Imperatoris, Regis, Principis, manus, & brachia, manu vtraque, brachio vtroque rerum temporalium Aaron, & Hur, Eccleſiaſticæ videlicet, & laicæ Poteſtatis ſuſtentantur; vtriſque ſua bona temporalia, ſuas diuitias pro Imperatoris, Regis, Principis, neceſſitatibus offerentibus.

Quia verò exempla valdè docent, & theoria in praxi, maximè circà res has morales, qualiter ſit intelligenda, declaratur: refert Gregorius Turonenſis de Geſt. Franc. lib. 4. c. 1. Iniurioſum Epiſcopum, quintumdecimum à S. Martino, Turonenſem, Clotarij Regis edicto reſtitiſſe: quo mandauerat, vt omnes Eccleſiæ tertiam partem fructuum fiſco penderent; & cum ferè omnes Epiſcopi ſubſcripſiſſent, illum ſolum id denegaſſe: pœnas, etiam grauiſſimas Regi comminatum, ſi bona Eccleſiaſtica attrectare pergeret: eoque territum Regem, edictum antiquaſſe; & veniam culpæ ab Epiſcopo fuiſſe deprecatum.

Auctor eſt Neubrigenſis lib. 5. c. 21. & 24. quòd ſub annum ſalutis 1195. cùm Ricardus Anglorum Rex neruis ad bellum gerendum neceſſarijs deſtitueretur: (nam fiſcus erat exhauſtus, cùm ſui è vinculis redemptione, tum continuis cum Rege Gallorum bellis:) ab Epiſcoporum bonis manus non abſtinuiſſe. Hoc ferens indignè Gualterius Rothomagenſis Archiepiſcopus, aliàs Regi familiariſſimus, ſtatim ſacris in vniuerſa ſua Diœceſi ceſſantibus, ad Romanum Pontificem confugit; inque eius gremium querulas voces cum lacrymis effudit. E veſtigio Regijs Legatis ſubſequentibus, ac Regis ſui Domini coràm Pontifice neceſſitatem, qua vrgebatur, exponentibus, ibi ſummus Pontifex pro Rege prudentiſſimè pronunciauit.

Ecce Iniurioſus Epiſcopus laudandus, & imitandus: ecce Gualterius

ab

ab ipſo Pontifice zeli inſcij notatus : dum ille Regem, abſque neceſsitate, Eccleſiaſtica bona iuſtè vetuit contrectare: hic Eccleſiaſtica bona, quin à Rege in extrema neceſsitate haberentur zelo, non ſecundùm ſcientiam, voluit impedire.

Narrat Oſorius lib. 9. rerum Emmanuelis, quòd Alphonſus I. Luſitaniæ Rex inclytus, qui cùm tenues admodùm opes poſſideret, Saracenos innumerabiles, opibus, & potentia feroces, maxima, ac diuturna belli contentione, è Luſitaniæ finibus expulit: numquàm tamen ſacris opibus manus, vel permiſſu etiam Pontificis ſummi, inijcere, in animum induxerit. Neque Sancius eius filius, qui cùm bellum duriſſimum Saracenis Bœticam incolentibus inferret, propè Hiſpalim, Bœtim fluuium eorum ſanguine tinxit: neque Ioannes I. qui Septam vrbem expugnauit: neq; Alphonſus V. qui Tingim, & Arzillam, & Alcaſſarem armis, atque virtute cepit: neque Ioannes II. qui in Africano bello clariſſimum ſpecimen egregiæ virtutis exhibuit.

Contrà verò ex eodem Oſorio ibidem, Emmanueli Regi, quamuis prædeceſſores ſuos opibus longiſſimo interuallo ſuperaret, Leo X. Pontifex conceſsit anno 1513. vt tertiæ, atque decimæ partes vectigalium, quæ alendis Sacerdotibus, & alijs ſacris vſibus ſunt diſtincta, in belli, quod in Mauritania gerebat, ſumptus illi tribuerentur: ſicut & effectum eſt. At verò Legatorum opera, qui ſacræ pecuniæ lucris inhiabant, adiectum fuit; vt illa vectigalia, non modò pro Chriſti religione verè militantibus, ſed quacumque alia ratione, benemeritis à Rege poſſent condonari. Quo introitu ad hominum cupiditatem Aulicorum patefacto, id actum eſt: vt ſacra vectigalia multis in locis hominibus lautiſſimis, qui non ſolùm numquàm hoſtium vultum adſpexerant; ſed etiam, facta Africani belli mentione, contremiſcebant, donarentur. Itaque poſt illius muneris conceſſionem, nec Africæ bellum eadem fœlicitate geſtum fuit, & nobilitas maiori inopia conflictari, & pluribus querelis vti cœpit, & Regis ærarium, quo plures vectigalium acceſſiones fiebant, eò ſumptibus minus neceſſarijs, & caſibus interdùm acerbioribus exhauriebantur.

Argumentum pro cauſſa laicorum Principum.

ATTAMEN circa hanc Conſiderationem, pro ſecularium cauſſa, circà bona iſthæc, vrget argumentum hoc: quòd lib. 4. Regum c. 18. Rex Ezechias metu Sennacherib Aſſyriorū Regis, pacem, per ſubiectionem, ei offerentis, vtque ſolueret eidem indicta per ipſum, tributi nomine, trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri, dedit omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris Regis. Ex quo loco videtur colligi, quòd in caſu neceſſitatis, ad contributiones, pro Reipublicæ vtilitate, Eccleſiarum, & Eccleſiaſtico-

rum

Digitized by Google

rum bona vocentur; hocque indè colligitur, quòd bona hæc, vt diximus ſuprà, ſunt adiecta Eccleſiæ, vt oppreſſos, & captiuos redimat, pauperes iuuet: c. Sacrorum. c. Sicut. ex Gregorio. c. Aurum. ex Ambroſio. c. Gloria Epiſcopi. ex Hieronymo 12. q. 2. Et indè multò magis pro defenſione patriæ, ex quo proſpicitur, anteuertitur, & precauetur, ne captiui fiant, & pauperes: ſatius enim eſt, damnum præuenire, quàm, poſt vulnus acceptum, quærere medicinam. l. fin. C. in quib. cauſ. in integ. reſt. non eſt neceſſ. l. 2. C. quando liceat ſine iud. ſe vind. & omninò [Pręcauere periculum præſtat, quàm deprecari pœnam;] vt docuit Prouerbialis Philoſophia.

His accedunt aliqui caſus ab Imperatoribus expoſiti, in quibus voluerunt, ipſas Eccleſias, & domos ipſas Imperiales, eorumque bona contribuere: in c. Ad hæc ſancimus. in Nouel. 131. in l. Ad inſtructionem. C. de ſacroſ. Eccleſ. quando videlicet, ſternendæ eſſent viæ publicæ: aut pontes noui inſtruendi, aut dum inſtructi, eſſent reficiendi: vel ſi quid habeant in ea ciuitate, aut loco vbi talia opera ſunt: quæ & trahuntur ad muros ciuitatis, puteos publicos, & ſimilia: quibus inhærentes Senatus quidam ſeculares aliquando Eccleſiaſticas perſonas, ratione ſuorum bonorum, ad contribuendum ſimilibus operibus condemnarunt; vt de Senatu Pariſienſi Papo in ſua Rhapſodia Arreſtorũ nõ ſemel refert.

Præterea, quia in negotijs, quæ ad communem vtilitatem pertinent, æquum videtur, vt perſonæ Eccleſiaſticæ, ad quas pertinet etiam commodum, contribuant. Sic videtur colligi ex cap. Peruenit. de Immunit. Eccleſ. contrà perſonas Eccleſiaſticas, ea ratione, in murorum cuſtodia, quia omnes tam hos, quàm illos reſpicit. Et tamdem, iuxtà regulam generalem, [Non eſt ferẽdus, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ſubire recuſat.] l. vnica. §. pro ſecundo. C. de caducis tollendis.

Reſponſio; & difficultatis reſolutio.

QVIBVS expoſitis, primò omnium, vt videtur, reſoluendum eſt: leges Imperiales dictas, vel alias ſimiles laicæ Poteſtatis, nullo modo obligare Eccleſiaſticos; neque ſuper illorum bonis, & rebus, ſeu perſonis, rerum contemplatione, potuiſſe, vel poſſe vmquàm eis tales leges præſcribi; vt ſatis ſuprà probatum eſt, & nunc breuiter probabitur. Imperatores ergo id admittimus effeciſſe, vt interim dum per Eccleſiam, & maieſtate fungentem, & eius ſummos Pontifices potentiores, circà hæc prouidebatur eo modo, quo ad exitum res deueniret optatum, & iuſtum: quid æquum, & ius Eccleſiaſticum ferrent, oſtenderent; qui Pontifices potentia iam firmati, numquàm ſtatum ſecularem in his, de Eccleſiaſticis conqueri, paſſi fuerunt. Itaque non impugnamus Imperatorum leges, quia ex cauſſis, propter quas ad contri-

butio-

butionem teneri Eccleſiaſticos aſſerunt, iniuſtas reputemus : cùm enim reuerà ſint iuſtę, & æquæ, mouere debent Eccleſiaſticos, ad ſubueniendum laicis, in neceſsitatibus vrgentibus : ſed eas reijcimus, quia diſponunt de rebus Eccleſiæ, quod facere iuſtè non poſſunt.

Ratio autem horum eſt, quia ex S. Thoma 2.2.q. 16. art. 1. lex non imponitur ab aliquo Domino, niſi ſuis ſubditis. Vnde legis præcepta præſupponunt ſubiectionem cuiuſlibet recipientis legẽ, ad eum qui fert legem: de quo videnda, quæ ad calcem Partis. 2. huius Tract. dicta ſunt: Eccleſiaſtici verò, & eorum bona non ſubiacent Imperatoribus, aut Principibus ſecularibus: illi quidem, propter cauſſas in 2. Parte Tractatus huius ſuperiùs adductis; bona verò quia ſunt Dei, & Chriſti IESV, & à fidelibus Eccleſiæ oblata, Deo, & eius Miniſtris, cultui externo Diuino, & pauperibus inſeruitura : vnde non ſunt legibus ſecularibus adminiſtranda, ſed Eccleſiaſticis : cùm ſuper illis leges condendi ſola Eccleſia, & eius Prælati, & pręcipuè ſummus Pontifex, & ſacra Concilia legitimam habeant poteſtatem.

Hæc doctrina fundatur in illa adducta ab eodem S.Thom. 1.2. q. 90. art. 9. vbi aſſerit, non ſufficere, quòd lex primò, & principaliter reſpiciat bonum commune; ſed etiam eſſe opus, vt emanet, vel à multitudine, vel ab habente curam multitudinis. Cumque in noſtro caſu ſummus Pontifex ſit, qui multitudinis Eccleſiaſticorum, & ſuorum bonorum curam habet: vt latiſſimè ſuprà probatum eſt : ad illum, & ad Eccleſiam, non ad laicam Poteſtatem legiſlatio de prædictis attinet bonis diſtribuendis. Quo loco D.Thomæ nunc citato videndus omninò Card. Caietanus, etiam pro hac ſummi Pontificis, quam, circà multitudinem Eccleſiæ, habet, cura, optimè diſſerens.

Stantibus his, intrant optimè obiter iura Canonica, hoc idem confirmantia. c. Benè quidem. c. Si Imperator. c. Cùm ad reum. 96. diſtinct. c. fin. de reb. Eccleſ. non alien. c. 2 de Foro compet. & viden. Oldrad. Conſ. 83. nullus eſt enim in lege condenda maior defectus, quàm poteſtatis; l. Omnes populi ff. de iuſt. & iur. & ibi Caccialup. & Iaſ l. Curate. & ibi Bal. C. de don. ante nupt. c. Super de offic. deleg. Romanus Conſ. 118. n. 2. Et ius extra territorium dicenti impunè non paretur. l. fin. de Iur. omn. Iud. de quo videndi Doct. c. 2. & c. Etſi Clericis. de Iud. Abb. in c. Eccleſia S.Marię. num. 10. de conſtit. in 6. & ſpecialiter Rebuff. in Conſtitution. Regni in Proœmio. num. 61. qui allegat S. Thomam pro hac, quam ibi docet, concluſione probanda. Intrat etiam congruè Ius ciuile: idem confirmans l. Decernimus. C. de Epiſc. & Cler. Immò certum eſt, leges quaſcumque ciuiles omni prorſus auctoritate carere, ſi Clericos, ſiue eorum bona obliquè tantùm attingant. c. Statutum 1. & ibi. Gloſ. & Doct. verb. indirectè. de Hæret. in 6. c. final. de immunit. Eccleſ. in 6. & ibi Gloſ. verb. libertatis. Anchar. conſ. 55. num. 7. & 8.

Quibus ſic præmiſſis; in neceſſitatis caſibus, vbi facultates laicorum ſunt exhauſtæ, poſſe ex conſenſu perſonarum Eccleſiaſticarum, aliquid exigi auxilij nomine, iam placuit Concilio generali Lateraneñ. quod etſi prohibuerit, propria laicali auctoritate exigi, vel imponi, tamen, ex conſen ſu Epiſcopi, permiſit; vt habetur in c.non minus.de Immunit. Eccleſ. His tribus concurrentibus, vt ibi notat Panorm.num. 5. Primò, quòd collectam deliberet Epiſcopus, cum Clero; quia cùm immunitas, circà hæc bona Eccleſiaſtica, ſit totius Cleri illa habentis, & Ordini à Deo conceſſa; non ſufficit Epiſcopi conſenſus; Secundò requiritur, quòd hæc ſubſidia petantur, & ſoluantur, imminente maxima neceſſitate, vel vtilitate ciuitatis: vel anguſtia regni maxima id ſuadēte: Tertiò, quòd facultates laicorum ad id congruè non ſufficiant.

Hodie tamen quartò requiritur, quòd ſummus Pontifex ad id conſulatur: ex alio Concilio Lateraneñ. ex quo habetur cap. Aduerſus. de Im munit. Eccleſ. quod huic nititur rationi; quia tanta eſt hodiè inuidia, &, vt textus ibi loquitur, impertinentia laicorum, vt facilè vel minis, vel coactione, Clericos ad conſentiendum compellere poſſent: etiam non vrgente neceſſitate. Ideò ſub pœna excommunicationis, ne id fiat inconſulto Pontifice, vetitum eſt. Deinde alia præcipua ratione hoc eſt diſpoſitum; quia cùm hæc immunitas, vti diximus, ſit ſingulorum Eccleſiaſticorum: non poteſt, etiam à ſingulis Clericis, in ſui præiudicium renunciari, Pontifice cauſſam non cognoſcente, & diſpenſante. Sed hoc ex ipſo Panormitan. adhuc intelligitur, dummodò recurſus hic ad Papam, nimia vrgente neceſſitate, non impediatur. De quo videndus ipſe omninò d.c.Non minus. num. 10.

Vbi inter alia notat hoc, quòd maximè eſſe notandum, credimus: hæc omnia non ad deliberationem ſolam laicorum eſſe facienda. [Vndè,] inquit Panormit. [ad hoc pondera, quòd cùm ad hæc onera, poſſeſſiones non ſint obligatæ: ſed collecta eſt imponenda perſonis, contemplatione rerum: oportet, quòd Clerus, & populus principaliter conueniant, & deliberent ſuper hac exactione redimēda; nec totius populi deliberatio obligabit Clerum, nec contrà. Cùm enim agatur de vtilitate vtrorumque, oportet, & conſenſum vtrorumque interuenire: & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari: Clem. 1. de cenſib. c.Ad hoc. de offic. Archid. In ſimilibus enim omnibus populum, & Clerum concernentibus, vtrique debent vocari. c. fin.de fer.c.1.de conſtitut. Si tamen Clerus nollet, abſque cauſſa legitima, conſentire, populus poterit officium ſuperioris Eccleſiaſtici implorare; vt cogat Clerum, ad conſentiendum, & contribuendum: vt in ſimili in c.Nullus.de Iur.patr.]

Hinc maxima nos premit admiratio, qui fiat, quòd ſeculares Principes opem ab Eccleſiæ opibus imploraturi, non primùm hanc Panormitani obſeruent doctrinam; qua ſeruata, certum eſt, eos maiora forſan

fuiſſe

fuiſſe ab Eccleſiaſticis Ordinibus ſubſidia exſpectaturos, ad conſilia priùs de imminentibus neceſſitatibus, & earum remedio vocatis: ſtante illa certiſſima Comici cuiuſdam Philoſophia: [Nulla res tam facilis eſt, quin difficilis fiet, quam inuitus facias.] & contrà. Quod cùm proponimus, aduertant, vellemus, Principes ſeculares, hac lege eſſe iſtud explicandũ; dummodò Regulares, quorum non eſt minima in Eccleſiaſtico ſtatu pars, & qui non minimã illius bonorum ſortiti ſunt portionem, ad, dictorum conſiliorum partem, &, ad bonorum illam diſtributionem, vocandi eſſent: cùm aliàs à ſuis Conecclesiaſticis Clericis ſecularibus, in ſimilibus partitionibus, quia illis neque exſpectatis, neque auditis, eas faciunt, notabiliter onerentur.

Rem tamen hanc clariùs, & ſtrictiùs explanando, cùm rationes pro ſecularibus magnam habeant vim, ad tria capita præcipua cauſſam hanc intelligimus poſſe reduci: nempè conſiderata poteſtate Imperatoris, Regis, Principis, ſeu Reipublicæ; deindè neceſſitate: & tandem temporalium rerum qualitate, & quantitate. Demus enim Regem (idem dicimus de ſuperioribus quibuſque ſecularibus imperantibus,) egere, ad onera regni ſupportanda: Eccleſiaſticos autẽ bonis temporalibus affluere; neceſſitatem tamdem valdè premere, & vrgere; tunc certè neceſſitas, quod non eſt in lege licitum, efficere poteſt licitum: c. Quod non eſt licitum. de reg. Iur. in 6. Amariſſimæ enim, immò inuictæ ſunt neceſſitatis leges; quæ permiſerunt Dauidi, à facie Saulis fugienti, præ eſurie, comedere de panibus propoſitionis, de quibus alijs, quàm Sacerdotibus, non licebat participare. 1. Reg. c. 20. Effecerunt etiam, ad deuitandam paratam mortem ab inimicis, vt, contrà præceptum legis, Sabbato pugnauerint Machabæi: lib. 1. Machab. c. 2. Similiter effecit fames, vt excuſarentur Diſcipuli à Chriſto, quòd Sabbato ſatorum ſpicas vellerent, & ederent: Luc. c. 6. Dauidis inſuper dicto exemplo à Chriſto Domino ibi inducto.

Amariſſimæ ergo cùm ſint neceſſitatis leges, eò in negotio, quod tractamus, ſunt amariores, quò plura, quæ tam circa perſonas, quàm circa bona Eccleſiaſtica, pro neceſſitate fuerant admiſſa, aliàs non admittenda neceſſitate ceſſante, malè, & dictis perſonis, & bonis Eccleſiaſticis verterunt: conditionis humanæ miſeria ſic ferente. Bellicis his vltimis temporibus in prouincijs, vbi hæreſis ferociùs eſt graſſata, eo prætextu, quòd de ſalute communi, & Eccleſiæ, & Religionis ageretur, quidam Principes Catholici perſonas Eccleſiaſticas, & Eccleſiæ bona oneribus perſonalibus, & realibus prægrauarunt: & Clericos, & Regulares ad arma capienda compulerunt. Hinc effectum eſt, vt exigua ſcintilla Religionis, quæ in Eccleſiarum, & Monaſteriorum erat ſeptis conſeruata, ab Hæreticorum vaſtatione, & irruptionibus, propemodùm exſtincta fuerit; & qui ſtabant in cultu, & in caſtris Dei,

Digitized by Google

iam mores militares inſolentis ſeculi, cæleſtis militiæ obliti, didicerunt. Vnde quorum arma ieiunia, & orationes ſunt, & quibus ſeriò vacantes militiam temporalem inſigniter, ad victoriam de Hæreticis obtinendam, adiuuiſſent: ſubtracti à Dei ſeruitio, eius indignationem, & iram vehementiùs, ſuis malis moribus, prouocarunt.

Inſtante ſimiliter neceſſitate, cùm Hiſpania Saracenorum impio dominatu premeretur: poſt feliciſſimam illam à Moliſmenſi Monaſterio D. P. N. Benedicti Ordinis, in Ciſtertio, Monaſterio eiuſdem Ordinis, ortam reformationem: cùm plura eiuſdem obſeruantiæ Monaſteria in Hiſpania ditiſsima, ſuis opibus, & Monachorum perſonali induſtria, ac fortitudine, ad bellum contra Mauros proficiſcentium, ab illorum manibus partem non mediocrem Caſtellæ per Calatrauam, & Alcantaram eripuiſſent: tamdem Monaſteria cum ſuis Monachis, & bonis euanuerunt: illis, ad quoſdam religioſos, ſcilicet, vxoratos Commendatores, commutatis.

Neque illius tempeſtatis, neque præſentis, quam referebamus, Eccleſiaſtici bella gerentes felices Abrahami, & Regis, & Sacerdotis imitatores exſtiterunt; qui Geneſ. c. 14. cum ſuis vernaculis trecentis decem & octo, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, & ſcholaſticis ſcientias, & cultum Diuinum, & pietatem à magno illo Patriarcha, & Doctore in Schola publica addiſcentibus, cõtra quinque illos Reges, prædam multam, & vaſſallos à Sodomorum Rege abigentes, inſtructis; & cum illis de dictis Regibus victoria potitus, ad ſua reuerſus, eadem pietate cum illis fuit, qua antea, in poſterum conuerſatus.

Quid dixerimus, eos non fuiſſe Abrahamum Patriarcham feliciter imitatos? Regem vtinam fuiſſent Sodomorum Gentilem imitati: qui Abrahamo gratias accepti agens beneficij, hac fuit animi magnitudine vſus, dicendo: [Da mihi animas, cetera tolle tibi.] Abijſſent, & millies abijſſent bona Eccleſiaſtica tam tunc, quàm modò; & perſonas, & animas, & Monaſteriorum, & Eccleſiarum cultrices retinuiſſemus: quæ Deo in Eccleſijs, & Monaſterijs illis ſeruitia, ritu antiquo Monaſtico, impenderent, quantumuis aliàs cogerentur mendicare.

Niſi forſan Hiſpaniarum Catholico, & pientiſſimo noſtro Regi Philippo III. potiùs placeret, (quò Sanctorum Patrum noſtrorum Benedicti, & Bernardi, quibus illa Monaſteria, quorum redditibus Commendatores dicti, in Hiſpanijs hodie viuunt, ſuam inſtitutionem, & ſuam debebant reformationem, votis, etiam Hiſpaniam cum ſuorum Monaſteriorum opibus defendendi, ſanioribus reſponderet: & bellica ſuorum regnorum negotia fortiùs, & ſecuriùs tractaret: ſuorumque ſubditorum in illis regnis quieti, & paci conſultiùs eſſet prouiſum) cum S. D. N. Papa Paulo V. agere: vt conſilium illud illuminati Eremitæ Raymundi, quod inter alia, Lugduni, ab hinc ducentis quinquaginta annis circiter,

citer, ſummo Pontifici, & Cardinalibus dedit, tamdem admitteretur; vt, ſcilicet, ex dictis illis, & omnibus alijs Hiſpaniarum Ordinibus Commendatorum Militaribus, vnus tãtùm fieret Ordo Militaris; qui ad imitationem Religionis D. Ioannis Ieroſolymitani, maritimis in locis Prouinciæ noſtræ aſſiſtentes, Saracenorum, & Turcarum nedùm domi inſultus continuos prohiberent; verùmetiam foris illorum potentiam opprimerent, infringerent, eneruarent.

Concluſio Conſiderationis, cum Appendice notando.

EX quibus omnibus, huius Conſiderationis concluſionem hanc, cum ſuo Appendice, colligimus: videlicet, maiorem tributorum, & exactionum partem in Eccleſijs, & Eccleſiaſticis factam, importunis Principum ſecularium poſtulationibus, non tam neceſſitate, quàm inuidia populi factam: qui cùm inter Diuina, & humana, vel neſciat, vel nolit, conſtituere differentiam; & modulò ſuo, pedeque craſſo, Dei opes, & ei inſeruientes Miniſtros dimetitur. Non enim omnis neceſſaria defenſio, quæ confert vtilitatem Eccleſiæ, exigere debet ab Eccleſia auxilium de bonis, aut perſonis: quandoquidem laici ad hoc tenentur ex officio; protegere, ſcilicet, & defendere bona, & perſonas Eccleſiæ, tãquam eius filij; ſicuti, & Curiones, & qui bonis gaudent Eccleſiæ, & munus gerunt deſeruiendi Diuino cultui, tenentur orare, & Deum interpellare, pro communi ſalute, & laicorum animarum; etiamſi nouis largitionibus non iuuentur. Immò poſtquàm Princeps, Dei miniſter, & populus Eccleſiã defenderint, nulla alia ab ipſa exſpectata mercede: [Serui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus:] ex Chriſti Domini doctrina, Luc. c. 17. dicere debuiſſent.

Appendix eſto: ſanctiſſimis ſummis Pontificibus, & Principibus ſecularibus, & Eccleſiaſticis perſonis proponimus; his vltimis quidem, primò, vt quoties in Republica, in regno, in ciuitate, vel loco, ingruunt cõmunes neceſſitates, faciles ſint ad eis ſubueniendum: non exſpectatis, vel arreſtis à Papone relatis, vel ſecularium querelis; quorum manibus oculatis, cùm manualibus, & oculatis ſubſidijs, ſit faciliùs ſatis, quàm cùm intellectualibus, ſubtilibus, & Metaphyſicis, circa hanc obligationem, diſtinctionibus. Secundò, illis in memoriam reuocamus leges, de diſpenſatione bonorum Eccleſiæ, quas ſupra delibauimus: ſcilicet, clauem auream, ad hæc bona Eccleſiaſtica aperienda, & diſpenſanda: ſiue in his maioribus, ſiue in ordinarijs neceſsitatibus, hanc eſſe per Eccleſiam antiquitùs illis traditam; Vt ſiquidem Canonibus Apoſtolorum, oblationes fidelium, & bona Eccleſiæ in Epiſcoporum, & Eccleſiaſticorum Prælatorum poteſtatem, reſpectiuè, redigi, ſit ſtabilitum: ſequentium tamen Pontificum ſummorum, & Conciliorum ſacris decretis, intelligant, ſibi tres hos terminos fuiſſe appoſitos, & his tribus regulis, ſuam illam eſſe facultatem circumſeptam. Prima, [Ne pro ſuo libito, ea bona diſpen-

ſent; ſed conſilio Presbyterorum,& Diaconorum.] Secunda, [Ne conſanguineis,aut domeſticis,vel amicis diſpenſanda committant: nedum omninò attribuant.] Tertia, ac poſtrema. [Ne ea Eccleſiaſtica bona à ſacris, quibus, fidelium deuotione, dicata fuerant, liceat vſibus alienare.].

Principibus proponimus ſecularibus: vt metuant,formident, & valde trepident, Eccleſiaſtica bona contrectare,& à ſuis primò caueant conſiliarijs; à ſuis ſecundò timeant confidentibus; ab ipſis tertiò fugiant ſibi intimis,& ſecretis Eccleſiaſticis auſcultandis: ſi vlteriores honores ab ipſis adhuc exſpectant obtinere: quoties de his bonis agendum illis eſt,vel contingendis,vel à ſummo Pontifice poſtulandis: & hanc tantam rem,non cum hominibus in Angelos lucis transformatis, ſed cum viris omni ambitione, & proprijs vacuis vtilitatibus, immò cum ipſis veris Angelis lucis, qui ſibi præſident, tractent; qui dubio procul ſecuriùs illis ſe præbebunt,per inſpirationem,monitores,& conſiliarij, haurientes ex fonte notitiæ æterni Verbi quid deceat Reges, de his tẽporalibus poſtulare. Adeſt ex occulto omnibus magiſter Deus: ex antiquiſsima Philoſophia,nedum Chriſtiana:& vaſſallorũ ab Eccleſiaſticis, ad laicos nuper in Hiſpania tranſlatio,cum minimo fructu Regij ærarij,& ingenti,& vaſſallorum,& Eccleſiaſticorum Dominorum,damno, de hac Chriſtiana,neceſſaria,& iuſta Paræneſi, Principes omnes Chriſtianos, poteſt, & debet ſufficienter edocere.

Sanctiſſimis ſummis Pontificibus proponimus,& ſupplicamus: vt illis placeat,quoties de bonis Eccleſiaſticis copiam, & facultatem ſecularibus Principibus,ſeu Rebuſpublicis fecerint,illos maximè hortari;ne illa bona in ſuorum conuertant miniſtrorum vſum; & prorſus illis inhibere, ne illorum bonorum exactio,& cõſignatio fiat,per ſecularium miniſtrorum manus; ſed per ipſos Eccleſiaſticos diſtribuantur, colligantur, & Principibus aſſignentur. Quo ſeruato,Eccleſiaſtici ipſi,& eorum bona maximæ partis expenſarum compendium facient: ſitis etiam laicorum ad hæc bona aliquantulum exſtinguetur: ſi ipſi eis exigendis non occupentur: Principum tamdẽ ſecularium vtilitas,inſigniter promouebitur: ſi per manus Eccleſiaſticorum integram habeant bonorum partem à Põtifice deſignatam, quæ miniſterio laicorum ad æraria Principum ſæpiùs peruenit imminuta.

SEXTA CONSIDERATIO.

Circa Eccleſiæ theſauros: qualiter ſint æraria publica.

SEXTA tamdem, & poſtrema, circa Dubium hoc, ſuccedat Conſideratio: quæ forſan ſeculares omnes, & pręcipuè Principes, reddet plus conſideratos, in Eccleſiaſticis bonis, vel inuiden-

dendis, vel quærendis, vel poſtulandis, vel, ſi ab ipſis fuerint oblata Eccleſiaſticis, etiam à ſummo Pontifice, quorumdam præcendentium Principum exemplo, non attrectandis. Et ſupponimus, Imperia, Regna, & Reſpublicas, ſemper procuraſſe, æraria habere publica, ad res, bello, paceque gerendas, & pro Reipublicæ ſecuritate, & defenſione, quæ maximè in pecuniarum ſunt ſitæ copia; & quibus ſuppetentibus, & domi, & foris, res grauiſſimæ conficiuntur. Notum eſt, ex Suetonio in Auguſto, c. 92 Principem illum, qui valde rem Romanam auxit, præter alia antiqua Vrbis æraria, ad Imperij diuturniorem conſeruationem, ærarium militare, cum vectigalibus nouis inſtituiſſe; vt perpetuò, ac ſine difficultate, ſumptus, ad tuendos, in militia, ſcilicet, milites, & præmijs, poſt militiam, & à miſſione, proſequendos.

Noſtris temporibus qualiter ſe habeant in Aethiopia Rex, ſeu Imperator Presbyter, quẽ vocant, Ioannes, qualiter Turca, legimus alibi: quo pacto ſe gerant Reſpublica Veneta, Genuenſis, Lucenſis, & aliæ, vel legimus, vel audiuimus, vel vidimus. Regem Galliarũ Chriſtianiſſimũ, quæ illius eſt animi magnitudo, & rerum gerendarum experientia, pecunijs augendis, & in ærarium, quod regni ſit tranquillitas, ſtudere intellexímus, comportandis. Regem noſtrum Catholicum, paternæ, atque auitæ pietatis ſtudioſiſſimum, diuturnis bellorum in Germania inferiori, & alibi motibus, Imperij etiam proprij mole, terrarum accedente diſiunctione, & continuis auxilijs varijs Chriſtianis Principibus præſtandis, contra Hæreticorum inſultus, & Turcarum irruptiones, ſcimus, eſſe plurimum exhauſtum; ac ærarium ſpeciale in publicam, ac generalem beneficentiam, adhuc in non ſubditas ſibi gentes commutaſſe. Sed omnibus Principibus Catholicis, omnibus Rebuſpublicis, vellemus, eſſe perſuaſũ, Deum Opt. Max. qui altiori cura rebus eorum proſpicit, gubernandis, & dirigendis, æraria voluiſſe coram illorum oculis eſſe propoſita, & quidem ditiſsima, ſuis loco, & tempore, in vſus neceſſarios, exhaurienda.

Sunt hæc æraria, bona Eccleſiaſtica mobilia, aurum, argentum, vaſa, veſtes, gemmæ, & varia ornamenta, & myrmecia, quę in ſingulis Eccleſijs Monaſterijs, pijſque alijs locis proſtant, Dei ſeruitio, vti vota Chriſtianorum, nuncupata: quæ Deus ipſe, in Principum etiam ſecularium commodum, & vſum, ſi oportuerit, vult ibi, diſpenſanda, conſeruari. Non eget Deus Dominus hiſce theſauris: [cuius eſt terra, & plenitudo eius:] ex Pſalm. 23. [Meæ ſunt omnes feræ ſiluarum;] inquit ipſe Pſal. 49. [iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæli; & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero non dicam tibi; meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.] Et Regius ipſe vates inde Dominum Deum eſſe ſuum arguit, quoniam bonorum eius non egeret. Pſalm. 14. Et licet ipſe Deus Dominus poſſet, Principibus Chriſtianis, per ſuos Apoſtolos, & Prædicatores, explicare, quod, & ipſi Principes crederent,

vel credere ſaltem deberent; eum ſemper eſſe paratum illorum ſuccurrere neceſsitatibus: quantumcumque id per miracula eſſet exſpectandum: tamen voluit Dominus,(vt præſentiori remedio viſo, animis ne deſpondeant,) eos præ oculis habere promptam medicinam, vltimis, & grauiſsimis penuriæ pecuniarum ægrotationibus medendis: hoc eſt, theſauros in Eccleſia bonorum temporalium eſſe repoſitos, quaſi ex ærarijs communibus, in illorum vſum, ſi res ſic poſtulet, inſumendos.

Principum ergo, ac Reipublicæ intereſt totius negotium, Eccleſiaſticos theſauros ſanctiſsimè aſseruari, & augeri; cùm non ſolùm Diuini cultus gratia: ſed etiam ſalutis Principis, & publicæ cauſa reponantur. Diuitiæ hæ latere non poſſunt, priuatorum poſſunt; illæ citra tumultum, & ſeditionem in acerbiſsimo Reipublicæ tempore, ſiue famis, ſiue belli, capiuntur, priuatorum vix vmquam: nam maior eſt ſemper rei familiaris ſtudium, quàm publicæ, vel Principis: quæ, quaſi demiſſa per aures ſegniùs irritantia animos, ad illa quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, ſeu potiùs dixerimus, infidelibus comparantur.

Non ſunt hęc ſomnia vnius Monachi, vel Rhetorica theoremata, quæ in praxi non ſuccedentia, haud eloquentiã, ſed loquacitatem arguant, efficacitatem verò in opere ſubterfugiant. Et cùm plurimis poſſemus exemplis vti, quæ ſunt in hac materia extremæ demõſtrationes, pro omnibus tamen tria ſubſequentia, ne antiquiora quærãmus, deſeruiant: ex quibus, quaſi ex vngue, leonis reliquam ſtructuram, & proportionem liceat æſtimare. Præcedenti ſeculo, de anno 1577. Rege inclyto Luſitaniæ Sebaſtiano bellum in Africam meditanti, & modis omnibus apparanti; cùm ſuus auunculus Glorioſiſsimus Philippus II. ſanctæ mem. Rex Catholicus ad Guadalupeñ. S. Mariæ Cœnobium, neque precibus, neque conſilijs, illum à maleſanis, maleque inſtitutis poſſet auocare decretis: tamdem profecturo ad bellum pecuniarum copia minus ſuppetente, ſui Luſitani Regni Eccleſijs, ac earum Præſidibus, & Gubernatoribus expoſita neceſsitate, promptiſsimis animis omnes, omnia ei vaſa aurea, & argentea, cunctamque pretioſam ſupellectilem templorum obtulerunt. Quo maximè ſubſidio, exercitus, Rege præeunte, ductus in Africam, ſucceſſu infelici fuit pugnatum; neutiquàm tamen ab Eccleſiaſticis, obſtantibus quin eorum diuitiæ illuc adſportarentur, euitato.

Anno verò milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio Conſtantinopoli à barbaris Turcis obſeſſa; cùm Conſtantinus Paleologus eius vltimus Imperator ciuibus prudenter proponeret Conſtantinopolitanis, vt eductis, vel potiùs effuſis proprijs pecunijs, & theſaurorum apertis abditis, frumenti publicata copia, rẽ adiuuarent publicam, eiſq; liberaliter in commune redactis, adiuuaretur pręſens miles Latinus Venetus, ac Genuenſis, qui Turcæ conatibus reſiſteret, patriam obſidione liberaret, eique Imperium aſſereret: viſus eis quaſi ludens loqui, dum

theſau-

theſauros ſecretiùs abſcondunt particulares: dum nummos occultant: dum pretioſam ibi fodiunt ſupellectilem; immò ipſam annonam, & frumentum, inopia ſimulata: adminiculo rerum Eccleſiæ tantùm, ſacriquè ærarij, Imperator Barbarorum impetum ſuſtinuit: quouſque in ſumma rerum egeſtate vrbs capta eſt: ac immanis hoſtis nouæ Romæ potitus, id tamdem effecit, vt qui publicis adeò laborantibus rebus, ſuis ſolùm conſulentes, & proprijs commodis, ſuccurrere noluerunt; commodis nedum proprijs, verumetiam theſauris, pecunijs, ſupellectile, filijs, vxoribus, libertate, patria denique chariſſima priuarentur. Auctor eſt huius lacrymabilis Hiſtoriæ Leonardus Chienſis, Archiepiſcopus Mytilenenſis, qui tunc aderat: & ad rem geſtam ſic exclamat: [O miſeri Græci, qui inopiã fingebatis; ecce iam in lucem venerunt theſauri veſtri, quos, pro vrbis ſubſidio, denegaſtis. Turcæ ſecuribus ſcrinia ſcindunt, fundos fodiunt pro theſauris, qui tanti reperiuntur noui, & veteres, vt nulla ſit vrbs, quæ tãtis affluat, & omnes abſconditi in manus Turcarum deuenerunt.]

Quod facinus, tacita quædam eſt reſponſio, ad illud argumentum, quo contra noſtram, poterant viri laici, inſurgere Conſiderationem, aſſerentes: ſuas ſeculares diuitias, æraria eſſe publica, & obuiandis publicis expoſita patriæ, & Principis periculis; neque eſſe opus myſterium aliud fingere, ad æraria Eccleſiarum publica confugiendo. Nihil enim aliud illis opponimus, aut reſpondemus, quàm rem hanc Conſtantinopoli, atauorum noſtrorum ætate geſtam; abſque dubio noſtris ſeculis, (caueant enim benè ſibi Principes) ſimilibus, in occaſione ſimili, experimentis iterum, & iterum, & millies gerendam. Plura namque exempla poſſent afferri, quibus in ſummis Reipublicæ periculis, cùm quæ erant Eccleſiæ adeſſent, priuatorum opes Principibus ſuis defuerunt.

Quibus exemplis, ſi ea dolenda tertiò acceſſerint, ex Anglia, Scotia, Hybernia, vtriuſque Germaniç magna parte, & alijs prouincijs, olim Catholicis, vbi iam theſaurus ſacer nullus eſt; vbi Hæreticorum falſum verbum, & verus gladius omnia Eccleſiæ bona diripuit, abſtulit, deprædatus eſt: eaque in ſecularium Principum, vel in ſuorum Miniſtrorum tranſtulit poteſtatem; (Idololatriam, ſi Dijs placet, vt ipſi blaterãt, deuitantes, verè autem Argyrolatriam inducentes;) haud noſtræ Conſiderationi, & credere, & accedere dicti Principes hæſitabunt. Hoc enim eſt pluſquàm compertum, redditus, qui vni alendo integro Monaſterio, Monachorum numeroſiſſimò conſtante numero, erant ſufficientes; vni Miniſtro, cum ſua curta, non ſufficere hodie, familia ſuſtentandis. Principes deinde non ideò ditiores, non feliciores, non auguſtiores floruiſſe.

Si verò mentis attentis oculis, (vt par eſt) Imperatores, Reges, Principes, Reſpublicæ Catholicarum prouinciarum, noſtram hanc verſent Cõſiderationem, inuenient: ſuorum Principatuum diuturnam ſtabilitatem, non Theologicè, non Philoſophicè, ſed Politicè ſolùm, immò omninò

Ethnicè,conſiderando,res illorum nimiùm intereſſe:vt Eccleſia diuitijs augeatur,Eccleſiaſticæ perſonæ floreant, & numero creſcant: illarum negotia,& res pacatè ſe habeant,plebs promiſcua ad Principum nutum, & imitationem,illis ſe obſequentem præbeat: quæ eſt tanta quædam firmitas,& fortitudo contra res nouas in Reipublicæ ſtatu molientes,nedum contra Catholicam fidem, verumetiam contra Principum ditionē, quanta eſt hodie imbecillitas Principum, qui Hæreticorum inſanis conſilijs,res Eccleſiæ peſſumdantes, & Eccleſiaſticos contemnentes,vel prorſus exterminantes,iniquiùs,quàm fuit Glauci,& Diomedis permutatio, commutarunt fortitudinem, qua contra ſceleratos ſubditos pollebant olim, ſtante Eccleſiæ Hierarchia, & Politia terribili, vt caſtrorum eſt acies ordinata,in imbecillitatem,& impotentiam, qua ſe vident pluribus in locis à ſuis vaſſallis, diſtractis ad confuſionem Hæreticam,ſperni, contemni,& alicubi conculcari. Is enim ſemper eſt,is fuit ſemper,is ſemper erit Hæreticorum animus,& finis:eam, videlicet, potentiam ſibi in plebe parare,qua elati,criſtas contra ipſos Principes erigentes, eos ſibi in omnibus habeant morigeros:immò vt illos è dominijs, & ditionibus facilè poſſint exigere,ſibi ſolis Rerumpublicarum regimen affectando.

Animaduertere tamen hic opus erit,quandoquidem æraria hæc publica theſaurorum, & diuitiarum Eccleſiæ, pro Reipublicæ neceſſitatibus, affirmamus,eſſe conſultiſſimè,& prouidentiſſimè aſſeruata; ne Principes ſeculares has neceſſitates,vel fingant, vel ſomnient, vel facilè, quæ ſint extrema pericula,explicent: quæ tanto remedio egeant, vt Eccleſiarum bona,à ſuis ſtatis vſibus diſtrahi, ab Eccleſiaſticis, & ſummis Pontificibus ſit petendum. Hæc namque omnia, ea ſunt cautione tractanda, ea conſideratione prouidenda,eo ponderanda libramine, nè dum ad extremam,vel quaſi extremam,æſtimant fortaſſe Rempublicam aleam deueniſſe:quæ tamen erat media,& cui medijs poterat primis mederi: extremis Reipublicæ remedijs conſulentes, ad extremam ipſi Principes, & conſilij,& pecuniarum,ſemel intempeſtiuè profuſarum, penuriam reducantur. Igitur,vt hæc Deo dicata, ſunt certiſſimus Dei, & Principis, ac Reipublicæ theſaurus oculatus,ita extrema eſſe debent,neq;,prius quàm cùm ſolùm hoc Diuinum humanis ſupereſt auxilium,attringenda.

DVBIVM TERTIVM.

Circa legiſlationem de bonis Eccleſiæ acquirendis.

CVM ex diuitijs,& earum occaſione ſubnaſci facilè iurgia, iam ſuperiùs,exemplo Abrahami,& Lothi,auunculi,& nepotis Sanctorum,comprobauerimus;& ea quæ modò dicenda ſunt, eamdem veritatem vberiùs declarabunt. Creuere cum Chriſtiana deuotio-

ne Eccleſiæ,& Eccleſiaſticorum diuitiæ, vſque ad Valentiniani, Valentis, & Gratiani Imperatorum tempora: quibus adeò inualuerat ſordida,& impudens Clericorum, & Monachorum quorumdam auaritia, captantium munera,& hæreditates viduarum,& pupillorũ : cuius rei prębent teſtimonium Hieronymus Epiſt.2.3.& 22.& Ambroſius paulo poſt, Sermone 7.& lib.5.Epiſt.31.in antiq.vt lege Diuina,ea ratione,contemptui habita,lege fuerit cohibenda Imperatorum:quam habemus ad Damaſum Pontificem reſcriptam,in C.Theodoſiano, lib.16. l.20. de Epiſcopis,& Clericis.

Eam tamen legem non ſecularem, ſed potiùs eſſe dicendam Eccleſiaſticam, hinc autumamus: primò, quòd lecta fuerit in Eccleſijs Romæ, præter omnem morem:quod eſt argumentum, ipſo ſummo Pontifice Damaſo agente,qui tantam Eccleſiaſticorum inſolentiam reprimere non poterat,ab Imperatoribus editam, aduerſùs Diuinorum decretorum contemptores,ad eiuſmodi Eccleſiaſticorum quæſtuariam, & ſordidam officinam proturbandam.

Colligimus idem ſecundò ex Hieronymo,dicta Epiſt. 2. ad Nepotian. vbi huius legis faciens mentionem largam,ſic eam perſtringit: [Pudet dicere; ſacerdotes Idolorum,Mimi, & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt;ſolis Clericis,& Monachis hoc lege prohibetur;& prohibetur,non à perſequutoribus,ſed à Principibus Chriſtianis:nec de lege conqueror: ſed doleo,cur meruimus hanc legem.] Vbi,dum Hieronymus non conqueritur de lege,de qua per ſeculares Principes ſolùm edita, in materia tam graui,& re tam probroſa,Pontifice, ad quem fuit factum reſcriptũ, non id poſtulante,eſſet maximè conqueſturus;haud eſt ſimile vero,eam, Papa non petente,fuiſſe latam.

Tertiò, quia à Principibus Chriſtianis dicit fuiſſe factam prohibitionem illam: cumque Damaſus eſſet Princeps Principum Chriſtianorum, ab illo, priùs procurante, qui eam etiam, per Eccleſias diuulgauit, emanaſſe,credendum eſt.

Quartò id cenſemus,quia cùm dictus Põtifex eſſet ſanctiſſimus,& cauſſa legem condendi fuerit, per inſolentiam Eccleſiaſticorum, notiſſima; omninò eſt intelligendum,remedium tanti mali,ab eo, qui Eccleſiæ totius curam gerebat,fuiſſe contra Eccleſiaſticos,legis Dei contemptores, perquiſitum;quos ipſe non valebat,efficacitate,& potentia, ad id neceſſaria, coërcere.

Et hæc ratio inde maximè confirmatur,quòd,vt habetur Epiſt.4.eiuſdem Damaſi, decies in Decretis citata, plures vulgauit ille Pontifex Eccleſiaſticas leges,ad forũ contentioſum ſpectantes: qui ſi ad efficiendũ prædictam legem facilè acceptari, ſe cerneret potentem,eam ipſe ſolus, abſque Imperatoribus,protuliſſet. Vtcumque tamen ſit, dicta lex, aliquando fuit tolerata, ſed breui videtur abolita: ſicuti non multò poſt

Digitized by Google

lex quædam alia, huic perſimilis Valentiniani, Theodoſij, atque Arcadij, Cod. Theodoſ. lib. 16. de Epiſc. & Cleric. l. 27. hortatu, (vt creditur) Ambroſij, ab iiſdem fuit Imperatoribus antiquata.

Quæ lex, quantumcumque non prohiberet Eccleſijs, hæreditates accipere, vel legata, vel quid huiuſmodi: neque ius contrahendi, neque acquirendi bona ſtabilia: ſed ipſis Eccleſiaſticis perſonis, ſiue Clerici eſſent, ſiue Monachi, prohibebat, ne hæredes inſtituerentur; quia malis, immò ſordidis artibus, nonnulli ex illis hæreditatem expetebant viduarũ, & pupillorum, eos circumuenientes, eorumque bona, magno filiorum, ac neceſſariorum damno, per ſpeciem pietatis, aucupantes: quod, tamquam impium, reprehendit Auguſtinus Serm. 49. & 50. de diuerſ. qui tamen eos magnopere laudat, qui ſecundo, tertioue loco Eccleſiam ſcribunt hæredem: nihilominus adhùc lex dicta aditum nobis facit, ad diſſerendum, quid in ſimili caſu, ſeu aliis, qui caſum illum imitentur, vel imitari videantur, in Eccleſia ſit agendum: & qua ratione, leges, & à quibus ſint ferendæ; ne ſtatus ſecularis, & Principes, de Eccleſia, & Eccleſiaſticis perſonis, quaſi nimium cupidis, conquerantur.

Sciendum eſt ergo, quòd, vel huius legis imitatione, vel caſuum ſimilium contingentia, vel intuitu boni publici, vel aſſidua cura, qua hominum incertæ prouidentiæ, & cogitationes timidæ, rebus futuris conantur prouidere; vel puſillanimitatis tamdem, quidam ſpiritus ſeculares inuadens Principes; iam, per eorum quoſdam, leges notauimus editas, per quas Eccleſijs, Collegijs, Monaſterijs, Societatibus, & Locis pijs, bonorum immobilium acquiſitio interdicitur; quas Communitates, Manus mortuas appellauere; vel quia quantùmcumque perſonæ earum ſingulares eximantur rebus humanis, & mutentur; ipſæ nihilominus ſemper permanent immutatæ; vel quia, ſicut morientium manus firmiſſimè, quòd apprehendunt, retinent; ſic quicquid ſimiles Societates in manum, & poteſtatem ſuam ſemel accipiunt, difficillimè remittunt, immò illud accumulando conſeruant.

Non eſt nobis mens, fuſiùs de Amortizationis materia hac diſſerere, quàm ſit neceſſarium ad Dubij poſiti formalem reſolutionem delibandam. Ideò allegare textus iuris, vel Pontificij, vel Cæſarei plures, vel ſuper eos Doctores ſcribentes ſuperſedemus; quibus hæc, & ſequentia multa poterant confirmari; ad eos enim, qui hoc ex profeſſo tractarunt, reliqua remittemus; noſtrum Tractatum Theologicè, iuxta nomen ſuum, quantum valeamus, continuando.

Harum legum meminerunt Petrus Belluga Valentinus, in Speculo Principum. rubr. 14. & Franciſcus Cohelius de Immun. Eccleſ. quò ad Valentinum, & Luſitanum regna in Hiſpanijs: Faber quò ad Gallias ad l. quoties. C. de rei vend. Idque ab omni æuo, inquit Guillelmus Benedicti, ad c. Raynutius. ad ver. Et vxorem. num. 3. & 4. de teſt. Quò ad

Bel-

Belgium, per Burgundos Principes fuiſſe ſimiliter latas, & à Carolo V. Imperatore amplificatas, & confirmatas, refert Petrus Pech. Tract. de Amortizat. c. 4. Quò ad Angliam Polydorus lib. 17. eaſdem leges refert Hednardum I. protuliſſe.

Aduersùs quas leges fuit inuenta medicina, quæ appellatur Amortizatio: quæ eſt, earum ſolutio, & laxamentum; & deſcribi poteſt. Tranſlatio bonorum immobilium: iuſſu, ſeu licentia Principis, in Manum mortuam facta: ex qua reſultat Communitati, quæ Manus mortua dicitur, ius, illa in perpetuum retinendi.

Argumenta pro his legibus inſtituendis.

De harum legum iuſtitia, ſeu iniuſtitia, acriter hinc, inde, à multis Doctoribus Iuriſprudentibus diſputatur; quibuſdam eas, tamquã libertati Eccleſiaſticæ contrarias, damnantibus; quibuſdam eas approbantibus; quaſi illam non lædentes; neque in illius odium promulgatas: horum præcipuæ rationes ſunt.

Primò, quia Princeps, cuius imperio omnia, & omnes à ſua origine ſubduntur, legem ſibi placentem rebus ſuis poteſt imponere.

Secundò, quia laicos, in rebus temporalibus, Eccleſiaſticis præponere, eſt æquum.

Tertiò, quia non odio Eccleſiæ, ſed bono publico ſunt eæ leges inductæ; ne maiori rerum immobilium parte ad Eccleſiam tranſlata, laici ſoli publicis oneribus ferendis compellantur; neque id præſtare poſſint.

Quartò, quia leges hæ rem ſibi ſubiectam reſpiciunt, & perſonas ſuorum ſubditorum ad contrahendum, obligandumque ſeſe Eccleſiæ inhabiles reddunt.

Quintò, quia Eccleſiæ nihil detrahitur, ſed ſolùm acquirere prohibetur.

Sextò, quia non eſt hoc Eccleſiæ iura diminuere; ſed nolle laicos, ſua illi communicare.

Septimò, quia Eccleſia non læditur in quæſitis: ſed certam formam accipit in quærendis: ne omnia bona temporalia in eius poteſtatem deueniant.

Octauò, quia intereſt iura varia Principum plurimùm, ne bona immobilia in Eccleſiam transferantur; vnde illorum fiſcis detrahatur.

Nonò, quia ſicuti teſtator quilibet poteſt prohibere, ne ſua alienentur bona, & in Communitatem mortuam deueniant: fortiùs Princeps eam poteſt prohibitionem, de dictis bonis, promulgare.

Decimò, & vltimò, quia ſicuti Eccleſia, & ſummus Pontifex leges tulerunt, de illorum bonis non alienandis: ſic Principes de ſecularibus bonis ſuorum ſubditorum non alienandis, & in Manus mortuas tradendis, leges, videntur, iuſtè poſſe publicare.

PRIMVM FVNDAMENTVM.

PRIMVM igitur, pro dicendis, hoc iaciamus fundamentum. Huiuſmodi leges, & conſtitutiones, cenſemus, nequaquam odio Eccleſiæ fuiſſe exortas, neque latas: quia hoc eſt à Chriſtianorum Principum pietate nimis alienum; qui ſemper præſumuntur iuſtè, & piè ad leges condendas moueri: Gloſ. ad leg. Relegati. ff. de pœn. quod ſæpiùs docent Doct. Et illorum Conſtitutiones eorum ſubditis, in dubio, ſanctæ, & rectæ videri debent; donec vel ab ipſis, vel ab Eccleſia aliter iudicentur: & ad dictas leges ferendas, bonam fuiſſe intentionem ſtatuentium, ſenſit Driedo, de Libert. Chriſtiana Lib. 2. c. 3.

Quòd ſi in ſpecie loquendum ſit: Reges Galliarum experta fuit Eccleſia, cùm leges has conderent, Chriſtianiſſimos; Reges Hiſpaniarum ſummè Catholicos: Duces Burgundiæ, & Imperatorem Carolum V. fidei auitæ tenaciſſimos, & hoſtibus Eccleſiæ infeſtiſſimos: Angliæ Reges obſequentiſſimos Eccleſiæ: & Religionis, quando eas leges ferebant, deuotiſſimos; ita vt, per id tempus, Anglia, omnium ferè totius Europæi orbis Latini Monaſteriorum, & Cœnobiorum parens, & altrix, appellari potuerit: ex ea enim prodiere, qui vel nouos inſtituerunt, vel veteres viuendi eorũ ritus inſtaurarunt; qua gloria idem Polydorus in dicta Hiſtoria, & quidem iuſtè, felicem illã tunc, at modò infeliciſſimã, inſulam decorauit. Quid non decoraret? cùm tam ea, quàm Hybernia, & aliæ adiacentes ſibi, Sanctorum inſulæ vocarentur? O tempora! O mores! O rerum viciſſitudo! Quis vmquam tantum tunc ſperare dolorem potuiſſet? ibi, ſub Regibus edicta ſecularia ſolùm tractantibus, fidẽ Catholicam integram perſeueraſſe: ſub Regibus litteras, etiam ſacras profitentibus fidem Catholicam corruiſſe.

SECVNDVM FVNDAMENTVM.

SECVNDVM ſit fundamentum. Quicquid Eccleſia bonorum poſſidet, habet, & acquirit, id in fauorem maximũ poſſidet, habet, & acquirit ſecularium, & laici ſtatus. Quod proloquium ſi ſemel ſecularium, ſiue Principum, ſiue ſubditorum, animis inſideret; & ſi Eccleſiaſtici, qua decet, & æquum eſt, oculata obſeruantia, legum præfatarum de bonis Eccleſiæ diſpenſandis, id demonſtrarent; ea forſan inter vtrumque ſtatum, Eccleſiaſticum, & ſecularem, ſuper bonis Eccleſiæ temporalibus acquiſitis, ſeu acquirendis, quies conſurgeret; quæ nulla vmquàm legum ſimilium intercesſione rumperetur. Circà quod fundamentum ea, quæ ſuprà diximus in hac ſecunda parte Tractatus, cùm de bonis Eccleſiæ ageremus, Concluſione prima, ſunt omninò reuidendæ.

Et priuſquàm fundamenti rationem adducamus, hoc ſolùm aduertimus.

mus, quòd bona mobilia, veluti ſacra vaſa, iocalia, monilia, veſtes ſanctæ, apparatus, & ornamenta templorum, quæ habet Eccleſia, neq; Eccleſiaſtici ſtatus, neque laici ea eſſe iudicamus, quò ad dictum fauorem actualem: cùm Dei miniſterio inſeruiant in ſacris locis: è quibus cùm nihil propriæ vtilitatis proueniat Eccleſiæ Miniſtris: ſi ſeculares homines ea bona Eccleſiæ inuident, cum Deo, non cum Eccleſiaſticis id agant Miniſtris; & Deum eam partem bonorum, quibus externo cultu internus in eum Chriſtianorum affectus appareat; (vt per eos ore fiat, ad ſalutem, confeſsio fidei, quà, ex Paulo ad Rom. c. 10. creditur ad iuſtitiam,) conquerantur Eccleſiæ contuliſſe; qui totum quod bonorum temporalium habent, illis liberaliter, & gratioſè largitus, ingratis eam etiam bonorum Eccleſiaſticorum portionem non adiunxit. Sed adhuc hæc bona mobilia habitualiter, & in præparatione animi, ſeu ſpiritus ipſius Eccleſiæ, ad ſecularium ipſorũ fauorem ſunt aſſeruata: cùm occaſione, & tempore id exigentibus, vt dictum eſt, promptiſsimè ab Eccleſia in laicorum vſus, & vtilitatem inſumerentur.

Suppoſitio notanda, pro Fundamento ſtabiliendo.

ERGO prò fundamento probando, ſuppoſitionem placet hanc fingere: Eccleſiam, ſcilicet, omnia bona immobilia omnium Chriſtianorum poſſidere; quæ eſt ſuppoſitio omninò repugnans eorum menti, & intento, qui, ne Eccleſiæ plura bona immobilia accreſcant, dictis legibus præcauerunt: quaſi verentes id ingens inconueniens, quod ſequeretur; ſi Eccleſia non ſolùm omnes, verùm plures iam Chriſtiani orbis diuitias occuparet. Ecce ergo ex hac ſuppoſitione, Eccleſia omnibus Chriſtianorum, & ornata, & onerata immobilibus bonis, non ſolùm vmbram habens in Religionibus primitiui ſui aurei ſeculi, & præteritorum bonorum: ſed ipſam, in ſuo toto ambitu, imaginem rerum: facilius certè nunc è tantorum, quæ fingunt ſeculares Principes, inconuenientium ſalebris effugiemus. [Diuidebant] inquit Luc. Act. cap. 2. (agens de Apoſtolis diſpenſatoribus, & bonis Eccleſiæ diſpenſatis) illa omnibus, prout cuique opuserat.] Quod idem repetit ijſdem verbis cap. 4.

Attendite obſecramus, Principes Chriſtiani ſeculares, quid facti, quid iuris; ſi Eccleſia, ſicuti bona quædam certa immobilia poſſidet, ab eius Mortuis manibus omnia tenerentur. Imperatori, Regi, tunc temporis, Principi, Nobili, ignobili, ciui, hoſpiti, peregrino, virgini, viduæ, vxorato, cælibi, hero, ſeruo, prout cuiuſque ferret ſtatus, & conditio, ab Eccleſia eſſet cumulatè ſatisfaciendum; mœnia ab ea ciuitatis eſſent ſtruenda, & reſtituenda; faciendi, & reficiendi pontes; ſternendæ viæ publicæ; putei effodiendi communes; fontes huc illuc deriuandi; belli negotia gerenda; pacis artes tractandæ: & tandem, curæ in tantam,

Digitized by Google

& tam copioſam Rectorum ſecularium multitudinem diſpertitæ, vnius Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum, forent ſolicitudine perferendæ. An hoc ingens inconueniens videtur, Principes Chriſtiani ſeculares? An videtur mille, & mille legibus à vobis præcauendum, ne illud cogamini denotare? Haud ea certè eſt rerum iam humanarum diſpoſitio, vt ſint aptæ, quatenus cum illis benè adeò gereretur. Actum eſt tamen benè cum Eccleſia, & eius Miniſtris, quos à curis huius mundi ſecretos voluit ſuus ſponſus Chriſtus ſibi, & ſuis miniſterijs continuò intendere ſpiritualibus: vt nemo militans Deo, implicaret ſe his negotijs ſecularibus; vt ei, cui ſe probauit, iuxtà Apoſtoli doctrinam, ad Timotheum 2. cap. 2. poſſet aptius complacere.

Et naſcentis Eccleſiæ exordio, nihil dubitamus, Apoſtolos, ſicuti feruenti Chriſti ſanguine adhuc exteriùs conſperſos, ſic eius ardenti charitate interiùs inflammatos, prouinciam hanc, ſi non impoſſibilem, difficillimam tamen, ſubijſſe, ſpiritualia, videlicet, & temporalia adminiſtrandi; vtrique muneri ſe ſuffecturos ſperantes: cùm illorum quodlibet per mille, & alios mille miniſtros, vt congruè fiat, ſit repræſentandum. Vnde tempore paulatim procedente, & querimonijs, ſeu lamentis, ſiue iuſtis, ſiue iniuſtis, ſuper bonorum per fideles oblatorum diſtributione, etiam Apoſtolicè facta, ſubortis, inter ex Græcis, & ex Palæſthinis, Hebræos Chriſtianos; tandem intellexerunt Eccleſiæ illæ duodecim columnæ, ampliora eſſe ſpatia charitatis in animo, quàm quæ corporeis poſſent greſſibus perambulari: & huic muneri, temporalia miniſtrandi, & diſtribuendi, liberè renunciantes, & Diaconibus ſeptem illud præſtandum iniungentes, Dei verbo ſe reſeruarunt prædicando.

Tria Conſectaria pro Fundamenti ſtructura.

EX qua doctrina colligimus primò, conſequenter ad ea quæ præcedenti Dubio tractabamus: quòd Eccleſia, & Eccleſiaſtici viri ea proportione tenentur, in eorum ſecularium fauorem, qui inibi relatis ſacris Canonibus, & doctrinis præſcribuntur, ſua bona immobilia, & eorum prouentus diſpenſare, qua bona hæc immobilia poſſident. Circa quod S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. & omnes ſuper eum Doctores ſcribentes ſunt conſulendi.

Colligimus ſecundò, quòd ſi aliundè non eſſet res conſideranda, ex hoc capite non eſſet valdè Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis viris laborandum: vel pro bonis temporalibus acquirendis, vel quominùs non acquirantur, legibus ſecularibus, de hoc agentibus, reſiſtendum: vbi habent expreſſam Spiritus ſancti doctrinam, per os Tobiæ, ſic filium ſuum inſtruentis, lib. ſuo c. 4. [Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.]

Ni-

Nihilominùs colligimus tertiò, vanis angi timoribus eos, qui ne omnia Reipublicæ bona temporalia in manus Eccleſiaſtici ſtatus tamdem deueniant, & timent, & nobilitati, laicis, ac Principibus maximè, exiſtimant, eſſe conſulendum, cum legibus, vlteriorem dictorum bonorum acquiſitionem, eidem ſtatui interdicentibus. Similes enim homines, pro ſtatu Coniugali ſancto, contrà ſanctiorem Virginitatis ſtatum zelantes irrident Auguſt. de bono Coniug. cap. 10. Chryſoſtom. de Virginit. c. 15. qui docet, eos, non boni communis ſtudio, id facere: ſed ſuæ pigritiæ, ac negligentiæ prætextum quærere: & de terrarum orbe conſeruando ſolicitos, quod ad ipſos nihil pertinet, animæ ſuæ, tamquàm alienæ rei, curam in vltimas curas reieciſſe. Sic certè, vel irridendi, vel potiùs dolendi, qui quo tempore abundare adeò cœpit iniquitas, vt multorum refrigeſcat charitas versùs pauperes, & egentes Chriſtianos: vnde debuiſſent nobiles, & pecunioſos ciues ad eleemoſynarum erogationem, & ad ſtatus Eccleſiaſtici redditus augendos exhortari, quo eiſdem pauperibus res tutiori eſſent loco conſtitutæ: illos potiùs à benefaciendo deterrent: &, à ſtatu Eccleſiaſtico bonis temporalibus ampliando, totis nituntur conatibus auocare.

Fundamentum ex dictis ſtabilitur.

PRAEMISSIS his, Fundamentum dictum ſic ſternimus: Quicquid Eccleſia bonorum habet, præter id, quod ex eorum prouentibus Eccleſiaſticorum vſui decenti neceſſarium eſt, & id quod ad cultus Diuini externi ſplendorem ſeparatur, in pauperum, peregrinorum, viduarum, virginum, omnis generis egenorum non ſolùm domeſticorum fidei, ſed etiam infidelium, vſum, & commodum, ſacris id Canonibus ſic diſponentibus, habet: quorum omnium cura, niſi ab Eccleſiaſticis gereretur, & ab Eccleſia, à laicis eſſet omninò gerenda: nam hæ ſunt res, quæ quottidianam, & manualem præuentionem, & ſubuentionem requirunt: Ergo ex hoc capite, in fauorem laicorum cedit, Eccleſiam bonis mobilibus, & immobilibus, quibus tot ſeculares gaudeant, cumulari. Quòd ſi viri Eccleſiaſtici aliquid à ſuo munere, & debito degenerant, & in laicorum, etiam proximorum, ac ſanguine coniunctorum, ac domeſticorum, (id aliàs iuſtitia, & charitate non exigentibus) dictos prouentus conſummant, fortiùs tenet noſtrum Fundamentum, & eorum abuſus, ex occaſione, argumento Politico illud corroborat, omninò laicorum rem, & negotium agi, ſi Eccleſia creſcat opibus, & bonis immobilibus augeatur.

Hoc Fundamentum adhuc ſic firmamus, ex doctrina D. Thomæ dicto loco. 2.2.q.185.art.7.ad 4. Ex qua, & eius Commentatore Card. Caietano clarè perſpicitur, quàm in fauorem, manualem, & quottidianum laicorum, hæc bona Eccleſiæ ſint attributa; quibus tam ſedula cura

debent Eccleſiaſtici, ſecularium diuitum, quantum poſſunt, curas, pauperum verò miſerias, ſubleuare. Sic ergo ibi docet ſanctus Doctor: [Bona Eccleſiarum, vſibus pauperum deſeruire debent. Et ideò ſiquis, neceſſitate non imminente prouidendi pauperibus, de his quæ ſuperfluunt ex prouentibus Eccleſiæ, poſſeſſiones emat, vel in theſauro reponat in futurum, vtilitati Eccleſiæ, & neceſſitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si verò neceſſitas immineat, pauperibus erogandi; ſuperflua cura eſt, & inordinata, vt aliquis in futurum conſeruet: quod Dominus prohibet, Matth.c.6.dicens: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum.] Et commentario marginali ſic ibi docet Caietan.[Videte, qui augendis Eccleſiarum prouentibus tam laudabiliter creditis vos vacare, tabeſcentibus pauperibus, & vtinam non areſcentibus: quoniam peccatis, iuxtà Auctoris ſententiam, tot pauperes puellas nobiles, tot pauperes ciues pupillos, orphanos, viduaſque poſthabendo.]

TERTIVM FVNDAMENTVM.

TERTIVM ſit fundamentum conſequens, ſeu annexum. Eccleſia non eſt fundata in bonorum temporalium poſſeſſione: ſed in eorum contemptu. Hæc doctrina attingit ſecundum, & quintum Principia huius Tractatus; & pro ea, peruidẽda ſunt ea, quæ diximus ſuprà Concluſ.1. huius 3. Partis, octauo Subnotando. §. Nam primò Chriſtus, & ſeq. Attamen.fol. 192. & 193. & doctrinæ huius ea eſt ratio; quia Eccleſia habet pro capite, & fundamento, Chriſtum Dominum; [neque fundamentum aliud poteſt poni, præter id quod poſitum eſt, quod eſt ipſe Chriſtus:] ex Paulo 1. ad Corinth.c.3.ſed Chriſtus Dominus dicebat de ſe verè, iuxtà Vatis Regij ſcriptum: Pſalm. 39. [Ego autem mendicus ſum, & pauper:] cùm dixit Matth.c. 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.] Et Paulus idem ſic de eo loquitur 2. ad Corinth.c.8. [Qui cùm eſſet diues, propter vos factus eſt egenus.] Membra verò huic capiti reſpondentia, & ab eo dependentia, libenter illius, & imitari, & excipere paupertatem, ſic ſunt profeſſa ſemel, & ſemper repetere debent eamdem profeſſionem: ſic dixit Petrus, omnium Eccleſiaſticorum nomine: cuiuſque, videlicet, in ſuo ordine: Matth.c.19.[Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.]

Vnde inſurgat, oportet, etiam apud ſapientes, & prudentes, ingens admiratio, dum Eccleſiam, & Eccleſiaſticos videmus, diuitijs copioſis, & facultatibus affluentibus abundare: itaut, præter aliarum Eccleſiarum, & ceterorum Eccleſiaſticorum, per orbem, theſauros, redditus, emolumenta, & prouentus, ſola vna Romana Eccleſia, & illius Beatiſſ. Pontifex ſummus, cũ tot Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Cardinalibus, quaſi cum tot Proceribus, Senatoribus, immò Principibus, Eccleſiæ vni-

uerſæ

uerſæ ius dicens, cum tot tribunalibus, tot Prælatis, tot Miniſtris ſuo ſplendore, ſua maieſtate, & magnificentia Catholicorum oculos delectet, Hæreticorum perſtringat, Iudæorum pudefaciat, Machometanorum confundat, Gentilium in admirationem rapiat, & denique inimicorum omnium perterrefaciat; & tantus hic ſplendor, tanta maieſtas, tam excellens magnificentia, eius theſauri, diuitiæ, gaza per vndas, & ſuper vndas maris, ſuo Eccleſiam Romanam ad ima pondere non trahentia, gradi poſſunt; quia his affluendo diuitijs, noluit cor apponere; ex Pſalm. 61. parata cum ſuo Pontifice Petri ſucceſſore, ſicuti in Primatus dignitate, ſic, & in miraculorum gloria, vicariam ei operam præſtare: & vndas maris calcando, ad Chriſtum tantorum operum Auctorem, ſiccis greſſibus peruenire.

Ardua res hac eſt, opibus non tradere mores.

Immò cùm diuitiæ, & earum ſplendor ſit quædam æternorum vmbra bonorum, quò plus Eccleſia, & Eccleſiaſtici rebus æternis, & bonis veris, ac permanentibus acquirendis, ſtuduerunt, eò plus illos rerum, & diuitiarum vmbra, quam fugiebant, temporalium eſt ſequuta.

Hinc aliquando mirabamur, Paulum Apoſtolum, inter alias Epiſcopi conditiones, illas Epiſt. 1. ad Timoth. c. 3. & ad Tit. c. 1. tam anxiè poſtulaſſe; vt, ſcilicet, eſſet hoſpitalis, & benignus; & vt ſe gerat, ſicut Dei diſpenſator, & ſuæ eſſet domui benè præpoſitus; ne ſi domi neſciat præeſſe ſuæ, Eccleſiæ Dei diligentiam non habiturum, conſequentia Apoſtolica, colligatur. Mirabamur, inquam, ſuper quibus prouentibus temporalibus, vel à Chriſto, vel ab ipſis Apoſtolis, & Paulo ſuper Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Rerumpublicarum ſecularium iuribus conſignatis, certis, & ſtatis ab ſtatu laico ipſis Epiſcopis tribuendis, ſeu reddendis, hanc curam bonorum externorum benignè diſpenſandorum commendaſſet. Nam de portione, qua, de Iure diuino, erat Epiſcopus à ſuis ouibus ſuſtendandus, vt quæ tantæ partitionis non eſſet futura capax, nihil erat opus, tot documenta replicare. Ceſſauit tamen admiratio, poſtquàm legimus apud ipſum Apoſtolum 2. ad Corinth. c. 6. [Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes:] in quo docuit, ab hoc diuitiarum neglectu, diuitiarum Eccleſiaſticarum copiam exſpectandam. Quid hic de S. P. N. Benedicti Regula dici poſſet?

QVARTVM FVNDAMENTVM.

QVARTVM ſit fundamentum. Loquendo in vniuerſum, non ſolùm lex aliqua afferri non poteſt, qua oſtendatur, omnium rerum dominia fuiſſe, ab ipſa origine, Principis, ſeu Regis ſolius, non etiam priuatorum hominum: verùm neque hucuſque clarè conſtitit, quando, iam hominibus ſuarum rerum à mundi initio dominium tenentibus, poſteà Reges, & eorum inceperunt poteſtates. Pro

cuius fundamenti veritate demonſtranda, notamus: primum Regnum, de quo in Scriptura ſacra fit mentio, tyrannide Nembroth, fuiſſe erectũ: ex Geneſ.c. 10. quia, iniuſta violẽtia, multos hominum ſuo ſubdidit imperio. Id enim Expoſitores ſacri illius ibi aſſertam venationem, ideſt, innocentium hominum oppreſſionem, explicant: de qua dicitur ibi: [Nembroth cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator corãm Domino. Ab hoc exiuit prouerbium: Quaſi Nembroth, robuſtus venator corãm Domino. Fuit autem principium Regni eius Babylon.] Hunc ſunt imitati illi, qui nefarijs artibus, proditionibus, inſidijs, corruptelis, nobilium hominum cædibus, imperium, vel in ſuos, vel in alienos vſurparunt; vt apud Græcos Piſiſtratus, Nearchus, Dionyſius, Phalaris, Gelo, & tyranni ſimiles alij computandi.

Ex hac ignoratione originis regiæ poteſtatis, quidam eam ad aſtrorum motum, & cauſſam retulerunt: quaſi ex conſtellationibus ſiderum, & ſignorum varia poſitione, naſcentibus fatalis regnandi auctoritas præberetur. Hanc vanitatem redarguit D. Gregorius Homil. 10. in Euangelia, eos irridens Hæreticos, qui Chriſto regnum, ſtellam, de qua Matth.c.2. fit mentio, dicebant, præſignaſſe: vnde Magos, ſiderum ſcientia præclaros, illius ortum regium, aſſerebant, cognouiſſe. Reddit hanc cauſſam Gloſſa celebrãdi Pharaonem Geneſ.c.40. & Herodem Marc. cap. 6. dies ſuos natalitios: cùm exiſtimarent, regiam ſuam Maieſtatem à ſui ortus horoſcopo dependere.

Cenſuerunt nonnulli, & meliùs, homines, quos, ad hauriendam prudentiam, Spiritus ſanctus per Salomonem ad formicam miſit, Prouer. c. 6. ad ſibi de rege prouidendum, qui eorum pacis, & belli negotia tractaret, naturæ ipſius inſtinctum, ad mundi totius, cuius homo eſt primaria pars, conſiderationem remiſiſſe. Cùm enim omnes creaturæ ordine quodam dirigantur; cùm cælorum orbes ab vno motore circumferantur; cùm in elementis ſit vnius ſuper alterum dignitas, & excellentia; cùm in beſtijs, in volatilibus, in ipſis apibus, vnus certus detur gubernator, & ductor: cùm in piſcibus, cùm in ipſis metallis gradus diuerſitas, & perfectionum diſtinctiones reperiantur: cùm in omnibus Vniuerſi rebus, aliæ emineant, aliæ ſubſidant: aliæ ſuo modo imperent, aliæ pareant; eſſet monſtroſum, ſi homo ſolus, cuius vſui creaturæ omnes ſeruiunt ſublunares, & qui rerum eſt finis omnium, ex ipſo Ariſtot. etiam 2 Phyſic. ſine rectore viueret, ſine ordine vagaretur. Hæc fuit Hieronymi ſententia, Epiſt. 4. ad Ruſticum, & ex eo 7. q. 1. c. In apibus. adnotatur.

Et prætermiſſa Plinij Athei opinione, qui lib. 2. c. 7. Deorum, & inuentum, & nomen ad hominum retulit neceſſitates; quaſi pro earum numero, Deorum fuiſſet numerus inuentus, & auctus: dum quiſque iuxta ſuam indigentiam, Deum qui illi ſuccurreret, inueniſſet: Cicero

acu-

acutiùs, & prudentiùs philoſophatus, lib. 1. de Offic. hinc originem credit Regũ emanaſſe, quòd paupęres ad diuitem aliquem potentiorẽ, qui eos à violẽtijs aliorum diuitum tutaretur, ſe conferentes, & illius ſe defenſioni cõmendantes, tamdẽ more, & dominandi hac conſuetudine paulatim introducta, ad regiam maieſtatem potentes illi benefactores adſpirarunt. Et feliciter quidem regimen ſucceſſit, quouſque regia auctoritate in tyrannidem degenerante, ne Reges voluntate propria, vel voluptate potiùs, ad illicita liberè traherentur, de legibus per Reſpublicas fuit prouiſum: cum aureis, & primis illis ſeculis, ex Seneca Epiſt. 91. ſapientibus aliorum regimen obeuntibus, Leges, & Reges diuerſis nominibus, ſeu vnius ſolùm litteræ diuerſitate, iiſdem tamen carceribus tenerentur.

Ciceronis locus eſt inſignis, qui ſic habet: [Iuſtitiæ fruendæ cauſſa, apud maiores noſtros, & in Aſia, & in Europa, bene morati Reges, olim ſunt conſtituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant; ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantẽ, qui cùm prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari iure retinebat. At, quia non ſemper ius æquabile ab vno viro conſequebantur, leges ſunt inuentę, quæ cùm omnibus ſemper vna, atque eadem voce loquerentur.] Et lib. 3. de Leg. ait idem Cicero: [Omnes antiquæ Gentes Regibus quondam paruerunt: quod genus imperij primùm ad homines iuſtiſſimos, & ſapientiſſimos deferebatur. Deinde etiam poſteris eorum prodebatur; quod & in ijs etiam, qui nũc regnant, manet. Quibus autẽ regia poteſtas non placuit: ſed eã à ſe abdicare voluerunt, non ij nemini, ſed non ſemper vni parere voluerunt.

Refert Plutarchus in vita Romuli, pauperum, & ſeruorum adunatas copias, Romulo, contra Regem Amulium conſpirandi, & regium Romanũm thronum conſcendendi, fundamenta præſtitiſſe. Cæſar 6. de Bello Gallico narrat, ſe Galliam factionibus, & diſſidijs inueniſſe diſciſſam; quia pauperibus ſub potentiorum protectionem ſe recipientibus, hi auctoritate pollebant, ceteris omnibus, ea remanentibus, deſtitutis. Vnde ponderat Budæus in Pandect. fœudorum initia traducta; dum hinc vaſſalli ſubiectionem, illinc tutelam, & protectionem, illorum Domini, ſpoponderunt. Et omninò Reges, à Republica, & à ciuibus habuiſſe auctoritatem, illaque eſſe poſteriores, neutiquam autem Rempublicam à Regibus, eſt aſſeuerandum, dependere. l. 1. ff. de Conſt. Princip.

Iactum præterea fundamentum, eiuſque etiam rationem adhùc clariùs vera eſſe cõnſtat hinc, quòd antiquò populo Hebræo ſic promiſit Deus, regia dignitate nondum in eo erecta: [Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.] Deut. c. 11. & Ioſue c. 1. Ecce quot ſeculis dominia priuatorum hominum, Iudæorum Regum, ſuper eos directiuam, & coërciuam poteſtatem præceſſerunt. Deinde populo Iudicum imperio

faſti-

faſtidito,Regemque,vnanimi conſenſu,efflagitante,1.Reg.c. 8. & Saule primo ſibi Rege à Deo creato,ibi c. 10. illius id demeritis exigentibus,à Domino ipſo reiecto: quantumcumque futurum Regem Dauidem, per Samuelem, Prophetico ſpiritu,ibi c. 16. deſignaſſet idem Dominus; vt tamen quæ eſſet cauſſa,qua homines ducti, hominem alium in ſuum ſuperiorem,& Regem eligerent, fieret nota; dum Dauidi promiſſa à Deo Prophetica in effectu parabantur, refert ſacra Hiſtoria de eius ſucceſſibus, ibidem c.22.[Et conuenerunt ad Dauid omnes, qui erant in anguſtia conſtituti,& oppreſſi ære alieno,& amaro animo;& factus eſt eorum Princeps.]

Hinc ipſe Dauid,iam quietè ſolio Regio inauguratus, & experientia edoctus,& ſpiritu afflatus Prophetico,Regiam Chriſti dignitatem in ſuo Regno excelſiori,& æterno deſcribens,& omnium Regum, & omnium Gentium ad illam ſubmiſſionem:ſic dixit,Pſalm.71.[Et adorabunt eum omnes Reges;omnes Gentes ſeruient ei: quia liberabit pauperem à potente;& pauperem,cui non erat adiutor. Parcet pauperi,& inopi;& animas pauperum ſaluas faciet.Ex vſuris,& iniquitate redimet animas eorum:& honorabile nomen eorum coram illo.]

Et forſan Meſsiæ,& Prophetæ magno,quem exſpectabāt Iudæi, plures ex illis temporali in Regno ſedenti,eam eſſe Prophetiam aptandam, intellexerunt;cùm turbæ illæ, Ioan.c.6.ex paucis panibus,paucis etiam piſcibus,ſatiatæ,quæſiuerunt,Chriſtum tanti operis patratorem, quaſi, cui illa Dauidis Prophetia quadraret,in Regem conſtituere. Ipſe tamen, qui conſilij ſui altitudine, non humanarum cogitationum humilitate, œconomiam grandem noſtræ redemptionis,& ſalutis metiebatur,qui in Maieſtate,& potentia ab hominibus in Regem exaltari deuitauit,in vilitate,& præſepis anguſtia,immò in crucis ignominia, voluit oſtendere, ſe Regem à Patre æterno fuiſſe conſtitutum:ex Pſalm.2.dum Matth.c.2. Rex quæſitus à Magis Regibus,etiam coram Herode Rege:& Rex regū, & Dominus dominantium,in ſumma paupertate ab illis, in Bethleem, adoratus;& dum Matth.c.27. à Centurione filius Dei verus,cognitus,& proclamatus,& ex conſequio,& hæres vniuerſorum, ad Hebr. c. 1. & ad Galat. c.4.paupertatem,& vilitatem,docuit,fuiſſe,& olim futuram Regum ſtirpem:quæ ſi non præceſsiſſet,illorum Regia poteſtas, & auctoritas,nūmquàm fuiſſet ſubſequuta.De quo adhuc 4.Parte, infra c. 3. vberior ſermo redibit.

QVINTVM FVNDAMENTVM.

QVINTVM ſit fundamentum conſequens. Homines, qui ciuitatem,regnum,Rempub. efficiunt,& integrant, tamquàm ciues honeſti,etiam honeſtis, & ingenuis immunitatibus ſunt donandi;& ab Imperatoribus,Regibus,Principibus,& Reipublicæ Magiſtrati-

bus,

bus,ipſaque Republica tuendi ſunt;& iniuria afficiuntur inſigni, ſi ſuper eorum bonis,leges ab eis præſcribantur,quæ in mancipia potiùs, quàm in honeſtos ciues, conditæ eſſe videantur. Hoc eſſe verum inde conſtat, quòd ciues honeſti,& probi,omnium antiquarum, & bonarum legum, omnium iuſtorum Legumlatorum auctoritate, & fauore,ſuarum rerum domini abſoluti ſunt, & conſtituti, & conſeruati; adeò, vt tantiſper dum Rempublicam non perturbant, vel aliquod deſignant facinus, cuius cauſſa, vel ipſa, vel alter conciuis, vel perturbetur, vel diſcrimini graui, aut leui, maximo, minimoue ſubiaceat; aut aliquod aliud detrimentum patiatur;perſolutis etiam, quæ iuſtè, ſiue iniuſtè,(de quo modò non diſſerimus)exigerentur à Magiſtratibus, & Principibus vectigalibus,in reliquis,de ſuis rebus,prout animo fuerit collibitum, ſtatuere viuentes,ac morientes poſsint. Cuiuis enim mortalium,(modò liber ſit,& ingenuus) iure naturæ licet emere,vendere, permutare, donare,acquirere,& parta retinere, & rurſus in vſus cuicumque Reipublicæ ſtatui vtiles diſtribuere.

Doctrina hæc colligitur ex Apoſtolo Paulo, ad Rom.c.13.ſic ſcribente.[Principes non ſunt timori boni operis,ſed mali.Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac,& habebis laudem ex illa; Dei enim miniſter eſt tibi,in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt,vindex in iram ei, qui malum agit.] Non permiſit ergo Paulus,neque promiſit Imperatoribus, Regibus,Principibus,& Magiſtratibus abſolutam poteſtatem: vt promiſcuè, pro ſua libidine,in omnes mortales,vel ſæuirent,vel eorum bona inuaderent, vel diſpenſarent;nec illis eſt datus gladius à Deo in omnes abſolutè,ſed in eos tantùm,qui malè agunt.Petrus verò Apoſtolus idem docet, 1.Epiſt. c.2.ſic dicens: [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ,propter Deum; ſiue Regi, quaſi præcellenti;ſiue Ducibus, tamquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.] De quo loco eſt inferius 4.Parte profundiùs diſputandum.

Sed ipſemet Chriſtus Dominus huius ciuilis libertatis accedat prædicator,dũ Mat. c.19. ſic docuit quẽdam adoleſcentẽ:[Si vis perfectus eſſe, vade,vende omnia,quæ habes,& da pauperibus: & habebis theſaurum in cælo:& veni,ſequere me.]Ex quibus verbis,ſolis luce clariùs,conuincitur,Iure diuino,& naturali,hanc eſſe Eccleſiæ tributam poteſtatem, vt quiuis Chriſtianus liberè ſe,ſuaque,Deo poſſit deuouere.

Inde licet colligere, quòd tantiſper dum ciuis nihil mali operatur, Diuina conſtitutione,Diuino,ac naturali iure,ſuas fortunas, poteſtati, cura,ac imperio Magiſtratus, Principis, Regis, & Imperatoris, habet immunes;poſſuntque ciues tam viuentes donando, quàm moribundi ſuis vltimis tabulis, quibus voluerint,ſuorum bonorum, & poſſeſſionem, & dominium, (ſi aliàs à ſuis maioribus non ſint iuſtè ad id efficiendum

prohi-

prohibiti,vel impediti,)curam,& diſpoſitionem,excluſa quacumq; alia Magiſtratus auctoritate,relinquere. Itaque Imperatores, Reges,Principes,Reſpublicæ,& Magiſtratus,in legibus condendis Politicis,quæ ſtatū, & cōmodum concernant cōmune,tenent principatū. Attamen in re œconomica,& domeſtica,ciuis Paterfamilias Principē perſonā ſuſtinet; domique ſtatuit quid velit fieri,& à ſuis domeſticis,circa res proprias, cuſtodiri. Et vt ciuibus,in ſuis ædibus,hæc auctoritas illæſa conſtet, Magiſtratus ſecularis eis ſuum patrocinium,ſuam,ex omni iure,debent protectionem:vt eorum ſecuritate,omnes,ad quos ſpectat,talium ciuium parere cogantur voluntati. Quæ omnia, eā lege communi intelligenda cenſemus,dummodo ciuitati,regno,Reipublicæue aliquod detrimentum graue non immineret, quod Magiſtratus ſeculares, ad maiorem, circa ciuium priuatorum fortunas, ſicut in extremis fit caſibus, auctoritatem gerendam conuocaret.

SEXTVM FVNDAMENTVM.

SEXTVM ſit Fundamentum conſequens. Cùm Apoſtoli edocti à Chriſto,fideles omnes ad debitam Poteſtatibus ſublimioribus ſubiectionem,& obedientiam præſtandam, & præcipuè Paul. ad Rom. c. 13. docuerint:vt in ſuperioribus latiſſimè explicuimus;nihilominùs in oculis Magiſtratus ſecularis, etiam Gentilium Principum, quibus maximè,ad omne vitandum ſcandalum,dicti Apoſtoli volebant, & docebant,à Chriſtianis eſſe obediendum; Chriſtiani diuites liberè de ſuis facultatibus diſponentes,ſuas domos eſſe Eccleſias, & pro peregrinis,& pauperibus Xenodochia ſimul eſſe voluerunt. Hoc probatur ex Hieronymo,qui Epiſtola ad Euſtochium, ſeu Epitaphio Paulæ matris,de ea, refert,viſitante ſancta Paleſthinæ loca, Cæſareæ Cornelij domum vidiſſe, Chriſti factam Eccleſiam: & Philippi Diaconi ædiculas, & cubicula quattuor virginum Prophetiſſarum, eius filiarum. Sic docet Thomas VValden. de Sacramental. tit. 17. c. 47. vbicumque in nouo Teſtamento verbum hoc,Eccleſia,reperiatur,intelligendum eſſe,domum,vbi familia fidelium diues,& Deum colens,morabatur.

Paulus Apoſtolus hanc doctrinam mirè illuſtrat,ad Rom. c. 16. ſic ſcribens:[Salutate Priſcam,& Aquilam adiutores meos in Chriſto IESV, &c. & domeſticam eorum Eccleſiam:]vbi Theophylactus,Eccleſiam vocari,dixit,non eo ſolùm,quia Chriſti doctrinam ſuſceperat, ſed etiam, quia erat Xenodochium,ſeu cōmune Hoſpitale Credentium: iuxta quod idem Apoſtolus ſcripſit ad Corinth. 1. c. vlt. dicens:[Salutant vos Aquila,& Priſcilla,cum domeſtica ſua Eccleſia,apud quos & hoſpitor.] Et dicto c. 16. ad Roman. ſic ſcripſit:[Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.] Et dicto cap. vlt. ad Corinth. [Salutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ:] id eſt, omnes domus Chriſtianorum diuitum,& potentium,circa quas,vt habe-

tur Act.c.2.frangebant panem,ſcilicet, vitæ, ſacram Euchariſtiam,fideles; & in quibus verbi Dei prædicatores,& pauperes,& peregrini Chriſtiani hoſpitabantur.

Cuius doctrinæ,& Fundamenti ſi altiùs eruere voluerimus rudera, reperiemus in lege veteri quid ſimile:Deus enim,qui iniunxerat Iudęis, Deuter.c.15.ne omninò indigens,& mendicus eſſet inter eos;præter alia remedia,egenis prouidendi,appoſita ibi,c.14.iuſſerat, vt adducerent in domos ſuas peregrinos,pupillos,& viduas,vt comederent ibi, & ſaturarentur:iuxta quod Tob.c.2. legitur, Sanctum illum ſenem, diebus feſtis, ad prandium timentes Deum,& egentes ex ſua tribu, fuiſſe ſolitum inuitare. Et qui illam legem tulerat, factus tamdem homo, ad eius inſigniter morem,apud Luc.c.14.ſic hortabatur:[Cùm facis prandium, aut cœnam,noli vocare amicos tuos,neque fratres tuos, neque cognatos,neque vicinos diuites: ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium,voca pauperes,debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris:quia non habent retribuere tibi:retribuetur enim tibi in reſurrectione Iuſtorum.]Hoc maximè confirmat id,quod ſuperiùs dicebamus,hæc bona temporalia inter Eccleſiaſticos, & pauperes diſtributa, plus vtilitatis afferre dantibus,quàm accipientibus;iuxta illud etiam Pauli ad Philipp.c.4. [Scitis autem & vos Philippenſes, quòd in principio Euangelij,quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati,& accepti,niſi vos ſoli; quia & Theſſalonicam ſemel, & bis,in vſum mihi miſiſtis. Non quòd quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in rationem veſtram.]

Inſigne etiam eſt huius rei exemplum 4.Reg.c.4. duorum coniugum diuitum,& charitate præſtantium,qui Eliſeo Prophetæ ſancto, Sunæ in domo ſua,congruum,& perpetuum hoſpitium aſsignarunt; quibus Eliſeus ἀντίδωρον exhibuit;primò deſideratam prolem maſculam illis, orationibus à Deo obtinens:& deinde illa mortua, eiuſdem exſuſcitationē impetrando.Qui mos agendi, maiorem arguit antiquitatem in Dei cultoribus;cùm Abrahamus,Geneſ.c.18. in ipſo diei feruore, ſecùs viam, ad ilicem Mambre ſederet,peregrinos,quos ſuſciperet conuiuio,expectans; quem ibi latuit,vt ponderat Paulus Apoſtolus,ad Hebr.c.13. Angelos hoſpitio ſuſcepiſſe.

Quò tamen, quàm fuerit vſus hic, & conſuetudo primitiuæ Eccleſiæ rationi congruens, & faciles ſe præbere Chriſtianos in ſuis domibus, in Eccleſias; etiam,& Hoſpitalia,dedicandis, non ſolùm ex charitate, & cultu Chriſtiano;non ſolùm ex legis antiquæ imitatione, ſed à Gentili ritu,quodammodò poſſit videri,non abhorruiſſe; animaduertendum eſt, qualiter ex Homero,Odyſſ. lib.14. collegit, & probauit Iulianus Imperator Apoſtata,referente Hiſtor. Tripartita,lib.6.c.19. apud Ethnicos, ad quorum vomitum, per Apoſtaſiam fuerat reuerſus,erigenda commu-

nia Xenodochia, quæ etiam inſtitui præcepit; licèt ex illo Homeri loco meliùs nos colligamus, domus proprias, Hoſpitia peregrinorũ exſtitiſſe. Vnde, quàm dignus fuit vituperari à Lactantio, lib. 6. c. 11. M. Cicero, qui domos Principum, & Magnatum, non pauperum, ſed Illuſtrium, & ſimilium Principum, docuerat, fore vſibus, miniſterijs, & hoſpitijs aperiendas: tam dignus fuit laude Cimon Athenienſis, qui, referente Plutarcho in eo, domum propriam, quaſi publicum peregrinorum, & pauperum receptaculum, dedicauit.

Auctore Diodoro Siculo lib. 6. de Antiq. geſt. in Hiſpanijs olim, amica diſceptabatur contentione, quis peregrinos primus hoſpitio exciperet; dataque ipſis optione, ad quem diuertere præferebant, eum, tamquàm Dijs charum, reliqui venerabantur. Vt conſtet, hodiernum Hiſpanorum genium, in externis Nationibus, & facilè, & comiter excipiendis, & cum eis Prouinciæ, immò latiſſimi ſui Catholici Imperij opibus, ac diuitijs communicandi, Maiorũ ſuorum, à Patriarcha Thubal exſtitiſſe, quaſi extremis tabulis, ſpeciale legatum: à quorum exſequendis vltimis voluntatibus reſilire, grandè, apud Catholicam Gentem, piaculum iudicetur.

Et omiſſa in imaginarijs, ſeu Idealibus Platonis legibus, lib. earum 12. hoſpites, & peregrinos ſuſcipiendi, data forma; etiam modum, quo Indi, ex Strabone lib. 15. cum illis ſe humanè gerebant, præterlabentes: ad Romanos priſcos, prudentiſsimos Politicos, veniamus; & ex Cicerone ad Attic. lib. 13. Epiſt. 1. videbimus, fuiſſe, per Magiſtratus, in domibus certis, hoſpitia deſignata ijs, qui, ad cum Republica agendum, quottidiè confluebant: quæ appellabantur, Parochiæ, & qui illis aſsiſtebant, Parochi: & hi ex Horatio lib. 1. Serm. Satyr. 5. ligna, ſalemq; illis gratis præbere tenebantur. Hinc Parochiæ Chriſtianorum, quæ ab Euariſto Papa I. anno à Chriſto nato Centeſimo, ſunt diuiſæ, iuxta Budæum in Pandect. ſic appellantur à παρέχω, verbo Græco, id eſt, præbeo, quia in his viaticũ Sacramenti Auguſtiſsimæ Euchariſtiæ aſſeruatur: de qua prouiſione fidelibus iam morituris, ſeu etiam viuentibus, ad animæ cibum præbeatur. Neque incongruè poſſunt, ab eo etiam trahi etymo, quia peregrinorum erant hoſpitia; & manſiones, in quibus Parochi debebant congruam illis ſuſtentationem exhibere. Licèt alijs, Parœcias eſſe dicendas, & à παροικῶ, id eſt, ſimul habito, nominis etymologiam eſſe placeat deriuandam.

Hinc licet conſiderare, priores illos nummoſos, & Illuſtres Romanos ad Chriſti fidem conuerſos, valdè curaſſe: domos ſuas in Eccleſiarum conuerti vſum: vbi & Diuina peragerentur myſteria, & pauperum, & peregrinorum conſolationi occurſum eſſet; vt hic Romæ inter plura alia exempla, in S. Pudentianæ Eccleſia conſpicimus originalem illam Cappellam S. Petri: primum, videlicet, locum, vbi apud Romanos fideles ex Gentibus conuerſos, Chriſti ſacer Vicarius Miſſam celebrauit. Nam

alias

aliàs in Tranſtyberina regione, apud ſuos contribules Hebræos, qui ibi degebant ſimul, ſicuti hodie degunt apud Aeſculapij inſulam, ſimile verò eſt, primò Petrum Apoſtolum ſacra Miſſarum myſteria peregiſſe. Similiter videmus S. Cæciliæ Virginis, & Martyris domũ in Campo Martio, ſub iiſdem antiquis materia, & forma, in Eccleſiam propè Excellentiſſimæ, ac Illuſtriſſimæ Burgheſiorum familiæ Palatia; (quæ quondam Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Petri Cardinalis Dezæ Hiſpani bon. mem. fuerant,) erectã, & conſeruatam: ſicuti ipſa, à Deo triduanis inducijs mortis obtentis, voluit dictam domum propriam in Eccleſiam conſecrari. Quæ non minus, contra impios Hæreticos Eccleſiarum vaſtatores, oſtendit priſcorum deuotionem ſeculorum: quàm templi S. Petri in Vaticano miranda moles præſentium etiam arguit maieſtatem.

SEPTIMVM FVNDAMENTVM.

SEPTIMVM ſit Fundamentum. Euangelij luce per orbem vniuerſum coruſcante, & Eccleſia felicibus auſpicijs dilatata, hic mos, nullo Principe ſeculari impediente, in ea inualuit: vt quicumque fidelis, ſiue viuens, ſiue moriens, rerum, ſuarumque facultatũ, & bonorum propriorum Eccleſiã, & Loca pia, & Eccleſiaſticas familias hæredes inſtituere, vel quomodolibet bona ſua illis poſſet adiudicare. Hoc Fundamentum habetur expreſsè, ex pluribus Imperatorum legibus, etiam in corpore Iuris contentis, quas referre prætermittimus; quia nõ eget aliæ probatione, quàm oculata experientia, qua conſpicimus in prouincijs Catholicis, Eccleſiam, & Eccleſiaſtica loca, & eorum Miniſtros opibus ingentibus ditari. Quas quidem non armis, aut bello, non vſurpatione, non occupatione, non ex lucro, non ex negotiatione illicita, nõ cum alterius iniuria, non mala fide; ſed ex antiquorum, ſeu præſentium fidelium dotationibus, largitionibus, eleemoſynis, reſtitutionibus, oblationibus, donationibus, legatis, vltimis voluntatibus, decimis, primitijs, vel ex propriæ induſtriæ augmentationibus: vt loquitur S. Vrbanus I. c. Videntes. 12. q. 2. ſuperius recitato.

Vbi poſtulamus aduerti, ideò nos affirmare, Eccleſiam liberè hęredem dictorum bonorum inſtitutam: ne legem Valentiniani ſupra relatam nobis opponant. Nam illa, vt iam diximus, perſonarum ſordidus quæſtus fuit taxatus, circa hæreditates pupillorum, & viduarum: non autem Eccleſiæ vſus interceptus, habendi immobilia bona, ad miniſteria in ſacris Canonibus inſtituta. Nam de legibus Imperatorum Romani Senioris, & Nicephori, Phocæ, & Manuelis Comneni de hac re diſponentibus, tamquàm de iniuſtiſſimis, nihil curamus; contra quas eſt ſatis ab alijs actũ Scriptoribus. Illa verò Valentiniani lex, ab eodem fuit abrogata l. 28. eodem 2. tit. de Epiſc. & Cler. lib. 16. C. Theod.

RATIO DVBITANDI, CIRCA LEGES POSTERIORES, *de bonis Eccleſia acquirendis.*

SED de legibus poſterioribus ſeculis editis, vel edendis, circa prohibitionem factam Eccleſiæ, habendi bona plura immobilia, & de Amortizatione, de quibus diſſerimus, ferre iudicium, ſatis eſt periculoſum: cùm prima facie videatur, vel Eccleſiæ libertatem, & immunitatem, cui Chriſtianos omnes, & Catholicos pios fauere æquum eſt, vel Principum religionem, pietatem, & poteſtatem in diſcrimen eſſe vocandas. Adſit tamen Deus Pater, adſit Chriſtus, Deus idem, & Dei filius, qui pro vtroque ſtatu, Eccleſiaſtico, & ſeculari, mortuus eſt: adſit Spiritus ſanctus idem Deus, qui, iuxta Chriſti Domini promiſſionem, Ioann. cap. 14. doceat nos omnem veritatem; adſit Sanctiſſima Trinitas, vnus Deus, qui non ſolùm omnes homines vult ſaluos fieri, ex Paulo 1. ad Tim. c. 2. ſed etiam ad agnitionem veritatis venire: quæ dubio procul ex propoſitis Fundamentis difficiliùs videtur inuenienda, vt propoſitæ Quæſtionis, & Dubij exitus reperiatur.

Nam ſi quicquid bonorũ Eccleſia habet, in ſeculariũ, vel potiori pro ratione, vel ſaltem magna, cedit vtilitatem: vt habetur ex 2. Fundamento; Eccleſia enim cum ſuis Eccleſiaſticis Miniſtris, ſuper diuitiarum eſt fundata neglectione, ex 3. Si Imperatores, Reges, Principes, ciuibus ſubditis, & Rebuſpublicis fuere poſteriores: & ab eis, iam in ſuorum bonorũ dominijs conſtitutis, regendi poteſtatem acceperunt: ex 4. Itaut priuati ciues, de bonis, & rebus ſuis, etiam inuitis Principibus, poſſint diſponere, ex 5. Vnde fuit ortum, vt Eccleſia naſcente, quicumque Chriſtianus diues ad libitum domi ſuæ, & Eccleſiam, & Hoſpitale, ex ſuis bonis ſuſtẽtanda, conſecrari procuraret, ex 6. Si temporis tractu id in Eccleſia, abſque aliquo Principum ſecularium impedimento, feliciter admiſſum, & obſeruatum fuit: vt Chriſtiani omnes ſuorum bonorum ſiue mobilium, ſiue immobilium, Eccleſiam, & Eccleſiaſtica, & pia Loca, poſſent pro hæredibus conſtituere. ex 7. Hoc enim cõtinent ſex vltima præiacta Fundamenta. Et nihilominus, iuxta primum Fundamentũ, poſteriores hæ leges Amortizationis, bono animo ſunt à ſecularibus Principibus excogitatæ: oportet, vt aliquis hic lateat error, qui explicatus doceat, æquo, & bono apparenti harum legum haud facilè eſſe credendum: quò ad Principes ſeculares: ſaltem quò ad futurum rerum ſtatum; & quò ad Eccleſiaſticos Prælatos, & maximè ſummos Pontifices ſuadeat, vt melioribus, & iuſtioribus via, forma, & modis prouideant, qua ratione ſtatus ſecularis Principes pauidi, & ibi trepidantes timore, vbi non eſt timor, ex Pſalm. 13. quietentur. Neque enim res hęc maiorem habet difficultatem, quàm aliæ multæ, quæ ex charitate, & iuſtitia, æquo, & bono, inter vtrumque ordinem tranſiguntur.

RATIO, ET IVDICIVM *de his legibus editis.*

AGITVR vel de his legibus reſoluendum eſt, iam olim in prouincijs Catholicis editis, vel de in poſterùm edendis. De legibus editis, cenſemus: vel fuiſſe editas, abuſu aliquo Eccleſiaſticorum earum legum conditionem exigente: ſicuti ſuperiùs dictum eſt, Valentiniani legem illam, hac occaſione, fuiſſe latam. Nam ſi ea diſtribuendi bona Eccleſiaſtica ratio, à nobis ſupra ex ſacris Canonibus expreſſa, modeſtè, ſanctèque ſeruata fuiſſet: fortè neque tot hoſtes hodie Eccleſia pateretur; neque huiuſmodi legibus diuitiæ, poſſeſsioneſque illius eſſent circumſcriptæ. Attamen ex hoc capite hæ leges non poſſunt iuſtificari. Quia, vt ſupra ex D. Thom. & ſæpiſsimè ex Iuriſprudentium doctrina, cum Felino, c. Eccleſia S. Mariæ. de Conſtit. colligitur, fruſtra de honeſtate, & vtilitate legis diſceptatur, ſi poteſtas, legis non ſubſit, proferendæ.

Vnde exiſtimamus ſecunda alia ratione, has leges fuiſſe editas; videlicet, propter locorum anguſtiam; nam quantumcumque Eccleſiaſticæ perſonæ bonis ſuis honeſtiſsimè vterentur; adhuc in regnis, prouincijs, Rebuſpublicis, & ciuitatibus, quæ ſtrictioribus ſpatijs, & terminis anguſtioribus circumſcribuntur, nihil mirum eſt, Principes ſeculares, aliquod inconueniens reputaſſe; ſi Eccleſiæ, & pijs Locis, plura immobilia accreſcerent bona; maximè, quia, cùm de ijs legibus ferendis tractauere, Eccleſia in dictis regnis, & prouincijs, tam pro Miniſtrorũ alimonia, quàm pro externo Diuino cultu conſeruando, diuitijs, ac facultatibus erat ſufficientiſsimè decorata.

Ad hanc cauſſam iudicamus referendas ſupra relatas leges Angliæ, & Luſitaniæ, & Genuenſis Reipublicæ, & ſtatus Senenſis, ſeu antiquę eius Reipublicę, quæ ſunt, ſcilicet, regna, & loca minus ſpatioſa. Et in Anglia tunc temporis tertia pars bonorum temporalium totius Inſulæ, in Eccleſiæ, & Monachorum vſum ceſſerat. In Luſitania verò Eccleſiaſticus ſtatus, quæ Luſitanorum ſemper fuit inſignis, & nota pietas, diuitijs erat copioſiſsimè honeſtatus. Genuenſis Reſpublica, & Senenſis territorius anguſtis ſpatijs terminantur.

Verùm quia ad dictas leges iuſtificandas, auctoritas in condentibus deficiebat: in Anglia, Eccleſiæ ipſius conſenſum, & Eccleſiaſticorum, in Parlamentis ex maxima illorum parte conſtantibus, credimus acceſſiſſe. Quod idem de Genuæ, & Senæ legibus exiſtimamus. In Luſitania autem Rex Alfonſus III. per pactum nouum eas, referente Franciſco Cohelio vbi ſupra, cum ſummo Pontifice, & Eccleſia tranſegit: vnde iuſtæ, & iam non ſeculares, ſed Pontificiæ permanſerunt.

Tertia alia ratio iuſtificandi has leges eſt, ſi quod olim ex Geneſ. c.

47. Ioſephi induſtria, ac diligentia in Aegypti regno accepimus cōtigiſſe, priuatorum bona Regibus, peculiari quodam iure, obſtringerentur: & ſic Princeps directum dominium bonorum totius regni, vel ſtatus, haberet: & Eccleſiæ aliàs de neceſſarijs ad Miniſtros alendos, pauperes, proportione ſuæ dignitatis ſeruata, iuuandos, & cultum externum Diuinum inſtituendum, & conſeruandnm, ſufficienter, per certam dotationem, prouidiſſet. His enim datis, nulla Eccleſiæ fieret iniuria, ſi Princeps, lege lata, illi, vlteriori bonorum immobilium interdiceret acquiſitioni.

Ex hoc capite ſunt inſtæ leges ſimiles regni Valentini in Hiſpanijs: cùm enim Rex Aragonum Iacobus, cum ingenti Chriſtianorum manu, ad regnum Valentinum, è Maurorum manibus impijs eripiendum, pergeret; in Villa Alcañizes, Hiſtoriographis Hiſpanis referentibus, & quidem ex quodam illius Priuilegio id probantibus, votum ſimile emiſit, quale olim Iacob Geneſ. c. 28. his conceptis emiſerat verbis: [Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſperè ad domum Patris mei, erit mihi Dominus in Deum: & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.]

Quo in loco haud eſt intelligendum, Iacob, ea conditione, Deum in Dominum ſe habiturū vouiſſe: ſi ea quæ ab eo poſtulabat, ei benignè largiretur. Deus enim, & viuificans, & occidens, & pauperē faciens, & ditās, ex Iob c. 13. 1. Reg. c. 2. Deut. c. 32. & Sap. c. 16. Deus noſter omninò eſt, & in ipſo debemus ſperare. Sed votū ſic eſt cōceptum, Hebraico ſermone id declarante: Si Dominus Deus, &c. reuerſuſque fuero proſperè, &c. & erit mihi Dominus in Deum; ideſt, ſi Deus hoc, & hoc fecerit, & ſe meum eſſe Deum demonſtrauerit: *Se Iddio darà ad intendere al mondo, qualmente lui è mio Iddio, & io ſon ſeruo ſuo*; & lapis iſte, quem erexi, ſeu poſui ſtatuam, erit Domus Dei: id eſt, *lui farà quello, & io in ricompenſa, & in riconoſcimento, farò vn tempio*, ex voto; *il quale ſarà doue è queſto ſaſſo drizzato*. Ideſt, *lui ſi moſtrarà Iddio benefattore, & io, ſe ben ſon ſeruo ſuo, pur mi moſtrarò grato, &c.*

Similibus ergo votis ſe obſtringens pijſſimus, & Catholicus Iacobus Rex, promiſit Deo, ſi illi Saracenos regno Valentino expellere, & Chriſtianos ſuos vaſſallos, illo concederet, poſſe potiri, ſe quamprimùm Eccleſias, per regnum vniuerſum, ſufficienter dotaturum. Deus igitur votis annuens Regis, victoriam illi de Machometanis tribuit; vnde directus Dominus totius regni euaſit Valentini. Ipſe autem votorum memor, Eccleſias totius dicti regni fundauit, & dotauit largiſſimè, fructuum omnium decimis ipſis integrè adiudicatis: quas ſummus Pontifex priùs ipſi Regi ſpeciali gratia conceſſerat. De quibus habemus in no-

ſtris

ſtris ſcrinijs relationem, ſeu Informationem miſſam à Rege Catholico Philippo II. clar.memor.ad prudentiſſimum ſuum Legatum Comitem de Oliuares: quò, tẽpore Sixti V. immortalis mem. Pontificis, & Principis,circa quamdam Decimarum litem,ab Epiſcopo Orioleñ. motam, ſanctiſſimum Pontificem, & S. Rotæ Auditorium, ampla ſatisfactione, quietaret. Rex autẽ ſucceſſiuè ſuis ſubditis regionis illius ſpatia poſſidenda diſtribuit. Nihil proinde factum eſt præiudicij, nulla Eccleſia poſteà affecta eſt iniuria, ſi bona immobilia prohibita fuerit deinceps, Amortizatione non intercedente, poſſidere.

Ex qua doctrina colligimus, quòd,vbicumque terrarum Eccleſiaſtici orbis,ſimiles leges inueniantur: ſi Principes poſſint probare, omnium rerum dominia fuiſſe eorum tantùm, non etiam priuatorum hominum; & quando ſpatia prouinciæ, vel regionis, vel regni fuere per priuatos homines occupata, id beneficio Principum habuiſſe: qui ſibi, iuxtà cuiuſque conditionem, Eccleſiæ verò, iuxtà illius ſtatum, de bonis temporalibus neceſſarijs prouidiſſent; tunc certè tales leges, nulla eſſent ratione ab Eccleſia,tamquàm iniuſtæ,condemnandæ. Principes verò id probare non valentes, ad ſimiles leges condendas, haud fortiori inducent ratione, quàm ſi,ius illud Aegyptiorum, quod retulimus, ius, omnibus commune eſſe Regibus,induxiſſent.

Quarta ratione, hæ hucuſque factæ Conſtitutiones, de bonis Eccleſiæ non vlteriùs adiudicandis immobilibus, Principum Amortizatione non interueniente, poſſunt iuſtificari; quia, ſcilicet, ab ipſa Eccleſia, & Eccleſiaſticis Proceribus probatæ, & admiſſæ ſint: rogantibuſque eas Principibus,à tot annis propalam, & publicè in vſum ſint receptæ; non quòd in aliquibus locis, ab initio contradictionem aliquam paſſæ non fuerint; vt ait Papo, ad Conſuetud,Borbon.§.479.in initio: Sed quòd ab ea contradictione totus Clerus poſteà receſſerit; & tam longa annorum ſerie Amortizationem bonorum acquiſitorum impetrauit. Hoc ſenſit Petrus Belluga citatus, dicta rubrica. 14. num. 37. vbi citans Forum Valentinum editum ſuper hac prohibitione ſucceſſionis,in Foro incipiente; Si Algonorra.de inteſtatis, aſſerit, fuiſſe factum cum conſenſu Curiæ,ſeu Comitiorum, & conſequenter cum conſenſu Brachij Eccleſiaſtici, qui pro bonis ſuis, & intereſſe proprio in Curiam, ſeu Comitia, conuocatur.

Hæc ratio confert omninò ad excuſationẽ fori regni Valentiæ,quando alia ſuperiùs adducta legitima (ſicut erat) non fuiſſet. Confert etiam ad Galliarum, & Burgundiæ leges iuſtificandas: quantumcumque aliàs Galliæ Regnum non ſe ſuis Concordatis, ſeu Regalium iure, (de quo videndi Arnulphus Ruſeus de Amortizat. Graſſal. lib. Regalium Franciæ, & Copinus de eius Regum domanio:) tueretur. Arg. cap. Inter corporalia, de tranſlat.Epiſc.Gloſ.in c. 1. de poſt. prælat.in

6.&

6. & in c. Aqua. de celebrat. Miſſar. Et ad probandam Cleri conſenſus perennitatem, hæc tam à longe ducta Amortizationis poſtulatio mirificè facit. Tamdem cùm nemo ſua bona iactare præſumatur, l. Cùm de indebito. ff. de probat. dubium non eſt, quin aliquid fuerit, tametſi nos lateat, per quod ad conſentiendum Clerus, & Epiſcopi, & ſummi Pontifices fuerint inducti.

RATIO, ET IVDICIVM
de legibus ſimilibus edendis.

DE legibus, & ſimilibus conſtitutionibus edendis, ſic videtur dicendum. Rationes illæ decem, quibus moti aliqui Iuriſprudentes latas has leges nituntur iuſtificare, & quibus inhærendo, in prouincijs, & Dominijs Chriſtianorum, Principes, ſeu Reſpublicæ alias ſimiles ferre vellent; illæ, inquam, rationes, quantumcumque ex capitibus, relatis etiam in diſcurſu huius Tractatus, conditæ leges libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ non derogarent, iam olim neque placuerunt Abb. Panorm. Conſ. 26. 62. & 63. & ad cap. Relatum. de teſtam. neque Felin. ad cap. Quæ in Eccleſiarum. de conſtitut. neque Federic. Conſ. 86. neque Angel. ad l. Filiusfamilias. §. Diui. ff. delegat. 1. neque Io. Andreæ ad cap. fin. de immun. Eccleſ. lib. 6. neque Caſſaneo ad Conſuet. Burgun. tit. des mains mortes. §. 10. num. 45. & 50. neque Euerard. Conſ. 239. col. vlt. Immò nec Bart. quidem ſibi contrario ad l. fin. C. de exact. Quorum veſtigijs inſiſtendo, neque nobis placere poſſunt: quaſi quæ plus habeant apparentiæ, quàm exſiſtentiæ: & quæ, vt ex reſponſionibus ad illas conſtabit, Rhetoricum potiùs colorem, quàm calorem Chriſtianæ antiquitatis, & charitatis, quæ ſunt optimi textus iuris, videantur demonſtrare.

SOLVTIONES AD ARGVMENTA.

AD primam ergo rationem reſpondetur: Difficillimè reperiendum Principem ſecularem, qui directum habeat bonorum omnium dominium, & cuius beneficio ſubditi ea habuerint bona; & caſu admiſſo, procedendum eſt, ſicuti ſupra. §. Tertia alia ratio, & ſeq. immediatè diximus. Immò magnam affert hodie admirationem: velle Principes ad originem ſuorum Principatuum confugere, à qua toties, ſuis poſterioribus legibus in fauorem Eccleſiæ editis, receſſerunt; & poteſtatem adeò vehementer vrgere, cuius initium, vel neſcimus, vel ſi ſcimus, eorum, circà harum legum lationem, arguit potiùs impotentiam, quorum maiores olim ſumma veneratione, religione ducti, non ſolùm ea vſi non ſunt, verumetiam cuiuſcumque generis bonorum acquiſitionem Eccleſiæ, & liberè permiſerunt, & liberaliter adiecerunt.

Digitized by Google

AD ſecundam reſpondetur, Omninò res tẽporales ad laicos potiùs, quàm ad Eccleſiaſticos pertinere, & iſtis illos eſſe in eis præferendos: quę benedictio de pinguedine terræ non ideò illis decreſcit, quia Eccleſia plura, & plura immobilia poſſideat bona; ſiquidem ex ſacrorum Canonum ſtatutis, in ipſorum laicorum magna ex parte cedunt vtilitatem.

AD tertiam reſpondetur primò, Admittendo; quòd huiuſmodi Conſtitutiones odio Eccleſiæ non edantur; ſed quoniã Eccleſia per eas ſola excluditur, & ea ſic earum ferendarum pro potiſſima accepta cauſſa; vt ipſa vltrà non acquirat, vt ad dictum §. 479. ait Papo: certè vnde Eccleſia vulnus accipiat, iuxtà Hieronymi ſententiam ſuprà citatam, non multùm intereſt: ſi tamen manifeſtè vulneratur.

Reſpondetur ſecundò, nimiùm extolli hic bonum publicum, cùm tamen in quo conſiſtat, neutiquàm explicetur. Neque enim eſt intellectu difficile, plus hoc bonum publicum referre, vt multi pauperes ab Eccleſia ſuſtentẽtur, quàm vt pauci diuites ſeculares agrum agro, domum, cupidiſſimè, domui coniungentes, & copulantes, ex Iſai. cap. 2. tenaci opulentia, ingentibus opibus perfruantur. Et cùm ſuprà præcedenti Dubio, Conſiderat. 4. circa hoc multa dixerimus, nunc tantùm exponimus contra ſentientibus præ oculis, exercitus hominum mendicantium, non ſolùm ad fores Cœnobiorum Monaſticam Religionem profitentium, qui maioribus in communi opibus abundant; ſed etiam ad fores ipſorum Religioſorum Mendicantium, ſingulis diebus ſtipem accipientes, & magno gaudio refectos.

Quàm verò nulla, vel exigua ſit earum eleemoſynarum comparatio cum his, quas ab illis pauperes accipiunt, qui nunc in Eccleſiæ bona (proh dolor!) conuolarunt, ſibique tamquàm propria, & auita adſcripſerunt, teſtes ſunt illæ omnes prouinciæ, in quibus olim antiqui earum cultores Catholici, amplificandis Eccleſijs, earumque prouentibus intenti, verè commune bonum, hoc eſt pacem, & tranquillitatem publicam, fidei vnitatem, & concordiam, fructuum vbertatem, commerciorum abundantiam, & facilem commutationem, & omnium denique rerum proſperitatem, Dei Opt. Max. beneficijs, obtinebant.

AD appendicem autem rationis tertiæ reſpondetur oculatiſſima experiẽtia, Plus multo vtilitatis laicis accreſcere ex bonis, quibus Eccleſia ditatur, quàm illis decreſcit vtilitatis ex eo, quòd onera, de quibus conqueruntur, debeant ſupportare. Licèt in hoc faciliimè poſſit remedium adhiberi: rebus enim omnibus immobilibus nondùm ad Eccleſiam tranſlatis, poſſunt onera aliqua generaliter realia imponi, cum quo ad Eccleſiam tranſire debeant: ex Bart. ad l. Reſcripta. de muner. & honor. Felin. & Panorm. d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. Qua cautione adhibita, vt eſt Auctor Matth. de Afflict. ad Conſtitut. incipien. Præde-

Yy ceſſo-

ceſſorum noſtrorum. p. 3. col. 1. Carolus II. Siciliæ Rex ſimilem legem, ad eas, de quibus agimus, reuocauit: ſatis eſſe arbitratus, ſi bona immobilia ad Eccleſiam, cum antiquis ſuis oneribus, ſicuti & honoribus, pertranſirent. l. fin. C. de exact. tribut.

AD quartam reſpondetur, Leges has neque res, neque perſonas Principibus ſecularibus ſubiectas in his reſpicere. Circà quam rationem, doctrina quartò, & ſequentibus Fundamentis poſita, circà hoc Dubium, eſt notanda, & etiam ſolutio ad primam rationem. Adhuc tamen aduertimus, non ſolùm dicta bona, & perſonas non ſubiacere ſeculari Poteſtati in hoc, verumetiam Dei Opt. Max. ſingulari miſericordia, & liberalitate, ſeu potiùs altiori, quàm quod homines, vel edere, vel intelligere poſſunt regimine, à ſecularium Principum fuiſſe ſubtracta poteſtate. Nam cùm Eccleſia ex Decimis, & primitijs, & Chriſtianorum his dotationibus, & donationibus, & legatis, tantæ Miniſtrorum, & Religioſorum, & pauperum, & peregrinorum, & ſecularis ſtatus, ex varijs cauſſis, & rationibus, hominum multitudini (præter cultus Diuini externi auctoritatem magnificentiſſimè conſeruatam) prouideat: quibus omnibus, iuxtà cuiuſque conditionem, Politia ſecularis, cum diuitijs, in proportione decupla, non prouideret; immò numquàm prouideret; quia hæc opera tanta ab Eccleſiaſticis perſonis, per internos Spiritus ſancti fieri ſolùm poſſunt ductus, eorum charitatem inflammantes, ſecularibus neque ſic affluenter communicatos, neque ratione ſtatus, communicandos: donum ingens fuit Dei ſummi Gubernatoris, in hac parte ciuium fortunas á ſeculari Poteſtate ſubducere, ne omnes tantæ curæ in eorum ſolos humeros voluerentur.

ALiàs, quæ eſt etiam reſponſio ad quintam rationem, Principes ſeculares, omnes eorum Reſpublicæ, & vniuerſus ſecularis ſtatus hanc, exempli gratia, ſubeant in Chriſtianis regnis, & dominijs, prouinciam; vt Eccleſiaſtico vniuerſo ſtatui per ſingulas perſonas, iuxtà cuiuſque muniis, qualitatem, officium, & conditionem, de victu, & veſtitu congruo, & decenti prouideant, in quibus cetera circumſtantia intelligimus, (quod de Iure diuino facere tenentur: vt in ſuperioribus latè deductum fuit,) & deinde templa erigant, erecta conſeruent, deſtructa reſtaurent, & eis neceſſaria impendant ornamenta, & quicquid ad cultum Diuinum, pro Eccleſiæ more, eſt opus contribuant; ædes capaces, & pauperibus ſuſcipiendis opportunas ædificét, neceſſarijs ſupellectilibus ornent, prouentibus annuis ſufficientibus multitudini pauperum, & peregrinorum, qui conuenerint, curandæ, atque alendæ, & excipiendæ, ipſaſque ſufficienter dotent: Xenodochia, Orphanotrophia, Brephotrophia, Gerontocomia, & ſimilia inſtituant opera pia, ab Imperatore Iuſtiniano, & ſequentibus in corpore Iuris ſuprà relata, & vel ex eo, vel aliundè referenda: Monaſteria verò tot Ordinum approbatorum viro-

rum,

rum, & mulierum conſeruent ; & vbi opus fuerit, alia de nouo erigant; & hæc omnia in omnibus ciuitatibus,villis , caſtellis, locis,vbicumque denique Chriſtiani orbis multitudo Chriſtianorum coaluit, cuiuſque loci obſeruata proportione ; & tunc nedùm leges edant , Eccleſiæ vlteriorem immobilium bonorum poſſeſſionem vetantes, verùm omnia Eccleſiæ bona capiant, curent, diſpenſent,adminiſtrent.

Sicuti tamen ſumus certi, hoc ad praxim,& exercitium numquàm fore deducendum : & quia neque fieri poteſt , aut debet , immò imaginarium includit ſolum conceptum : & tamdem inter alias rationes, ne prædeſtinatorum numerus tardiſſimè, multitudine Eccleſiaſticorum, ac Religioſorum, quæ tunc abſque dubio nimis eſſet imminuenda, compleretur ; ſic ſumus certiſſimi , tanto rerum ponderi mundi totius Imperatores, Reges,Principes,Reſpublicas, Senatus, Parlamenta,Conſilia, Curias, Conſiſtoria, præſentes denique, præteritos, & futuros homines ſeculares numquam fuiſſe,eſſe, vel fore ſuffecturos.

Cùm igitur plura ex his operibus fuerint, per Chriſtianum orbem, inſtituta à fidelibus Catholicis, & pijs,& in dies inſtituantur, tamquàm medicinæ à Chriſto Domino adhibitæ,per eleemoſynarum largitionem, ſeu aliàs reſtitutionem,animarum vulneribus curandis; neque ſimul, & ſemel debuerunt, aut potuerunt in Eccleſiaſtico orbe inſtitui : neque eſt cur laica Poteſtas, eam ſibi in perſonas, & in bona, arroget facultatem, vt animarum intercipiat ſuorum ciuium ſubditorum medicinas ; quæ pluſquàm totius ſtatus ſecularis , & Reipublicæ diuturnitas ſunt æſtimandæ ; cùm [mundus tranſeat, & concupiſcentia eius:]ex Ioan.1.c.2. &[prætereat figura huius mundi;]ex Apoſt. Paulo 1. Corinth. c.7.animæ autem, pro quibus Chriſtus paſſus eſt , cùm ipſe non conſtituerit vanè filios hominum , ex Pſalm. 88. eadem cum Chriſto ſint æternitate duraturæ.

AD ſextam,& ſeptimam rationem ex proximè dictis etiam reſpondetur ; & addimus adhuc : ſi tam ingens eſt periculum, ne ſola Eccleſia omnia bona ſibi accumulet, cur non ab ijs ſecularibus quoque ſibi metuunt , & eos à plurium bonorum coaceruatione arcent,de quibus ſcripſit Iſai.c.2.[Væ qui coniungitis domum domui,& agrum agro copulatis,numquid vos ſoli habitabitis ſuper terram ?] Cur legibus ſimilibus non obuiant illis,quibus auri ſacra fames adeò inſedit, vt, præter vicinorum agrorum coëmptionem , nihil cogitent diu , nihil noctu ſomnient , qui nihil quod vænum effertur, non illicò ſibi comparant , & totos penè pagos poſſident? Præterà quis vmquàm, antè leges huiuſmodi latas, Eccleſiam omnium rerum immobilium poſſeſſionem ad ſe traxiſſe vidit ? etiam cum deuotio maior , & maior in Chriſtianis charitas reſplenderet . Immò non eſſet difficile probare , plus, in ijs quingentis vltimis annis,Eccleſiaſtica pia Loca perdidiſſe, quàm in mille ſequen-

tibus, ſi tot duret mundus, ſit acquiſitura: etiamſi nullæ ſimiles leges intercedant.

Reſpondetur ergo ſtrictiſſimè, Quòd cùm ex Fundamentis præiactis eo iure gaudeat Eccleſia, vt liberè bona immobilia accipere, poſſidere, & retinere poſſit: nihil habet rationis, nihil continet energiæ, aut momenti, illud quod dicitur ex aduerſo, nihil Eccleſiæ detrahi, ſed aliena tantùm illi non communicari. Detrahitur enim multùm Eccleſiæ, per has Conſtitutiones, cui poteſtas acquirendi, quæ iure communi ei conceſſa eſt, diſſertim adimitur: offenditur certè multùm Eccleſia in quæſitis, per has leges, cùm ei ius commune tot legibus, tot quæſitum titulis, versùs acquirenda eripiatur, quæ pluries ſunt neceſſaria, ad conſeruationem quæſitorum.

AD octauam rationem reſpondetur, Neque ſemper eſſe verum, Iura confiſcationis in hiſce bonis fiſco Principis ſecularis adimi, vt ex l. Iubemus. C. de ſacr. Eccleſ. conſtat: neque hæc conſideratio antiquos deterruit Principes, quominùs illam, quarumcumque rerum acquirendarum, libertatem Eccleſiæ concederent. Confiſcationes certè, Iura Dominicalia, & ſimilia contemnere, quàm eo prætextu, Eccleſiaſticum ſtatum à commercio (ad quod vel infimus quiſque laicus admittitur) arcere maluerunt. Sciebant enim optimè, Eccleſias Cathedrales ditites, Monaſteria opulenta, & quæcumque Loca pia in ſubitâ egeſtate, in hoſtium inſultibus, in quibuſcumque ingruentibus periculis, quanto ipſis eſſent Principibus ſubſidio, quamque liberaliter tunc theſauros ſuos, ſiue æraria, quæ diximus, publica auri, & argenti ſibi mutuarent, & abſque vſura concrederent, vel omninò condonarent.

AD nonam rationem reſpondetur: Duci quidem argumentum à pacto, & voluntate defuncti, ad legem, ſeu ſtatutum; ſed rationis diuerſitas inducit ſæpiſſimè iuris diuerſitatem: l. Adigere. ff. de iur. patron. Nam qui paciſcitur, & teſtatur, rebus ſuis legem, quam vult, abſque alicuius alterius præiudicio, præſcribit. l. In re. C. de teſtam. Principes autem ſeculares, has leges ferre non poſſunt; quia iuriſdictionem quidem habent ſuper ſubditos ciues, & vaſſallos; nequaquam verò directum dominium habent bonorum eorumdem, vt eſt demonſtratū. Vndè ſinè graui præiudicio, & Eccleſię offenſa, leges has nequeūt promulgare.

Reſpondetur ſecundò, Quòd paucorum teſtatorum prohibitio non potuit eſſe tanto Eccleſiæ præiudicio, quanto vniuerſalis, & indiſtincta Principis, ſeu Reipublicæ interdictio, quæ non ſolùm pauca quædam immobilia, quæ defuncti in eam transferri vetuerunt, illi non addit, verumetiam omnium omninò bonorum conſtituit incapacem.

Tertio reſpondetur, Iure ipſo naturæ conſiderato, diuerſam eſſe rationem ciuium particularium, ſuarum familiarum conſeruationi, & Principum, ſeu Rerumpublicarum, regnorum, ciuitatum, vel vniuerſi

domi-

dominij, diuturnitati conſulendi. Nam cùm ciuis particularis in alterius ciuis domum, & bona nullum ius habeat, ad ſuæ familiæ, & eius poſterorum diuturnitati, & ad eam neceſſarijs, ſuccurrendum, quæ est ius naturæ commune, quod in extremis caſibus, omnia ciuium bona facit communia; facilè, niſi ea prohibitione, filiorum, & poſterorum prouideret perennitati, vel familia exſtingueretur, vel in maximam paupertatem deueniret qui ex fortunis Conciuium, nequaquam ipſa Respublica, neque ipſi Principes mederentur. Ad quos cùm particularium ciuium cura non tantùm ſpectet, quotidiè experimur, plures homines, etiam nobiles, ſua bona vſque ad proteruiam, quòd in ſacrificijs olim dicebatur, faciendam, conſumpſiſſe, neque id Principes curaſſe; qui vident ex illis bonis, hac familia, ſiue hoc ciue deficientibus, alias nouas familias, nouos alios ciues excitari. Quæ ratio in Principibus, & Rebuſpublicis non militat: nam cùm habeant facultatem, & auctoritatem extremis regnorum, ciuitatum, Rerumpublicarum caſibus, neceſſitatibus, & periculis, prouidendi ex ciuium, & hominum ſtatus cuiuſcumque bonis, nihil ſubit Princeps, vel Reſpublica detrimenti, ſi Eccleſiæ bona immobilia accreſcant quæcumque, neque eam tranſlationem bonorum in eam, poſſunt vmquàm legitimè prohibere.

AD decimam rationem reſpondetur: Toto cælo eſſe diuerſum argumentum Pontificis, & Eccleſiæ bona ſua alienari, per leges, prohibentium, & Principum ſecularium, ſimilibus legibus, ſubditorum ſuorum bona non alienanda affectantium. Primò enim Principes non habent directum dominium bonorum, & rerum, quæ ſui ſubditi habent, neque illis ea ſunt obnoxia, vt eſt probatum; & vbi illud haberent, alijs ſupradictis conditionibus in Eccleſiæ beneficium accedentibus, congruæ dotationis, &c. poſſent ad ſimiliũ legum procedere conditionem. Summus autem Pontifex, & Eccleſia habent dominiũ bonorum Eccleſiaſticorũ, ad ſuam, & pauperum ſuſtentationem, & ad cultus Diuini externi auctoritatem, attributorum. Vnde illa poſſunt, & debent, legibus, alienationem eorum prohibentibus, conſeruare.

Secundò ſeculares homines ſua tractant bona, quaſi propria, vti reuera ſunt; & ideo non egent, veluti pupilli, & paruuli hęredes, ſub Principũ poteſtate, quaſi ſub tutoribus, & actoribus, vſque ad præfinitum tempus à Patribus, eſſe: ſicuti docet Apoſtolus Paulus, ad Galat. c. 4. Immò nullus ſecularis bona ſua iactare præſumitur: ex d. l. Cùm de indebito. Eccleſiaſtici verò cùm cœlibatum profiteantur, inter alias rationes, ne vt docet D. Bonauentura 4. Sententiarum. diſt. 37. q. 2. filijs bona Eccleſiæ vſurparent, & qui Eccleſiam habent pro ſpirituali ſponſa, & pauperes pro filijs, ad vxoris ſecundæ carnalis, eiuſque carnalium filiorum affectũ, vt in more eſt frequenti ſecundo alligatis matrimonio, dos prioris ſpõſæ, ſcilicet, diuitiæ Eccleſiaſticæ traherentur: hinc fuit opus, vt quaſi homini-

minibus,qui propria bona non tractant, hæredibus relinquenda:ſed bona Chriſti,per Eccleſiam illis omninò,bonorum talium,quæ ad vitam poſſident,alienationem prohiberi.

Tertiò, abundante in dies iniquitate, & charitate hominum refrigeſcente,nihil opus eſt,Principes ſeculares arctare ſubditorum manus,per ſe ſatis parcas; ne Eccleſiæ poſſint immobilia bona relinquere. Immò facilè intelligitur, ſola æternorum bonorum praua conſideratione, à ſecularibus ſimilia hodie opera fieri, quæ à Principibus, niſi animorum prius immortalitate negata,nullis queant rationibus impediri. Eadem tamen aſſignata cauſſa defectus charitatis,& iuſtitiæ in multis Eccleſiaſticis vigente, omninò debuerunt omnes, ne Eccleſiæ bona diſtrahant, alienationis vitandæ legibus præueniri.

Quartò,Eccleſia non ſolùm nulli non facit iniuriam, Eccleſiaſtica ſua bona prohibens alienari; verumetiam conſulit maximè ſtatus laici indemnitati:vt minoribus Reſpublica curis, circa pauperum ſubuentionē, & Miniſtrorum victum, & cultus Diuini conſeruationem, detineatur. Attamen Principes ſeculares, his legibus, ſunt iniurij in ſuos ſubditos, eos vti mancipia tractantes,& quòd in ſe eſt,effectus plures prædeſtinationis impediunt, Deoque volunt modum præfinire, homines vocandi, iuſtificandi,& glorificandi:ne omninò adſpiret, & applicet hęc gratioſa munera,& vel per eleemoſynarum media,vel per illas de bonis ſuis,vel potius non ſuis,reſtitutiones,ad ea reſeruet tempora maximè, quando vltimis tabulis ſuis homines Chriſtiani ſunt ſoliti donationibus, largitionibus,& pijs legatis, præteritorum labes criminum expurgare.

Conſectarium ex prædictis.

Ex quibus omnibus id eſſe videtur conſequens, vt ſi tam auitæ pietatis,quàm auitæ eſſent ſeculares ſtudioſi nobilitatis, ferrent æquò animo,etiam cum aliquo incommodo,Eccleſiam in temporalibus bonis augeri:à cuius Prælatis,& ſummis Pontificibus ſolùm exoptarent,ſolùm expeterent,Eccleſiæ reformationem,& ſacrorum Conciliorum,& Tridētini,quod eſt Eccleſiæ quaſi oculi,maximam obſeruationem:quò prædeſtinatorum numerus augeretur, & ea felicia accelerarentur tempora, quando Chriſtus,ex Apoſtolo Paulo, ad Epheſ.c.5. Eccleſiam Deo Patri ſpecioſam,& non habentem maculam,neque rugam, eſſet exhibiturus.

PERORATIO TRACTATVS IN COMMVNI, *de Politia, & Immunitate Eccleſiaſtica.*

ET nos quidem,quia rem hanc,tantùm in communi, & vniuersè, fuit mens pertractare, iam diximus. Diximus inquàm, quia quicquid ad leges Amortizationis editas,vel edendas iuſtè,eſt conſequēs,ab illis,qui materiam hanc in ſua latitudine, tractauere, eſt

poſtu-

poſtulandum. Igitur in vniuerſum de Politia Eccleſiaſtica, reſpectu Ciuilium legum ſecularium, & de Immunitate perſonarũ Eccleſiaſticarum, & de Immunitate bonorum Eccleſiæ, à nobis, vt ſtatui vtrique, & Eccleſiaſtico, & ſeculari, cum veritate, & pro veritate, faceremus ſatis, tractatum eſt, præcipuè ex ſacræ Scripturæ, & Theologiæ fontibus, & locis; ex cuius Tractatus diſcurſu, credimus, fuiſſe ſatis explicatum, & demonſtratum, quod ſi hodie Chriſtianiſmi corpus denuò creandum, ſtatuendum, & per ſummum Pontificem, Prælatos Eccleſiæ, ſtatum vniuerſum Eccleſiaſticum, Imperatorem, Reges, Principes, Reſpublicas, ſtatum vniuerſum ſecularem, & denique miniſterio ipſorum Angelorum eſſet, ex Chriſti IESV Dei, & hominis cõmiſſione, erigendũ, ordinandũ, & diſponendum; ſi hæc omnia eſſent facienda iuxta exemplar, quod nobis in monte præſentiæ corporalis Chriſti in carne, & eius Apoſtolorum, quibus aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas, & eius Euangelicam doctrinam omni mundi creaturę prædicarent, monſtratum eſt; eſſent omninò ſic facienda, vt in noſtris Concluſionibus, & reſolutionibus explicata ſunt: quò illa conſtarent Principia, pro Fundamentis iacta, & Euangelica, Apoſtolicaque Decreta, inter vtrumque, & Eccleſiaſticum, & laicum ordinem firmarentur.

Cùm enim nihil aliud vel propoſuerimus, vel cenſuerimus, quàm id quod in Scripturis veritatis, & propoſitum, & iudicatum eſt; nihil inſolens affirmamus, iuxta prædicta à nobis, fuiſſe millies Eccleſiaſticæ Immunitatis rationem diſponendam, ſeu reponendam, ac redintegrandam: ſi millies ſuis loco, & terminis, à quibuſcumque, vel ſecularibus Principibus, per violentiam, vel ab Eccleſiaſticis, per deſidiam moueretur. Quis enim ignorat, de Eccleſiæ origine ſi inſtructus ſit, Apoſtolos ſanctos, poſt miſſas illas litteras ab Ieroſolymis, cum ſuo Decreto de ceſſatione legalium, ad Antiochenſes, remanſiſſe ibi multis diebus, conquirentes, vt docet Clemens lib. 6. c. 12. Apoſtolicarum Conſtit. vnà omnes, quę ad communem vtilitatem, & correctionem neceſſaria eſſe iudicarunt? Tunc Canones, ſeu regulas, Typos, ſeu formas, διατάξεις, ſeu Conſtitutiones ediderunt, Spiritu ſancto illas iiſdem ſuggerente, quibus omnis Chriſtiana diſciplina à poſteris obſeruanda contineretur.

Hoc ſenſu ſcripſit Innocentius I. Victrico Epiſcopo Rhotomagenſi, etiam mittens illi ſexdecim Capitula, ordinis Eccleſiaſtici conſeruandi: quaſi quæ Apoſtolica traditione Eccleſia Romana ſuſcepiſſet: in cuius Epiſtola ſic habetur: [Digeſtas vitæ, & morum probabilium diſciplinas, annexas litteris meis miſi: per quas aduertant regionis veſtræ populi, quibus rebus, & regulis, Chriſtianorum vita, in ſua cuiuſque profeſſione, debeat contineri: qualiſque ſeruetur in Vrbis Romæ Eccleſijs diſciplina.] & infra: [Propter eos ergo, qui vel ignorantia, vel deſidia, non tenent Eccleſiaſticam diſciplinam, rectè poſtulaſti, vt in partibus iſtiuſmo-

di,

di, quam tenet Eccleſia Romana, forma ſeruetur.] & ſubiungit: [Non quod noua præcepta aliqua imperentur: ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupiamus: quæ tamen Apoſtolica, & Patrum traditione ſunt conſtituta: Paulo monente, State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.]

Ex quibus miſſis Capitulis, tertium ſic habet: [Siquæ autem cauſſæ, vel contentiones inter Clericos, vel inter laicos fuerint exortæ, placuit, vt ſecundùm Synodum Nicænam, congregatis omnibus eiuſdem prouinciæ Epiſcopis, iudicium terminetur.] Quod Capitulum ex Apoſtolica traditione, quæ eſt in Can. 37. duxit ortum: cùm iubeatur ibi, vt in Synodo prouinciali, quę bis ſingulis annis habenda ſit, Eccleſiaſticorū cauſſę, quæ inciderint, & controuerſiæ dirimantur. Similiter & illud decretum, quod Innocentius refert eodem capitulo: [Vt ſi maiores cauſſæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut, inquit, Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referantur:] ex Apoſtolica item traditione eſt profectum, quæ Can. 34. habetur: in quo præcipiunt Apoſtoli, vt omnes Epiſcopi cuiuſque nationis agnoſcāt ſuum primum, & eum tamquam caput habeant, & nihil ex maioribus cauſſis, ſine illius ſententia agant. Vnde eſt conſequens, multò magis cum cognoſcendum, ac tamquam caput habendum, qui omnium, & primus, & ſummus eſt: qualis ſemper fuit Romanus Pontifex æſtimatus.

Scribit Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus, in Homil. de Agone Petri, & Pauli: [Poſtquam Beatus Petrus catenis illis, quibus, iuſſu Herodis, vinctus fuerat, fuiſſet Angeli manu, & potentia liberatus; multas eū regiones, propter Simonem Magum, perambulaſſe, verbum Dei prædicādo: ac tamdem, inquit, rediit Ieroſolymam tertio anno vocationis Pauli; de quo ipſe Paulus ait; Poſt tres annos aſcendi Ieroſolymam, videre Petrum, & manſi cum eo diebus quindecim: vbi (addit Sophronius) Canones, & Conſtitutiones fecerunt. Et Paulus quidem ad opus, ad quod vocatus fuerat, profectus eſt, Petrus verò iterùm reuerſus Antiochiam.] Hucuſque Sophronius.

Hoc ergo officium Canonum Eccleſiaſticorum effecere tunc Apoſtoli, ſicuti in toto noſtro Tractatu habitum eſt, διορθοῦν, id eſt, corrigere praua: & hic eorum Canonum fuit vſus, præſcribere ad communem vtilitatem Eccleſiæ, quomodo oporteat, in Eccleſia Dei conuerſari; ſicut Apoſtolus ad Timotheum docuit, 1. c. 3. Poſtquam enim præſcripſit, quales eſſe deberent, ſecundùm Eccleſiaſticos Canones, qui eſſent Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi ordinandi, addit: [Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari; quę eſt Eccleſia Dei viui.] & 2. ad Corinth. cap. 14. poſtquam præcepta de officio pronunciandi ſacras lectiones in Eccleſia, quod ordinatis ſolùm conue-

nit;

nit;& de docendo verbum Dei,quod eſt Sacerdotum; interdixit etiam mulieribus docendi exercitium in Eccleſia:ſubiungit,[omnia honeſtè,& ſecundùm ordinem,fiant in vobis.] κατὰ τάξιν, Græcè, quòd ſi nullę eſſent διατάξεις,idelt, diſpoſitiones, ſeu Conſtitutiones,quos,Canones, vocant, quomodo Apoſtolus, omnia ſecundùm ordinem fieri, præcepiſſet? Rurſus 2.ad Timoth.c.2. [Solicitè,inquit, cura, teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem,rectè tractantem verbum veritatis.] Græcè habetur ὀρθοτομοῦντα,quod verbum ſignificat,ſiue in moribus, ſiue in verbo,non eſſe recedendum à regulis Eccleſiaſticis:ſed potiùs iuxta eas dirigendam eſſe vitam,& doctrinam. Mutuatuſque fuit Apoſtolus phraſim ex Salomonis Prouerbijs, dicentis, c. 11. [Iuſtitia innocentis ὀρθοτομεῖ ὁδοὺς, id eſt, rectâ incedit iuſtus, non declinans ad dexteram, neque ad ſiniſtrã,ad nimium,videlicet,quia, [ne quid nimis,] (ex antiqua Philoſophia,)neque ad parum,quia,[qui minima ſpernit, paulatim defluit,] ex eodem Sapiente: quæ ſunt vitia;ſed potiùs mediam ingreditur virtutis viam,vt tutiſſimus progrediatur.

Has Eccleſiaſticas regulas,viuendi,degendi,gubernandi,ac in vniuerſum Eccleſiæ immunitatem,ſiue quò ad perſonas,ſiue quò ad bona, obſeruari,& optabat,& commendabat Paulus,ad Philipp.ſcribens ſic, c.3. [Verumtamen ad quod peruenimus,vt idem ſapiamus,in eadem permaneamus regula.] Græcè eſt, in eodem κανόνι. Eſt autem permanere in eodem Canone, ex Photij Patriarchæ Conſtantinopolitani interpretatione,eoſdem mores ſeruare;& vnum,idemque ſentire, tum in vita degenda,tum in doctrina. [Quemadmodum enim, inquit, qui aliquod dogma mutat,ſuperiora etiam mutat, ac diſſoluit: ſic in vita, qui aliquid mutat,& relaxat,ac non potiùs eamdem limam ſeruat,etiam antegreſſa lædit.]Addit Apoſtolus: [Imitatores mei eſtote fratres: & obſeruate eos,qui ita ambulant;ſicuti habetis formam nos. Multi enim ambulant,quos ſæpè dicebam vobis, (nunc autem & flens dico,) inimicos crucis Chriſti:quorum finis interitus;quorum Deus venter eſt; & gloria in confuſione ipſorum,qui terrena ſapiunt.] Quo loco ex peroratione ad orationem eſſet nobis prolixiorem redeundum: ſi nouos Politicos,cũ hiſce Pauli verbis,vellemus vrgere,& conuincere, ab Eccleſia illud regimen expellere nitentes,cuius formam,& ſcriptis,& ſua perſona ipſa Paulus præſtitit,& ad cuius imitationem omnes Chriſtianos cohortatur.

Non ſumus tamen neſcij,vnum hoc eſſe maximè neceſſarium,quo deficiente hæc optima pars doctrinæ à nobis propoſita, difficillimè eſt, ab his quibus incumbit,vel approbanda,vel eligenda. Eſt quidem hoc vnũ neceſſarium, in ſecularibus hominibus pietas, in Eccleſiaſticis æquitas, in vtriſque charitas. Colligimus hoc ex Apoſtolis Petro,& Paulo, quorũ hic, ſic 1.ad Timoth. c.4.ſcribit: [Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide,attendentes ſpiritibus

Zz erro-

erroris,& doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.] Et paulò poſt: [Ineptas autem,& aniles fabulas deuita; exerce autem teipſum ad pietatē: &c.] & 1.ad Timoth.c.6.[Eſt magnus quæſtus,pietas cum ſufficientia.] & ad Hebr.c.1.agens de Chriſto Eccleſiæ capite,ait,ex Pſal.44.[Virga æquitatis,virga regni tui:]alludens ad Pſal.118.[Aequitas iudicia tua.]

Petrus verò Apoſt. ſic loquitur,2. Epiſt.c.1.[Vos autem curam omnē ſubinferentes miniſtrate,in fide veſtra virtutem,in virtute autē ſcientiā, in ſcientia autem abſtinentiā,in abſtinentia autem patientiam, in patiētia autem pietatē,in pietate autem amorē fraternitatis,in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos,nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri IESV Chriſti cognitione.Cui enim nō præſto ſunt hæc,cæcus eſt,& manu tentans,obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.]

Docent ergo nos hi diuini ſermones,immunitatem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum regnum eſſe,& libertatem æquitatis,& ideò cum æquitate, tam in ſpiritualibus,quàm in temporalibus adminiſtranda. Docent nos, gradatione hac,ſeculares ad charitatis eſſe terminum peruenturos,fide, virtute,ſcientia,abſtinentia,patientia,pietate,quæ ad omnia vtilis eſt,& ſufficiens:cùm amorem pariat fraternitatis proximi,qui ſecum coniunctam habet charitatem Dei; immò quæ totum Euangelium in vnico hoc iuſtaurat præcepto,iuxta Apoſtolū,ad Rom.c.13. ſcilicet: [Diliges proximum tuum,ſicut teipſum:plenitudo enim legis eſt dilectio:] vt Dei, & proximi charitatē,quaſi cauſſam,& effectū,inuicem cohærere neceſsū ſit.

Vt igitur huius corporis Eccleſiæ, quod ex Eccleſiaſtico,& ſeculari ſtatu formatum eſt,compago firmiter hæreat,hæc in eo charitas ex Apoſtolo Paulo ad Corinth. 1.c.13.oportet inueniatur,& duret;quæ in ſecularibus hominibus ſit patiens, in Eccleſiaſticis ſit benigna: in illis non æmuletur,in his non agat perperam; in illis non infletur, in his non ſit ambitioſa;in illis non irritetur,in his non quærat,quæ ſua ſunt; in illis non cogitet malum,in his non gaudeat ſuper iniquitate; in vtriſque tādem congaudeat veritati; omnia ſufferat, omnia credat, omnia ſperet, omnia ſuſtineat; quò hac charitate,quæ maior eſt,& omnibus virtutibus excellentior,in Eccleſiæ hoc ſicuti ſpecioſo,ſic & mirabili, corpore non excidente,ſequatur deinde,ex eodem Apoſtolo,ad Hebr.c.2. & eadem 1. ad Corinth.c.15. finis: cùm Chriſtus vnus Paſtor vnius ouilis, ex Ioan. c.10.tradiderit regnum Deo,& Patri: cùm euacuauerit omnem Principatum,& poteſtatem, & virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis:]ex Pſalm.109.vt[nouiſſimè inimica deſtruatur mors:]& omnia,iuxta Pſalm.8.prædictionem,Chriſti Dei,& hominis pedibus ſubijciantur.

TRA-

TRACTATVS,

DE POLITIA,

ET IMMVNITATE ECCLESIASTICA,

QVARTA PARS.

INTRODVCTIO AD RESPONDENDVM quibuſdam Propoſitionibus Auctoris Anonymi, ſcribentis contra Immunitatem Eccleſiaſticam: Et Chriſtiana Paraneſis ad Poteſtates ſeculares.

Cap. I. §. 1.

RECTVM eſt iudex ſui, & obliqui:] vt iam olim ſummus Philoſophus Ariſtoteles docuit. Hinc ſi rectè in ſuperioribus noſtri Tractatus proceſſimus Partibus, obliquam quorumcumque aliter ſcribentium, ſeu ſententium ſententiam, credimus, fuiſſe ſufficientiſſimè confutatam. Nihilominùs viſis, quibuſdam Propoſitionibus, quæ, de Iuriſdictione ſeculari, contra Eccleſiaſticos, Adeſpotę nuper in publicum prodierunt, noſtra adhùc intereſſe iudicauimus, vel ſuperiorem à nobis vniuersè traditam doctrinam, per nos ipſos in ſpecie, ad quædam, in dictis Aſſertionibus, ſcripta prauæ doctrinæ conuincenda, applicare; vel quædam etiam alia addere, forſan non contemnenda: quibus dicta ſcripta, nedum acu tangere, verùm & compungere, valeamus. Nam ſi omnia, quæ de hac materia dicenda nobis ſuppetebant, proferremus, multi, quibus conſultò parcimus, fuiſſent, nobis inuitis, appellandi.

2. De ardua ergo, & ſubtili materia, origine, videlicet, Eccleſiaſticę, & laicæ ſcripturis poteſtatis, eſt nobis purgatam crebrò qui perſonat aurem, vt qui plura adduxerimus ex ſacra Scriptura teſtimonia, quibus

poteſtatem Ciuilem Eccleſiaſticam, eſſe de Iure diuino, confirmaremus; nunc ſingulari conſideratione Apoſt. Pauli 2. ad Corinth. cap. 13. denuò integrum euolueremus. Cùm enim ex eo, quaſi valido argumento, induxerimus in 2. Parte, hanc Eccleſiaſticam iuriſdictionem, ex illis verbis: [Prædixi enim, & prædico, vt præſens vobis, & nunc abſens, ijs, qui antè peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniã ſi venero iterùm, non parcam.] & rurſus: [Ideò hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in deſtructionem.] Eo rurſus capite euoluto (repetimus, quod ſupra adnotauimus,) maxima dignum eſſe conſideratione, cenſemus, Apoſtolum, dum de hac loquitur poteſtate, ſe non loqui, ſed ipſum eius Auctorem loqui Chriſtum, his verbis æternæ memoriæ conſignaſſe; [An experimentũ quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?] O mira verba, & nullibi ab Apoſtolo, niſi de iuriſdictione Eccleſiaſtica diſſerendo, prolata!

3. Ergo Imperatores, Reges, & Principes ſeculares, quibuſcũ in ſequẽtibus nobis agendũ eſt, ſi quæ noſtra eſt curta, & ſciẽtiæ, & ſanctitatis ſupellex, nequimus cum Apoſtolo dicere: [An experimẽtum quęritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?] attamẽ eum, per ſuos ſanctiores Miniſtros, loquentem, precamur, audiatis; audietis enim abſque dubio: [quoniam loquetur pacem in plebem ſuam:] ex Pſalm. 84. ad vtrumque ſtatum, & ſecularem, & Eccleſiaſticum conuocatam.

4 Perſuadere verò hanc pacem, hiſce vltimis diebus, alicubi ſeculari Poteſtati, rem eſſe cum difficultate coniunctam, hinc colligimus: quia, ni nos fallit animus, ea nouiſſima inſtant tempora, de quibus Apoſtolus ad Timoth. 2. c. 4. ſic Prophetico ſcripſit ſpiritu, [Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus:] eſt caſus recti Græcè κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, id eſt, qui titillantur, & pruriunt auribus: quærentes, ſcilicet, qui ſibi abblandiantur, impunitatem promittẽtes, & leniter aures ſcalpant, non veritate, & gehennæ terrore radant: vnde ſequitur, [& à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.] Quibus verbis pręſtrinxerat eam doctrinam Apoſtolus, vt Epiſcopus Timotheus ſeipſum, circa Ciuilis poteſtatis facultatem arguendo, & increpando, inſtanter ſicuti & fortiter gereret: exteriorem, videlicet, Iuriſdictionem fori, exteriùs exercendo: de qua conceptis verbis, 1. ad eum cap. 5. ſi dixerat: [Peccantes coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant.] Contra quam Politicam poteſtatem Eccleſiæ, quattuor, quaſi agmine facto, illas grauiſſimas inſurrecturas ſtatim prædixit perſequutiones; quæ ſunt, videlicet, ſanæ doctrinæ intolerantia, Magiſtrorum placentia loquendi prurigo, audiendæ veritatis fuga, & fabularum ſequela.

5. Quibus perſequutionibus obuiam iri poſſe, Apoſtolus ijs verbis docuit ibidem: [Tu verò vigila, in omnibus labora, Græcè mala-

pate-

patere, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.] Quattuor inſignia remedia, totidem illis morbis à Prælatis Eccleſiæ adhiberi poſtulauit: ſunt hæc: vigilia: labor, ſeu malorum perpeſsio: conſtans Euangelij propoſitio: & ſui muneris implementum. Vigiliam requirit tempus illud, quando ſanam doctrinam, de poteſtate Eccleſiaſtica, Principes ſeculares non ſuſtinebunt; ne forſan Paſtoribus Eccleſiæ ſuper ſuis gregibus, in re tanti ponderis, nõ vigilantibus, vel forſan dormiẽtibus, maiorẽ à Chriſtianis Principibus Eccleſia in hoc, quàm paſſa eſt ab Infidelibus, perſequutionẽ patiatur. Cõſtanti labore, quæcumq; mala patiendo, illis eſt inſudandum: vt aceruus ille Magiſtrorum blandè loquentium, auribus ſecularis Poteſtatis ea audire prurientibus, cùm ſit aceruus teſtimonij falſi, & cum Mercurij, (qui ſaltem viam, olim, iter agentibus, demonſtrabat,) qui comparetur aceruo indignus, funditùs deſtruatur. Euangelij doctrinã præ oculis, præ auribus laicæ Poteſtatis, ſemel, iterũ, tertiò, & ſine numero repetita propoſitione per ſe, per Concionatores, per Doctores Eccleſiæ opponant: vt ad veritatem oculis perſpiciendam, auribus percipiendam, conuertantur. Et vltimò, muneris, & ſui miniſterij, & verbo, & exemplo velint implementum applicare: quo remedio, nedum fabularum ſequela in ſecularibus plurimùm ceſſaret Principibus; verùm & ipſi, & eorum ſubditi ad Eccleſiaſticam Maieſtatem non ſolùm agnoſcendam, verùm, & cumulatiſsimè augendam, conuolarent.

6. Et quidem aſſentationem miniſtrorum Principibus aperuiſſe ianuam, ad Eccleſiæ inuadendam iuriſdictionem, iam ab hinc quingentis annis, de Imperatoribus Græcis agens, deplorabat Simeon Theſſalonicenſis, lib. 8. de Myſterijs, & cerem. Eccleſiæ ruinas, quas iam tunc ſentiebat illud Imperium, imputans Imperatorum præſumptuoſæ audaciæ, dum Eccleſiaſticã occupabant iuriſdictionem: neque quæ erant Dei, Deo reddebãt, ſibi verò, quæ erant Cæſaris reſeruabant: [vt omnia (verba ſunt Simeonis) ſint digna gratia Dei, res ſacra conſtituta, ac ſecularis aucta, ac non potiùs contra, alterum ab altero intereat.]

7 Præterea, negligentiam Prælatorum ſuggeſſiſſe cauſſam, vt plurimum poteſtas Eccleſiaſtica obnubiletur, grauiſſimè dixit Soto in 4. d. 25. q. 2. art. 2. in fine: addidit tamen diligentiam Poteſtatis ſecularis exceſſiſſe ſæpiùs: inter quas, illorum videlicet negligentiam, & horum diligentiam, tertiam, qui poſſet auream, & inuenire, & applicare mediocritatem ex ſacræ Scripturæ fontibus, is beatam, & felicem ſortem nactus fuiſſe, vltimis hiſce, calamitoſiſque temporibus, putaretur.

8 Igitur cùm Præfectorum Eccleſiaſticorum expoſuerimus munus, in hac Ciuili ſacra poteſtate Principibus proponenda, eaque exercenda: ipſis Principibus legendum iam in primis proponimus Ezechielem Prophetam, c. 3. ſic introducentem Dominum ſibi comminantem; [Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo: & eris mutus, nec quaſi vir

obiurgans, quia domus exaſperans eſt,] Super quo loco dicit Gloſſa, Deum aliquando auferre doctrinam propter malos Doctores, aliquando propter prauos auſculatores, Attamen ibi mitiùs minatur Deus, qui maioribus Doctorum, & populorum id demeritis exigentibus, terribilior, iuxta Gloſſam in c.10. Epiſt.ad Rom.introducitur ab Apoſtolo 2.ad Theſſal.c.2. his verbis: [Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent; ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non credunt veritati,ſed conſenſerunt iniquitati.]

9 Itaque aliud eſt, Deum, Doctores Theologos, ſeu Iuriſprudentes Principum ſecularium Conſiliarios mutos, & non obiurgantes reddere: aliud eſt, occulta ſua nobis permiſſione, eos loquaces, & ſacrorum Canonum, & eorum Auctorum, & defenſorum compati obiurgatores; vt non ſolùm veritatem Dei in iniuſtitia detineant; iuxtà Apoſtoli dictum ad Rom.c.1. verumetiam videantur, in ſanctiſſimæ Trinitatis ſimili Conſiſtorio, quale 3. Regum. cap. 22. refertur, cum ſimili alio effectu, conſediſſe. Nam ſicuti ibi Domino dicente: [Quis decipiet Achab, Regem Iſrael? &c. Egreſſus eſt ſpiritus,] & ingenioſum, ſicuti promptum,ſeſe obtulit illius deceptorem: addens ad illam Domini interrogationem,qua nam verſutia eſſet huiuſmodi deceptio peragenda?[Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius:]Dominus illius ſpontaneam ſuſcepit obedientiam, & ſubitam oblationem,dicens, [Decipies, & præualebis; egredere, & fac ita :] ſimili diſcurſu videtur Dominus,propter occultas nobis cauſſas, ſiue peccata ſint populorum, ſeu errata Principum; ſiue in noſtri malè collocati temporis vltionem, ſiue ad Eccleſiaſticorum probandam patientiam, ſiue ad totius Eccleſiæ exercitium:ne,non afflicti perſequutionibus, otio Chriſtiani torpeamus: videtur, inquam, Dominus, hiſce nouiſſimis temporibus,ad generale Concilium Doctoribus nonnullis Neotericis, Angelis etiam deſertoribus conuocatis,propoſuiſſe ſic: Quis decipiet ſtatus ſecularis Chriſtianos Principes aliquos? &c.& Dæmonibus, (qui credunt quod de iuriſdictione Eccleſiaſtica credendum eſt, & contremiſcunt,) præ pudore, & timore, tacentibus, homines quoſdam,ſe voluntarios, & promptos Magiſtros errorum, & deceptionum, iiſdem,quibus Sathan ſeſe ibi obtulit, verbis vtentes obtuliſſe. Nos, ſcilicet, ſubiungentes, decipiemus eos: & Domino rogante,In quo? Egrediemur, dixerunt, & erimus ſpiritus mendaces, &, iuxta illud Ezechielis, cap. 13.[addentes loquemur de corde noſtro: videbimus vana, & diuinabimus mendacia, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miſerit nos, & perſeuerabimus,confirmãtes ſermonem:Principes ædificabunt legũ contra Eccleſiæ immunitatẽ parietem,& nos liniemus eam luto,abſq;paleis,& abſq; tẽperatura:] Ex quo tamdẽ fiet conſequens,iram Dei ſuper talium Do-

cto-

ctorum impietatē,iuxta Paulum,ad Rom.c.1.eſſe ſeueriſſimè reuelandā.

10 Meliora tamen de vobis,Chriſtiani Principes,exſpectamus,meliora nobis de omnipotentis Dei promittimus miſericordia; qui etſi Doctores hos egredi permiſerit, at non addet eorum Doctorum, & ductorum, ſeu ſeductorum, ſpontaneam oblationem acceptare; dicendo; Egredimini,& facite ita: ſperamus enim caſurum,ſecundum Ezechielis ibidē prædictionem,parietem diſpoſitionū quarumcumq;,Eccleſiaſticā Maieſtatem violantium, imbre inundante, ſeu flumine de ſacræ Scripturæ ventre fluente, prægrandibus etiam lapidibus Doctorum piorum Catholicorum deſuper irruentibus, & vento procellę Diuinæ veritatis diſſipante. [Audite ergo]ex Ieremia cap.13.[& auribus percipite,& nolite eleuari: Date Domino Deo veſtro gloriam, antequàm contenebreſcat,& antequàm offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos. Exſpectabitis lucem,& ponet eam in vmbrā mortis, & in caliginē.&c. Dic Regi, & dominatrici, humiliamini; ſedete: quoniam deſcendet de capite veſtro corona gloriæ veſtræ,] Cauete ne illud Iſai. c.29. in vobis compleatur, [Claudet oculos veſtros, Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones,operiet.]

11 Immò ſupplicamus,conſulatis Hadrianum VI. pijſſimum, & doctiſſimum Pontificem,tractantem hunc locum, Quodlib.4.& dicentem: nedum eſſe ingentem temeritatem,rei cuiuſque iuſtum, vel iniuſtum, fas, vel nefas, non adhibitis neceſſarijs conſilio, & Conſiliarijs, ſuo proprio homines metiri iudicio, verumetiàm in Conſulentium, iurare verba, & conſilia, Domino Deo ad illa,orationibus humilibus, & cordis vera contritione, non vocato: quam doctrinam fuerat Alexander Alenſis 3.p.q.30.memb.3.art.2. optimè proſequutus. Conſtat verò,illam eſſe Spiritus ſancti,per Ezechielem, c.14. dicentis; [Homo, homo, de domo Iſrael, qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo; & ſcandalum impietatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam; & venerit ad Prophetam, interrogans, per eum, me; ego Dominus reſpondebo ei, in multitudine immunditiarum ſuarum. Vt capiatur domus Iſrael in corde ſuo, quo receſſerunt à me in cunctis Idolis ſuis.

12 Neque dedignemini, legere apud Herodotum lib. 2.Crœſum regem Apollinis Oraculum ſuper negotijs grauiſſimis,conſuluiſſe; quibus poſtea, præter eius ex Oraculi reſponſione conceptam ſpem, malè vertentibus,vehementer de Apolline conquerebatur,illius reſponſa deceptionis inſimulando; inſuper & loco auri, & argenti, & donorum, quæ,Voti nomine,illius erat ſolitus nuncupare templo: partem catenarum,& compedum ferreorum,quibus implicitus tenebatur,remiſit,cum hac Epigrapha,ſeu hoc, Ex voto: Deos ingratos, & fallaces, alijs non debere muneribus honorari. Quam culpam cum Apollo in Regis incogitantiam reieciſſet, qui ſuas non integras,in re adeò graui, partes

præ-

præſtitiſſet, reſponſorum dictionem, vim, & amphibologiam penitùs examinando, coëgit Crœſum ad Apollinis excuſationem acceptandam.

13 Cùm igitur, Chriſtiani Principes, quid vobis opus ſit facto, quoties inter veſtram, & Eccleſiaſticam poteſtatem emergunt dubia, ad conſilia ſana capienda; præfixerimus: is vltimò ſit vobis lapis Lydius præ oculis, ad aurum ſeu ſtannum doctrinæ, & conſilij veſtrorum Doctorum, & Conſulentium probandum: An, ſcilicet, illi proprijs attendant commodis; ſuæ proſpiciant vtilitati; gloriæ inhient inanitati, ambitioni ſtudeant; his enim apud illos intercedentibus morbis vehementibus, interceſſione vehementi apud vos, orationum Sanctarum, inſtantium precum, piarum actionum, eleemoſynarum, ieiuniorum, & ſacrificiorum, eſt opus, vt talium Conſulentium euitetis malignitatem; ne veſtra, & conſilia, & Dominia ad profundum errorum barathrum detrahantur.

14 Hinc S. Anſelmus ſuper illis verbis Apoſtoli 1. ad Theſſal. c. 3. [Gratis panem non manducauimus ab aliquo: ſed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus;] docet, Paulum ea ratione, nihil ab illis, quibus verbum Dei annunciabat, accipere voluiſſe, vt liberioribus reprehenſionibus illorum vitia notaret; neque munera ab illis accepta, Euangelio diſſeminando obſtarent, aut Apoſtolicam correptionem impedirent.

15 Hinc Auguſtinus lib. de Vtilitate credendi, c. 1. & refertur 24. q. 3. [Hæreticus, dixit, eſt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia, falſas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur; ille autem qui huiuſmodi hominibus credit, homo eſt imaginatione quadam virtutis, & pietatis illuſus.]

16 Valeant igitur Conſulentes Principum mercenarij, qui ſub nomine Magiſtrorum loquentes, quod munus ſecundùm tempus noſſe, & exercere debuiſſent, ex Apoſtolo ad Heb. c. 1. rurſus egent, quæ ſint elementa Dei ſermonis edoceri: valeant, cùm inter poteſtatem, & Politiam Eccleſiaſticam, & ſecularem diſſidia quærant, diſcordias ſeminent, controuerſias procurent: & qualiter à Chriſtianis Principibus, & eorum Miniſtris, proprij Paſtoris, cui dictum fuit à Chriſto Domino Ioan. c. vlt. [Paſce oues meas,] Romani videlicet, Pontificis audienda ſit vox, in ſequentibus particularius demonſtremus.

Occaſione Propoſitionis primæ Auctoris Anonymi, duæ extremæ vitioſæ ſententiæ, de Principum in Reſpublicas poteſtate, referuntur.

Cap. II. §. I.

AVCTOR quidam Anonymus quarumdam Propoſitionum, de Iuriſdictione ſecularium Principum, agentium, campum latiſſimum nobis aperuit, ad hanc quartam Partem Tractatus circa confutationem primæ ſuæ Propoſitionis exornandam; & ſic habet.

Propoſitio Auctoris Anonymi.

POTESTAS, quam habent Principes ſeculares ſuper ſuis ſtatibus, & prouincijs, eſt illis conceſſa à Deo immediatè, abſque aliqua exceptione.

2 CVIVS Propoſitionis illi duo termini, ſcilicet, [immediatè,] & [ſine, vel, abſq; aliqua exceptione;] infeliciter fuere à ſuo Auctore in Propoſitionis faſtigio conſtituti: vt grauiori, eodem non conſiderãte, ruina, per ſuam ſequentem explicationem cadendo, opprimerentur. Si enim, vt ipſe ſtatim explicat, quadruplici titulo Principatus acquiruntur: electione, videlicet, ſucceſſione, donatione, & iuſto bello, quonam pacto à Deo immediatè Principibus conferuntur?

3 Terminus autem ille [abſq; aliqua exceptione,] penitiùs conſideratus, ſi eius ſenſus ſit, nullum hominum ſtatum, à ſeculari Principum iuriſdictione eſſe liberum: vt minimum eſt erroneus; iuxta quorumcumq; Catholicorum Doctorum doctrinam: iuxta noſtram autẽ, ſuperiùs Parte 2. explicatam ſententiam, eſt Hæreticus: cùm in omni doctrina Catholica, Eccleſiaſticus ſtatus, ſit à ſecularium Principum iuriſdictione ſaltem exemptus: in noſtra autem, ex Chriſti inſtitutione, & Apoſtolorum decretis, eſſe ab ea de iure Diuino immunem, vt credimus, comprobatur. Si ille terminus ſignificet, abſque vlla exceptione poteſtatis alterius, vel rerum, aut negotiorum; eſt omninò illius ſenſus Hæreticus: nulla eſt enim Chriſtiani cuiuſque Principis poteſtas, quæ iuxta noſtræ 1. Partis Tractatus vnicam Concluſionem, & iuxta 1. aſſignatum Principium, aliqua ratione ſummi Pontificis, & Eccleſię non ſubijciatur poteſtati.

4 Circa priorem illum terminũ, ſcilicet [immediatè:] cùm fuſiùs verſari vellemus, negotio hoc ſemel, & iterùm, & ſæpiùs conſiderato, animaduertimus, rem omnem inter Politiam Eccleſiaſticam, & ſecularem vbicumque controuerſam, adeò ad huius Propoſitionis veritatem, vel falſitatem eſſe reſtrictam; vt ea vel conſiſtente, vel ruẽte, cauſſam à quocumq; ſeculari ſupremo Principe, vel à ſancta Sede Apoſtolica, & ab Eccleſia, quomodocumque de hoc controuertentibus, ſtare ſit neceſſum: hinc, circa illius confutationem, erit operæpretium prolixiùs immorari. Igitur hæc Anonymi Propoſitio ſimpliciter eſt falſa, quod facilè probabitur: ſed eſt abſolutè hæretica: quod maiori eget probatione: nam eſſe piarum aurium offenſiuam, ſcandaloſam, temerariam, & erroneam, ex dictis, & dicendis manifeſtiſſimè cognoſcetur.

5 Pro ea verò cõuincenda falſitatis, ſi adhuc nõ exſtaret lex Chriſtiana, & hæreſis, ea exſtante, notamus: quoſdam præſentium temporum Politicos, Atheiſmum quemdam, ſeu Idololatriam quãdam in hoc ſeculorum fine, voluiſſe in orbe vniuerſo, circa Principum, & Regum Maieſtatẽ,

& auctoritatem renouare, Plinij impietate parem, qui hominem homini eſſe Deum, ipſe cuiuſque in verum, ſiue in falſum Deum, fidei expers, aſſeruit; & ea non inferiorem, quæ lib. Sapientiæ c. 13. 14. & 15. deſcripta reperitur. Sic enim pro Regibus, & Principibus cauſſam agunt ſecularibus, vt non modò perſonas omnium ſubditorum, eſſe Regibus, & Poteſtatibus laicis ſupremis obnoxias, & mancipio, nexuque teneri: verumetiam res omnes populorum, atque fortunas ita Principum eſſe proprias; vt fructu dumtaxat ſingulorum eſſe videantur: Principum omnia eſſe dominio, ſingulorũ vſu: illorum proprietate, horũ verò poſſeſſione.

6 Ab his ergo ſi quæratur, quis fuerit illius legis Auctor, per quã Auſtriaca familia cum Layni Calui, & Nunnij Raſueræ Caſtellæ antiquiſſimorum Iudicum, vel Pelagij Infantis Gothi familijs, Hiſpaniarum, Borbonia familia Galliarum, Stuarda Scotiæ, & modo etiam Angliæ regna obtineant: ſimiliter Dux perpetuus Reipublicæ Venetæ, Dux ad biennium creatus Genuenſi, cum ſuis Senatibus præſideant: alijs prætermiſſis exemplis: reſpondent primò; quia, videlicet, legis Auctor eſt idem qui regnorum, qui Rerumpublicarum, Auctor eſt Deus, qui ſolus eam & poteſt antiquare, Reſpondent etiam ſecundò, ſicuti Propoſitionis, quam redarguimus, Anonymus Scriptor, quia, videlicet, poteſtates, & iura Imperatorum, Regum, Principum, Rerumpublicarum ſunt à Deo illis immediatè conceſſa, ſine exceptione, ſuper ſuis ſtatibus, & prouincijs.

7 Neque ſibi ex ſacra etiã Pagina auctoritates deeſſe credunt, quibus hęc ſomnia, quaſi cęleſtia Oracula, confirmẽtur: [Per me Reges regnãt.] Inquit Diuina ſapientia, Prouerb. c. 8. [Vt viuentes intelligant, Altiſſimum dominari in regno hominum, & dare ipſum cui vult :] dicitur à Deo, Daniel. cap. 4. Item Eccleſ. cap. 10. dicitur, [Deum transferre regnum à gente in gentem.] [Feci terram, & hominem, & beſtiam quæ eſt in ſuperficie terræ potentia mea, & dedi eam cui viſum eſt dare: &c.] Ierem. cap. 7. Comminari Deus ſic ſcribitur: [Dabo tibi regem in furore meo:] Oſeæ c. 13. Et tamdem habetur. Iob c. 34. [Facit, vt regnet hypocrita, propter peccata populi.] Item ad Rom. cap. 12. ſcribitur: [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.] Quibus addunt Iſidori ſententiam referri à Gratiano, dicentis: [Difficile eſt reuocare Principem in melius, ſi vitijs deditus eſt: quia populares metuunt Magiſtratũ, Reges autem niſi retrahantur ſolo timore Dei, & tormentorum infernalium metu, præcipitant ſe in omnem licentiam: & ſe abire ſinunt in abyſſum peccati.] Neque eſt contemnendum, Reges ab Homero totius antiquæ Philoſophiæ ferè Principe, διοτρεφέας, & διογενεῖς vocari, id eſt, à Deo genitos, ac Dei nutritios, vt Iliad. 2. & alibi. Ad quæ Argumenta omnia, infra c. 5. pleniſsimè ſatisfaciemus.

8 Ex qua doctrina colligunt interim, numquàm Reges, Principes, & Duces Rerumpublicarum ſupremos, cum ſuis Rebuſpublicis accepiſſe,

vel

vel accipere debere legem aliquam,ſuæ ſupremæ poteſtatis,atque ditionis moderatricem: Principem enim animatam legem eſſe in terris,eiuſque poteſtatem,& iuriſdictionem nulla alia lege,quàm ipſius voluntate, in anguſtum poſſe cogi: & qui populi,vel effectu, vel affectu Numinis,in Regum, Ducum,Rerumpublicarum poteſtatem conceſſerunt,nec ſibi parendi, nec Principibus imperandi modum vllum lege præſcribere potuiſſe: ſed vel ſponte ſua,vel inuitos,in eorum verba iurare coactos, legum quarumcumque vinculis ſolutum eis imperium reliquiſſe.

9 Non eſt nobis mens cum Catholicis velitare Doctoribus, qui pia, vt credimus, conſideratione, Regum poteſtatem extollunt, quò populi obſequentiores regibus redditi, Deo Regi regum feruentiùs obſequantur. Quo ſenſu,iuxta patrias leges, & antiquas conſuetudines,tanta eſt regis Galliarum in ſubditos poteſtas, & auctoritas; vt eum Baldus in Authent.Hoc amplius. verſ. quæro an filijs.C.de fideicommiſſ. [Corporalē in ſuo regno Deum,] appellarit: qui certè loqui modeſtiùs debuiſſet. [Monarcham, & abſolutum dominum,] eum vocat Socin. Conſ.77. in 1.col.& Conſil.175.in 2.col. Card.Alex.ad c.1. Quæ ſunt regalia in vſib.fœudor.Franciſ.Curtius Conſ.49.col.33.& 34.ibi. Nono oſtenditur. Anton.Corſet.in addition. ad Panor.in c. Quæ in Eccleſiarum.in 2. col. de Conſtit.[Polum,ad cuius nutum regnum regitur, & dirigitur:] idem Bald.Conſ. 416.in 1. part. Quæ omnia Caſſan.5. part. Catalog. Conſider.30.Gregorius Tholoſan.lib.33.c.5. atque alij antiqui, & recentiores Gallici Auctores totidem verbis referunt, & ſequuntur.

10 Loquimur ergo de illorum Politicorum, quos ſupra taxauimus, placitis,qui eam legum condendarum,& exſequendarum licentiam Regibus eſſe annexam edocent, vt quacumque impunitate regiminis præpoſita, liberè poſſint per ſuarum propriarum voluntatum, libidinum, & appetituum,latiſſimos campos ſpatiari.

11 Alij rursùs Ethnicos, ſeu veriùs loquendo, barbaros mores renouantes,ſocietatum hominum poteſtatem,ſiue regnorum ſint,ſiue Rerumpublicarum,ſiue quocũq; alio definiantur nomine, ſuper Reges, & Principes ſuos adeò extollunt,adeò exaltant,vt ſuperbè Regum diadematis, Ducum,& Principum ſceptris inſultent:& penes promiſcuam hominum multitudinem velint reſidere; vt ſupremos ſuos Principes in ordinem cogant, & ſuis è ſedibus, eos poſſe afferant,deturbare.

12 Pro hac vtraq; ſententia præcedenti ſeculo, poſt illius inſignem euerſorem Lutherum, acriter à multis, qui ex illius popina prodierunt, pugnatum eſt: vi quidem & armis, luctuoſiſſimis exemplis, quæ apud Hiſtoriographos eſt facilè legere;ſcriptis autem,pluribus Libris,& Apologijs de regni,& Regum iure agentibus: quæ ſi ab hominibus exijſſent Catholicis, non mediocrem apud Reges, & Principes Chriſtianos, qua eorum extollunt potentiam; vel apud populares homines, qua eam de-

primunt, auctoritatem comparaſſent.

13 Huius vtriuſq; ſententiæ Auctores, ea moti ratione, illius potiùs renouatores nuncupamus: quia prioris illius inconſideratiſſimi ſermones, ne modò grauiori eos cenſura notemus, iam olim nequiſſimos Romanos Imperatores Caium Caligulam, Neronem, Domitianum, & ſimilia monſtra in tam nefariam hominum deſpicientiam, & totius Diuinitatis contemptum, extulerunt, vt inter eos Caligula, referente Suetonio in eo, num. 27. & 28. optaret, vniuerſam Romani populi multitudinem, vna ceruice, vno citiùs ictu abſcindenda, contineri. Nero autem, ſcribente Dione, Teridatem Parthorum Regem conſtituerit, quòd illum quaſi Mithram, ſeu illius gentis Deum Solem, adorarit; ipſum Neronem, ſuum eſſe fatum, ſuam eſſe fortunam, confitendo. Noſtris verò temporibus, ſimiles ſermones, poſteriores Anglorum Reges Henricum VIII. eius filium Eduardum, etiam filiam Eliſabetham à moderato maiorum ſuorum imperiò, in efferatam, & barbaricam tyrannidem adeò transformauerunt; vt poſt proiectas antiquas patriæ leges, poſt oppreſſum Clerum, exinanitam plebem, ſpoliatam, fugatam, & conciſam nobilitatem, ipſas tandem Eccleſias non ſolùm auariſſimè expilauerint, verùm euerterint, & Catholicam religionem fœdiſſimè conculcauerint: religionis etiam, quoties libuit, innouandę, blaſphemia ineffabili, ſibi auctoritatem arrogantes.

14 Poſterioris autem ſententiæ placita, ſeu deliria, quos hodierna die effectus infelices pepererint, inter plura quæ adduci poſſent, vnicum eſto exemplum Caluiniſtarum in Scotia rebellium facinus, contrà Maieſtatem Catholicæ, & pijſſimæ Reginæ Mariæ pręſentis Regis Angliæ, & Scotiæ matris: quòd ipſemet impius Buchannanus latiſſimè ſuis in Hiſtorijs Scoticis enarrauit. Primò enim Regina in Gallijs agente, ab ea facultatem, Comitia Parlamentaria, impetrarunt, conuocandi, & in ijs, quod è Republica videretur, conſtituendi. Ibi Catholicam religionem è tota Scotia decreuerunt profligandam: quod neq; è Republica erat, neq; de illo vmquam Regina cogitauerat. Deindè, Reginam è Gallijs illuc traijcientem, ſub eo exceperunt pacto, ne in ſtatu iam recepto religionis quicquam immutaret: ipſi tantùm, eiuſq; familiæ vna permitteretur Miſſa, eaq; priuata. Tertiò, quia Kal. Nouembris in Sanctorum omnium feſto die, eius Sacellani apparatum, de more, celebriorem, rei faciendæ ſacræ, adhibuiſſent, illud Idololatriam eſſe interpretati, quæ erat Catholica religio à pluſquàm mille annis, à prima eius conuerſione in Scotia perpetuata, poſt Reginæ caput eorum Anathematis deuotum, Proceres ad eam bello domandam, & regno ſpoliandam inflammarunt: vt tamdem ab Angliæ Regina Eliſabetha impiè trucidaretur: qua iuſtitia id effecerit, æternis iam, cum impia altera Iezabela, quibus eſt addicta, flammis edocenda.

15 Si verò ad antiquos reſpiciamus mores, ſuper falſis huius ſententiæ fundamentis introductis, mirabilis venit conſideranda Aſiaticorum Regum varietas : quorum alij, alterius extremi iudicij ſectatores, adeò effrænati ſunt tyranni, vt impunè quiduis perpetrent : & pro libidine, in omnium ſubditorum fortunas, & ſanguinem graſſentur : alij in aliud declinantes iudicium extremum, adeò ſeruiliter quorumdam Procuratorum imperijs obnoxij viuunt, vt quindecim ſimul Reges Goæ in eamdem arcem incluſos, oculis orbatos, & regio expulſos throno ab ijs, qui, ipſorum nomine, regnum adminiſtrabant, narrante Oſorio lib. 10. Hiſt. Emmanuelis Regis, primo ſuo in Indiam appulſu, fortiſſimi repererint Luſitani.

16 Horum extremorum duplicem eminentem ſcopulum, & vtrumque valdè periculoſum, Catholici Doctores ex alto videntes, ſanis, & ſacris doctrinis efficiant, æquum eſt, vt media via Chriſtiani omnes populi tutiſſimè gradientes, ad extremas errorum minimè dilabantur.

De Regum, & Principum ſecularium, ſeu Rerumpublicarum origine, Cap. III. §. 1.

NEQVE Tractatus præſentis contextus, neq; noſtri ſuſcepti argumenti, vel poſtulat ratio, vel admittit, vt longiorem inſtituamus ſermonem, de Monarchiæ præſtantia : de Rerumpublicarum ſiue Ariſtocraticè, vel Oligarchicè, ſiue Democraticè gubernentur, ad Monarchiam comparatione : de Regum iuribus : de Principum ſecularium, ſuperiorem non agnoſcentium, ſtatu: de cuiuſq; laicæ Poteſtatis auctoritate: de legum ferendarum origine, & cauſſis: & alijs id genus nonnullis, de quibus, ſi per tempus, & vitam licuerit, in noſtris Chriſtianis Magnis Politicis olim fuſiſſimè differemus; & inferiùs aliqua etiam licet breuiùs adnotabimus: cùm eò tantùm noſtra nunc properet oratio, vt aſſertam Anonymi Propoſitionem, quatenùs Principes ſeculares in legibus condendis ab Eccleſiæ, & ſummi Pontificis nititur examine omninò ſubducere, Hæreticam, nedùm eſſe falſam, comprobemus. Sed ad ea quæ in præſēti Cap. dicēda erunt, cùm optimè faciant illa, quæ ſuperius 3. Parte, Dub. 3. Fundamento 4. adducta ſunt, illis adhùc ſequentia ſubtexamus : & quaſi gradum quemdam, atque aditum, ad cetera dicenda, congruè fuiſſe præſtructum, colligemus.

2 Si ab antiquioribus igitur Philoſophis, & Philoſophorum Principe, in rebus Politicis deſcribendis, Ariſtotele, & eius ſectatoribus Philoſophis Gentilibus eſſent initia regnorum, Rerumpublicarum, ſeu ciuitatū exquirenda : qui mundum fuiſſe ab æterno, ex Sacræ Scripturæ, & fidei myſteriorum ignoratione, aſſeruerunt, & ciuitates, ſeu Reſpublicas, &

Digitized by Google

regna ab æterno etiam dicerent exſtitiſſe. Plato lib. 4. de Legibus, Ariſtocratiam laudans, eam, dixit, eſſe ſimulacrum, & imitationem quādam iuſtiſsimi, & beatiſsimi imperij: quod aureo ſeculo ſub Saturno Poëtæ tradiderunt: is enim Deus, immortales quoſdam, quos Græci Dæmones vocant, dicitur conſtituiſſe; qui in officio mortales omnes continerent. Quam fabulam penitiùs perſcrutando, explicant Platonici Philoſophi, iuxta ſuum ſentiendi, & Philoſophandi modum, vt nihil aliud ipſa fuerit ſignificatum: niſi animum noſtrum in partes diſtributum duas, quarum altera eſt rationis particeps, & immortalis, alia verò eiuſdem expers, & morti obnoxia: quando igitur, dicunt, Dæmon, hoc eſt, ſciens ille qui eſt, & ſempiternus animus, inſciæ, & mortali parti, ideſt, libidini imperat, & dominatur, non eſt dubium, quin ſiue indiuiduus homo, ſiue domus, ſiue ciuitas ſit, ſummam beatitatem conſequantur.

3 Neq; feliciùs, aut veriùs Poëtarum priores de hac re, vel luſerunt ſuo ſeculo, vel præſenti luxerunt. Sicuti enim à Ioue Saturni filio principium Muſas, ſic ab eo principium autumant habuiſſe ciuitates: & eum poſteà in Deum ſacrantes, etiam ſub illius ſolùm imperio Reges incepiſſe, docuerunt. Sic Horatius lib. 3. Carm. Od. 1. ſcripſit.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis,
Clari Gygantæo triumpho,
Cuncta ſupercilio mouentis.

Attamen Iouis tempora deſcenſus Iacobi Patriarchæ in AEgyptum tempus non antecеſſerunt; ciuitates verò, ex ſacra narratione, conſtat anteceſſiſſe: cùm Cain ex nomine filij ſui Enoch, Geneſ. c. 4. Moſe referente, & Pſal. 48. id ipſi, & ſibi ſimilibus, iuxtà Hieronymi tralationem, ſic exprobrante: [Vocauerunt nomine ſuo terras ſuas;] ciuitatem Enoch ædificauerit Orbis primam; immò æui; vt ſenſit Reuer. Epiſcopus Toſtatus, lib. de Optima Politia, neq; legitur, neq; creditur aliam, vſq; ad Noë tempora, fuiſſe ſecundam. Maxima tamen verſatur difficultas, in regiminis reperienda forma, qua vel ciuitas Enoch à Caino conſtructa, vel illæ, quæ iam poſt Noë tempora ædificari cœperunt, vtebantur.

4 Præſides hominibus datos, [ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum,] affirmat Petrus Apoſtolus 1. Epiſt. c. 2. Super quibus verbis ſenſit Innocentius IV. ad c. Quod ſuper his. de voto, & vot. redempt. firmiſſimè Principum iuriſdictionem fundari: ſic dicens num. 2. [Iuriſdictionem enim iuſtam, & rectam lego; vbi dicitur datus gladius ad vindictam, ſupra, de maior. & obed. ſolitæ. ſed quando cœperit, neſcio: niſi fortè, quòd Deus dedit aliquem, vel aliquos, qui facerent iuſtitiam ſuper delinquentes: vel iure naturæ Paterfamilias ſuper familiā ſuam habebat iuriſdictionem omnem à principio: ſed hodie non habet, niſi in paucis, & modicis: ff. de furt. reſpiciendum. & C. de pa. po. per

totum.

totum. Hoc autem certum eſt, quòd ipſe Deus per ſe à principio exercuit iuriſdictionem: vt not. de for. compet. licet.] Cuius eruditiſſimi Doctoris, & pijſſimi Pontificis ſententiam, ſuis verbis, ideò recitamus: quia ad ſequentia magnó eſt nobis vſui profutura.

5 Ipſe ergo Deus, qui à principio perſeipſum, vt inquit Innocent. exercuit iuriſdictionem, vt patet in Caini ſententiâ, pro fratricidio: poteſtatem regiminis ipſis hominibus naturaliter dedit: iubens namq; eorum multiplicationem, Gen. c. 1. & 2. voluit conſequenter, hominum cœtus, & congregationes fieri: & inde vt haberent facultatem ſe gubernandi, leges neceſſarias conſtituendi, & iudicandi, ordinemq; Reipublicæ condendi: ſine quibus, confuſio, hominum congreſſus funditùs labefactaret: dicente Salomone. Prouerb. c. 14. [Vbi non eſt gubernator diſsipabitur populus.] De quo habetur inſignis doctrina, in c. fin. 89. diſt. tam in principio, quàm cùm deinde dicitur; [Neq; enim vniuerſitas, alia poteſt ratione conſtare, quàm ſi eiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret.]

6 Diſcurſus huius hoc eſt fundamentum; quia qui voluit finem, hominum videlicet ſocietates, intelligitur, & voluiſſe illa media prędicta, ſine quibus is eſſe nequiret. c. præterea. de offic. deleg. l. 2. ff. de iuriſd. omn. Iud. Præterea, fecit Deus hominem animal rationale Politicum: iuxta Ariſt. & S. Thom. illum explicantem, 1. Polit. quod idem ſiue is, ſiue alius Auctor inter eius Opuſcula comprobat, lib. 1. de Regim. Princip. c. 2. & 4. at hominum ſocietas, ſine tali gubernatione, neq; augeri, neq; poſſet conſeruari. Et cùm habeat homo, ipſo Cicerone. lib. 1. Offic. referente, quod & docetur l. Vt vim. ff. de iuſt. & iure. inſitam naturaliter poteſtatem ſe, vitam ſuam, corpuſq; tuendi, cum moderamine, videlicet, inculpatæ tutelæ: abſq; dubio habet facultatem in ſocietate, ac congregatione hominum ea diſponere, quę, congruo medio regimine, efficiant, vt inter eos pax mutua conſequatur. Immò ſufficit, Deum hominibus rationem naturalem indulſiſſe, vt omnia, quæ à ratione natiua oriuntur, qualis eſt ordo gubernationis, ac iuriſdictionis, & ad eã neceſſariæ facultatis, ac poteſtatis, ipſi naturaliter fuiſſe conceſſa cenſeantur.

7 Iure Gentium fuiſſe inſtituta dominia, & regna, habetur l. Ex hoc iure. ff. de Iuſtitia, & iure. A mundi namque conditione, nulla inter homines excellentiæ diſtinctio præceſſerat: vt §. 1. in Authen. Quibus mod. effic. ſed cùm homines inuicem aduerſari, & bellare cœpiſſent, ad diuiſiones ideò Gentium deuentum fuit: & neceſſitate cogente, ne minor à maiore, pauper à diuite, debilis à fortiore grauaretur, capite indiguerunt, & Reges fuere creati: vt dicta l. Ex hoc iure. docuit optimè Bald. Vtilitatis ergo, ac neceſſitatis ratione, multitudini, & populo Magiſtratus præponi, oportuit, qui eum moderarentur, regerent, & gubernarent.

8 Quòd

8 Quòd ſi res altioribus à principijs ſit petenda, certum eſt, aut omnes homines oportere eſſe iuſtos, & probos, quique ſeipſos præclarè regant, & agant ea quæ ſunt rationi conſentanea: aut neceſſe eſſe, alios ab alijs gubernari: ſi vlla ſit ſocietas conſtituenda. At omnes rationi obſequi, hominum corrupta natura, & mores praui non patiuntur: cùm ne metus quidem legum, Magiſtratuum, ac Poteſtatum timor, aut prompta ſupplicia, ſatis retinere, vel coercere poſſint nefariorum hominum impetus, & conatus: vnde neceſſum eſt, nullam ſocietatem, neq; etiam latronum, ſine Præfecto conſiſtere poſſe diuturnam.

9 Hinc Cicero 3. lib. de Legibus, ait, [Sine imperio, nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.] Et ex eodem Cicerone lib. 3. de Repub, ſic refert. Auguſtinus lib. 4. contrà Iulianum, c. 12. [An non cernimus optimo cuiq; dominatum, ab ipſa natura, cum ſumma vtilitate infimorum, datum?] Ariſtoteles 3. lib. Polit. c. 4. dixit: [Hominem eſſe natura ciuile animal expoſuimus: ac proindè homines etiam ſi ope mutua nihil indigeant, nihiloſeciùs ad conuictum eſſe procliues. Oportuit igitur, vt præter id quod homines ad proprium mouebat bonum, vniuſcuiuſq; eſſet etiam aliud, quod moueret eos, ad bonum commune multorum: propter quod & in omnibus, quæ in vnum ordinantur, aliquid inuenitur, quod alia regat.]

10 Hæc doctrina eſt etiam Ægidij Romani Tract. de Regim. Principum, lib. 2. par. 1. c. 1. quæ habet inſigne fundamentum, illud Spiritus ſancti proloquium, Prouerb. cap. 11. [Vbi non eſt gubernator, diſsipabitur populus.] Vnde Chryſoſtomus, in cap. 3. Iſaiæ, dixit: [Nihil vmquam eſt intractabilius, quàm Reſpublica, quæ vacat Principatu quemadmodum neq; periculoſius quicquam eſt, naui ſuo gubernatore deſtituta.] Et ad populum Antiochenum Homil. 6. [Si Principes de ciuitatibus abſtuleris, feris irrationabilibus ſimilem irrationalem vitã degemus, inter nos mordentes, & nos deuorantes, pauperiorem potentior, manſuetiorem audacior.] Seneca 1. lib. de Clementia, dixit: [Imperium, eſt vinculum, per quod Reſpublica cohæret.] Et Plato tamdem in Protagora ſic priùs docuerat: [Congregati homines ſibi inuicem nocebant, ſe inuicem iniurijs, & damnis afficiebant: quare diſperſi iterùm à feris lacerabantur. Neceſſe igitur fuit, vt congregati, in officio, per vnius imperium, continerentur.]

11 De nomine verò horum Præſidum, ſeu iuriſdictionem exercentium, ſi quæramus; Auguſtinus 15. de Ciuit. Dei cap. 20. non dubitat, eos Reges appellare; & eorum primum Cainum, qui in dicta ciuitate Enoch regnauerit: addens, non fuiſſe conſequens, vt primogeniti in regnum regnantibus ſuccederent patribus: ſed quos regnandi meritum, propter virtutem terrenæ vtilem ciuitati, vel ſors aliqua reperiret: vel ille po-

tiſſi-

tiſſimùm ſuccederet Patri, hæreditario quodam iure regnandi, quem pre ceteris filijs dilexiſſet.

12 Et quantum ex antiquioribus Hiſtoricis Gentilibus elicere poſſumus, Reges etiam fuiſſe nominatos, primos illos Præfectos, ſcripſit Dionyſ. Halycarnaſ. lib. 5. ſic dicens: [Omnes Graciæ ciuitates initio ſub Regibus erant; ſed poſteaquàm eorum nonnulli abuti poteſtate cœperunt, & in rebus adminiſtrandis, non tam rationem, quàm ſuam libidinem conſectari, regni tædio, magna pars ſtatum publicum mutauit: in leges, & magiſtratus, omni poteſtate, ac dominandi ratione tranſcripta,] Sequitur Corn. Tacitus ſic lib. 3. dicens: [Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhùc mala libidine ſine probro, ſine ſcelere, ideoq; ſine pœna, aut caſtigationibus agebant. At poſtquàm pro modeſtia, & pudore, vis, & ambitio ingruebat, prouenere dominationes, multoſq; apud populos æternùm manſerunt. Quidam ſtatim, aut poſtquàm Regum pertæſum eſt, leges maluerunt.]

13 Itaq; vt ex dictis omnibus colligi poteſt, primò Ciuiles hominum ſocietates, vnum aliquem virum bonum, qui ius illis diceret, Regem creabant. Is cùm temporis interuallo degeneraret, neq; ab eo ſemper ius æquabile conſequerentur, ſed ex odio, auaritia, vindictæq; cupiditate, iniquè, & factioſè iuſtitiam adminiſtraret; eædem ſocietates, legibus, à quibus non recederet, conſtitutis, eius potentiam aliquantiſper infringebãt. Cùm autem ne ſic quidem officio fungeretur, aliæ ſocietates eum nouis ſanctionibus, & regularum vinculis frænarunt, aliæ penitùs tollentes, nouos Magiſtratus inſtituère Ariſtocratiam, vel Democratiam, Rerumpublicarumve alias mixtas formás eligentes.

14 Colligitur etiam ſecundò, populorum, qui Reges, Principes, ſeu quoſcumque imperantes Magiſtratus, ſibi conſtituerunt, aliam eſſe habendam rationem ab ipſis imperantibus, quàm Politici homines aſſerunt: cùm conſtituentes illi, quà conſtituentes fuerunt, eſſent eminentiores: neque ex eo, quòd poteſtaté ſuam in Præfectos illos, vt ſibi ius equabile dicerent, tranſtulerunt, ſint non quaſi homines, ſed quaſi pecudes gubernandi. Abſit autem, vt cùm populi poteſtatem ſupra prædictos Præſides declaramus, inconditam, ac confuſam turbam, multorum capitum belluam, quam vulgus nominant, intelligamus: quæ inſipientiſſimi cuiuſquam furias, ferè ſemper, ſequitur: apud quem ſine rationis diſcrimine, ſine iudicij ordine, ſine mentis conſideratione ſæpiùs oritur

Seditio, ſæuitq; animis ignobile vulgus.
Iamq; faces, & ſaxa volant: furor arma miniſtrat.

ex Virgil. Aen. 2. Huius enim captare auram, animi corrupti, malitioſi, & iniuſti ſemper fuit vitium, apud Ethnicos etiam ſapientes, reputatum. Sit ergo propria, germana, ac Chriſtianæ diſciplinæ, poſt veram Politicam, populi acceptio, vt Procerum, Senatorum, ac eximia virtutis

Digitized by Google

probitatis iudicij,ac dignitatis auctoritate hominum prudentem,ac iure coaleſcentem multitudinem intelligamus: ex eo genere, videlicet, de quo ille apud eumdem Poetam:

Tum pietate grauem, ac meritis, ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent; arrectiſque auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

15 Populi ergo talis, regni talis, ſeu talis Reipublicæ, quæ omnia idē eſſe iudicamus, conſtituentis ſibi Principē, quocumq; nomine cēſeatur, partes potiores fuiſſe, intelligitur, conſtituto: ſicuti Geneſ. c. 39. Putifar conſtituens Ioſeph, in Ægypto ſuæ familiæ Œconomū. & Pharao toti prouinciæ Proregem: & Nabuchdonoſor Danielem conſtituens ſuper Babylonem: Daniel. c. 2. & Darius 120. Optimates ſuper regnum; ibidem c. 6. Et vt [minor ſine contradictione à maiori benedicitur;] ex Paulo ad Heb. c. 7. ſic & conſtituitur. Hinc eſt conſequens, vt ſine Regibus populi eſſe poſſint, Reges ſine populis eſſe nō poſſint: cū fuerit liberū populis, qui erant aliàs natura liberi, ne cuiq; liceret quod liberet, ſed cōmuni omnes vno vterentur iure, alio, quàm Regio, vti regimine: ſicuti Thebæi tempore Nini, Rhodij, Maſſilienſes, Romani, Carthaginenſes, vt habetur ex Euſebio, in Chron. & Strabone. lib. 4. & 14. & alijs, Ariſtocratia fuere potiùs quàm Monarchia delectati. Quòd ſi populus deeſſet, quaſi Coloſſus baſi deſtructa corruit, ſic Rex, cuius eſt fundamentum, & baſis populus, laberetur.

16 Ergo inſtitutiones regnorū, ex electione humana originē ducere, & ad ius Gentium pertinere, omnibus perſuaſum eſſe, neceſſe eſt: neque enim iure naturali, quod eſt à Deo immediatè, fit, vt genus humanum per Monarchiam potiùs, quàm per Ariſtocratiam, aut Democratiam, vel aliam aliquam formam regiminis gubernetur. Siue igitur conſtituta ſint regna, ſiue Reſpublicæ, hoc vel illo regimine, floreant, non eſt à Deo immediatè factum, vt hæc familia potiùs, quàm illa, regnum, ſiue Ducatum, ſiue quemcumq; Principatum adminiſtret; ſed populi conſenſu, & voluntate Reges, Duces, Principes ſunt conſtituti; ſiue initio electione libera, quod minus frequens fuit, populus in aliquem vnum virum bonum, grauem, & ſapientem ius ſuum tranſtulerit: ſiue quod frequentiùs accidit, tyrannicè, ac violenter oppreſſus, atq; armis, & potentia domitus, paulatim domitoris ſui Regiam, ſiue quamcumq; aliam poteſtatem approbare cœperit, & amare.

17 Sic Iuſtinianus, ex Iuriſconſulti ſententia, Inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. §. Sed & quod Principi. & l. 1. ff. de Conſtit. populo ſuam omnē auctoritatem refert, dicens. [Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem; quia populus lege Regia, quæ de eius Imperio lata eſt, ei, & in eum omnem ſuam auctoritatem, & iuriſdictionem tranſtulit.] Docet Seneca Epiſt. 108. vltra med. prouocationem ad populum etiam à

Re-

Regibus fuiſſe: tamquàm videlicet, ad fontem, vnde eorum auctoritas dimanarat: quod ipſum, Regis Tulli Hoſtilij exemplo, Liuius lib. 8. Dec. 1. confirmauit.

18 Breuiter tamdem Reges ferè vel vſurpatione, vt Nemroth, Dionyſius tyrannus: vel impoſitione Diuina, vt Saul, & Dauid, & priùs Moſes: vel impoſitione humana, vt Herodes, & Archelaus eius filius: vel electione, vt Reges Hungariæ iure regni: item & reges Poloniæ: vel ſorte, aut augurio, vt olim inter Scythas is rex, cuius ſagitta è medio ceterarum extracta: ex Guillelmo Tyrio, lib. de Sacr. bello, de Scythis: Darius Rex Perſarum, cùm eius equus, (iuxta pactum) arte quadam adhibita, primus poſt ſolis ortum hinniſſet: ex Cteſia in Perſicis, de Dario: Romulus Remo fratri prælatus, auibus ad illum pluribus conuolantibus, ex Cicer. 1. de Diuin. de Romulo: & ex Liuio Decad. 1. vel ſucceſſione, vt Salomon ſuccedens Dauidi, & Philippus III. Rex Catholicus, ſucceſſor alterius Philippi II. æternę memoriæ, & ferè omnes Europæ Reges: vel vltimò natiuitate, vt Chriſtus Dominus ſine patre in humanis, vt qui ex regibus poſthumi naſcuntur: ſi infima myſterijs altiſſimis licet aliqua ex parte comparare.

Propoſitio Anonymi adhuc conuincitur eſſe falſa. Cap. IV. §. 1.

QVAE omnia ſi cùm ſuperiùs dictis 3. Part. dub. 3. Fundam. 4. coniunguntur, optimè Propoſitionem illam Anonymi, falſiſſimam eſſe demonſtrabunt. Quantumcumque enim populos, & hominum ſocietates Magiſtratibus ſubeſſe neceſſarium ſit; & lumen ipſum naturam conſequens, id ſuo digito in hominum cordibus inſcribat; vt vitari, quamdiù viget eorum mutua communio, non poſſit: immò Principes omnes ſeculares, qua ratione iam ſuperiores ſunt, habeant à Deo in genere, & in vniuerſum, ius immediatè ſubditis imperandi: quia, videlicèt, eſt his obtemperandi præceptum impoſitum à Deo immediatè: (quod latius inferiùs, & clariùs explicabitur:) neq; aliàs eſſent illi Domini, niſi præcipere poſſent, neque hi eſſent ſubditi, niſi neceſſariò deberent obedire; attamen hos vel illos populos, eſſe immediatè à Deo huic, vel illi ſubditos Principi, Regi, Duci, Reipublicæ, omninò eſt falſum, affirmare. Quemadmodùm enim iure Gentium dominia vniuerſa fuere diſtincta, quòd verò hæc res ſit mea, illa tua, humanis eſt effectum legibus; ſic etiam in vniuerſum quòd regna ſint, ſiue Reges, Iure gentium effectum eſt: quòd verò hi, vel illi ſint Reges, ſeu Duces, &c. à ciuitatum, prouinciarũ, vel à populorũ electionibus, ſeu inſtitutionibus dimanauit.

2 Nam prætermiſſis Gentibus bello ſubactis, ſiue iniuſto, ſicuti olim Alexander Magnus Aſiã tenuit: immò ſicuti, vt ſentit Turrecr. in c. Duo ſunt. num. 2. verſic. Secundo ſpiritualis. 9. diſt. & in Sum. de Eccl. lib. 1.

Digitized by Google

cap.90.omnia quattuor Imperia fuere per violentiam vſurpata:& ſicuti hodierna die Turca, communis hoſtis, Græcorum Imperium ſuo dominatu premit: ſiue iuſto, ſicuti olim Clariſſimus Gothifredus Bullonius Dux, & alij ſequentes Reges Palæſthinam ſubiugarũt;Principes illi,qui à populo volente, & conſentiente, ad regale faſtigium, vel Principatum quemcumq; ſunt euecti,ab ipſis populis, ab ipſis hominum ſocietatibus, ſub varijs regendi formis, dominium habuerunt.

3 Caſtellani in Hiſpanijs populi olim Iudicibus, Comitibus deindè, etiam cùm alia iam in prouincia erant erecta regna, ſubdebantur: hodie Regnum Caſtellæ latiſſimæ Regis Catholici Monarchiæ obtinet principem locum. Galliarum regnum olim inter quattuor liberos, & ſupremos reges fuit diſpertitum;quorum ſedes regiæ, ciuitates Pariſiorum,Sueſſionum,& Mediomatricum, vel Rhemorum frequentibus Hiſtoriographorum monumentis, referuntur: hodiè vni Chriſtianiſſimo ſubditur Regi. Anglia antiquitùs varijs ſuberat regulis, nunc vnum agnoſcit Principem. Italia contrà, quæ olim vnius populi Romani imperio, poſteà Gothorum, & Longobardorum Regum ferè tota continebatur, noſtra hac tempeſtate inter plures eſt Principes diſtributa. Ligures Ducem habent, ſed qui biennio imperet tantùm, & multis Reipublicæ illorum adſtrictus legibus. Brabanti, & Saxones itèm Ducibus parent, ſed perpetuis, & multò liberioribus. Hybernia Inſula hodie Angliæ Regibus ſubiecta eſt: quæ olim ſummis Romanis Pontificibus ſubdebatur.

4 Angli rurſus, Galli,& Hiſpani Regibus, ſed diuerſis conditionibus imperantibus obſecundant. Heluetij,antè hos trecentos annos, Auſtriæ Ducibus ſubijciebantur;hodiè nõ Duces,ſed populares habent Magiſtratus, & pro vna Republica, quæ tunc regionem omnem complectebatur, nunc in tredecim Reſpublicas diuiduntur. Veneti populi Ducem habent, ſed pluribus deuinctum legibus;quæ rerum tamen ſunt viciſſitudines,caſus, & diſcrimina, publicarum, quid mirum, ſi iterùm vel Pontifici Maximo, vel Principibus, qui diuerſis per Italiam locis dominantur, ſubeſſent? ſicuti eorum maiores illis,antè annum quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum,(quando ex occaſione vaſtationum Attilæ Hunnorum Regis, ex illorum ditionibus confluxerunt in Venetas Inſulas,inter æſtuaria maris Barbaris inacceſſa:)obtemperabant.

5 Diſcant interim, & Anonymus ſcriptor, & omnes qui de hac Principum agentes poteſtate, vel malitia, vel ignoratione, hallucinantur: poteſtatem regiminis paſſiuam,eſſe omninò immediatè à Deo: actiuam autem in genere,in communi, & vniuersè, qua ratione dicit relationem ad paſsiuam, eſſe etiam immediatè à Deo: parere enim, & imperare, cùm ſint,*τῶν πρὸς τι*.ſeu, relata, ab eodem principio, eadem dimanatione, oriri neceſſum eſt; quod appellauit Turrecr.in Sum.de Eccleſ. c. 91. verſ. Ad ſecundam rationem.lib.1. omnem poteſtatem quò ad eſſen-

tiam

tiam eſſe à Deo immediatè. Attamen ſubiecta huius actiuæ poteſtatis illi, videlicet, qui eam exercent, quòd ſint Imperatores, Reges, Principes, Duces, Senatus, & ſimiles imperantes, non ſunt à natura, non ſunt à Deo immediatè, non ab eius verbo, non ab eius veniunt præſcripto quòd vnum, & immutabile ſit: ſed à populorum originem ducunt moribus varijs, qui neceſſarijs cauſſis, iuxta temporum, ac rerum circumſtantias, & Reipublicæ promptioribus commodis incitati, parendi, & imperādi formas commutatas aſſumpſerunt. Quod appellauit Turrecr. ibidem, poteſtatem, quò ad modum illam acquirendi, non eſſe à Deo immediatè. De quo optimè diſſerit Nauarr. in Relect. cap. Nouit. num. 147. verſ. Sexageſimo infertur. de iudicijs.

6 Quam veritatem id maximè illuſtrat, quòd ſi vniuerſum orbem mente, & cogitatione perluſtremus; non ſolùm vbi Chriſtiana religio, & diſciplinæ vigent humaniores, ſed etiam vbi ruſtica barbaries, vbi morum immanitas, & turpis Idolatriæ adhùc perſtat cultus, vt in vltimis Indiarum Orientalis, & Occidentalis terminis, expreſſa cernuntur exēpla ipſius naturalis luminis: ſubditis, vt ipſis Magiſtratibus, & Principibus pareant, commendantis: neutiquàm tamen huius, vel illius Principatus, ſeu regiminis formam immediatè ſtatuentis. Apud Calicutium, Narſingam, & longiſſima Africæ, & Aſiæ littora, apud Iapponenſes, & Sinas, in America, antè noſtrorum Hiſpanorum in eas terras appulſum dominationes, & Principatus, & reperiuntur, & ſemper fuere reperti: attamen non quos immediatè Deus Principibus tradidiſſet, ſed quos diuerſi populi creaſſent: vno loco Monarchiam meram, alio mixtam, alio Ariſtocratiam, alio Democratiam, pluris, noſtri Hemiſphærij, & Chriſtianorum Principum regiminis inſtar, varijs rationibus æſtimantes.

Reſpondetur Obiectionibus, Cap. 2. adductis. Cap. V. §. 1.

NEQVE erit difficile hanc doctrinam, ex illis ipſis teſtimonijs Scripturæ ſacræ confirmare, quæ aduerſarios pro ſe, Cap. 2. diximus attuliſſe. Primus namq; ille locus ex 8. cap. Prouerbiorum, [Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt:] ſic docet Reges à Deo habere, vt regnent, quemadmodùm habent ab ipſo, vt iuſtas leges condant. Porrò vt leges condant iuſtas, non habent à Deo immediatè: quaſi Deus illis dormientibus, vt quondam Salomoni, ſapientiam infundat, aut leges dictet: ſed conſilio, prudentia, induſtria, & labore ſuo, Deo opitulante, legum conditores, iuſta decernere conſueuere: vnde etiam humanæ, non Diuinæ, leges ſimiles appellantur. Hoc dicendi charactere, Reges dicuntur, à Deo habere vt regnent: quia cùm ſapiētiæ donum, quod eo in loco præcipuè commendatur, illis adeſt, tum

de-

demum vel ad regnum legitimè iuſteq; perueniunt, vel regnum iam adeptum probè gubernant, & moderantur.

2 Locus alter ex Danielis, c. 4. de prouidentia Dei concionatur, qua regna ſubinde mutantur, & de gente in gentem, de prouincia in prouinciam transferuntur. Prouidentia autem non tollit, ſed regit humana conſilia. Itaque non illa ſolùm dicitur Deus facere, quæ, nulla interiecta cauſſa, facit: ſed ea quoque, quæ prouidentia ipſius dirigente, vel permittente, ſuo labore, & conſilio homines faciunt. Id quod in regnis Babyloniorum, & Aſſyriorum, de quibus Diuinæ plenæ ſunt Scripturæ, manifeſtè conſpicimus. Certè enim Nabuchdonoſor, de quo Daniel ibi loquitur, tam ampli regni habenas non à Deo immediatè habuerat: qui irrita oppoſitione, ac reſiſtentia Gentium plurimarum, vi & armis ad eam fuerat euectus potentiam, ob quam etiã ſeuerè à Deo punitus fuit: & tamen, quia Diuina prouidentia, quæ rebus etiam malis benè vti nouit, improba illa regnandi cupiditate, quam in Nabuchdonoſor eſſe videbat, tamquàm virga furoris ſui, ad Gentes alias puniendas, vti voluit; dicitur, Deum illi regnum illud maximum, & nobiliſsimum conceſſiſſe. Ierem. c. 7. [Ego dedi, ait Dominus, omnes terras in manu Nabuchdonoſor Regis Babylonis.] Quomodo verò dederit, audiamus Iſaiam cap. 10. [Aſſur, inquit, virga furoris mei, baculus ipſe eſt: in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mandabo illi: vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem, quaſi lutum platearum. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic exiſtimabit: &c.]

3 Ecce miſſum videmus dici à Deo Regem Aſſyriorum, ad occupandam, & diripiendam Palæſthinam; non quòd præceptum habuerit, vbi obedientia laudaretur: ſed quia permiſit Deus, vt cupiditatem expleret ſuam, in eum populum, qui tali pœna dignus erat, puniendus etiam ipſe poſtea, quòd alienam prouinciam nullo ſibi iure vendicaſſet. Vnde in Iſaia ſequitur: [Et erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius: &c.]

4 A Deo igitur regna concedi, Reges eſſe timendos, & honorificandos, legimus in Scriptura ſacra, regna verò ipſis, ſeu quibuſque Principibus ſecularem poteſtatem immediatè à Deo eſſe donata, non legimus: vnde præſumatur, Eccleſiaſticam diſciplinam, non poſſe ſuis iuſtis legibus, eorum poteſtatem, in rebus Eccleſiaſticis, & quæ ad Eccleſiaſticos, iuxta ſuperiùs dicta, pertinent, inhibere. Si enim ſic liceret argumentari, conſequens profectò eſſet, priuatis hominibus, quicquid tandem habent, immediatè à Deo dari: nec poſſe vlla de cauſſa per ipſos ſeculares Principes, legibus latis, ſuorum ipſis poſſeſſione bonorum interdici, Pauli Apoſtoli eſt inſignis illa ponderatio, Act. c. 14. [Et quidem non

ſine

ſine teſtimonio, ſemetipſum reliquit, benè faciens, de cælo dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.] Et cap. 17. ſic loquitur: [Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli, & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis habitat: nec manibus humanis colitur, indigens aliquo; cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.]

5 Colligamus nunc, iuxtà Aduerſariorum Dialecticam, argumentum hac ratione: Deus dat omnibus vitam, inſpirationem, cibum, & omnia: Ergo nullam poſſunt ſeculares Principes edere legem, per quam, cauſſa ex quacumque, eorum ſubditi, vitæ, inſpirationis, cibi, & ſuarum facultatum omnium vſu priuentur: Ergo iniuſti ſunt omnes Magiſtratus, qui latrones, adulteros, proditores, maleficos, alioſque id genus homines, vel bonorum mulctant ablatione, vel in eos mortis etiam pœna cenſent animaduertendum. Vitioſum ſanè argumentum; cuius abſurditas, falſam illam de regibus à Deo immediatè datis, & ex conſequio, nullo modò ad obſeruationem legum Eccleſiaſticarum adſtringendos, ſententiam grandi demonſtrat abſurditate laborare.

6 Immò ſi hæc loca Scripturæ aliquid cõtra allatam doctrinam probarent, eodem modo, neque genitos à parentibus filios eſſe, ex eadem Scriptura probaretur: cùm Chriſtus Dominus, Matth. c. 23. nominari in terra patrem, prohibuerit: vnumque patrem, qui in cælis eſt, aſſeruerit, tantùm eſſe. Quo dicendi charactere, Deũ præcipuè eſſe, & agnoſcendum, & inuocandum, quis neſciat, explicari? An quia mater ſeptem iuuenum ſanctorum Machabæorum, lib. eorum 2. c. 7. aſſeruit, ſe ignoraſſe, quomodo in vtero ſuo apparuerint, & ſingulorum membra haud ab ipſa fuiſſe compacta, ad Creatorem omnium, illorum referens originem, exiſtimanda eſt, non illos genuiſſe, non tuliſſe in vtero, non peperiſſe, aluiſſe, erudiuiſſe?

7 Neque verò ſi Deus Ioſephum, Geneſ. c. 45. pro ſalute patris, ſuorumq; fratrum præmiſit, ideò qui eum vendiderunt fratres, aut ſcelere non ſunt contaminati, aut reprehenſione caruerunt: quaſi nihil per eos factum ſit in eo, quod pœna grauiſſima meruerit vindicari? Similiter quòd decem tribubus à Roboamo deficientibus, 3. Reg. c. 10. verbum hoc Deus à ſe factum eſſe affirmet, haud dicendus eſt, Rex imprudens, & ſuperbus, cauſſam non dediſſe, aut non erraſſe in eo grauiter, quòd iuuenum fuerit conſilijs, iam ſpretis ſanis Seniorum monitis, obſequutus? Neque ſi Deus eſt, qui dat incrementum, ex 1. ad Corinth. c. 3. inde Paulus plantando, & Apollo rigando, nihil omninò feciſſe dicendi ſunt: cùm Paulus certiſſimum ſe, ſecundùm ſuum laborem, præmium recepturum fateatur. Error certè craſſus nimium hic eſt, quod Deo permittente, ſiue etiam inſpirante, ac promouente, ac tamdem vbique, & in omnibus prouidente, fit, ipſi ſoli Deo tribuere, vt cauſſis medijs, ſuus agen-

Digitized by Google

di curſus,ſiue cõcurſus denegetur. Sunt ergo Reges à Deo,ſũt ab eo geniti, & eius nutritij, ex Homero, à quo omne bonum,ſeu [datum optimũ, & donum perfectum eſt:] ex Iacobo ſua Epiſt.Canon.c.1.quod nõ vetat, intermedio iure Gẽtium, & per populos fuiſſe ſuis ab initijs cõſtitutos.

8 Neque in illo antiquo populo, cui Deus, ex ſpeciali priuilegio, de Regibus aliquando prouidit, fuit Iudæorum alia mens, quàm Reges habere aliarum nationum inſtar: exponentibus illis ſic Samueli, 1.Reg.c. 8. [Conſtitue nobis Regem, ſicut habent vniuerſæ per circuitum nationes.] Iam verò certum eſt,apud Medos Deiocem,quòd primò amicorum, & vicinorum rixas componebat, iudicem, deinde Regem electum fuiſſe: vt poſt Herod. lib. 1. Cicer. 1.Offic. recenſet. Romani autem primos ſuos Reges ſuffragijs populi communibus conſtituerunt. Quin & Iulius Cæſar,ex Sueton.arrepto Imperio,quò tutiùs regnaret, à populo ſe fuiſſe creatum, credi volebat: quem ſequuti ſunt Auguſtus, Tiberius, Caligula, & Claudius,populi conſenſum,ſuo firmando Imperio,poſtulantes. Neque modò pergimus vlteriùs proferre,quænam in populo perſtet auctoritas,poſt Regem creatum:quia haud ad Regum, ſeu Principum ſcribimus eneruandam maieſtatem: ſed hoc intendimus probare, eos non immediatè à Deo;vt docet Anonymus falsò, ſed à Republica gubernandi facultatem habuiſſe.

9 Ad præfatum ſimiliter modũ intelligenda ſunt alia loca, ex Ieremia, Oſea, & Iob, ſuperiùs allata. Illud autem Iſidori penultimo loco poſitum, nihil efficit aliud, niſi Reges potentes, ſi probi eſſe nolint, vix poſſe,& ne vix quidem,experientia ipſa Magiſtra,ad rectam reduci viã; cùm plerumque contingat, vt nemo ſit, qui eos, licet iure damnatos, re ipſa cogere,& coercere queat: quod in Ludouico Iv. Friderico 1I. Imperatoribus, in Boleslao Poloniæ, Henrico v11I. Angliæ Regibus, immò in pluribus alijs iniuſtis Principibus fuit olim cumulatiſſimè comprobatum. Neque ſilendum eſt,Iſidorum non ſcribere, nullum eſſe à quo Reges in ordinem cogi poſſint, eò quod à Deo ſint regnis immediatè præfecti: ſed ait,difficile eſſe reuocare Principem in melius: quod vt verum eſt, ita nihil contra noſtram veram pugnat ſententiam,Reges videlicet, & Principes ſeculares,non à Deo immediatè,ſed ab hominibus fuiſſe regnis, ſeu Rebuſpublicis inſtitutos.

10 Tandem,vt multa paucis perſtringamus: Poteſtas temporalis in genere,eſt à Deo immediatè:[Per me,] dicente eius Sapientia, Prouerbior.cap.8.[Reges regnant,&c.] quod & Auguſtin.latè probat, 4.de Ciuit.Dei,cap.5.quod cum S.Thom.1.p.q.96.eius Interpretes demonſtrãt: ſimilemque poteſtatem in ſtatu innocentiæ addunt perfectiſſimè fuiſſe reperiendam,& experiendam.

11 Præterea,poteſtatem temporalẽ,eſſe in genere, & in ſpecie à Deo, ſpeculatiua ratione, verum eſt;quia cùm Deus ipſe infuderit Protoplaſti

Adami intellectui omnium ſcientiarum habitus: nihil eſt dubium, intra eorum latitudinem omnia genera, & ſpecies omnes habituum ſcientiarum Ethicarum, & Politicarum contineri. Attamen, practica ratione, rem conſiderando, omninò falſum eſt, dictam poteſtatem à Deo immediatè in ſpecie effluxiſſe; poteſt enim eſſe alicuius ſpeciei Politicæ adminiſtrationis adhùc incognitæ, vel ex pluribus coaleſcere cognitis regiminis Politici, quæ omnia omnipotentia, & omniprouidentia Creatoris hominum commodis, arbitrio, & inuentioni ſeruauit: cùm illos in manu ſui conſilij dereliquit: vnde tot, ac tam multiplices regiminum formæ, à varijs hominum nationibus, varijs fuere temporibus introductæ. Quòd ſi in indiuiduo tamdem de hac ſit agendum poteſtate temporali, eſt pluſquam falſum, in vniuerſum loquendo, illam immediatè à Deo Principibus conceſſam; quantumuis aliquibus veluti Moyſi, Sauli, Dauidi, alijſque nonnullis à Deo dictam ſecularem poteſtatem fuiſſe, ex priuilegio, immediatè traditam cognoſcamus.

12 Doctrinam hanc, alijs Scholaſticis etiam loquendi formis, tradunt inſignes Doctores, ſuper vltima diſtinct. 2. Sentent. occaſione quæſtionis per Magiſtrum excitatæ, de poteſtate Dæmonum: Bonauentur. Art. 2. q. 1. Durand. q. 2. n. 6. AEgidius q. 13. Carthuſian. q. 4. Docent enim in poteſtate præſidentiæ tria poſſe, immò debere, conſiderari: primò, eius eſſentiam: ſecundò modum, quo acquiritur: tertiò illius vſum. Quò ad primum, eſſe à Deo immediatè, certum eſt: quò ad alia haud eſt neceſſe, vt ab eo emanent abſque medio; dicente Propheta Oſea, c. 8. [Ipſi regnauerunt, & non ex me; Principes exſtiterunt, & non cognoui.] Firmum igitur perſtet apud Catholicè de poteſtate ſeculari ſentientes, eam quò ad productionem in genere, à Dei, ſcilicet, voluntate, & inſtituto proceſſiſſe immediatè; at quò ad exſequutionem, & ſuam operationem, de lege communi, ab hominum inſtitutione dependere.

13 Hinc qui ex profeſſo de poteſtatibus Eccleſiaſtica, & Laica tractarunt, hanc definierunt eſſe, poteſtatem naturaliter à Deo immediatè datam hominum communitati, ad ſeſe gubernãdam in rebus naturalibus, & benè beateq; viuendum, ſecundùm rationem naturalem: poteſtatem autem Eccleſiaſticam: hac explicarunt definitione; eſſe videlicet, poteſtatem à Chriſto immediatè, & ſupernaturaliter inſtitutam, ad fideles, iuxta legem Euãgelicam, in rebus ſupernaturalibus, & quatenùs ad illa eſt opus etiam in naturalibus, gubernandos. Cum hac tamen diſtinctione, quòd cuiuſcumque Laicæ poteſtatis caput, ex rei natura, & ſecluſo priuilegio, Deiq; ſingulari facto, non eſt ab ipſo Deo immediatè erectũ: cùm in Eccleſiaſtica poteſtate, eius primum, ac fundamentale caput, quod eſt ſummus Pontifex Romanus Petri ſucceſſor, & Chriſti Domini Vicarius, ſit ab ipſo Chriſto immediatè, ac diuinitùs conſtitutum. De quo ſuo loco infra pluribus erit dicendum.

Chriſti Domini doctrina, prædicta confirmantur. Cap. VI. §. 1.

IN 2. Parte huius Tractatus, dùm II. Concluſionem exponeremus, illam ſufficienter in genere, ex Chriſti Domini illo ad Phariſæos prudenti reſponſo, Matth. c. 22. [Reddite quę ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo;] aſſeruimus, comprobari. Quòd ſi iam attentiùs, & ſpecialiùs eam diſpiciamus, vniuerſas, de Politia Eccleſiaſtica, controuerſias, ſemel cum omnibus ſecularibus Principibus dirimemus. Pro qua auctoritate, ad Anonymi falſam, & Hæreticam eſſe doctrinam, demonſtrandum, inducenda, erit operæpretium aduertere: triplicem, inter alias, grauem quæſtionem, fuiſſe Chriſto Domino, dum in terris viſus, & cum hominibus fuit conuerſatus, ex Baruch, c. 3. propoſitam: primam Facti, ſecundam Iuris, tertiam, vtriuſque, & Facti, & Iuris difficultatibus innodatas.

Prima quæſtio Chriſto propoſita.

2 MATTHAEI igitur cap. 17. ſic habetur: [Cùm veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait, Etiam. Et cùm intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt didrachma, vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, eum piſcem, qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.] Hæc fuit, quam conſideramus, prima quæſtio, & fuit Facti: ea, ſcilicet, An Chriſtus, vel ſolitus eſſet didrachma cenſus ſoluere Imperatoris Romani, publicanis eius exactoribus? vel illud tunc vellet facto ſoluere? & tandem, ſi quantumcumque ſoluere vellet, adhuc tunc eſſet, vel non eſſet ſoluendo?

3 Et prætermittamus modo Petri ſubitam, & parùm conſideratam, licèt humilem, & piam reſponſionem; qui iuris, per Chriſtum Præceptorem, quæſtione non deciſa, ſpontaneum illum obtulit cenſus exactoribus debitorem, quem Filium Dei viui, primò, Matth. c. 16. ex ipſius æterni Patris fuerat confeſſus reuelatione: immò ſuper quem, vt ex eodem c. 17. habetur, in Thabor monte glorificatum etiam corpore, eumdem Patrem æternæ illius, ſicut inſtantis ſemper & generationis, & natiuitatis audierat teſtatorem: quod certè, propter plures rationes, quas, ne longiùs euagemur, facere non debuiſſet: ne ſua illa liberalitas, illiberalis, immò ſanctorum iurium prodiga videretur. Ad Chriſti Domini doctrinam attendentes, in hac Facti quæſtione, qualiter Diuiniſſima ſua ſapientia ſe geſſerit, conſideremus: ex hoc enim plura documenta Eccleſiaſtico ſtatui valdè neceſſaria deducentur.

SEX

SEX DOCVMENTA NOTANDA.

4 IAM primò, Chriſtus Dominus in rebus, quæ non perſonam vnam, ſed totum Eccleſiaſticum concernunt ſtatum, noluit, vt ſingulis vna perſona facilitate, ſeu humilitate ſua, ſiue obedientiæ, ſiue demiſſionis prætextu, vniuerſo præiudicet ſtatui: ſecularium iniquis prætenſionibus, ſeu poſtulationibus conniuendo, vel annuendo, vel non obſtando, vel modo quocumque omiſſione, ſiue commiſſione, iura Eccleſiaſtica violando; ſicuti Petrus, nimia illa ſua feſtinatione, ſeu feſtinata animi demiſſione admiſit, Magiſtrum didrachma ſoluturum; immò inter ipſum Magiſtrum, & cenſus publicanos exactores, ſe medium interpoſuit exactorem.

5 Secundò, vult Chriſtus Dominus, vt iuris Eccleſiaſtici ſtatus, ſiue ad perſonas, ſiue ad bona ſpectet, talis omninò habeatur ratio, vt illius quicumque profeſſores illud tueantur, defendant, & explicent, & explicari faciant, pro ſecularibus ſatisfaciendo: vt ſi quid de illius rigore, quacumque ex cauſſa, fuerit remiſſum, vbi remitti poteſt: id ſibi perſuadeant, Eccleſiæ prudenti conſiderationi, & diſpoſitioni, non ipſorum ſecularium præſumptuoſæ, eſſe attribuendum facultati.

6 Tertiò, vult Chriſtus Dominus, vt in ijs, quæ Facti quæſtionem concernunt, Eccleſiaſtici, & eorum Prælati, & maximè Pontifex ſummus ſcãdalo ſtudeant vitando: actiuo ſcilicet, vt ſupra, Parte 2. dictum fuit; qua animaduerſione praua, multa, quæ de facto in orbe Chriſtiano contingunt facinora, in quibus dijudicandis Eccleſiaſtica Politia, & immunitas à laica Poteſtate, vel præuenitur, vel opprimitur, ſeu opprimi videtur, vel omninò violatur; ſtante adhuc illius ſtatus iure, & à dicta Poteſtate non negato, licèt his, vel illis occaſionibus intercepto, poſſunt, aurea quadam inter vtriuſque ſtatus iudices interueniente mediocritate, quietari.

7 Mirum eſt enim, & ſumma dignum conſideratione: quod cùm idem Dominus IESVS, apud eumdem Matth. c. 15. docuiſſet ſic turbas: [Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem:] & ſtatim illius aurem Diſcipuli vellicaſſent, dicentes: [Scis, quia Phariſæi, audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt;] ipſe Præceptor ſic reſponderit: [Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorũ;] eumdem tamen de ſolutione didrachmatis poſtulatum, illud dari iuſſiſſe: ne modo quocumque cenſus ſcandalizaret collectores.

8 Cuius doctrinæ Dominicæ, ea videtur eſſe dubio procul ratio; ibi, videlicet, rem cum doctis Phariſæis, hic autem cum indoctis Gentilibus, vel idiotis actitatam fuiſſe publicanis. Apud doctos enim illos, ſcandalum erat paſſiuum, & ideò ſpernendum: vt cui non ſit neceſſum, immò ſit impoſſibile, homines medicari: apud hos idiotas, & ſolùm ſapientes

menſarios, ſcandalum fuiſſet actiuũ; & ideò voluit illud Chriſtus euitari.
9 Poſſent enim publicani illi hac, vel ſimili ratione, Petrum forſan conuenire; ſi Chriſtum iam intus, & ſecretò conſultum retuliſſet, immunem ſe eſſe à cenſus ſolutione aſſeuerare, dicẽtes: Veſtras Philoſophicas, Metaphyſicas, ſeu Theologicas excuſationes, ſeu quomodocumque prætenſa iura, non intelligimus: Cæſarem agnoſcimus Regem, cum poteſtate à Deo ſibi immediatè conceſſa, in omnes ſtatus hominum, ſine exceptione: (ſicuti modò aſſerit hic Anonymus) ceteros æſtimamus vaſallos, & tributo ei reddendo obnoxios; quicquid Phariſæi contra ſentiant: ſi liber eſt Magiſter veſter, id nunc exſoluat, eam libertatem ignorantibus, quod poſtea coram ſua iura ſcientibus repetat: quia hæc erunt ſigna iuſti, & æqui Magiſtri, & viam Dei, in veritate ſinceriùs edocentis, ſi Principi velit, ſua eſſe vectigalia perſoluta.
10 Quartò, vult Chriſtus Dominus, vt antequàm, vel ad vitandum ſcandalum, vel ex condeſcenſione, vel ex humilitate, vel quacumque alia ex conſideratione, Eccleſiaſtici viri, & eorum Prælati in facto, in ſententiam ſecularis eant Poteſtatis, Eccleſiaſtica omninò, circa ſubiectam materiam, iura firmentur. Alio enim modo res ſe habebunt, ſi tam circa perſonas Eccleſiaſticas, quàm circa eorum bona, aliquid fuerit inter Eccleſiaſticos, & ſeculares ex æquo & bono, & quaſi per gratam, & charam Concordiam tranſactum: immò aliter ſe gerent, in condendis legibus Politicis laicæ Poteſtates, ſi ab Eccleſia, & legis Chriſtianæ examine eas, vel ſciant, vel ſibi perſuadeant, dependere: alia verò ratione hæc omnia ſe habebunt negotia: ſi præiudicata vana ſententia, in ſuos induxerint animos, ſeipſos immediatè, ſine exceptione, in ſtatus omnis generis dominari.
11 Quintò, voluit Chriſtus Dominus, vt horum iurium, & ſacræ hominum, & bonorum immunitatis iudicium, penes ipſos Eccleſiaſticos, penes ſummum Pontificem, penes ſacra Concilia reſideret: ipſi ſoli de ijs decernerent, ipſi deciderent: qui non remiſit Petrum ad quemquã hominum alium conſulendum, circa ſuam, & ſuæ familiæ Eccleſiaſticæ immunitatem: ſed conſulto Petro, ſtatim decretum tulit, iuxta illius ſententiam, de hac Eccleſiaſtica immunitate, dicendo: [Ergo liberi ſunt filij;] vti ſupra fuit latiùs explicatum.
12 Ex quo ſextò colligimus, valdè decipi, qui materiam vbicumque controuerſam inter S. Sedem Apoſtolicam, ſeu Eccleſiaſticos, & ſeculares Principes, de Eccleſiaſtica iuriſdictione, aſſerunt, eſſe facilem, leuem, & inferioris momenti, quàm quæ tam efficacibus debeat tractari medijs, qualia ſunt Excommunicatio, & Interdictum. Nam ſummo Pontifici Romano præit doctrina Chriſti, cui debet inſiſtere; & ſicuti ex parte materiæ, & obiecti, de quo inter Sedem Apoſtolicam, ſeu Eccleſiaſticos, & Poteſtatem laicam, de prædicta Politia, verſatur quandoque quæſtio,

eſt

eſt res facilis compoſitionis : quia habet latitudinem, non enim in Mathematicis conſiſtit immotis, vel proportionibus, vel adnumerationibus: ſic ex parte efficientis cauſſæ, eſt difficilis, & cui firmandæ, decidendæ, & explicandæ omnes debeat ſummus Pontifex neruos intendere, vt ſemel intelligant ſeculares Principes, haud ſe habituros propria manu, & auctoritate, quod illis eſt ab Eccleſia, & à ſuo ſupremo Rectore, rerum neceſſarijs omnibus circumſtantijs perſpectis, vel exſpectandum, vel expetendum.

Secunda quæſtio Chriſto Domino propoſita. Cap. VII. §. 1.

PRAEMEDITATA ratione diximus ſtatim, tributi Cæſarei exactores potuiſſe Petro, Phariſæorum contrariam ſententiam, de cenſu Imperatori Romano præſtando, commemorare: vt ad ſecundam Chriſto Domino de Iure propoſitam quæſtionem, aditum faceremus. Pro qua legimus inducenda, ipſius Reparatoris noſtri in carne mortali degentis tempore, vel circà illud, Rempublicam Hebræorum nouis, & iniquis fuiſſe oppreſſam vectigalibus: ſic ſcribente Cornelio Tacito, 2. lib. Annal. [Per id tempus Antiocho Comagenorũ, Philopatre Cilicum, Regibus defunctis, turbabantur nationes; pleriſq; Romanũ, alijs regiũ imperium cupientibus. Et prouinciæ Syria, atque Iudæa feſſæ oneribus, diminutionem tributi orabãt.]

2 Hinc verò ſumenda videtur ratio, quare apud Iudæos, publicanorũ, qui erant horum vectigalium exactores, nomen malè audiret; vt Chriſto opponeretur illorum conſueta conuerſatio, etiam conuiuijs approbata; Luc. c. 5. eos enim peccatoribus publicis exæquabant: immò vt ipſe Chriſtus Dominus, Matth. c. 18. Chriſtianum Eccleſiæ non parentem cum Ethnicis, & publicanis iuſſerit numerari.

3 Certum namque eſt, publicanorum ordinem Romæ honeſtiſſimum, ac Equeſtris dignitatis extitiſſe: referente pluries Cicerone; ſed præcipuè dum ſic ſcripſit pro Plancio. [Flos enim Equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipub. publicanorum ordine continetur.]

4 Apud Iudæos verò contra adeò ſe res habebat, vt Thalmudici Doctores agentes de iudicum reiectione, aſſerant, reijciendos eſſe in iudicio, paſtores, גבאין vegabbain, ideſt, & publicanos, & *ἐπιτρόπους*, ideſt, negotiorum geſtores, in Pandect. diſpenſatores, ſeu procuratores: hi enim vnà cum furibus, & fœneratoribus, impoſtoribus, alijſque infamia notatis perſonis, eadem Categoria claudebantur. Horum eſt ratio, quia cum Iudæi decimas tantùm in lege præſcriptas, & vectigalia ſancta pendere quotannis ſolerent: inuiti Romanorum publicanos, cenſum extra-

neo

peo Principi corrogantes, videbant: ſiue illi Romani eſſent, ſiue ciuitate donati Romana, vt moris erat publicanis dominis, inferiores publicanos ex vrbe, vel prouincia, vbi degebant, electos, in partem ſuæ adminiſtrationis cum eo honore vocare: ſiue quomodocumque illorum eſſent ſocij: de quibus l. 1. §. hic ff. de public. & vect. & com. Vnde etiam ſi dicti publicani Iudæi eſſent, ob præfatam cauſſam, quaſi publica notatos infamia auerſabantur.

5 Populum ergo Iudæorum, ſeu Principes Sacerdotum, Scribas, & Phariſæos, qui eum omnē repræſentabant, miſiſſe videmus apud Matth. c. 21. & 22. Marc. c. 11. & 12. & Luc. c. 20. ad Chriſtum quoſdam ex Phariſæis, cum Herodianis, vt ſuper grauiſſima Iuris quæſtione illum conſulerent: ſicuti, & conſuluerunt; ſic illi exponentes, poſt longum ſuarum integerrimarum qualitatum exordium declamatum: [Magiſter, licet cenſum dari Cæſari, an non?]

6 Et priuſquam Chriſti Domini prudentiſsimam reſponſionem referamus, noſcendæ ſunt quæſtionem proponentium, & eorum, quos ſibi ſocios aſciuerunt, conditiones; vt diſcrimen eluceat, in quod Chriſtum conijcere nitebantur. De Phariſæis ſic ſcribit Ioſephus lib. 17. Antiq. c. 3. [Erat, inquit, quædam Iudæorum ſecta, exactiorem patriæ legis cognitionem ſibi vendicans: quibus tamquam Deo, vt videri volebant, charis, addictum erat hoc mulierum ſodalitium. Hi Pharisæi vocantur, genus hominum aſtutum, arrogans, & interdùm Regibus quoque infeſtum, vt eos etiam apertè impugnare non vereatur. Nam cùm tota gens Iudæorum fidem ſuam iureiurando obligaſſet Regi, & Cæſari, hi ſolùm non iurauerunt, excedentes ſex millium numerum, quibus hoc nomine à Rege mulctatis, Pherore vxor pro ijs mulctam perſoluit.]

7 Herodiani autem fuere appellati, qui Cæſari tributum contendebant, eſſe ſoluendum; ea verò videtur fuiſſe eorum nomenclaturæ ratio; quòd Herodes Cæſari faueret impensè; & vti Ioſephus ait, Cæſaris tributis in Iudæa quodammodò præeſſet. Hæc fuit ſententia Origenis, Tract. 21. in Matth. & Hieronymi in illius Commentarijs. Immò addit Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Iſaiam c. 11. Herodianos fuiſſe publicanos ipſos, qui illa tributa colligebant.

8 Ecce quam aleam erat Chriſtus Dominus inter Phariſæos, & Herodianos, ſeu publicanos, in propoſita decidendá quæſtione, ſubiturus. Nam Phariſæi, qui Herodi, vti ex Ioſepho retulimus, aduerſabantur, finxere, ſe huius quæſtionis, quæ cum Herodianis ab eis agitabatur, Chriſtum iudicem conſtituiſſe: cùm, malignitate aliàs occultata, ideò illam ei proponerent, vt omninò vndecumque, & pro quacumque parte Chriſtus quæſtionem dilueret, poſſent illum in inuidiam conuocare. Et quidem ſi à parte ſtetiſſet negante, duplici ouarent victoria, & ſuam apud populum ſententiam grauiorem reddentes, vt cui tantus Doctor adhæ-

Digitized by Google

ſiſſet: & Doctorem læſæ Maieſtatis protinùs apud Herodianos incuſantes: vt Luc. c. 23. poſteà falsò eum inſimularunt, quaſi populum, & gentem à ſoluendis Cæſari vectigalibus ſubuertiſſet. Si verò Chriſtus à parte ſtetiſſet aiente, firma apud Phariſæos ſtaret conſequentia, illum, ſcilicet, non eſſe Meſſiam, & promiſſum Iudæis Regem, qui tantum abeſſet, vt eos, ſicuti ſperabant, ex Iſaia cap. 14. à tributis ſoluendis liberaret; vt potiùs demonſtraretur, & patriæ legis contemptor, & Gentilis regis blandus adulator: vnde dubio procul apud plebem nimium Chriſti eſſet auctoritati derogatum.

9 Erat & ſecunda, pro reſpondendæ quæſtioni, Chriſto oblata difficultas; iam antiquis cognita Prophetis, difficilibus, ſicuti, & iniuſtis, experientijs; & quæ futura eſſet etiam Euangelij Prædicatoribus, & Apoſtolis cum illis communis: hæc eſt de Regibus, & Principibus, & laicis, in frequenti concione ad populum, agere Poteſtatibus: ac tandem de omnibus Præfectis, à quibus vtriuſque ordinis, & Eccleſiaſtici, & ſecularis gubernacula diriguntur. Res quidem non ſolùm difficilis, ſed & periculoſa, à pauciſſimis intellecta Concionatoribus, à paucioribus feliciter tractata, & à paucis in poſterum, ſi ex præteritis licet præſumere, pro rei dignitate, æquitate, & maieſtate tractanda: Spiritu Chriſti IESV ardenti oratione non præconcepto.

10 Attamen tertia alia difficultas, & Phariſæorum, & Herodianorum malitiam, & temperati de Regibus ſermonis in publico proferendi, excedens difficultatem, Anonymi, contrà quem agimus, petit doctrinam: cùm ſecluſis malignantibus illis percontatoribus, Cæſaris etiam ſecluſa cauſſa, quæ quaſi de Principe in Rempublicam Hebræam tyrannide dominante, vel reijci poſſet à Chriſto verbo, vel contemni ſilentio: hoc vnum poterat tunc à Chriſto peti, & hoc nunc petimus: Republica Hebræorum ſic inſtituta, vt à Deo tam paſſiui, quàm actiui regiminis immediatè acceperit poteſtatem; vt conſtat ex tota antiquæ Paginæ ſerie, & ex Paulo Apoſtolo ad Galat. c. 3. affirmante; [legem fuiſſe illi ordinatam per Angelos in manu Mediatoris;] quod dixerat ſic Stephanus ad ipſos Hebræos Act. c. 7. [Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum:] & deindè doctrina hac Anonymi ſtante, Cæſarem ſcilicet, qui iure belli aliàs principatum in dictam Rempublicam exercebat, à Deo immediatè, eo ipſo habuiſſe ius imperandi ſuper illam: ad quem videlicet, tunc ex ijs hoc ius, & hæc gubernandi facultas, & auctoritas pertinebant, ad laicamne Iudaicam Poteſtatem, an ad Cæſarem Imperatorem? Rogabant ergo, & rogamus, Chriſte Domine, licet ne, cenſum dari Ceſari, qui à te Deo habet immediatam poteſtatem, an licet, cenſum ipſi denegari à laica Poteſtate Iudaica, à te immediatè condita: vt illud Iſai. adimpleretur vaticinium, cap. 9. dicentis: [Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris

eius

eius ſuperaſti : ſicut in die Madian.]

11 Hic Chriſtus Dominus, cùm [fruſtra iaciatur rete antè oculos pennatorum:] ex Prouerb. cap. 1. non tantùm hypocritarum, àd quos tunc habuit ſermonem, vt conſtat ex ipſo reſponſionis hoc exordio: [Hypocritæ, oſtendite mihi numiſma cenſus:] ſed huius Anonymi doctrinæ, & omnium Principum ſecularium proprijs cancellis retinendæ poteſtati, præparans, & receptans generale remedium, adeò prudenter reſponſionem temperauit: vt ſi ſemel intelligatur, omnis per eam, de ſtatus Eccleſiaſtici, & Secularis immunitate, & prætenſione, controuerſia dirimatur. [Reddite, inquit, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.] Breuis ratio, & oratio, longiſſimis tamen, ſicuti & grauiſſimis, myſterijs onerata.

12 Deo enim, quaſi immediato Imperatori, Regi, & Domino, quæ ſua ſunt, reddenda eſſe, docuit Chriſtus: quoniam [Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur Gentium:] ex Pſalm. 29. Cæſari, & cuicumque Principi ſeculari, quæ ſua ſunt, reddenda eſſe, etiam docuit: quod & poſtea ex eius ore inſigniter docuerunt Petrus, & Paulus Apoſtoli, latiſſimè ad hoc à nobis ſupra 2. Part. inducti. Difficultas tamen in eo maximè verſatur, quòd Chriſtus Dominus adeò fuerit generali ſermone loquutus, vt nihil de hac & Dei, & hominis Principis poteſtate, indiuidua contrahens ratione, videatur adſpectu primò inſinuaſſe, cultum Deo Diuinum tantùm, quod aliàs videbatur eſſe manifeſtum, perhibendum: cetera cuncta temporalia Cæſari tunc, & Principibus alijs ſecularibus, tamquam in ſuis iuribus exercendis Deo immediatis, in poſterum reliquiſſe.

13 Nihilominùs, qui ſic Chriſti reſponſum, & explicarent, & applicarent, & ipſum Deum eſſe, & Dominum Sacramentorum, ſeu rerum merè ſpiritualium affererent, ceteris nuncium remiſiſſe, vt ea immediatè à Principibus in omnes ſtatus hominum, ſine exceptione, gererentur, illud ipſum cum Syris illis 3. Reg. lib. cap. 20. ſentirent, qui de Iſraele vincente, ſic dixerunt: [Dij montium ſunt Dij eorum;] immò breui temporis progreſſu, cum illis apud Iob cap. 22. delirarent, dicentes de Deo: [Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat.] Vndè quo vela contrahamus, eſt pluſquam certum, Chriſtum Dominum reſpondiſſe, Cæſari cenſum reddendum: quia licèt non haberet à Deo immediatam poteſtatem, cùm tyrannicè, & iniuſti belli iure Hebræorum regnum inuaſiſſet, in illius tamen dominium populus iurauerat, & illum in pace conſeruabat; immò ab ipſo populo quaſi ſpontaneè in Regem fuerat exceptus; ſic apud Ioannem c. 19. dicente ad Pilatum, [Non habemus Regem, niſi Cæſarem.]

14 In altera autem parte reſponſi, adeò clarè, adeò amplè Iudæos non ſolùm in rebus religionem concernentibus, verùm in temporalibus per legem, per ſuas congruas, & honeſtas traditiones, per ſuos vſus,

ſuas

Google

ſuas praxes, & conſuetudines æquas, & iuſtas, tam in ſtatu Leuitico, & Eccleſiaſtico, quàm in ſtatu ſeculari, iuſſis, ſtatutis, & obſeruatis, voluit eſſe liberos: vt ea omnia tamquàm à Deo profecta, & Deo debita, Deo reſponderit perſoluenda.

15 Quæ doctrina cùm à Chriſto Domino, non propter Iudaicum populum præcipuè, ocyùs, ob ſua ſcelera immania, immanibus tradendum hoſtibus, & ad finem vſque ſeculorum diſpergendum, tradita fuerit; ſed ad inſtruendum Chriſtianiſmum, & omnes illius ſtatus profeſſores; hunc omninò & facit, & facere debet, ſicuti & ſemper faciet apud quoſcumque Catholicos, & populos, & Principes ſenſum: Dictis, videlicet, Principibus reddenda fore à Chriſtianis vectigalia; præſtandum eis ab omnibus honorem; reuerentiam exhibendam; eorum obediendum legibus, quæ iniuſtæ non ſint ab Eccleſia declaratæ, reſpectiuè ab omni hominum ſtatu; iuxta ſuperiorem 2. Partis doctrinam: hoc tamen, iuxta cuiuſque Principis, non à ſe ſibi arrogatam, ſed à Republica, & legibus conceſſam poteſtatem; à qua habent, vt ſint Principes, vt dictum eſt, & clariùs infra deducetur. In reliquis ordinem Eccleſiaſticum eſſe, tamquàm miniſtrorum Dei peculiarem ſtatum, Deo, ab ipſis Principibus, immunem conſeruandum, & reddendum.

16 Præterea, quòd etiam in reſponſione ipſa Chriſti Domini includitur, ſtatum ipſum ſecularem Principi ſubditum, non eſſe perindè, ac ſi totidem eſſent manubiæ victricibus Regum armis acquiſitæ: quas propterea, ſuo arbitratu, poſſent diſtribuere, ac diſſipare: non eſſe perindè, ac ſi Principes Dij eſſent, fataque poſſent ſuo nutu ſubditis diſpenſare, eoſque haberent vti mera mancipia, in eum finem condita, vt Regum ſolùm vſibus inſeruirent. Immò valdè mirum eſt, Principibus Chriſtianis, eorum prauos Conſiliarios, & Doctores exponere, in illorum inueniſſe iuribus, poſt Chriſti lucem, & Euangelij veritatem, & doctrinam mundo affulgentem, eam poteſtatem in Eccleſiaſticas perſonas, quã Ethnici, & præcipuè Imperatores Romani, iuriſdictionis, & imperij auidiſſimi, numquàm in gentem Iudaicam inuenerunt, numquàm in gentẽ Chriſtianam inueniſſent. Vt tamen Chriſti Domini hæc deciſio, & ad dubium hoc ſecundum reſponſio adhùc clariùs explicetur, ad tertiæ quęſtionis, oportet, tractationem accedamus.

Tertia quæſtio Chriſto Domino propoſita. Cap. VIII. §. 1.

QVIA verò poſſet Anonymus adhùc inſtare: Chriſtum Phariſęos, & Herodianos in illa reſponſione docuiſſe: ea tantùm Deo ab ipſis eſſe tribuenda, quæ Leuiticæ, ſeu Sacerdotali tribui erant, ex lege, commiſſa; circa ſacrificiorum, videlicet, oblationem, templi cultum, Dei latriam, & cæremonialium præceptorum auctoritatem:

vnde fit conſequens, apud Chriſtianum populum, ſimiles ſpiritualesfunctiones, eſſe ſtatui Eccleſiaſtico adminiſtrandas; & ad hoc eſſe à ſtatu laico illi aſſerendam immunitatem: quo facto, reddet Deo, quæ Dei ſunt; opportunè tertia quæſtio, eidem Chriſto Domino propoſita in Facto, & in Iure ab eiſdem Phariſæis, ſeſe iam offert pertractanda.

2 Ergo Ioan. cap. 8. Phariſæi, & Scribæ ſemel in templo coram Chriſto Domino quadam muliere adultera præſentata, ab eo, ſub hoc tenore verborum, quæſierunt: [Magiſter, hæc mulier modò comprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis, huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?] Quam quæſtionem, additum ibi fuit ab Euangeliſta, eo fine fuiſſe ab illis Chriſto propoſitā: vt ex reſponſione, anſam eum arriperent accuſandi.

3 Quo loco, & caſu, pluribus, quæ à re noſtra non valdè diſtarent, circumſtantijs, quia ad alia pergimus, prætermiſſis: Facti quidem quæſtio hic erat in confeſſo, quæſtionis de iure ſolutio à Magiſtro exſpectabatur: dolum tentatorum, ex tentatione, quaſi ſecuram promittebat victoriam: cùm præiudicata ſentētia, lege Moyſis expreſſa, (ſaltem de pœna capitis, quicquid de genere mortis, per lapidationem, non ſanxiſſet) Chriſti reſponſionem occupantes, id tamdem efficiendum ſperabant complexione ſua, vt vel legis reus, ſi ad Imperatoris Procuratorem Pilatum cauſſam remitteret: vel Imperatoriæ contemptor iuriſdictionis, item & durus, ſi per illos legem exſequi iuberet; & tamdem, ſi mulierem abſolueret, vtriuſque, & Dei legis, & iuris Regis tranſgreſſor haberetur.

4 Accedit his, geminam præcedentem quæſtionem fuiſſe in cauſſis ciuilibus, hanc in facto, & in iure criminis verſari: quod ſicuti eſt Reipublicæ noxius, ſic ſupplicium de eo ab omnibus deſideratur auidiùs, & in iudicibus, minus tenet arbitrij, qui ceteris deficientibus, ipſi, ex officio, quò Reſpublica pacatè degat, illius in ſimilibus integras debent partes ſuſtinere. Quas inter anguſtias, & alias infra dicendas, latiſſimum Chriſtus Dominus ſuæ patientiæ campum aperiens; reſpondit: [Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat: Et iterùm ſe inclinans, ſcribebat in terram;] digito, videlicet, ſicuti priuſquàm reſponderet, illum retulit Euangeliſta deſcripſiſſe. Quo reſponſo, innoxium, & innocuum, aliquem ex circumſtantibus accuſatoribus in adulteræ mulieris primum aduocans lapidatorem: illorum interim, ex grauiſſimorum Doctorum ſententia, ſceleribus, in templi puluerulento pauimento deſcriptis, ſolicitos, & malignos accuſatores, ſolicitè è tēplo, à proprijs conſcientijs, exire compulit, accuſatos. Hinc fuit conſequutum, vt mulier libera ab illis coram Chriſto relicta; libera, dulci, & graui accepta ab eo reprehenſione, diſceſſerit: cùm non videretur decens, vt quam iuſtitia Phariſæorum, & Scribarum deficiens abſoluerat, Chriſti abundans, & iuſtitia & miſericordia condemnaret.

Pri-

Digitized by Google

Primum Documentum oriens ex hac Chriſti Domini actione.
Cap. I X. §. 1.

EX qua tertia ſignata quæſtione,& ad eam reſponſione,cùm omnis Chriſti actio noſtra ſit, ex regula Sanctorum,inſtitutio, hæc ſequentia ad rem noſtram licuit argumenta, ſeu Documenta deriuare.Primò enim,hæc reſponſio Chriſti Domini, fuit Gloſſa magna, & mirabilis illius textus ſeu Canonis eiuſdem Auctoris , ex Decretis, apud Matth. relatis,ſcilicet: [Reddite quæ ſunt Cæſaris , Cæſari ; & quæ ſunt Dei , Deo:]ibi enim & quærentibus cauilloſis legis Moyſis exſequutoribus, & ipſi legi præcipienti,& Cæſari Imperatori, eiuſque Procuratori Pilato ſecularem in Iudæa exercentibus iuriſdictionem, integerrimè ſuum æquum & fas, & ſuum decens fuit, Chriſti reſponſione, reſeruatum. Ad Phariſæos enim,& Scribas,vt mitterent in adulteram lapides,reſpondit : quo & legem, & legis exſequutores approbauit . Sed quia excepit tantùm , vt mulieris peccatricis punitionem , propriarum in punituris inſpectio præcederet conſcientiarum ; ne fortè de illis diceretur illud ; [qui prædicas non mœchandum, mœcharis;] vel quid ſimile; ecce tentatores Chriſti , aliena relicta cauſſa , conuerſi ad ſuas interiores ipſos malitias arguẽtes,quaſi comprehenſi,& indè confuſi,ab illius ſe præſentia ſubduxerunt .

2 Neutiquàm tamen cauſſa mulieris ad ſtatum erat abſolutionis deducta,;nam delicti corpore conſtante , cùm per Romanos Imperatores , Iudæis, in cauſſis ſanguinis, fuiſſet prohibitum, iudicare ; ipſis coram Pilato veritatem hanc ſic, dum pro Chriſti damnatione inſtarent, confitentibus; Ioan.cap.18. [Nobis nõn licet , interficere quemquam :] vbi Chryſoſtomus aſſerit , multum fuiſſe Iudæis à Romanis de poteſtate ablatum : ſi criminis cognitio illius ex eo fuiſſet à Deo, Romano Imperatori immediatè conceſſa,vt aſſerit Anonymus,& ex conſequenti,ipſius Procuratoris Pilati rem intereſſet delicti punitio; iiſdem, qui tūc Chriſti præſentiam vitauerant, Iudæis,vbi iam,à ſecretiorum ſuorum criminum inſpectore Chriſto,redargui nequirent , accuſationem mulieris repetentibus, eam quantumcumque à Chriſto abſolutam , à Romana efficere poſſent Poteſtate condemnari : inſuper & Chriſto culpam,quaſi qui criminoſos abſolueret, arrogando .

3 Chriſti ergo Domini illa reſponſio , ſeu iuris deciſio Eccleſiaſtici , & ſecularis: [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari;& quæ ſunt Dei, Deo;] ſic præſenti fuit tacitè applicata quæſtioni . Si Cæſar vobis prohibuit , cauſſas ſanguinis exercere;vt quid ad me defertis adulteram hanc,mortis ream, quaſi pro lege, & legis exſequutoribus,cauſſam hanc contra

Cæſaris ſim conſtituta defenſurus? Abite ad Cæſarem, ad eius, ſcilicet Procuratorem: quia quamuis tyrannide Princeps occupet Imperium, i criminoſos tamen iuſtè per eum, legum præſcriptis, vindicatur: quo facto reddetis Cæſari, quæ, ſecundùm præſentem veſtræ Reipublicæ ſtatum ſunt Cæſaris.

4 Si non placet, ad Cæſarem deferre adulteram caſtigandam, legem habetis, & ſecundùm legem debet mori, lapidate eam; quia quantumcumque ſit vobis vetitum, per homines, vltimo ſupplicio noxios afficere, Dei tamen exſtat decretum de eo; & ſic quæ Dei ſunt, eritis Deo redditi. Hoc tamen vos primò admonitos velim, nihil contrarietatis intercedere inter Deum, per legem adulterium à vobis morte plecti iubentem, & Deum permittentem Romanam poteſtatem, iure belli, vobis dominantem, huius iudicij exercitium alijs, quàm à ſe conſtitutis Procuratoribus, interdixiſſe: quia rei natura conſiderata, quò ad Reipublicę regimen, neque vobis lex à Deo data immediatè debebatur: neque Cęſari, aut Principi cuicumque ſeculari à Deo immediatè regimen, poteſtas, & ius tribuitur imperandi; quæ omnia à Rerumpublicarum varijs inſtitutionum rationibus oriuntur.

5 Hinc eſt, quòd abſolutè, neque vos contra Cæſarem, neque Cæſar contra vos, ab hoc termino, immediationis ad Deum, argumentum vllum firmum inducere poteritis. Interim admoneamini ſecundò, Deo vehementer diſplicere, criminum aliorum punitores, & iudices, criminibus, vel ſimilibus, vel æqualibus contaminari: quod licèt eorum ſententias, & applicatas ad culpas pœnas non reddat iniuſtas in effectu, at in affectu, eos iniuſtos ſatis arguit. Vnde veſtræ hypocriſis, & procuratæ meę accuſationis ſit, in prę ſentiarum hæc exceptio, ſatisfactio, vt ille, qui inter vos, me de veſtris conſcientijs indicante, quas an nouerim, puluis hic, terra hæc, in qua vos, tamquàm à Deo recedentes, inſcribo, ferat teſtimonium, delicti ſe conſpiciat innocentem, adulterę huius primus in campum prodeat lapidator.

Secundum Documentum ex eadem doctrina Chriſti oriens. Cap. X. §. 1.

DOCVMENTVM ſecundum, quod ex Chriſti Domini doctrina hac colligitur, eſt grauiſſimum: & Eccleſiaſticis, quæ frequenter cum laicis agitantur, aptiſſimum controuerſijs dirimendis. Pro quo eruendo, notamus primò, adhuc in Phariſæorum, & Scribarum quæſtione hac, de adulteræ mulieris punitione, virus grande hoc latuiſſe. Nam in prima, & ſecunda quæſtionibus Chriſto ſupra poſitis, de Facto illa, & altera de Iure, nullam rogatores expreſſam fecerunt mentionē Moſaicæ legis: cuius

Digitized by Google

contrapoſitio vel ad ſoluendum de facto didrachma tributi, vel ad declarandum, illud de iure eſſe Cæſari reddendum, præiudicium Chriſto reſponſuro, ſi non oculare, implicitum tamen ingeneraret: at in hac tertia quæſtione legis Moſaicæ explicatus apponitur rigor, expreſſum inducitur præceptum: vt legis Diuinæ, ad Cæſaris, vel legem, vel prohibitionem, intrante comparatione, Chriſto reſponſuro diſcrimen grauius, & difficilius redundaret.

2 Verùm vt malitioſam horum Iudæorum mentem inſpiciamus penitiùs, meminiſſe oportet, hunc textum expreſſum in lege Moſaica Deuteronomij cap. 17. reperiri. [Cùm ingreſſus, inquit, fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, &c. & dixeris; Conſtituam ſuper me Regem, ſicuti habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.] Ex quo loco facilè fuiſſet Iudæis, Chriſtum accuſare quærentibus, quando de lapidatione huius adulteræ mulieris; & præcipuè quando de iure cenſus dandi Cæſari, illum interrogarunt, hunc expreſſum legis textum induxiſſe, in terminis cauſſam terminantem: & Cæſarem ab omni iure cenſus exigendi, ſiue poteſtatem illis, in ſanguinis cauſſa, impediendi, inhibentem. Ab eo tamen inducendo cautè, ſicuti Politicè, abſtinuerunt: verentes, ne ſi ad nati Regis Iudæorum confuſam vocem, Herodes tot millium innocentium effuderat infantium ſanguinem, de eripiendo ſibi regno anxiè cogitans, ad vocem expreſſam Iudæorum aſſerentium, ex lege Diuina, quodcumque Cæſaris, vel gentis cuiuſque alterius generis, prætenſum ius, antiquante, Regem ex numero fratrum ſuorum ſibi deberi: Chriſto forſan ad illorum rogata omninò tacente, auditorum, qui eos ad Procuratorem Pilatum deferre poſſent, calumniæ, læſæ Maieſtatis ſubitò damnandi, ſubiacerent.

3 Immò tanta fuit gentis illius in Deũ impietas, in Chriſtum feritas, & in ſe ipſos atrocitas, vt qui ſanguinis proprij cõſulentes indemnitati, ab vſu, & collatione textus huius abſtinuerunt, & Chriſto, vt vel legem, vel Regem contemneret, inſidias parauerunt; alio textu legis arrepto, de quo Cæſare etiam curante, nihil illis fieret præiudicij: iam præſenti calumnia incaſſum, per Chriſti Domini ſapientiam, vertente: vt ipſi mortem, non ſolùm inferrent, ſed etiam accelerarent: ſanguine ipſius innocentiſſimo, ſed grauiſſimo, ſuper ſeipſos excepto, & ſuper ſuorum filiorum humeros, Cæſari etiam regnum vnanimi voce coram Pilato aſſerentes, ſacratiſſimi dicti textus, quantum in ipſis fuit, tam vanè quàm procaciter auctoritatem abrogarunt.

4 Diximus vanè, nam cùm omnia in figura in antiqua Pagina, vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 10. contigerint: velint, nolint Iudæi perfidi, Gentiles etiam, Infideleſque quicumque crepent profani, Hæreti-

Digitized by Google

ici quantumuis tabeſcant impij, in Chriſtiana, & Catholica republic fuit ad litteram adimpletum, Regem nobis à Domino Deo fuiſſe conſti tutum illum, quem elegit Dominus de numero fratrum ſuorum: nequ habemus Regem, qui ſit alterius gentis, qui non ſit frater noſter, qu eſt Chriſtus Dominus; Deus, cuius naturæ non ſumus: homo, cuius na turæ ſumus: iuxta huius Tractatus 2. & 3. Principium, qui propte hoc non confunditur, iuxta Paulum ad Hebræos cap. 2. nos vocare fra tres, dicens: [Narrabo nomen tuum fratribus meis:] ex Pſalm. 21.

5 Igitur omni ſe malitia munientes, & omni circumſepti cautela, ro gaturi acceſſerunt Chriſtum Dominum; quorum quæſtio erat, quaſi hæ duriſſima coarctatio. Quòd ſolueris didrachma cenſus Imperatorij accuſationi noſtræ non ſubeſt; neque alicuius alterius: nam vexatio nem tuam redimere potuiſti; & Cæſari parens, forſan, ſicuti & nos, fe ciſti inuitus. Quòd Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, Deo quæ Dei ſunt, red denda pronunciaueris, totius noſtræ poſitionis vires ſuccidit; cùm id & Dei, & Cæſaris vigentibus legibus, videatur poſſe in vniuerſum cuſtodiri. At nunc Dei legis ſpecificæ, in caſu hoc indiuiduo, & ad ef fectum de quo agitur, ad Cæſaris legem ſpecificam ſtante collatione, quid iuris, quid facti, à te poſtulamus declarari? vt qualiter, quæ Cæ ſaris ſunt, Cæſari ſint reddenda; & quæ Dei ſunt, Deo ſint reddenda, pernoſcamus. Hinc eſt orta illa inſtans perſeuerantia, quærendi ſolu tionem difficultati propoſitæ; quaſi eſſent certi, inde ſequuturam fuiſ ſe, illum accuſandi, occaſionem; dicente Ioanne; [Cùm ergo perſeue rarent, interrogantes eum. &c.]

6 Inſurgit hinc locus præfato Documento: Ad Chriſtum fuit per Pha riſæos, & Scribas recurſum: vt ſuę doctrinę huius explicaret rationem, negotijs Diuinę, & humanæ legi ſubiectis ſpecificè diſtinctis, & vtrique ſuis partibus adiudicatis: quis ergo inficias eat, ſimili ratione, ad ſum mum Pontificem Chriſti ipſius Vicarium eſſe recurrendum: vt ipſe de claret, quę negotia, ex præſcripto Euangelicę legis, ex Eccleſię vſu, ex traditione, ex Iure diuino, ſeu Canonico, ad Eccleſiaſticum tribunal ſpectent; quæ verò ad laicam pertineant iuriſdictionem? Vnde videtur, Hæreticum eſſe, aſſerere, ſeculares Principes in omnes ſubditos, ſine ex ceptione, à Deo habere immediatam poteſtatem.

7 Pro quo Documento firmando, adhuc ſecundò notamus magnam verſari differentiam, inter regulam, & vſum regulæ; inter inſtrumen tum, & inſtrumenti vſum, diſcrimen ingens conſiderari: quod manuali exemplo, in artificialium, ſeu Mechanicarum rerum materia contrè ctamus. Habet enim artifex quicumque varia in officina apta inſtru menta, ad opera, iuxtà ſuæ artis regulas, efficienda: quibus ipſe vtens, felici ſucceſſu, vel imaginem, ſi pictor ſit, depingit ad viuum: vel vas aureum, ſi aurifex ſit, affabrè conflat, & ornat; quod ſimiliter de qui-

buſ-

buſcumque poteſt artificibus enunciari. Accedat interim artis inſcius quidam,& inſtrumentis vtatur iiſdem, nihil efficiet,quod artis regulas imitetur: & tamen inſtrumenta illa in potentia ſunt obedientiali, vt illis,ignarus etiam artis operetur. Hoc tamen ibi diſcriminis intercedit, quod inſtrumentorum potentia illa,non eſt ad effectum abſolutum, incomplexum, & regularem; ſed ad effectum, relatum ad cauſſam efficientem, complexum, & disiunctum, regularem,videlicet, vel irregularem: nam manui artificis formaliter, & iuxta artis regulas, operantis,obediunt regulariter: ſecus manui ignari, & præter, vel contrà dictas regulas, efficientis, à qua mota talia inſtrumenta, irregulares effectus ſortiuntur.

8 Neque deſunt exempla in rebus moralibus, quæ idem demonſtrẽt: & ſit hoc vnum ex ſacra Scriptura deſumptum. [Cani,] inquit Spiritus ſanctus,Sapient.c.4.[ſunt ſenſus hominis: & ætas ſenectutis vita immaculata.] Hæc eſt quædam regula generalis, & quoddam inſtrumentum factum affabrè ab ipſo Deo, & in ſacrorum eloquiorum penu repoſitum, ad iuuenum benè morigeratorum conſolationem, & ad ſeniorum,qui bis ſunt pueri,terrorem: vt illi animo,bene operando,creſcant, hi à peccando deſiſtant; illi de virtute in virtutem eant, dum hi à virtutum ſemitis deuiant: neque temporis,intelligamus,curſu merita hominum dimetienda, quæ ex Paulo Apoſtolo 1. ad Timoth. cap. 1. amuſſi charitatis puræ, & conſcientiæ bonæ, & non fictæ fidei menſurantur.

9 Ne tamen hoc Diuinum inſtrumentum, ſiue hunc clypeum inter mille alios, Cantic.c.4.pendentem ex turri Dauidica, crederent Chriſtiani, in eadem eſſe potentia, reſpectu omnium illo vti volentium, ad cuiuſque hominis, ſiue iunioris, ſiue ſenioris facta iudicanda: cùm eſſet futurus Chriſtianæ diſciplinæ peritus, & ſciens [ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti,] ex Paulo ad Epheſ.cap. 3. qui illo accepto inſtrumento, inter dicendum, vel de fratrum, vel de ſubditorum geſtis,ſciret optimè edere cenſuram: eſſet etiam rurſus futurus inſcius, imperitus, & audax, qui eodem non accepto, ſed arrepto inſtrumento, non eo vſus, ſed abuſus, in illis iudicandis, non fratrum,vel ſubditorum ſeniorum,vel iuniorum vitia,vel virtutes, ſed ſuam potiùs ignorantiam manifeſtans,inter eos diſiungeret charitatem: Chriſtus Dominus docẽs, non quoſcumque ſcire tractare hæc, & ſimilia Diuina proloquia, ſeu inſtrumenta, in armamentario vtriuſque Teſtamenti repoſita, & aſſeruata, dixit Matth. c. 7. [Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.] Paulus etiam Apoſtolus Chriſti imitator, & ab ipſo acceptæ doctrinæ tam ſtudioſus, quàm intelligens Commentator, ſic adiunxit, 1. ad Corinth.c.4. [Nolite antè tempus iudicare: quoadusque veniat Dominus. &c.]

10 Eſto aliud ſimile exemplum, quod ab hiſce vltimo Pauli Apoſtoli

do-

doctrina, & verbis, ſumptum eſt. Exſtat enim celebris ſententia illa Marci Eremitę, viri, & antiquitate, & vitæ ſanctimoniâ venerandi, in Sermone de Pœnitentia, de abuſu horum inſtrumentorum, quę in ſacra Scriptura continentur. [Cùm quempiam ex ditioribus, inquit, delinquentem videmus, corripere non audemus; ſed dicimus, ſcriptum eſſe; Nolite ante tempus iudicare: quoaduſque veniat Dominus. At in abiectioribus crimen aliquod leue nacti, mox inſurgimus, euulgantes, ac dicimus, eſſe ſcriptũ: Peccantes coram omnibus argue. Atque ita noſtrâ hypocriſim, ſiue malitiam, Scripturæ teſtimonijs peruersè tegimus.]

11 Ratione ſimili, Chriſtus Dominus in hac difficili quæſtione, de Eccleſiaſtica immunitate, & Principum ſecularium iuribus, voluit hanc regulam perpetuò coràm Chriſtianorum oculis dependere; ſcilicet, [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.] Vſus tamen regulæ, noluit vt cuique laico, cuique Principi ſeculari eſſet communis, & in procinctu; immò noluit, vt quicumque Eccleſiaſticus, etiam ſi ſit Prælatus, illa regula indifferenter vteretur. Eſſet enim tunc facilè, regula exſiſtente recta, iniquum ad effectum applicari.

12 Sciant ergo, oportet, laicæ Poteſtates, huius regulæ vſum, & applicationem, ſibi ipſi Chriſtum, regulæ Auctorem, reſeruaſſe: & ex conſequenti ſacris Concilijs legitimè congregatis, quibus aſſiſtit Spiritus ſanctus, docens omnem veritatem, & ſuggerens explicationem omnium, quæ Chriſtus dixit: atque etiam ſummo Pontifici ſuo Vicario, qui à Chriſto habet poteſtatem, ad Eccleſiæ directionem, regimen, & inſtructionem: qui vices gerit Chriſti Domini, & habet claues Regni cælorum: hoc eſt, Eccleſiæ triumphantis, in quod nullus admittitur, cui ille portas, claue non errante, clauſerit: hoc eſt, militantis Eccleſiæ, cuius eſt Pontifex, Rex, & Imperator in ſpiritualibus, & ad ea in ſua conſummatione, iuxta 2. Parte dicta, & explicata, pertinentibus; in quibus omnes Chriſtiani, ſiue Principes, ſiue ſubditi, illius ſunt oues, & ipſe eſt eorum Paſtor, cui dictum eſt à Chriſto abſque ſtatus, & perſonarum diſcrimine. [Paſce oues meas:] Ioan. c. vlt. hoc eſt, claues habet potentiæ, & ſcientiæ; illius ad condonanda delicta, huius ad ſacræ Scripturæ theſauros aperiendos: vt ſciant omnes Chriſtiani Principes, quæ ſint illorum partes in Republica gubernanda; quò interim Reipublicæ Chriſtianæ ſtatus in vniuerſum, haud, Eccleſiaſtica læſa immunitate, perturbetur.

Tertium Documentum ex Chriſti Domini illa oriens doctrina. Cap. XI. §. 1.

DOCVMENTVM hoc aliud tertium, ex hac Chriſti reſponſione, ſeu Gloſſa magna illius Regulæ, [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: &c.] reſultat, valdè etiam adnotandum. Non ex natura legis humanæ ciuilis, neque ex natura iuris, & po-

teſtatis Regum, ſeu Principum ſecularium; ſed ex natura legis Euangelicæ, & Chriſtianæ ſumendum eſt, quid ſit Cæſari, ſeu ſecularibus Principibus,& quid ſit Deo reddendum.

2 Hoc vt explicetur, notamus, Pilatum Procuratorem Imperij Romani, apud Ioannem, cap.18.& 19. Iudæis Chriſti Domini cauſſam, etiam vſque ad mortis ſupplicium, iudicandam,ſeu exſequendam,remiſiſſe, hac conceſſione: [Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum.] & iterùm: [Accipite eum vos, & crucifigite.] Cui Iudęi ſemel reſponderunt: [Nobis non licet,interficere quemquàm.]& iterùm, cauſſam vrgendo, ſubiunxerunt: [Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori; quia Filium Dei ſe fecit.] vtroque loco ius ſibi, & poteſtatem, mortis ſupplicium de noxijs ſumendi,fuiſſe abrogata fatentes,& ex legis præſcripto, eam pœnam vltimam Chriſto irrogandam, ad Pilatum proteſtantes.

3 Si tamen Iudæorum geſta penitùs, circa ſuæ legis obſeruantiam,ex ipſo ſacro textu perquiramus,inueniemus: eos Ioan.c.8. tuliſſe lapides, vt iacerent in IESVM, quaſi in blaſphemum, poſt Diuiniſſimam illam ab eo habitam concionem de myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis,& de ipſius Chriſti Incarnatione,olim promiſſa Abrahæ, & iam exhibita. Et c.10. Concione alia Chriſti de prædeſtinatione hominum, & de perſonarum in Diuinis diſtinctione,cum eſſentiæ vnitate à Iudæis auſcultata,mercedem Chriſto prædicanti lapidum imbrem parauerunt: vel ſaltem illum apprehendere quæſierunt: niſi, quia nondùm venerat hora eius,è manibus illorum diuinitùs euaſiſſet. Et c.7. iam miſerant miniſtros ad IESVM apprehendendum, & carceri mancipandum. Et cap.11.dederunt mandatum,vt indicaretur IESVS, vt apprehenderetur. Actuum ſimiliter c.7. Stephanus Diaconus à Iudæis,tãquàm blaſphemus, fuit lapidibus obrutus. Et cap.9. Saulus ſpirans minarum, & cędis in diſcipulos Domini, Chriſtianam viam viros, & mulieres ſectantes, vinculis iniectis,in Ieruſalem vndecumque adducere conabatur. Idem Paulus deſcribit, 2. ad Corinth.cap.11. ſe ter virgis cæſum à Iudęis,& quadragenis ſemper vna minus plagis acceptis, quinquies fuiſſe flagellatum. Actuum etiam cap.5. Apoſtoli omnes cęſi,& propter nomẽ IESV contumelijs affecti, à Sacerdotum Principibus è carcere fuerunt liberati.

4 Et tamdem ſi ſub hac quæſtione,de adulterę punitione,non latebat illa calumnia, de Cæſaris contemnenda iuriſdictione, quę colligitur ex Chryſoſtomo, quem videmus ſenſiſſe, cauſſas ſanguinis Romanos Procuratores ad ſuam aduocaſſe poteſtatem: ſicuti ſuperiùs Parte 2. circa probationem Concluſionis 2.tit.De iudicio.à nobis dictum fuit: ſed iuxta ſanctorum Ambroſij, & Auguſtini, & aliorum ſententiam, argumentum hoc Phariſęorum erat cornutum,& duplici hoc ſolùm periculo claudebatur; vt vel Chriſtum, ſi ex miſericordia mulierem abſolueret, legis

Digitized by Google

violatorem; vel ſi damnaret, ex rigore, durum, & crudelem iudicarent: hoc certè caſu, præcedentibus adiunctis, habebimus, Iudæos, & legis illius obſeruatores extitiſſe, & legis cuiuſque pœnalis exſecutionem, iuxta illius præſcripta, in fragrantibus ſaltem criminibus, habuiſſe: Cæſaris iuriſdictione illam ſibi, in reliquis ſalua obedientia, non vetante.

5 Fingamus ergò, ad Chriſti Domini prædicationem, gentem Iudaicā, tenebris mentis depulſis, & cordis cæcitate depoſita, ſuę tempus viſitationis cognouiſſe, & Chriſtum Dominum, ſicuti erat, pro Meſſia à ſe expectato ſuſcepiſſe: vel quia OEconomia noſtræ Redemptionis, ex antiquis Prophetarum prædictionibus, in Chriſti pręſentia corporali paſſibili, vt in effectu demonſtrante eas eſſe veras, conſtans, huic obſtat fictioni, id fingamus, quod effici facillimum fuiſſet; hanc ſuam viſitationem Ieroſolymis dictam gentē Iudaicam agnouiſſe, quo tempore Actuū cap. 3. appoſitę ſunt ad Chriſtianam profeſſionem, animæ circiter tria millia, audita Petri ſummi Eccleſię Pontificis prędicatione: Iudaicę verò gētis reliquum per vniuerſam Palęſthinam Metropolis Ieroſolymorum audita ad Chriſtum conuerſione, illius doctrinæ, ſimili conſenſu, credidiſſe.

6 Tunc quidem gens Iudaica, & Iſraelitę illucuſque ſecundùm carnem, iam etiam ſecundùm ſpiritum, vt docet Apoſtolus Paulus, ad Rom. cap. 2. viri Iudæi Deum verum confitentes, & veri Iſraelitę, Deum verum, altem per fidem, & in ænigmate, videntes euaſiſſent: [Tranſlato igitur ſacerdotio, neceſſe eſſet, vt legis tranſlatio fieret:] ex Auguſtino, cap. Tranſlato. de Conſtitut. Apoſtoli Pauli doctrinam, ad Hebr. c. 7. ſequente: cęremonialia omninò ceſſare deberent: Decalogi ſolā perſtaret, ex antiqua lege, obſeruantia: non quia ex lege illa, ſed quia præceptorum illorum vis ex naturę lege dependet: iuxta quorum primum, & ſecundum præceptum, templum illud Ieroſolymitanum Auguſtiſſimum Chriſto venturo, & eius ſignificatiuis ſacrificijs dicatum, in Chriſti iam paſſi eſſet honorem commutandum.

7 Hoc verò difficultatem affert non leuem, quid tunc de legis eſſet præceptis agendum iudicialibus in illa Republica: quantumuis enim, ex vi legis antiquę, nihil fuiſſet de illis curandum vlteriùs; ex Chriſtianę tamen legis diſciplina, & iuſtitia, adulteria eſſent punienda, latrocinia vindicāda, caſtiganda homicidia, & omne denique maleficiorum genus, pœnis foret debitis coërcendum. Ergo vel iiſdem materialiter, quibus lex vetus illa crimina puniri iubebat à Chriſtianis, vel alijs ſimilibus punirentur.

8 Quo ſuppoſito, interrogamus ab hoc Anonymo Scriptore, interrogamus à quocumq; Principe ſeculari, ſiue Republica Chriſtianis, interrogamus ab omnibus Catholicis Doctoribus; An hęc Reſpublica Hebręorū, facta Chriſtiana Reſpublica, ius haberet, & poteſtatē, ſeipsā illis legibus

gu-

gubernandi? an verò Cæſari, & Imperatoribus Romanis nouum ius aliquod, immediatè à Deo ſibi conceſſum, accreuerit, ad hanc Rempublicam gubernandam? Certè, ſi ſapiunt, reſpondebunt, Chriſti Domini in mundum aduentum, & illius pro hominibus ſuſceptam paſſionem, nihil fuiſſe operatam ad effectum nouæ alicuius iuriſdictionis Principibus ſecularibus in Chriſtianos, & fideles exercendæ. Neque enim ad regnorum temporalium, vel inſtituenda iura, vel augendam poteſtatem, Chriſtus venit in mundum: quantumcumque veniens in illum, vt peccatores ſaluos faceret, ex Apoſtolo Paulo, 1. ad Timoth. cap. 1. indè fuerit conſequutum, vt ſi regna, & Reges non erexerit, at correxerit; ſi non inſtituerit, at ſtatuerit, & reſtituerit.

9 Potuiſſet igitur, ſuppoſitione hac ſtante, Romanus Imperator, ius habere, exigendi cenſum à Republica illa per capita; quò Cęſari integra conſtarent, quæ erant Cæſaris; & potuiſſet, & debuiſſet illa Reſpublica ius habere, ſeipſam per leges Chriſtianas Deo, iuxta nouæ legis inſtituta, ſuum cultum exhibendo, gubernari; quò Deo, quæ Dei erant redderentur. Neque ſi Romanus Imperator ad maiorem in gentem illam poteſtatem adſpiraret, minus ab ea, ex legis Chriſtianæ rigoroſa iuſtitia, eſſet illi obſtandum; quàm hodie à quocumque Rege Chriſtiano, alteri Regi Chriſtiano in ſuas ditiones, eis potiturus, irrumpenti, vel in Republica aliqua libera, Duci eiuſdem, Monarchiam in eam inuehere conāti, iuſtiſſimè à plebe, & Senatoribus obſtaretur. Neque tantùm eſſet inſipientia, non ſolùm eſſet audacia, ſed extremum eſſet delirium, elleboro curandum, affirmare, ex Chriſtianæ legis humilitate, charitate, & patientia, arma voluiſſe Chriſtum Gentili Imperatori parari: vt immediatione noua, in antiquam gentem, noua Chriſtiana imbutam diſciplina, ampliorem iuriſdictionem exerceret.

10 Quæ fictio, & ſuppoſitio, cum eo, quod ex ipſis colligimus, clariùs illuſtrabuntur, ſi meminerimus, quanta conſtantia, gens Iudaica, pro ſua eſſet ſolita lege pugnare: vt ex illius temporis conſtat Hiſtorijs, & maximè ex Philone in deſcriptione ſuæ ad Caium Caligulam Imperatorem legationis, pro ſua gente, omni prætendente conatu, ne in templo Salomonio, contra legis præceptum, Imperatoris dedicaretur ſtatua; quibus actis, ſatis Iudaica fuiſſet apud poſteros Reſpublica nobilitata: niſi ex Chriſti in crucem acti facinore impio, ad extremam iam vilitatem deueniſſet. Quid enim fuiſſet, ſi non iam pro legis Moſaicæ, ſed pro Chriſtianæ diſciplinæ obſeruantia, Romano Imperatori ſupplicaſſet?

Obiectio quadam ſoluitur. Cap. XII. S. 1.

VIDEMVR tamen in eadem, circa hoc Documentum, hærere ſalebra. Nam ſecluſa Cęſaris iuriſdictione, quam in ficta hac à nobis Republica, iam erat cōſequutus: adhùc in ea duplex hic

ſtatus diſtinctus, inconfuſuſq; daretur: Eccleſiaſticus, videlicet, & laicus: ille Leuitico Sacerdotio, hic ſeculari antiquorum Regum, Iudicum, ſeu Ducum,& ſuorum ſubditorum, ex vndecim tribubus alijs à Leuitica, ſuccedens. Vnde Eccleſiaſtici Christiani, omninò deberent eſſe contenti ſuo foro, in rebus, videlicet, ſpiritualibus, veluti Sacramenta, & ſimilia concernentibus: & cùm hoc, Deo, quæ Dei erant redderentur: in reliquis autem ſtatu ſeculari Chriſtiano, etiã Romano Imperatori ſubdito, circa res alias temporales,& ciuiles tam in cauſſis laicorum, quàm in Eccleſiaſticorum cauſſis, ſiue circa perſonas, ſiue circa eorum bona, ſine exceptione, forum integrum exteriùs à Deo immediatè ipſi conceſſum permaneret: vt poſſet Chriſti regulæ illa pars, [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari;] non ſolùm ad Romanum Imperatorem, ſed etiam per tranſlationem, (ſicuti ea nunc vtimur, ad cuiuſcumque laici Principis iura tuenda:) ſtatui tunc talium ſecularium Chriſtianorum applicari.

2 Pro qua obiectione diſſoluenda; ſiquidem agimus cum Catholicis hominibus, hoc ſolùm Catholicum fundamentum, ex Apoſtolo Paulo, 1. ad Corinth. cap. 10. præmittamus: Genti Iudaicæ [omnia olim in figura contigiſſe: ſcripta autem eſſe ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.] Eſto igitur, controuerſia, de iuriſdictione Eccleſiaſtica, & ſeculari, tunc inter vtrumque illum ſtatum fuiſſet exorta; & vtraque pars regula illa Chriſti, [Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: &c.] ſe, ſuaque iura tueretur: quibus iudicibus, qua lege, quibus medijs eſſet controuerſia dirimenda? Nam ſi ſtatus ſecularis habuiſſet tunc Anonymum Aduocatum, ad Dei confugeret immediationem: per quam aſſereret, ius,& poteſtatem, ſine exceptione, Principibus, ſeu Magiſtratibus illis ſecularibus, etiam in perſonas Eccleſiaſticas, etiam in eorum bona Eccleſiaſtica, fuiſſe à Deo contributa. Contra verò Eccleſiaſticus ſtatus, ſi Nos haberet cum veritate,& pro veritate Aduocatum, affirmaret, dubio procul, immunitatem, tam quò ad perſonas, quàm quò ad bona, ſibi fuiſſe à Chriſto Domino ſtabilitam de iure Diuino: & in ijs nihil laicam habere commune Poteſtatem.

3 Eſſet igitur tunc omninò recurrendum, ad Scripturæ ſacræ, & actorum ipſorum Apoſtolorum fundamentum, & Documenti inducti doctrina perſiſtet ſolidè: ad legis, videlicet, Chriſtianæ iudicium, & præſcriptum hæc tractanda forè: certum eſt, non ex Regum, vel Principum arbitrio, aut ſenſu, aut prætenſo immediationis iure, illam fuiſſe controuerſiam decidendam. Conſequenterque ea loca ſacræ nouę Paginæ à nobis ſupra inducta Parte 2. eſſent producenda: ex quibus manifeſtè conſtaret, ſuum peculiare forum Politicum, ſeu ciuile ſtatui Eccleſiaſtico fore de iure Diuino adiudicandum, & diſpenſationis ſuorum bonorum, & rerum, & circa eam legislationis iura ſibi ſolùm de iure Diuino conſeruanda. Quòd ſi Anonymus hic Conſiliarius, dictorum locorum ſacrę

Scri-

Scripturæ ſe gereret alienus, & extraneus à SS. Patribus, à Doctoribus Catholicis Commentator, non eſſet tamen adeò refractarius, vel ſi eſſet, facilè à Catholico quocumque Principe ſeculari ſperneretur, qui hanc Apoſtolici illius fundamenti ſequentem inductionem pernegaret.

4 Legis ſcriptæ, Prophetiæ priſcæ, ſeu antiqui populi Iudaici decreta, doctrina, & geſta, exemplaria quædam erant, & typus eorum, quæ, per eumdē populum Iudaicum iam factum Chriſtianum, erant gerenda: Sed apud Aggæum c. 2. ſic habetur, [Interroga Sacerdotes legem; &c.] & Malac. cap. 2. dicitur; [Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.] Priùs verò in Deut. c. 17. ſic fuerat præceptum: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam, & cauſſam, lepram, & lepram; & Iudicum intrà portas tuas videris verba variare: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis: & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis; qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, neque declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: Cunctuſque populus audiens timebit: vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.]

5 Si ergo hæc ſic ſe habebant in populo antiquo Hebræo, eſt conſequens, ac neceſſarium, vt in eodem populo per Chriſti Domini pretioſum ſanguinem à veteribus delictis emundato, & in ſanctitate, & iuſtitia nouæ diſciplinæ Euangelicæ conſtituto, quæ in antiqua lege tam ſanctè præcipiebātur, tam ſanctè cuſtodiebātur, tam ſanctè gerebantur, potiori ratione, non vt ex vi legis præcepta, ſed vt legis nouæ perfectioni conformia, cuſtodirentur ſanctiùs, & ſanctiùs gererentur.

6 Aliàs Catholicorum omnium Doctorum iudicium, immò Chriſtianorum Principum appellamus rationi conſonum diſcurſum, quanam conſequentia liceret arguere Hebraicæ genti illi ſic: Lex antiqua Chriſto in carne per paſſionem conſummato, fuit abrogata: vnde non ſumus iam populus Iudaicus, carne ſolùm: ſed veriùs ſumus Iudaicus populus, quia Chriſtum Chriſtiani confitemur: Ergo ſtatus ſecularis apud noſtram Rempublicam omne regimen in omnes tam laicas, quàm Eccleſiaſticas perſonas, & in eorum bona, omne ius, & poteſtatem omnem, in omnes fuit hominum ſtatus conſequutus. Diſparata certè conſequentia? Hæccine eſſent opera tranſlationis legis, tranſlationis Sacerdotij in excellentiorem legem, in ſublimius Sacerdotium Chriſti Dei & hominis, Eccleſiæ hoſtiæ, & Sacerdotis legem, ſcilicet, nouo populo Chri-

ſtia-

ſtiano reliquiſſe imperfectiorem ea, quæ antiquabatur, quia ex Paulo Apoſtolo ad Hebræos cap. 7. nihil ad perfectum attuliſſet.

Corollarium, quod ex dictis colligitur. Cap. XIII. §. 1.

FIRMVM igitur, & conſtans manet Documentum; iura, & facultates ſtatus ſecularis, & Eccleſiaſtici, ex legis Euangelicæ fontibus eſſe hauriendas, & difficultatum circà hęc emergentium reſolutiones, ex illius præſcriptis, ſi expreſſa reperiantur, eſſe ſumendas: ſin minus ad Eccleſiæ Prælatos, & præcipuè ad Prælatorum Prælatum, ſummum Pontificem eſſe recurrendum: qui dubia declaret, & regulam illam, [Reddite quę ſunt Cæſaris. &c.] applicet ad indiuiduos caſus; tamquàm qui ſcientię clauē habeat, ad abſconditos Scripturarum aperiendos ſenſus: grauiſſima pœna reo dubio procul futuro quocumque Chriſtiano, qui illius explicationem, & imperium, circà iudicium difficile, & ambiguum, ſubterfugere procuraret.

2 Hinc colligendum eſt, hac lege expreſſa, hoc pacto claro, & hac numquam abroganda conuentione, cum omnibus Chriſtianis prouinciis, earumque incolis, ſiue Principibus imperantibus, ſiue obſequentibus ſubditis, lex gratię, & Euangelica tranſegit; vt Chriſti Euangelium, regna, & Reſpublicas dirigeret, erigeret, regeret eo regimine, quo in Republica Hebræorum iam facta Chriſtiana, iuxtà noſtram ſuppoſitionem, fieri omninò debebat: vt non duodecim Tabularum leges, non Ariſtotelis, non Platonis, Lycurgi, Solonis, Legumlatorum Edicta, non Liuij Decades, Taciti Annales, vel Hiſtoriæ, Plutarchi Parallela, Philoſophi Gentiles, Oratores, ſeu Poetę profani, Græcæ denique, vel Latinæ linguæ humaniores, & politiores traditæ diſciplinæ regna, & Reſpublicas Chriſtianas gubernent: vel potiùs eas tranſuerſum agant, & peſſumdent.

3 Et ſicuti lex Chriſtiana nihil circà regimen regnorum, & Rerumpublicarum attingit, vt vel ex Democratia, Ariſtocratia, vel è conuerſo, vel ex vtraque Monarchia, vel ex Monarchia altera ex illis, vel vtraque reſultet gubernandi forma, vel quomodocumque mixtum aliquod coaleſcat regimen, quod antiquitùs in prouincijs receptum labefactet: cùm de his non tractet Chriſtiana diſciplina: ſic hoc ſolùm curat, diſponit, & ordinat, vt regimen temporale, & ciuile prouinciæ, vel regni, vbi eſt admiſſa, vel admittenda, proceſſus ipſius legis non ſolùm non impediat, verùm illos promoueat, illius ordinationes, decreta, ſtatuta cuſtodiat, & ea omnia quæ de illius ſunt decore, æquo, & bono amplectatur, reddendo Deo in ſtatus Eccleſiaſtici conſeruanda immunitate, quæ Dei ſunt: vel quæ ſunt Cæſaris Principibus ſecularibus ab ipſa lege incolumia conſeruantur.

Quo

4 Quo loco tractando, ad illam reſponſionem Chriſti Domini, [Red
dite quæ ſunt Cæſaris, Cęſari. &c.] cùm longiores, quàm voluiſſem: s
fuerimus: hoc capite placet concludere, breui ſermone Principes ſecu
lares admonendo: ipſos in hac controuerſia, de Eccleſiaſtica Poli:ic
poteſtate, à ſuis Doctoribus, ſi contrà ſedem Apoſtolicam ſentiant, non
ſecùs quàm ab Hæreticis, impiè veneno illita doctrina circumueniri,
Dæmone, ad quem fructus huius ſeminis Theologiæ corruptæ ſpectant
exſpectante: dum quærunt, ſtatum Eccleſiaſticum, & ſecularem, quò a
iuriſdictiones omninò permiſceri: & hoc loco Chriſti, [Reddite qu:
ſunt Cæſaris, Cæſari. &c.] ignoranter, immò doloſè abuti: vt hoc alte
ro brachio ſtatus Eccleſiaſtici cadente, qui ſi vigeat, Principes, & Reſ
publicæ ſtabunt, obedientia ſecularium ſubditorum florebit, & om
nia erunt, & imperantibus, & obſequentibus pacata: Hæretici ipſi, qu
in ſpeciem Principibus blandiuntur, illis ius, & poteſtatem, quam no:
habent, immediatam à Deo in omnes, ſine exceptione, arrogantes, poſt
modùm, (qui talium Doctorum, ſeu Hæreticorum eſt mos) eoſdem Prin
cipes in ſuis regnis, & Rebuſpublicis apud ſuos ſubditos in odium pri
mò, & inuidiam vocantes, dum iam non habeant hoc brachium Eccle
ſiaſticum, cui fidant, & innitantur, tamdem eos proteruè, & inhumani
ter è ſuis ſolijs valeant exigere, excludere, perturbare.

5 Et cùm Canones plures ſacri huc ſpectantes poſſent adduci, relat
24.q. 1 hic pro omnibus D. Hieronymi recitetur, ex lib. 2. Comment
ſuper Oſeæ. c. 5. [Transferunt, inquit, Principes Iuda terminos, quo:
poſuerunt patres eorum, quando immutant mendacio veritatem, &
aliud prædicant, quàm ab Apoſtolis acceperunt.] Et infra, eod. cap. [De
Hæreticis manifeſtus eſt ſenſus, quòd ſophiſmatibus ſuis, & arte Dia-
lectica ſæpè opprimunt Eccleſiaſticos.] Item ad cap. 9. [Veteres ſcru-
tans Hiſtorias, inuenire non poſſum, ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Do-
mini populos ſeduxiſſe, præter eos, qui Sacerdotes à Deo poſiti fuerant
& Prophetæ, id eſt, ſpeculatores. Iſti ergo vertuntur in laqueum tor-
tuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum.]

*Doctrina Petri Apoſtoli, & ad eius explicationem præludia, pro Ano
nymi illa Propoſitione hæreſis conuincenda. Cap. XIV. §. 1.*

CHRISTI Domini primus Vicarius Petrus Apoſtolus, con
trà hunc Anonymum, & ſimiles præſumptuoſos Scriptore:
ſic rem hanc, de qua controuertimus, diffiniuit: omne:
Chriſtianos exhortans, ad ſubiectionem debitam Princi-
pibus ſecularibus exhibendam. [Subiecti,] inquit, 1. Epiſt
cap. 2. [eſtote omni humanæ creaturæ; propter Deum,
ſiue Regi, tamquàm præcellenti: ſiue Ducibus, tamquàm ab eo miſſis
ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.] Hic, humanæ crea

turæ tranſtulit Interpres κτίσει, poteſt & transferri, creationi, ſeu inſtitutio ni, ſeu ordina tioni. ex Oecumenio, poſt Didymum, id etiã approbante Caietano: quia Poteſtas ſecularis ab hominibus creetur, ordinetur, & inſtituatur.

2 Quo loco primùm videmus hunc terminum complexum, [Omnis humana creatura,] omninò reſolui ab Apoſtolo in hos duos terminos incomplexos, videlicet, Regem, & Duces; id eſt, in Principem ſecularem, & Miniſtros Principis ſecularis; neque aliud eſt, quod ſub illo termino comprehendatur. Sed quare Rex, & eius Miniſtri ab Apoſtolo Petro, Humana vocentur creatura, quia videlicet per homines, & ab hominibus poteſtas illis confertur humano conſenſu, conſuetudi ne, ſeu lege, eſt à nobis fuſiùs explicandum.

3 Rem igitur ab origine repetentes, prænotamus, mundi conditione per quinque primos ſeculi dies, iuxtà Moſis Hiſtoriam, Geneſ. c. 1. præcedente, Omnipotentem Deum, creaturam eam effecturum, quæ conditis illucuſque rebus omnibus, & frueretur, & imperaret, tale conſilium ab Hiſtoriographo inductum inijſſe, dicendo: [Faciamus hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit eos.]

4 Hic forſan non ingratis imitari poterimus Auguſtinum, qui ſcribens ſuper Ioannem, poſt plura à Chriſto Domino geſta myſteria, & à ſe latè explicata: cùm ad Samaritanæ mulieris à Chriſto conuerſæ Hiſtoriam explanandam deueniſſet, Tract. 15. quaſi nullum præceſſiſſet in hæc verba prorupit; [Iam incipiunt myſteria.] Cùm enim multa de hac Eccleſiæ immunitate, & Principum iuribus dixerimus in ſuperioribus, iam incipiunt myſteria cùm toties repetitis, & rationibus, & verbis hominem quemcumque cuiuſcumque cõditionis, ſtatus, & gentis Diuinam creaturam, & eſſe, & appellari, & ad imaginem Dei eſſe conditum, ad eius eſſe ſimilitudinem audiamus, efformatum; cùm, nedùm Duces, ſeu Miniſtri Principum, verumetiam Reges, Monarchæ, Imperatores ab Apoſtolo Petro, Humana creatura, id eſt, ab hominibus creati, efficientia, & origine tam diſſimili, nuncupentur.

5 Et certè rei natura hoc, intimè conſiderata, poſtulabat; vt homo qui, quaſi quidam paulò minus ab Angelis, ſeu ab Eloim, à Deo, ſcilicet, vt Pſalm. 8. legitur Hebraicè, rector imminutus, conſpicuus in orbe ceteris creaturis imperaturus conſtituendus erat, ab ipſo Deo, ad Dei ipſius imaginem, crearetur: hominibus verò, ſi id caſus exigeret, vt ſuper quos ſolus Deus dominabatur, rectorem viſibilem, & dominatorem ocularem hominem, qui Humana, deberet appellari, creatura, homines ipſimet crearent.

6 Qui

6 Qui enim docent, homines ſuper homines ius, & poteſtatem gubernandi à Deo immediatè ſuſcepiſſe, in omnes ſuæ reſpectiuè ditionis, ſine exceptione: vt verum fateamur, neque ſciunt, quid ſit homines hominibus dominari; neque intelligunt, qua conſilij altitudine præuia, Deus condiderit hominem: neque æſtimant, quam voluerit ipſemet Deus, hominem ad Deum habere dominij paſſiui immediatam relationem: neque penetrant, quà Diuina ſapientia circa hominis ſuauitate ſe geſſerit voluntatem: neque admirantur Diuinam potentiam, quæ vt maior effulgeret, ad maximam hominis potentiam exercendam, voluit efferre: Dei denique eiuſdem bonitatem aſpernantur: qui ne homines, quibus ipſe dominaretur, deeſſent, homines dum condere decreuit, humanis futuris miſerijs, criminis excepta labe, liberaliſſimè voluit ſubiacere.

17 De quibus cùm plura ſint adhuc dicenda, vt Petrum Apoſtolum Principes, & eorum miniſtros appellantem, Humanam creaturam, explicemus, Dei Opt. Max. verba, in conſilio de homine creando, propoſita perpendamus. Nam ſi ſempiterni Patris Maieſtas, Filio ſempiterno, & ſempiterno Spiritui, induceretur à Moyſe ſolùm dixiſſe: [Faciamus hominem:] illuſtris quidem, & excellens hominis conditio notaretur: vtpotè ad quem creandum, totius Trinitatis tam grande conſilium præceſſiſſet: quod, ad ceterarum rerum creationẽ, nuſquàm legebatur applicatum. Eſſet inſuper ex parte rei adeò eminentis hominis, videlicet, conditi, eius conditio mirabilis; neque ſic innoteſceret nobis, quid, ex parte Conditoris, ibi eminentiſſimum comprehenderetur: neque Regius Vates, Pſalm. 138. mirabilem eſſe factam etiam Dei ſcientiam, ex homine, encomio tanto prædicaret.

8 Cùm verò inducitur Deus, in tribus illis inconfuſis, & æterna vna Deitate conſtantibus, trino ineffabili, & reali numero condiſtinctis, conſilium inijſſe perſonis, hiſce verbis: [Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:] ratio quædam altiſſima innuitur, Deum mouens ad conſiliũ, noſtro intelligendi humano, ſeu craſſo modo, conuocandum, quæ dubias in partẽ vtramq; , & aientem, & negantẽ potuiſſet inclinare perſonas; vt ſicuti homo, decreto affirmãte ſequuto, fuit creatus; ſic cauſſis, illum non creandi, potioribus iudicatis, negante intercedente decreto, homo à Deo minimè conderetur.

9 Doctores igitur Hebræi, & alij eiuſdem ſermonis periti, & pij, (alijs nunc locum hunc prætermiſſis explicandi rationibus, quas adducunt multi Patres, & eas ſuo ordine veneramur:) docent, cõſilium illud (quod nos concipimus,) de hac præcipuè fuiſſe difficultate ſuperanda coactum; An homo ad imaginem, & ſimilitudinẽ Chriſti Dei, & hominis, & ad eius humanitatis, quam fuiſſet aſſumpturus, creari deberet? Cùm enim Iſaias dicat de Deo, capit. 40. [Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?] & cap. 44. dicat ipſe Deus: [Quis ſimilis mei?]

& 2.Paralip.cap.6.habeatur ſic:[Domine Deus Iſrael,non eſt ſimilis tui in cælo, & in terra:]Deo, ſecundùm Diuinitatem, ſimpliciter illa verba nequeunt adaptari.

10 Sic allegat locum hunc Magiſter Petrus Alfonſus Neophytus, Dialog.pro fide Chriſtiana,titulo 8.quem ſequuntur omnes, qui contra Hebræos ſcripſere perfidos: ſed præcipuè Baptiſta,Tract.de Cõfutatione Hebraicæ ſectæ, in 1.parte, tertiæ partis, indè dicit, hoc valdę confirmari: quia vbi noſtra Vulgata lectio habet, illud verbum, [ad imaginem,] verbum Hebræum, בצלמנו, reddi poteſt Latinè, ad crucem, ſeu, in crucem noſtram: vt ſit litteræ ſenſus: Faciamus hominem ad crucifigendi imaginem Verbi,vel ad imaginem humanitatis,quam Deus Verbum eſt aſſumpturus, quæ ad modum,& crucis formam eſt creanda.

11 Qua pijſſima,& litterali ſtante explicatione,intelligimus, hominis conditionem ab æterno Patre, Verbo,& Spiritui propoſitam ſancto, illis omnium rerum explicitis ſucceſſibus,qui homini à gratia, & iuſtitia lapſo originali, pro eius erant reparatione Verbo incarnando, pœnalibus euenturi; quaſi Diuinæ illius ſecundę perſonæ,Pater hęreret expectata ſentẽtia, ad quam habebat ſermonem: vt in Concilio Sirmienſi, cap.13.diffinitur,Spiritus etiam ſancti approbatione,quando implicita, in Adamo in animam faciendo viuentẽ,ſuæ mortis excepta conditione; ne mundus creatus hominem iuſtum non haberet,& cælum,eo lapſo priuaretur: hominis creationem, Patris voluntati conformis, aſſenſus Filij confirmauit.

12 Quo ſenſu Ioannem, in Apocalypſi, capit.15. Chriſtum vocaſſe, Agnum occiſum ab origine mundi, facilè intelliget, qui Paulum Apoſtolum, Epiſt.ad Hebræos, altiſſimè hæc myſteria,tamquàm cum eruditiori gente tractantem attendat. Is enim Pſalmum 39.verſans, eumdem explicandi tenorem fuit ſequutus, ſic illum litteralibus Commentarijs illuſtrando. c.10.

13 Ideò,inquit,ingrediens mundum, dicit:Hoſtiam, & oblationem noluiſti,corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata,& pro peccato non tibi placuerunt:tunc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me: vt faciam Deus voluntatem tuam.] Quis enim iam poterit dubitare,regium Pſaltem,ad primum Libri Geneſis, Caput alluſiſſe: quo loco Deus Pater, iuxta prædicta,optionem dedit Filio,vel hominẽ non creandi,vel creandi,ſed ipſius Filij præmiſſa,vſque ad crucis mortem,obediẽtia recreandum: cùm ſic eum locum Paulus Apoſtolus explicarit?

14 Itaque,quod retulit Moyſes,dixiſſe Deum,[Faciamus hominẽ ad imaginẽ,& ſimilitudinem noſtram:]dixit Dauid,[In capite libri ſcriptũ eſt de me: vt facerem voluntatem tuam:] ideſt, in principio Geneſis,ſeu בראשית, ſcriptum fuiſſe de Chriſto, ipſi Patrem propoſuiſſe, vt in conditione hominis,eius morem gereret voluntati. Cùm verò additur ibi:

[Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam :] hic dicitur : [Deus meus volui,]ideſt, *In ſomma, Iddio creò l'huomo, perche coſi volſe il ſuo Figliuolo*;& cùm ibi repetitur, [Ad imaginem Dei creauit illum ,] hic dicitur, [Tunc dixi , Ecce venio.] Id eſt , Aduertite, quòd Deus Pater, Filij auſcultata ſententia, & parata conſenſione comprobata, ad imaginem Dei, ideſt, Filij ſui Adamum protoparentem efformauit .

15 De quo Diuino conſilio, & Filij æterni in Patris æterni voluntatē, ſuam, pleniſſima reſignatione, voluntatem conijciente, vt eius pleniſſimè poſſeſſionem adipiſceretur, gloriatur ipſe Filius, & Patris Sapientia, ſic dicens, Prouerb.c. 8.[Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum : antequam quicquam faceret à principio:] ac ſi diceret: cùm initium, ſeu caput, ſeu principium, & præcipuum corporearum creaturarum homo eſſet creandus, Dominus Pater in caſu, & ad effectum, de quo agebatur, plenam meæ voluntatis poſſeſſionem acquiſiuit .

16 Ad quem locum vltimò reſpexiſſe videtur Iacobus Apoſtolus, Ep. ſua Canonica, cap. 1. dum dixit, [Voluntariè enim genuit nos Verbo veritatis : vt ſimus initium aliquod creaturæ eius .] ibi namque, licèt de recreatione hominum, per verbum Euangelij, videatur Apoſtolus Iacobus, iuxta quorumdam Doctorum expoſitionem, egiſſe: cùm tamen gratia hæc naturam præſupponat, & ibi ſic prædocuerit, [Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum: apud quem nō eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio:] compertum eſt, etiam apud Auctores ſacros, [datum optimum] ibi, pro naturæ operibus, & conditione , & [donum perfectum,] pro gratiæ effectibus, & myſterijs Euangelij capiendum ; Iacobo eodem Apoſtolo ibidem aduertente, apud Deum ſemel hominem creare, & recreare ſtatuentem, neq; mutationem ſententię, neque propoſiti viciſſitudinem interceſſiſſe. Vnde eſt conſequens, eum ſenſum reddere verba ſequentia : Pater æternus, Filij accedente conſenſu, & Spiritus ſancti inclinatione comprobato, plena ſanctiſsimæ Trinitatis reſultante voluntate, genuit nos, efformauit, & creauit nos [Verbo veritatis,]ideſt, per Filium ſuum: vt ſimus ἀπαρχὴν, ideſt, initium, hoc eſt, primitiæ, ſeu primi ; ſeu potiores rerum in orbe creatarum. Et quid mirum, primas homini deferri? numquàm enim Deus Angelos apprehendit, aut alicui eorū dixit, [Filius meus es tu.]

Obiectio quædam ſoluitur. Cap. XV. §. 1.

NEQVE obſtat explicationi prædictæ, Beatiſsimam Triadem, fuiſſe inductam à Moyſe, loquentem in multitudinis numero, dum dixit : [Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram :] cùm tamen ſolus Dei Filius Verbum , humanam eſſet naturam ſuſcepturus : ad cuius homo imaginem fuit creatus .

2 Reſpõdetur enim; Verbi humanitatem, ea ratione, totius Trinitatis imaginem appellari: quia tota Trinitas erat Chriſti Incarnationem operatura: ſicuti & eam fuit operata. Nam Pater Filium ſuum miſit in mundum: Ioan. cap. 3. Chriſto dicente: [Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: &c.] Filius ipſe aſſumpſit humanitatem: Ioan. cap. 1. [Verbum caro factum eſt: &c.] & ad Philipp. capit. 2. [Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto I E S V: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.] Spiritus ſanctus deniq; operatus eſt etiam Incarnationem: ſic enim Luc. capit. 1. Angelus nunciauit B. Virgini: [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c.] & Matth. cap. 1. ait idem Angelus ad Ioſeph: [Quod enim in Maria natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.] Hinc tota Trinitas, [imaginem, & ſimilitudinem noſtram,] appellãt humanitatem, quam Filius Dei erat aſſumpturus.

3 Simili alio loco, hic locus inſigniter explicatur: dum Canticor. cap. 8. Trinitatis Deitas, ſic loquitur ad Eccleſiam (ex ſanctorum Patrũ, & Doctorum concordi expoſitione: [Soror noſtra parua: & vbera non habet. Quid ergo faciemus ſorori noſtræ, &c.] vbi omnes tres perſonę, Eccleſiã, ſororem appellant: propter humanitatem, quam Filius Dei aſſumpſit, cuius ſoror, iuxta rei exſiſtentem veritatẽ, ſola humana natura reperitur. Sic enim Ioan. c. 1. teſtimoniũ reddit: [Verbũ caro factum eſt: &c.]

Deum immediatè hominibus dominari ſemper voluiſſe, declaratur. Cap. XVI. §. 1.

SI homo in iuſtitia, & veritatis ſanctitate, in qua à Deo fuit conditus, perſeueraſſet; eas omninò in mundo partes exſequi debuiſſet, quas à Deo ſibi impoſitas legimus, dicto 1. cap. Geneſis, hiſce verbis: [Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam: & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli; & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.] Vnde quantumcumque inter homines fuiſſet diſparitas, quò ad ſexum, quò ad ætatẽ, quò ad corporum complexiones: immò in anima, quò ad notitiam, & ſcientiã, in quibus homines hominibus præſtitiſſent: vt latè docet S. Th. 1. p. q. 96. art. 3. tamen homines hominibus dominari, qua ratione dominiũ opponitur ſeruituti, non concederetur: licèt illi, qui maiori iuſtitia, & ſcientia pollerent, ad ſocietates, & ciuitates, & Reſpublicas gubernandas, accedentes, dominiũ, eius nominis latiſſima accepta ſignificatione, dici poſſent exercere: ſed ſicuti docet ibidem S. Doctor, Art. 4. tamquàm in homines liberos, & quorum ſpontaneæ directioni, & gubernationi,

quæ nihil de hominis auferret excellentia,præſiderent.

2 Fecerat quidem Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: ideò ſimilem ſibi,dominatus effecit poteſtate: vt quaſi ſuus Vicarius, mundus minor,ſeu μικροκόσμος, in mundo magno,omnibus animantibus præeſſet. Quòd ſi vox, dominus, à domo ſumpta eſt, vt is ſit dominus,conſequium eſt, cui cura domus incumbit: cumque mundus,magna ſit quædam domus,quæcumque in ea ſub curam hominis cadere potuerunt, ea domus Auctor hominis imperio ſubiecit. Exerceret autem homo imperium hoc in animalia acceptum, non quòd ea quaſi ratione prædita aliqua, illius fuiſſent iuſſibus paritura: ſed quòd induſtria, & ſcientia eximia præſtans,cogniturus fuiſſet, qua ratione animans quoduis,ſibi ſubditum,ac obediens præpararet. Ceterùm inter homines eſſet tunc temporis ordo aliquis, quo alij alijs præfuiſſent. [Quæ à Deo ſunt, ordinatæ ſunt:] dixit Paulus Apoſtolus,ad Rom.c.13.ſcilicet,Poteſtates. Et hæc poteſtas nedum grata, verùm, & iucunda exſiſteret ſubditis: quæ poſt hominis lapſum, imperantibus laborioſa, obtemperantibus, ob vtrorumque ſæpe ſuperbiam,eſt moleſta.

3 Ex quibus conſtat, in ſacra Scriptura, vocem dominij, latiori ſumi ſignificatione, quàm Iuris eam conſulti interpretantur. Hi enim illud definiūt,vt ſit,[Ius de re corporali perfectè diſponendi, aut vindicandi:niſi lege, aut conuentione prohibeatur.] Hanc auctoritatem vocant Græci, κῦρος: vnde, κύριος, dominus: & inde Galli vocabulum, Sire, tribuūt Regi,quaſi ſupremo regni Domino:ſicuti Hiſpani,Señor,Regem vocamus,non diſſimili charactere. Ius ibi,legitimam ſignificat facultatem:ſicuti res corporales,ea omnia quæ ſub ſenſum viſus,aut tactus cadunt, intelliguntur. Hac namque definitione, hominem ipſum nolunt iuris Antiſtites comprehendi:cui tamquam domino,eſt ipſum dominium reſeruatum. Imperiū autem domini in ſeruum,& mancipia, reuocant ad ius, quod dicūt,perſonarū: ea enim propriè poſſideri non poſſunt, quorum domini eſſe,& quibus vti,pro arbitrio, non valemus. At nemo vmquam homo potuit eſſe totius hominis dominus: nemo in alterius animā potuit dominari. Hinc verus,& vnus hominis dominus ait:Matth.c.10.[Nolite timere eos,qui occidunt corpus,animam autem non poſſunt occidere.] Quiuis verò poteſt occidere animam bouis,& agni, cuius dominus eſt,ſicuti & corporis. Partiuntur etiam Morales Philoſophi ius,in herile,paternum,mariti in vxorem,& huiuſmodi: quæ omnia,& ſimilia ad idem ius perſonarum reducuntur.

4 Cùm autem dominium triplex ſit, ſcilicet, directum, vtile, & plenum: directum, quod habet dominus ſuperior ſine fructu, aut vſu: vtile quod eſt cum fructu,& vſu,abſque directo: plenum vltimò, quod reſultat ex vtroque: ſanè homo Deo compoſitus, nullius rei vmquam habuit directum dominium, quod eſt vnius, ſoliuſque Dei: dicente illo ſæpius

in ſacris Codicibus,[Ego Dominus:] τοῦτο γάρ κράτος ἐςὶ μέγιστον. Iliad. 4. vnde canit Eccleſia, [Tu ſolus Dominus:] σὺ γὰρ βασιλεύτατος ἐσσι. Iliad. 9. vtile habuit; quò rebus illis vteretur, quæ à Deo propter eũ producta fuerant, & quibus Deus, haud neceſſitate compulſus vteretur: dicẽte Regio vate Pſal. 15. [Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniã bonorum meorum non eges.] Eſt tamen certum; abſolutè loquendo, homini datum eſſe initio plenum dominium eorum, quorum dominus eſt dictus in ſacra relata Scriptura: licèt poſt lapſum, multarum rerum tantùm retineat dominium: earum ſcilicet, quas ſubditas pacificè poſſidere poteſt: cùm in ijs, quibus ex arbitrio vti non poteſt, directè ſolummodo dominetur.

5 Immò neque Omnipotens Conditor de illa hominum ſiue directione, ſiue gubernatione, quæ dominatus faſtidioſi in ſtatu integro expers fuiſſet, vel præceptum tulit, vel dedit conſilium: quia iuſtitia originali, & gratia, in qua fuerat homo conditus, eius animum, & animi facultates omnes, ſiue formaliter, ſiue efficienter, ſua irrigante ſcaturigine, nulla ſui regiminis à Deo facta mentione, ipſe per ſe homo, quid homini alteri voluntarij deberet obſequij voluntarius intelligeret, & præſtaret voluntarius. Prætereà cùm Deus homini ſuæ conditionis myſterium (futuri ſui caſus excepta notitia) reuelaſſet: dicente Paulo Apoſtolo, ad Epheſ. c. 5. de mulieris ex coſta viri ædificatione; & Adami eam præcedente ſomno, [Sacramentũ hoc magnũ eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia:] non fuiſſet à Deo præſumendum, præcepto, ſeu conſilio eguiſſe illum, ad ſuam voluntatem Deo obſequentem ſeruandam, cùm alterius hominis non eſſet importuno obnoxia dominatui futura: in ſe autem ſemper eam rationi fuiſſet ſubiectam habiturus: vti qui ad Verbi æterni reſpicere perpetuò deberet exemplar, per cuius Patri cernuam æterno voluntatem, ſe fuiſſe conditum cognouiſſet.

6 Verumenimverò illius ſtatus felicitate, & de in eo geſtis, ſeu gerendis, ſi in eo duraſſet homo, cùm non durarit, omiſſis diſputationibus: ad ſtatum præſentem, in quem per peccatum decidit, & in quo ſtamus, ſeu inſtamus, vti qui omnes in Adamo peccauimus, ex Paulo ad Rom. c. 5. deueniendo: Conditoris tantum fuiſſe versùs hominem amoris affectum, tam excellentem reperiemus exſtitiſſe charitatem, de qua ipſe dicit per Ieremiam cap. 31. [In charitate perpetua dilexi te:] vt neque hominis occupatus delicto, neque eius ingenti ingratitudine præpeditus, ab hominis ſe continuerit dirigendis particulariter rebus; reformandis negotijs, ſtudijs inſtruendis; immò illum miſerando attrahens, ſeu miſerãs attrahendo: vt apud Ieremiam ibidem addit, ſibi vni, & ſuo dominatui præcipuè ſubdi voluit; varijs medijs, & remedijs, varijs homini indicans doctrinis, eius conditionem magnificam non tuliſſe, & quod ex Deo erat, in poſterùm non laturam, homines inuicem, ſed adhuc Deum ipſum, me-

dijs à ſe latis legibus,hominibus dominari.

7 Hinc licet ſimile vero ſit, vt ex Auguſtino ſupra retulimus, ab ipſo Caino,Reges homines regendi alios homines,fuiſſe conſuetudinem deriuatã:vnde ponderat ipſe Auguſtinus,19. de Ciuit.Dei,c.12.de hoc nihil compertum haberi: immò primos homines, & maximè Patriarchas,rectores pecudum,non hominum,in Scriptura ſacra reperiri: regnum tamen,& eius dominatum grauem,Babylone, tyrannide Nemrothi,iam, ex ipſius ſacræ Scripturæ vidimus contextu, erectum; quo loco primo legimus,Deum ab homine impio,quantum,& quatenùs valuit, è regno, & dominatu, quæ in homines,legis naturalis illis duobus affirmante, & negante præceptis, de ſibi volendo, vel nolendo,quod alteri homines vellent,vel nollent, explicabantur,perturbatum.

8 Et cùm procedente tempore, eſſet Deus populum vnum ſelecturus, cui ſingulari amoris vinculo teneretur adſtrictus: ſi ipſe Deum, in Dominum, & ſuum præcipuè Regem, & excipere, & excolere pateretur: Abrahami,ex vniuerſa hominum maſſa, ſecreta familia, & eius poſteris Iſaaco, Iacobo, & eius duodecim filijs,cum ſua fœcunda prole,in grandem gliſcentibus populum, & in Rempublicam numeroſiſſimam dilatatis, poſt longas à Pharaone Aegypti Rege perpeſſas iniurias, illis in libertatem aſſertis, ſub Duce Moſe,ſeu ſuo Prorege, eam, quæ ſcripta extat,legem cælitùs contulit,ſexcentis tredecim conſtantem præceptis:vt per legem,non per Regem gubernarentur:Regis, & regni, & dominatus iure, à Legiſlatore Deo,in ſuo ſemper pectore conſeruato.

9 Grande quidem conſilium! ſed quod neutiquam ſcientiæ naturalis facultatem,ſicuti neque notitiam excedit: vtpotè à Deo,quatenùs naturæ eſt Auctor,hominibus inſinuatum:cum Ariſtoteles 3.lib.Polit.c.12.ſic docuerit:[Qui legẽ imperare iubet,imperare iubet,& Deũ, & legem: qui homini (intelligendum ſine lege)mandat imperiũ,admouet & beſtiam.] Nã cupiditas veluti quædam beſtia eſt;& ira peruertit eos,qui præſunt, etiamſi optimi ſiut viri:lex autem mens eſt affectu nullo perturbata.

10 Hinc dicto populo ſub legis Moſaicæ cuſtodia perſtanti, Iudicibus nunc ex illa, ex alia nunc,è duodecim,in quas diſpertiebatur, tribubus, ius dicentibus, vel illum ab hoſtium iniurijs vindicantibus: cùm ſemel,vt Iudic.c.8.ſacra refert Hiſtoria, ſummus Dux Gedeon Dei monitu,& auxilio mirabili, de Madianitarum quaſi innumerò exercitu, cum trecentis tantùm Iſraeliticis viris,cum totidem Iagenis lucernas ardentes occultantibus,inſtructis, ad hoſtiũ fortiſſimorũ tot copias debellandas,inſignem de illis victoriam reportaſſet:inſolentis effectus,vel nouitate,vel ſtupore,fuit populus Iſraeliticus occupatus.Tribuũ etiã primores omnium,in Gedeonis amplitudinem,ſibi eam,& honeſtam, & vtilem futuram perſuadentes, conſpirarunt: & quaſi iure Gentium communi vtentes, Principem ſibi quocumque nomine, titulo, ac iure, & quibuſ-

cum-

cumque conditionibus deligendi,ſic & electione perſonæ, & cauſſis electionis,communi auctoramento firmatis,ad præſtantiſſimum Gedeonem omnes viri Iraelitici ſunt loquuti. [Dominare noſtri tu,& filius tuus,& filius filij tui:quia liberaſti nos de manu Madian.]

11 Attamen, vt quemadmodùm hæc quæ vulgò maximi ducuntur, maximique fiunt res, à ſanctis, & Diuina luce præditis viris,accipiantur, & qualiter Heroes illi Iudaici populi priores,ſibi perſuaſerint, Dei mentem fuiſſe, lege lata, per illam ipſummet in populum, non per Reges,dominium exercere;Gedeonis,& iudicium, & reſponſum, de oblato ſibi dominio, penitùs conſiderare erit operæpretium. Quibus, inquit ſacer Textus, ille ait: [Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus:ſed dominabitur vobis Dñs.]Ac ſi diceret:Non debeo vobis dominari: quia non à Deo id munus ſubire ſum iuſſus:non eſt fas:quia, quamquàm frater veſter ſim,quamquàm manifeſta Dei,vobiſque declarata voluntate, ad Regium munus vocatus eſſem: tamen hoc dominandi nec verbum,nec ius vſurpare poſſem lege noſtra Deut.cap.17.ſic cauente:[Nec eleuetur cor eius ſuperbia ſuper fratres ſuos;]vnde dominium, etiam à vobis liberaliter oblatum,eſt à me liberaliùs recuſandum.

12 Mirum eſt etiam,quàm perpetuo tenore,naturæ ipſius luce hominum id mentibus dictante,dominij huius,& rem, & nomen illis fore fugienda,ipſi potentiores ſolerter intellexerint Principes: cùm referente Oroſio lib. 6. cap.22. Octauianus Imperator Auguſtus,ludos aliquando ſpectans,hiſtrione pronunciante, [O Dominũ æquum,& bonũ!]& populo illud,quaſi de Auguſto dictum,approbante, ipſe manu, vultùque indecoras tunc reprimens adulationes, ſequenti die, reapſe numquàm relictum,Domini ſuperbum cognomentum,grauiſſimo Edicto repudiauit.

13 Verumenimuero in populo Hebræorum, qui nobis exemplar, & figura præfuit, & cui eloquia Dei, quæ nos etiam inſtruunt,fuere concredita,qualiter hæc aliàs cognita iuſtitia, ſeu conſtans,& perpetua non durauerit voluntas, vt explicemus, ſatis mirari nequiremus, vnde illud ſit hominibus rerum optimarum, rerum omninò expetendarum faſtidium: niſi prauitatem humanæ mentis agnoſceremus; qua ab eo iam tempore imbuta fuit,quo, decipienti potius colubro,quàm iubenti Deo, aſſentiri,& obſequi prætulit, & boni, ac mali affectatam notitiam,ſpontaneè ſtuduit vſurpare: Quid enim hominum publicæ,quid priuatæ rei fuiſſet magis exoptandum? quid ei gratiùs contingere poſſet,quàm vnius Dei conſilio regi, virtute defendi, manu conſeruari, illuſtrari ſplendore,ornari maieſtate? idque omni loco,omni tempore, ac etiam tam domi, quàm foris experiri. [Dixi Domino,Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum nõ eges:]protulit Potentiſſimus Rex Propheta, Pſalm. 15. Dixi Domino,Rex meus es tu, oportuiſſet ſemper dixiſſe Hebræam Gentem: quoniam bonorum ſuorum non egens, indeque bona

illorum terrena non appetens, non quærens,non extorquens,per ſuam legem,ius ſuum tribui vnicuique præcepiſſet:efficiens, legem,per Miniſtros congruos,ſuos Locumtenentes,conſeruari.

14 Attamen gubernante præfatū populū ſic Samuele,felici, ſicuti innocenti,& rariſſimo exemplo: præſumptuoſo, ac graui diſplicere cœpit eius animo, proprij potiùs,quàm Diuini conſilij appetenti, & ſtulta poſtulatione,ſpreto, & faſtidito Dei viuentis benigniſſimo imperio ſupremo regno, ſplendidiſſimo dominatu, qualiter mortali potiùs homini rerum ſummam,& Principatum tribui debere,cenſuerit,ipſis ſacri eloquij verbis,Regum cap.8.referamus;vt cùm aſſeramus, Deum ipſum hominibus ſemper dominari, quaſi Regem voluiſſe, non noſtra merces,ſed Spiritus ſancti veriloquia demonſtremus venditare. [Congregati,]inquit ſacra Hiſtoria,[vniuerſi ſeniores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem, in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti,& filij tui non ambulant in vijs tuis:conſtitue nobis Regem,vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.Diſplicuitque ſermo in oculis Samuelis,eo quòd dixiſſent: Da nobis Regem,vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuti ſunt tibi: non enim te abiecerunt,ſed me: ne regnem ſuper eos.]Verba admirationis plena.

15 Dominationem ergo, regnum, & imperium in humanum genus omne vni Deo proprium eſſe, illique ſoli adſcribendum, docet Textus ſacer:[Poteſtas,& terror,] inquit Iob cap. 15. [apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.Numquid eſt numerus militum eius? & ſuper quem non reſurget lumen illius?]Et Pſalm.29.dicitur:[Quoniam Domini eſt regnum;& ipſe dominabitur Gentium.] Et Pſalm. 65. [Qui dominatur in virtute ſua in æternum: oculi eius ſuper Gẽtes reſpiciũt. Quòd ſi propria hæc dominandi auctoritas, ſi hoc ius regni ſpeciale in omnes Gentes, Dei vnius eſt, quæ ille aliquando legitimè conſtituti per Reſpublicas Regibus, certo ſtatutoque modo, legis ipſius naturæ conditionibus ſignatis,conceſſit;quàm ſingulari,ac peculiari quodam iure in populum ſibi ſingulariter dilectum, & curatum, ac præcipuo quodam exemplo dedicatum, huiuſmodi auctoritas, & ius tribuenda fuerint,explicuit Rex ille, & Propheta, de Regum iuribus,Spiritus ſancti in Schola altiùs informatus,Pſalm.59.dicens:[Et ſcient, quia Deus dominabitur Iacob.] Cùm tamen certum eſſet, Deum,Dominum eſſe, fuiſſeque Iacob,ſicuti & omnium Gentium;quod ſupra dixerat,ſingulare dominium,in hoc loco,& regni, eiuſque auctoritatis rationem peculiarem,aſſerens,fore in Iacob;Chriſti Dei,& hominis, & quæ non iam legis Moſis ſcriptæ populum illum in officio continentis terminis anguſtaretur; ſubdidit: [& finium terræ.]Quod idem Pſalm.113.clariùs expreſſit: cùm carneis oculis in Iſraelitici populi, de manu Pharaoni

liberationẽ, mentis autem altiori perſpicatu defixis in mundum vniuerſum, ex Dæmonis eductum ſeruitute, & in Chriſtianam gratiæ libertatem aſſertum, ſic idem regius Vates dixit: [Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: Iſrael poteſtas eius:] beneficij, & præteriti in primo populo, & in ſecundo futuri, commemoratione repetita. Pſalm. 113.

Quale fuerit, & ſit Chriſti Regnum. Cap. XVII. §. 1.

HOC Chriſti regnum Daniel cap. 7. & eius dominium ſpiritu præuidens Prophetico, ſic de eo fuit vaticinatus: [Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum Altiſſimi: cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient.] Et Michęas item Propheta cap. 4. ſic de eo dixerat, [Et veniet poteſtas prima, regnum filiæ Ieruſalem.] Ad quas promiſſiones dubio procul, Virginis Almæ Mariæ cogitationibus dum ſatisfaceret, reſpiciens Gabriel Angelus, Luc. c. 1. Diuinam illam exſequens Verbum æternum ipſi annunciandi legationem, ſic ſermonem inſtitutum continuauit: [Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum; & regni eius non erit finis.]

2 Neque eſt nobis mens, longum de Chriſti regno ordiri ſermonem, quod neceſſarium cùm non ſit, ad Apoſtolicam doctrinam D. Petri, quam verſamus, explicandam, tædium nobis, nedùm Lectori vlteriùs noſtrum diſcurſum intelligendi cupido ingeneraret. Breuiſſimè ergo de hac materia tractantes, quod ſit ius, quæ poteſtas imperantium, & quæ obligatio parentium, cum quibuſdam alijs, quæ tractata initio huius 4. Partis confirment, referemus. Interim meminerit Lector, quædam de hoc Chriſti regno, quæ ad præſentem diſputationem faciant, fuiſſe à nobis Par. 1. ſuperiùs pertractata.

3 Igitur, ſiue antiquis illis conſideratis prædictionibus Prophetarum, vt Iſai cap. 9. [Multiplicabitur eius imperium; & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodò, & vſque in ſempiternũ.] & infra cap. 3. [Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos.] & Pſal. 71. [Deus iudicium tuum regi da:] cum reliquis ibi de Chriſto, ſeu Meſſia ad litteram prædictis. & Zachar. cap. 9. [Exſulta filia Sion, iubila filia Ieruſalem. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator.] & Pſalm. 2. [Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.] & alijs, inquam, pluribus de regno Meſſiæ locis inſpectis; ſiue nouo Angeli ad ſacram Virginem notato Euangelio, auditis etiam mirabilibus, & rebus adeò

magni-

magnificis,quæ in Chriſti ortu contigerunt, falſa quædam opinio,Chriſti quorumdam conſanguineorum mentes inuaſit:& eum tunc mundo ex carnali affectione, vel propagatione regnaturum crediderant. Hoc error rore forſan decepta Zebedæi vxor, de Chriſti conſanguinitate ſumpta audacia, poſtulauit ab eo, Matth.cap. 20. dextram,& ſiniſtram ſedem Iacobo,& Ioanni filijs, in regno temporali ab ipſis æſtimato.

4 Fuit,& ſecunda falſa opinio Gentilium,& Romanorum,apud quos fuerat Chriſtus diffamatus à Iudæis: ſuggerenti bus, velle eum, poteſtate tyrannica, armorum vi,& miniſtrorum copia,regnum inuadere: cui, vanæ licèt perſuaſioni,non leuè fidem,& Chriſti miræ, ſicuti frequentes res geſtæ,& populi,quæ eum ſequebatur,multitudo comparabant. Hac occaſione in Magorum aduentu nunciantium,Regem Iudæorum eſſe natum: [turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo;] vt habetur Matth. cap. 2. & Ioan. cap. 19. apud Pilatum Regni affectati fuit Chriſtus inſimulatus à Iudæis, ipſi in hanc formam exponentibus: [Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.

5 Quàm verò fuerit difficile, hoc Chriſti Dei, & hominis regnum quale eſſet intelligere olim, cùm nobis iam ſit manifeſtum ſatis, dummodò velimus attendere, Regum, & regnorum temporalium imaginarijs timoribus prætermiſſis,ex eo notum erit, quòd etiam credentes ex Iudæis, initio naſcentis Eccleſiæ,immò ipſo Chriſto Domino nondùm ad cælos aſſumpto,eum regnaturum temporali quadam ſucceſſione putauerunt. Sciebant enim, ſe proprio regno eſſe priuatos, & ad Romanos Gentiles illud eſſe deuolutum. Vndè videntes,Chriſtum eſſe natum de tribu Iuda,ex qua conſueuerant eſſe reges; conſiderantes eum potentem in opere,& ſermone, ſibi perſuaſerunt, illum fore regnum Iſrael reſtauraturum:& ab eo Iudaicam gentem,de Romanorum, gente non ſancta, manibus liberandam.

6 Hinc in illa cum Chriſto, poſt eius reſurrectionem peregrini habitu duorum Diſcipulorum Dialogiſtica conuerſatione,Luc.cap.24.fuſiùs explicata,poſt alia,ſuam tamdem regni ab eo reparandi ſic deſperationem extulerunt: [Nos autem ſperabamus,quòd ipſe eſſet redempturus Iſrael.]Quid? quòd poſt diuturnam cum eodem Chriſto in carne paſſibili de eius rebus ſeu geſtis,ſeu gerendis, ab Apoſtolis initam rationem: poſt ipſius è mortuis glorioſam reſurrectionem: inſtante etiam ipſa illius ad cælos Aſcenſione mirabili: eorum animi hac opinione regni Iſraelitici temporalis,æterni ab eis meditati, imbuti, hanc vltimam illi explicandam quæſtionem poſuere: Actuum c.1. [Domine ſi in tempore hoc,reſtitues regnum Iſrael?]

7 Quibus falſis tribus opinionibus ab hominum mentibus euellendis,adſtans Chriſtus Dominus, iniquè iudicandus coràm Procuratore

Romani Imperatoris Pilato,cùm in alijs multis,miro cauſſam ſuæ accuſationis ſilentio tranſegiſſet de regno,& ſua regia poteſtate rogatus, ſic habuit ad eum orationem: Ioan. cap. 18. [Regnum meum non eſt de hoc mundo.] Quo verbo primam falſam conuulſit opinionem: mundum enim, iuxtà Chryſoſtomum, mundanam ſui generis parentelam nominauit: ex qua haud virtutem, & regnandi acceperat poteſtatem: ſed potiùs infirmitatem moriendi: quia ex forma ſerui fuit crucifixus, qui regnat ex virtute Dei ex Apoſtolo Paulo.

8 Vel dicendum, ſecundùm Auguſtinum: regnum Chriſti, ſuper quo regnauit, fideles eius eſſe credentes in eum: quibus dicit; [Vos de hoc mundo non eſtis: quia ſi de hoc mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret.] Chriſtus ergo non dixit: Regnum meum non eſt in hoc mundo: quia in hoc mundo, & in futuro regnat ſuper fideles ſuos, hic per gratiam, & in futuro per gloriam: ſed dixit, [Non eſt de hoc mundo:] quia de hoc mundo eſt, quicquid hominum eſt à Deo creatum, & ex vitiata ſtirpe Adæ generatum. Sed iam factum eſt regnum non de hoc mundo, quicquid de ipſis hominibus per Chriſtum regeneratum eſt: dicente Apoſtolo: [Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum filij dilectionis ſuæ.] ad Coloſſ. c. 1.

9 Aut faciliùs dicendum, verba hæc Chriſti apud Pilatum, [Regnũ meum non eſt de hoc mundo:] non negare regnum ſuum in hoc mundo: etſi dicat, [non eſt ex hoc mundo,] & ipſe non attigerit ciuilem, quam ſui contribules exſpectabant in ſuo Rege promiſſo adminiſtrationem. Differunt namq; permultũ iſta, eſſe ex hoc, & eſſe in hoc; quod & Ariſtot. docuit 5. Metaph. & inde hauſerunt Iureconſulti, in bonis eſſe aliquid, &, ex bonis: Vlpian. in l. 1. de vi bonorũ raptorum. Aliud eſt enim, eſſe ex Italia: aliud, in Italia: aliud, hic eſſe, vel, hinc eſſe: quod & Græca vox, quæ apud Euangeliſtam habetur, ἐντεῦθεν, quæ motũ à loco ſignificat, demonſtrat. [Regnum, inquit, meum non eſt ἐντεῦθεν,] id eſt [hinc] neque enim Chriſti regnum ex his originem duxit terris; ſed à Patre, & à ſe ipſo, & altiſsimo, & æterno illo loco. [Dominus] inquit, Deus filius, apud Vatẽ Regiũ Pſal. 2. [dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea: & tamquàm vas figuli confriges eos. Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terrã. Seruite Domino, &c. Apprehendite diſciplinam, &c.]

10 Addidit Chriſtus: [Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri vtique mei decertarent, vt non traderer Iudæis.] Quo verbo, falſitatis ſecundam conuicit opinionem: miniſtros namque, ex eodem Chryſoſtomo, Apoſtolos, & Angelos dixit, quorum vt regnaret, auxiliũ recuſauit. Apoſtolorum quidem, cùm Matth. cap. 26. illorum compeſcuit impetum in miniſtros Iudæorum, Malchi iam abſciſſa auricula

pro-

prorumpentem: dicens Petro, aggreſſionis prohibitæ auctori e; [Conuertè gladium tuum in vaginam, &c. Angelorum autem, cùm deſtitit rogare Patrem, qui ſibi pluſquàm duodecim eorum legiones, ſi armorum vi, res eſſet agenda, exhibuiſſet.

11 Tertiam tandem eradicaturus opinionem falſam, ſic concluſit [Nunc autem regnum meum non eſt hinc. [Ac ſi diceret: Regnum meum non ordino ad ſucceſſionē temporalē; ſed redempturus ſum regnū Iſraelitarū, id eſt, videntium Deū: ſeu Iudæorū, id eſt, Deū verum confitentium per orbē vniuerſū, vt æternas valeant manſiones poſſidere. Ex quibus colligitur vltimò, qualiter Chriſti poteſtas, & Maieſtas Regia erat futura in Eccleſia, ſuper ſuos fideles, nō ex carnali propagatione, ſeu affectione vt fuit opinio eius conſanguineorum, ſed ſpiritualis: non ex armorum potentia, vt fuit ſententia Gentilium Romanorum, ſed virtualis, & Diuina, animorum regimen, & optans, & aptans; non ex ſucceſſione temporali, vt fuit iudiciū credentium Iudæorum, ſed perpetua, & æternalis: quæ Reges omnes conſtituens homines, gratia ſua inſtanti, æternam gloriam quaſi in ſemine continente, omnes Reges, hominibus, & ab hominibus conſtitutos, vt Eccleſia alicubi de illo canit, à timore eripiendorum ſibi per Chriſtum regnorum temporalium liberaret.

12 Inficiari igitur nullo modo poteſt; Chriſtum Dominum, Regem fuiſſe, dicente Patre æterno, ad Filium æternum, etiam vt erat homo, ſic Pſalm. 44. illud Apoſtolo Paulo explicante, ad Hebr. c. 1. [Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi; virga æquitatis, virga regni tui.] De quo argumento benè diſſerit Turrecr. in Sum. de Eccleſ. c. 47. verſ. Ad 2. reſpondetur. lib. 3. Immò fuiſſe Regem, & tunc etiam poſſediſſe regnum mundi, quando nihil minus, quàm mundi regnum ſe quærere demonſtrauit, teſtatur Chryſoſtom. Homil. 83. ſuper cap. 18. Ioan. ſic docens: [An non eſt mundi huius Chriſti regnum? quid ni? Quomodo, inquit, non eſſe? non quòd hoc etiam non poſſideat: ſed quòd in cælo habeat imperium, non humanū, ſed longè maius, atque præſtantius.] Et paulò inferiùs, ſic ait, [Et regnum ſuum dicit, hinc non eſſe; non quòd mundum prouidentia, ac protectione ſua priuet; ſed, vt dixi, neque humanum, neque caducum eſſe demonſtrat. Quid ergo Pilatus, Ergo Rex es tu? Reſpondit IESVS; Tu dicis, quia Rex ſum. Ego in hoc natus ſum. Si ergo Rex natus eſt, & omnia alia nata ſunt; & nihil habet, quod acceperit. Itaque cùm audis, Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere; nihil aliud quàm generationem arbitraris: & in alijs ſimiliter.] Probat ergo Chryſoſtomus, quòd Chriſtus, dum erat in mundo, erat Rex mundi, & illud poſſidebat.

13 Quibus eſt addendum, illud Chriſti Domini aſſertum, Matth. c. 28. [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.] & illud Ioan. cap. 13. [Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.] & illud Lucæ, c. 10. [Omnia

nia mihi tradita ſunt à Patre meo.] & illud ad Hebr.c.1. [Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.] & illud Petri Apoſtoli documentum, Act. cap.10.de Chriſto: [Qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.] & illud etiam Apoſtoli Pauli, ad Hebr.c.1. explicantis Pſalmi 8.verba illa: [Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.] dum ait. In eo enim,quòd omnia ei ſubiecit;nihil omiſit non ſubiectum ei.]hæc, inquã, & ſimilia loca,Scholaſticos Doctores optimè explicare: vt Chriſtus Dominus, ab inſtanti ſuæ conceptionis, in quo fuit homo, hæc poteſtas, & auctoritas, & hæc omnium creaturarum competierit ſubiectio. De quo videndus Turrecremat.in Sum.de Eccleſ.capit 96. verſ.Secundo poteſt. lib.2.& S.Th.3.p.q.54.art.4.cum ſuis Interpretibus.

14 Hæc tamen poteſtas haud fuit caduca,& temporalis,ad modum aliorum Regum; neque per homines introducta; ſed ordinis cuiuſdam altioris,in ipſo Chriſto,à Deo in res omnes creatas immediatè manans, & ſuper omnes omnium hominum, & Angelorum actiones: & proindè media erat,hinc Diuinæ ſubdita poteſtati,hinc cuicumque poteſtati creatæ ſuperior:ſuprema ad infimam creatam,& infima ad ſupremam, & increatam collata poteſtatem. Quæ fuit expreſſa doctrina Apoſtoli Pauli, qui explicans rurſus de Chriſto illud Pſal.8. [Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius,] 1.ad Corinth.cap.15.ne quis putaret,per illam dictionem, omnia, intelligi etiam Deum,ideò ſignanter à dominio Chriſti, eiuſque poteſtate Deum excepit,ſubdens,[Cùm autem dicit,omnia ſubiecta ſunt ei,ſine dubio præter eum,qui ſubiecit ei omnia.]

15 Hanc autem tantam auctoritatem habuiſſe Chriſtum,fuit neceſſarium,& conueniens,ob excellentiam,& eminentiam perſonæ,& ob cauſſam conuerſionis,& redemptionis totius mundi; ita vt omnis in eo poteſtas eſſentialiter reſideret ſuper omnes,& de omnibus,ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus:vt homines ex poteſtate ſua,in cælo,& in terra illi crederent, & in eum ſperarent: & ex non vſu illius voluntario, ipſiuſque abiectione, qui humillimam, & pauperrimam duxit vitam, ad ſui omnes homines imitationem induceret,& ad rerum humanarum deſpectionem incitaret. [Scitis,] inquit Apoſtolus, 2.ad Corinth.cap.8. [gratiã Domini noſtri IESV Chriſti:quoniam propter nos egenus factus eſt;cùm eſſet diues: vt illius inopia vos diuites eſſetis.]

16 Id tamen perſpicuè, hanc Chriſti Domini arguit ſummam poteſtatem, quia ſi illa non fuiſſet in eo, ſanè paupertas,& illius demiſſio, non videbatur, tam commendanda,& tanta digna admiratione, quantũ fuit. Si enim nihil habebat, nihil eſſet eius voluntati, non dominandi, glorioſiùs attribuendum:attamen quia habuit,& noluit,admirabilis extitit; ſeſe verum eſſe Deum docens,& ſuper Angelos,& homines Regem & Dominum, & interim exemplum humilitatis nobis relinquendo, vt illius ſemper veſtigia conſectemur. Hoc ſenſit Cyprian.citatus,c.Dominus,

Digitized by Google

nus.diſtinct.93 dicens: [Quæ omnia ab eo ideò facta ſunt humiliter, atque patienter, vt nos humilitatis,& patientiæ haberemus exemplum: & non ex eo, quia noluit exercere, propterea non erat iam omniũ Dominus, omnemque poteſtatem non habebat.] Circa quam rationem, Aluar.Pelag.de planctu Eccleſ.lib.1.c.59.col.8.verſ.Non enim eſt æquũ. eſt omninò conſulendus. —

17 His accinit Auguſtinus,Tractat.50.in Ioan.dicens: [Sed quid fuit Domino Regem eſſe Iſrael?] explicat Auguſtinus verba populi Iudaici, Chriſtum triumphantẽ,cum palmarũ ramis excipientis, ſcilicet: [Benedictus,qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.]Pergit.I. [Quid magnũ fuit Regi ſeculorũ,Regem fieri hominum?Non enim Rex Iſrael Chriſtus, ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandũ,hoſteſque viſibiliter debellãdos:ſed Rex Iſrael,quòd mentes regat,quòd in æternũ conſulat,quòd in regnum cælorũ credentes,ſperantes,amanteſq; perducat.]

Petrum, & ex conſequio, eius ſucceſſores Pontifices Romanos, habere à Deo immediatè poteſtatem Eccleſiam gubernandi, oſtenditur.

Cap. XVIII. §.1.

CVM Chriſtus Dominus,apud Matth.capit.16.dixit Petro, [Tibi dabo claues regni cælorũ:] id eſt, Eccleſiæ: ſic enim Matth.cap.20. Regnum cælorum præſentis temporis militans Eccleſia, à Gloſſ. interlineali, ex omnibus antiquis Patribus explicatur: affirmari poteſt, tunc illis verbis, actu, & re ipſa poteſtatem eam illi, tamquàm ſuo futuro Vicario, præſtitiſſe,qua caput eſſet Eccleſię:eaq; ſibi,& ſuis ſucceſſoribus legitimis Romanis Põtificibus Diuino iure teneretur obedire;eo vſitatiſſimo more loquẽdi Hebraico, quo futura pro præſentibus vſurpantur. Vnde Hieronym.ſic ibi dicit:[Loquitur de poteſtate promiſſa, ac ſi data eſſet:]quẽ refert,& ſequitur Cardinal.Turrecr.in cap.Ita Dominus.ſub nu.20. verſ.Ad 1.reſpondetur.19.diſtinct.& idẽm ſentit Ferret.Vincentin.in cap.Canonum ſtatuta.nu.8.& 9.de Conſtit. Vel certè fuit ſolùm promiſſio, quæ poſtea Ioan.c.vlt. in effectu extiterit adimpleta: cùm dixit ibi idem Dominus Petro: [Paſce oues meas.]

2 Quomodocumque tamen ſe res hæc habeat,nihil apud Catholicos Doctores, nihil apud Chriſtianos omnes, & ab initio naſcentis Eccleſiæ fuit,& nunc eſt,& perpetuò erit compertius, quam Petrum Apoſtolum, & in eo omnes eius Romanos Epiſcopos,ſeu Pontifices ſummos, ſucceſſores,à Chriſto ius,& poteſtatem immediatè habuiſſe,& habere,tamquam ipſius Chriſti Vicarios, ſuper omnibus, & ſingulis hominum Chriſtianorum orbis vniuerſi ſtatibus, abſque aliqua exceptione rerum, negotiorum, aut perſonarum, ad omnium hominum greſſus in viam

pacis,

pacis, & æternæ beatitudinis dirigendos.

3 Sic habetur ex ſacra Pagina: ſic ex Apoſtolica traditione; ſic docent omnes Patres, & Doctores: ſic loquuntur omnia Canonica iura: ſic explicant omnes eorum Interpretes; immò eſſe omnium Catholicorum concordem ſententiam, teſtatur Alfonſus de Caſtro, de Iuſta Hæreticorũ punitione, capit. 11. col. 14. verſ. Demum quando Chriſtus. lib. 2. De quo argumento: videatur ſaltem, S. Th. Tractat. contra errores Græcorum. cap. 66. & in Sum. contra Gent. lib. 3. c. 76. & determinatio Concil. Florent. in fin. in Bulla Vnionis, &c. & inferiùs hæc omnia latiùs deducemus.

4 Erat hæc tanti momenti res, vt mirum fuiſſet, de illa in antiqua Pagina allatas voluntate Diuina, claras non præceſſiſſe Prophetias, quæ rerum ſuccedente effectu, non iam prædictiones, ſed ipſum poſſent verum Euangelium, in nouiſſimis manifeſtatum temporibus, appellari. Ergo Iſai. cap. 28. ſic promiſit Deus: [Ecce ego mittã in fundamentis Sion lapidem: lapidẽ probatum, angularẽ, pretioſum, in fundamẽto fundatum:] id eſt, ad funiculum, & ad amuſſim, moli totius Eccleſiæ, cui lex de Sion erat exitura, ſupponendus. Quẽ lapidẽ, eſſe ſeipſum Chriſtum Dominũ, ipſemet explicuit: Matth. c. 21. dicens: [Numquam legiſtis in Scripturis, Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?] Quo Diuino huius Prophetiæ Enarratore præeunte, quid aliud diceret Paulus, 1. ad Corinth. capit. 10. niſi, [Petra autem erat Chriſtus.] & ad Epheſios, cap. 2. [Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto IESV.]

5 Sed ecce Chriſtus Dominus, qui ex Baſilio, Homil. de Pœnit. & Homil. contra Sabel. & Arian. [Axiomata ſua largitur alijs, non euacuans, ſed nihilominus retinens:] hoc tantùm Axioma Petro ſoli, & in eo ſuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus impertiuit. Audita enim illuſtri ea confeſſione, quam Petrus de eo ediderat dicens, Matth. capit. 16. [Tu es Chriſtus, Filius Dei viui:] ſic excepit ſtatim Chriſtus, [Beatus es Simon Bar Iona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi nõ præualebũt aduerſus eam,] cum ſequentibus.

6 Fuerat quidem illucuſque Petrus, quaſi vnus ex duodecim Apoſtolis, nulla inter eos excellentia, ſeu prærogatiua ſignatus: & cum alijs, nullo interiecto diſcrimine, vnus gregis Dominici futurus Epiſcopus: & ad cuius curam, quaſi præconcepta ratione, Chriſtus Dominus noſtro intelligendi modo, Romanæ vrbis incolas, ſeu Diœceſanos deſtinarat. Inſigni verò illa ſequuta Verbi Incarnati Diuinitatis confeſſione, & inter ceteros Apoſtolos per Petrum, eiuſdem prolata manifeſtatione, idẽ Verbum Chriſtus Domin[illegible] [illegible]lum ex Simone faciens petram, ſuper eam,

ſeu

Digitized by Google

ſeu ſuper Petrum, illi fidei inhærentem;ſuam voluit vniuerſam Eccleſiã ædificari: vt deinceps Petro,& eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, non iam vrbs Roma,ſed cunctæ per mundum Eccleſiæ ſubiacerent.

7 Præceſſerat certè huius facti,Geneſ.cap.17.inſigne exemplum: nam cùm Deus Abrahami fuiſſet expertus Fidem, Spem, & Charitatem: decreuiſſetque,illius ſemini largam benedictionem impertiri: vt tamdem ex eo,ſecundùm carnem,olim mundum redempturus naſceretur: hunc ad illum habuit ſermonem: [Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, (id eſt,Pater excelſus,)ſed appellaberis Abrahã:quia Patrem multarum gentium conſtitui te.] & infra: [Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram:] id eſt,non vocabis eam,Principem meam,ſed Principẽ,hunc enim verba Hebræa ſenſum faciunt. Quod nihil fuit aliud, cùm omnia illi ex Apoſtolo in figura contigerint, 1.ad Corinth.cap.10. quàm dicere Chriſtum Simoni: Non eris, ſeu vocaberis Abram, ideſt,Pater excelſus, ſeu ſolius Romę, id enim Hebraicè illud ſignificat nomen,& punctorum facili mutatione,Romæ: nomen ibi continetur: ſed vocaberis, ſeu eris Abraham: ideſt,multarum Gentium,quę in Eccleſiam ſunt introituræ, Pater:id eſt,non Vrbis,ſed Orbis,Patrem,& Paſtorẽ te noueris conſtitutum. Similiter Sarai nominis mutatio, nihil fuit aliud, quàm dicere Chriſtum: Non vocabis Romanam vrbẽ,Principem meam,ſed,Principẽ: cùm ſuper omnes orbis Eccleſias ſit habitura Principatum.

8 Ecce ergo qua mira ſymphonia,Abraham,& Petrus duorum Teſtamentorum,veteris,ac noui Patriarchæ,& quaſi fundamenta,collocentur; Abraham veteris,quia ſibi generatio fuit larga antiqui illius populi repromiſſa: Petrus verò noui, cui generatio largior Chriſtiani fuit commiſſa populi gubernanda. Ab illo iuſtificanda procedunt: in hoc iuſtificata fundantur. Ita,quod ille anxius exſpectauit, hic ſe gaudet ſuſcepiſſe. Illi dicitur, [Faciam te in gentem magnam:] huic dicitur, [Faciam te piſcatorem hominum.] Illi dicitur,[In ſemine tuo benedicentur omnes nationes Gentium:] huic dicitur, [Iudicabis duodecim tribus Iſrael.] Illi dicitur, [Sicut ſtellas cæli ponam ſemen tuum:] huic dicitur,[Tibi dabo claues regni cælorum.] Ac per hoc ille fœcunditate ſeminis benedicti impletur: hic ante ſemen ipſum euangelizaturus aſſiſtitur. Abrahæ pro filijs claritas monſtratur aſtrorum: ſed Petro traduntur regna cælorũ: vt, videlicet,in eos, ſine Petro, nec ipſi ſint filij Abrahæ admittendi. Quamuis enim vetus Teſtamentum tẽpore fuerit prius: nouum tamen anteponendum eſt: cùm illa vetera,præconia ſint nouorũ.

9 Eſt hæc poteſtas Petri, & ſummorum Pontificũ eius ſucceſſorum, tã ampla in rebus ſpiritualibus adminiſtrandis, gubernandis, & diſponendis: & in omnibus,quæ fini huic ſalutis hominum ſpiritualis,& æternæ, poſſunt obſtare, directè,& ſimpliciter remouendis: vt creſcente Hæreticorum,& numero, & ſectarum diuerſitate, & animos Catholicorum ho-

minum, maximè Principum, zelo, circa ſuas ditiones conſeruandas, inſtigante, quibus ſummi Pontificis poteſtas in ſuſpicionē forſan, quaſi affectatæ illorum ſtatuum tēporalis dominationis, cœpit deuenire; vt cùm grauiſſimi Doctores Catholici, in hoc præcipuè opus inſudarint, explicandi, videlicet, orbi Chriſtiano, quæ, qualis, & quanta ſit hæc Papæ poteſtas, idque ſufficientiſſimè præſtiterint: nos aliam decreuerimus inire rationē, hoc negotium breuiter tractandi: priùs oſtenſo, Chriſtū Dominum Pontificatum hunc ſummum, cum poteſtate prędicta immediatè, iuxta aſſertam Propoſitionem, inſtituiſſe.

10 Primò quidē illum inſtituit immediatè cauſſaliter, & effectiuè: quātumcumque enim omnis poteſtas ſit à Deo, vt ſupra 2. Parte, & dictum fuit ex Paulo Apoſtolo, ad Rom. cap. 13. & inferiùs adhùc declarabitur vberiùs: ſingulariter tamen Papalē poteſtatē Chriſtus Petro tribuit, verbis ſupra relatis, ex Matth. ſuper quibus Chryſoſtomus, ſic Homil. ibi. 55. philoſophatur. [Tibi dabo claues regni cælorum: nam Filius, quæ Patris eſt, & ipſius Filij poteſtatē Petro, vbique terrarum conceſſit, & homini mortali, omnium, quæ in cælo ſunt, dedit auctoritatem Dei: vt per poteſtatem clauium, vbique terrarum Eccleſiam amplificaret.]

11 Conceſſit Chriſtus ſecundò Petro, & ſuis ſucceſſoribus Pontificatū immediatè, materialiter, & ſubiectiuè: quia, cùm omnis poteſtas inter homines exercita, Diuinæ innitatur poteſtati, tamquàm fundamento, ſingulariter tamen poteſtas ſummi Pontificis, Chriſti Vicarij, fundata eſt ſuper Chriſtum, Apoſtolo Paulo ſic docente, 1. ad Corinth. cap. 8. [Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.] Ad quod facit Chryſoſtomi illa explicatio loci, ex Matth. c. 16. adducti, quæ Serm. de Pentecoſt. to. 3. ſic habet: [Ideò dixit Chriſtus, nō ſuper Petrum, ſed ſuper petram fundatam eſſe Eccleſiam; quia non ſuper homines, ſed ſuper fidem Chriſti, poteſtatem Eccleſiæ fundauit.]

12 Tertiò, eamdē Petro, ſummiſque Pontificibus Romanis ſuis ſucceſſoribus poteſtatē Chriſtus fuit largitus immediatè formaliter, & quidditatiuè: nam etſi omnis poteſtas formaliter conſiſtit in quodam ordine ſuperioris ad inferiorem; (vnde cùm Apoſtolus docuiſſet ad Romanos, dicto cap. 13. omnem poteſtatem eſſe à Deo, ſtatim ſubdidit: [Quæ à Deo ſunt ordinatæ ſunt,] videlicet, Poteſtates:) ſingulari tamen ratione, poteſtas Eccleſiæ ſic eſt à Deo ordinata, vt de ea dicatur, Cantic. capit. 4. [Eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.] Hinc colligitur ex ipſius Chriſti promiſſione, aduersùs eam, ſempiternam inferarum poteſtatum confuſionem, vbi nullus eſt ordo, ex Iob c. 10. minimè forè præualiturā.

13 Vltimò dędit Chriſtus immediatè Eccleſiæ Papalem poteſtatem finaliter, & gubernatiuè: ſic enim docet Auguſtinus, ſuper illo verbo Apoſtoli, 1. ad Corinth. cap. 9. [Numquid de bobus cura eſt Deo?] explicans

Pſal.145. quòd prouidentia quidem generali, Deus habet curam de bobus,& de omnibus creaturis:cùm dicat Propheta,Pſal.146.[Qui dat iumentis eſcam ipſorum:& pullis coruorum inuocantibus eum:] attamen quamdam ſingularē curam habet de ſua Eccleſia,quàm ad creaturas irrationales non extendit. De qua optimè poteſt explicari illud,quod Iſai. cap.49.ſcriptum eſt: [In manibus meis deſcripſi te;] quaſi,quam in manibus habet Chriſtus, Eccleſiam, etiam proprio vulnerum deſcriptam olim ſanguine,& eorum cicatricibus,ad rei perpetuam memoriam,glorioſè aſſeruatis,præſentioribus prouidentiæ oculis gubernet, cuſtodiat, & contuetur.

14 Sed regno Chriſti Domini partim conſtituto: ac, illius in terris Vicarium exſiſtere viſibilem,declarato,antequàm hęc omnia fuſiùs probemus, ad imperantium, & ſubditorum hominum in genere pernoſcenda officia tranſeamus: vt de Chriſti eodem regno, & ſua Eccleſiaſtica Hierarchia,ac Politia habita maiori notitia,quo pacto Chriſtianis,ſubiectos eſſe omni Humanę creaturę,à Petro iniunctū ſit,faciliùs explicemus.

De poteſtate imperantium, ac ſubditorum obedientia, inter homines exercenda. Cap. XIX. §. 1.

NEGOTIVM aggredimur grande, ſed occaſione prædictorum, neceſſariò tractandum: vnde operæpretium erit, rem totam altioribus à principijs exordiri. Politiæ igitur in vniuerſum ratione,quò ad parendi,& imperandi neceſſitatem,inter homines perſpecta; quicumque Hæretico,vel aliàs barbaro, inculto, inhumanoque prorſus non falſus ſpiritu,fateatur opus eſt,omnē Poteſtatem,modo ſuperiùs à nobis explicato, à Deo eſſe: ac tamquam Dei miniſtrum, qui eam exercet, vel ſpiritualē, vel corporalem geſtare gladium: tum hominem quemcumque ſuo Magiſtratui, ſiue Eccleſiaſtico,ſiue ſeculari obtemperare,& honorē, ac tributum reddere debere.

2 Hæc eſt doctrina Spiritus ſancti,& per illius inſpirationem Litteris ſacris luculentiſſimè conſignata. Exod.capit. 22. [Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.] 3.Reg.cap.10.[Conſtituit te Deus regē: vt faceres iudicium, & iuſtitiam.] Prouerbior.c.8. [Per me reges regnant,& legum conditores iuſta decernunt.] Sapient.cap.6. [Audite reges, & intelligite; diſcite iudices finium terræ. Præbete aures, vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur;quoniam cùm eſſetis miniſtri eius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legē iuſtitiæ,neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit

Digitized by Google

vobis: quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, Potentes autẽ, potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Dominus, nec reuerebitur cuiuſquam magnitudinẽ; quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter pro omnibus cura eſt illi. Fortioribus autẽ fortior inſtat cruciatio.] & infra: [Multitudo ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum, & rex ſapiẽs ſtabilimentum populi eſt.]

3 In noua Pagina, Matth. cap. 17. docuit ſic Chriſtus: [Liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare (loquebatur Petro) & mitte hamum, & eum piſcẽ, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.] Et capit. 22. [Reddite, inquit, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.] Luc. cap. 2. narratur Ioſephum, & S. Virginẽ Mariam paruiſſe Edicto Imperatoris Cæſaris Auguſti, vt irent deſcribendi in ciuitatẽ ſuam Bethlehem. Ioan. cap. 19. dixit Chriſtus Pilato: [Non haberes poteſtatem aduersùm me vllam; niſi tibi datum eſſet deſuper.] Ad Rom. c. 13. [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; Quæ autem à Deo ſunt, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.] Et infra: [Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.] Et 1. ad Timoth. c. 2. [Obſecro igitur primùm omnium, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt: vt quietam, & tranquillam vitam agamus.] Et ad Tit. c. 13. [Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe; dicto obedire: ad omne opus bonum paratos eſſe: neminẽ blaſphemare.] Et ad Hebr. cap. 13. [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.] Et 1. Petr. c. 2. [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum; ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.] Et infra: [Regem honorificate. Serui ſubditi eſtote dominis, non tantùm bonis, & modeſtis; ſed etiam dyſcolis.]

4 Circà quam Spiritus ſancti doctrinam, illis locis prætermiſſis, quæ de Eccleſiaſtica præcisè loquuntur præfectura, vt eſt, [Reddite quæ ſunt Dei, Deo.] & item, [Obedite præpoſitis veſtris, &c.] hæc enim, iam ſuperiùs ſunt tractata; pro ea parte Scripturarum, quæ vel præcipuè præfecturam ſecularem commendant; vt eſt, [Subditi eſtote omni humanæ creaturæ. &c.] vel licèt commendent etiam Eccleſiaſticam, vt eſt, [Dijs non detrahes. &c.] &, [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. &c.] ab illa interim abſtrahendo, primò notandum valdè eſt, eam tantùm ab Spiritu ſancto ſubditorum versùs Principes obedientiam ſeculares, & Principum versùs ſubditos præfecturam commendari, præci-

pi,& approbari,quæ omninò ſint cum iudicio, iuſtitia,& pietate in Deū, & proximum colligata. Quod habetur expreſsè ex verbis illis. 3. Reg. cap. 10.[Conſtituit te Deus regem: vt faceres iudicium,& iuſtitiam.] & ex loco Sapient. 6.& ex Paulo, ad Titū.[Ad omne opus bonum paratos eſſe .]Habetur etiam tacitè inſinuatum ipſo nomine, quo Præfectos dignatus eſt Diuinus ſpiritus nominare; dum dicitur,[Dijs non detrahes;] ſolo enim dicendi modo declarauit, Præpoſitis obediendum, vice Dei, ſed non contra Deum. Hoc ſic explicuit optimè Theodoretus,ſuper illum locum dicens: [Dijs non detrahes: Iudices Deorum nomine appellat, propterea quòd,ad vniuerſorum iudicis imitationem, iudicia illis credita ſunt. Hoc manifeſtè docet nos Propheta Dauid : nam cùm dixiſſet, Stetit Deus in Synagoga Deorum; mox ſubiunxit, Vſquequò iudicatis iniquitatem,& facies peccatorū ſumitis? Iudicate pupillo,& inopi: humilem,& pauperem iuſtificate. Eripite pauperem: & inopem de manu peccatoris liberate. Deinde illos accuſans,ſubiunxit: Neſcierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant.]

5 Docuit idem Spiritus manifeſtè, miniſterium Regis quale eſſe debeat,exemplo,& ore S. Iob,ſic dicentis,cap. 29. [Cùmque ſederem,quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimoniū reddebat mihi: eò quòd liberaſſem pauperē vociferantem,& pupillū,cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat: & cor viduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum,& veſtiui,ſicut veſtimēto:] (quid aliud prædixit Iſai. de Chriſto? cap. 11.[Et erit iuſtitia cingulum lumborū eius:] & Paulus Apoſtolus Chriſtianis præcipit, dicens, [Induimini Dominū IESVM Chriſtum;]ad Rom. cap. 13.)[& diademate iudicio meo. Oculus fui cæco,& pedes claudo. Pater eram pauperum,& cauſſam,quam neſciebam, diligentiſsimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.]Et Prouerb. cap. 20. [Rex qui ſedet in ſolio iudicij,diſſipat omne malum intuitu ſuo.] Itē, [Diſſipat impios rex ſapiens,& curuat ſuper eos fornicem.]& cap. 29.[Rex iuſtus eriget terrā: & vir auarus deſtruet eam.] Item,[Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.]Et Sap. cap. 1. [Diligite iuſtitiam,qui iudicatis terram,ſentite de Domino in bonitate,& in ſimplicitate cordis quærite illum.] Denique Paulus Titum docuit, vt vidimus, admonere Chriſtianos, ad omne opus bonum, à Principibus ſibi iniunctum,paratos eſſe.

6 Hoc Apoſtoli præcepto præuio, ſacra Thebæorum militū legio, ad militiā pro Imperatoris,ac Romanæ rei incremento,non ad malitiam pro Chriſtianæ legis abnegatione, ſe eſſe paratam,ceruicibus martyrio expoſitis, comprobauit. Item, & Martinus non haſta, gladio, & clypeo fidens, ſed Chriſti IESV inuocatione, hoſtium Apoſtatæ Imperatoris

pe-

penetraturum cuncos ſe curè, ipſi Imperatori promiſit. De qua obedientia, qualis versùs Principes debeat eſſe, quale item eorũ imperiũ, habemus explicationẽ perpetuã ſacræ Scripturæ, à ſanctis Patribus expreſſam; de qua partim à nobis etiam 2. Parte actum eſt, partim ſtatim eſt agendum.

7 Aduertendum eſt ſecundò, hanc iuſtitiam in Præfectorum ſecularium adminiſtratione ab Spiritu ſancto requiſitam, non ſolùm eſſe, virtutem eam particularem, Moralium aliarum Principem, communi vtilitati ſeruientẽ; quam, illa de cauſſa, popularem virtutem, Philoſophus appellauit: quamque Iuris definiunt prudentes, [eſſe conſtantem, ac perpetuam voluntatem, ius ſuum vnicuique tribuentẽ:] hac enim per Principes hos, in ſuis Rebuſpublicis obſeruata, parti ſui muneris, non autẽ vniuerſo, ac integro eſſet pro meritis ſatisfactum. Comprehendit ergo iuſtitia ab imperantibus ſuis adminiſtranda ſubditis, eam illius iuſtitiæ ambitus rationem, qua omnes virtutes, quæ Reipublicæ, & regunt, & firmãt ſtatũ, intelliguntur; & quibus ſubditi ſobriè, in ordine ad ſe; iuſtè, ad proximum; piè ad Deum viuant; quarum obſeruantiæ, per Principes, eſt in Republica diligentiſsimè prouidendum: & inde iuſtitia hæc, Vniuerſalis, à Philoſophis nuncupatur.

8 Adnotandum eſt tertiò, hominum origine, & conditione conſiderata, facilè nedum à Chriſtianis Theologis, Philoſophis, & Iuris vtriuſque prudentibus, nedum ab excellentibus ingenij acumine antiquis Philoſophis, ſed à quibuſcumque mediocri intelligentia præditis, & qui res obuias, ac communi vitæ conſuetudine tritas percipiunt, fuiſſe ſemper intellectum, homines, à natura ipſa, ad ciuilem ſocietatem fuiſſe factos, ordinatos, & inſtitutos. Hinc tot hominum cœtus, & communiones, hinc eorum tot congregationes, hinc ciuitates fabricatæ, conſtitutæ Reſpublicæ: vlteriùs ipſa natura proficiente, vt homines ibidem congregatos, pacis inter ſe, ac tranquillitatis, & optandæ, & obtinendæ, opportunis vinculis colligaret. Factum eſt hoc, legum, ac Magiſtratuum auctoritate; ne finerẽtur homines agere, quod voluntas imperaret effrænis; neque cuique quod liberet, & liceret; eſſet enim aliàs impoſſibile, iſtiuſmodi hominum cœtus, in ſtatu ſuo, vel ad breue tempus conſeruari.

9 Ratio igitur communis, quæ Reſpublicas finxit, & ordinum diſtinctiones, & Magiſtratuum iuriſdictiones vnà refinxit: quas niſi adiũxiſſet, ſatiùs multo eſſet hominibus, vel diſperſos vagari, vel ferarum more, in latibulis, luſtriſque degere: quàm hac ratione in vnum confluere, vbi iniurijs accipiendis eſſent expoſiti; ſi interim nullis remedijs, ad iniurias, eſſent inſtructi, propulſandas. Certum eſt etiam, exceptis Gentibus iure belli ſubactis, & Regibus, ſeu Principibus, qui vi, & ferro regiones occuparunt, & inuitis populis dominationis iugum impoſuerunt, alias hominum congregationes, ciuitates, prouincias, vel nationes, pa-

rendi,& imperandi diuerſas formas habuiſſe;dum alij Reges,alij Dictatores,alij Conſules,vel ſimiles Magiſtratus præfecerunt;eoſque alij annuos,alij perpetuos ſibi præfixerunt:cum eius poteſtatis, ac auctoritatis li mitibus,vel laxioribus,vel anguſtioribus, (quod ſupra dicebamus,) qui à populorũ fuerunt voluntatibus,& electionibus approbati. Qua ratione, vel electione,Principes ad ſublimem hanc imperij efferebantur celſitudinem,vel ſint efferendi,nihil moramur;cùm,ad alia, quæ ad rem faciant,orationis noſtræ ſeries dirigatur.

10 Habemus interim orſa, media, & fines,propter quos humanæ Societates ſunt inſtitutæ.Orſa habemus, ſcilicet,vt ab iniurijs tuti ſint in eis congregi,vt cum liberis,& vxoribus viuant tranquillè, & ſolitudinem communioni permutent,& cum bono priuato, bonum ab eis etiam publicum procuretur.Media habemus, quibus tam excellens conſequatur bonum;leges Politicas inferiores, ac ſuperiores Magiſtratus: amorem ciuium mutuum: concordiam publicam. Habemus fines, ad quos tendit hiſce medijs Reſpublica; & eos Ciceronis ad Atticum verbis referamus.[Vt gubernatori,inquit,curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic Reipublicæ moderatoribus beata ciuium vita propoſita eſt: vt ea opibus firma,copijs locuples,gloria ampla, virtute honeſta ſit.]Hucuſque Cicero.

11 Et ſuffeciſſet quidem Spiritus ſancti adducta ſuperiùs doctrina, & hoc præfatum à natura commune inſitum hominibus magiſterium: placuit tamen quartò,ex Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus,conſiderare, qualem,& quantam cohærentiam,& Dei mens,& hominum vita habeãt, in Magiſtratuum,ac Præfectorum conſtitutione, quamque in ea firmiſſimè copulentur. Clemens Conſt.Apoſt.lib.4.cap. 12. ſic docet: [Eſtote ſubiecti omni Regi,& Poteſtati,in ijs,quæ Deo placent; tamquam miniſtris Dei,& impiorum vindicibus, & vltoribus.] Quod & lib.7. cap.17. repetit ferè iiſdem verbis.& Canon.Apoſt.84. [Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito: ſi clericus ſit, deponitor:ſi laicus ſit, à communione remouetor.] Ignatius Epiſt. ad Smyrnenſes,[Honorare oportet,& regem.&c.]ac Epiſcopo excepto,addit:[Nec inter Principes quiſquam ſimilis Regi, qui in pace, & optimis legibus ſubditos moderatur.]Et Epiſt. ad Antiochenos [Cæſari ſubiecti eſtote in ijs, in quibus ſubdi nullum animæ periculum eſt. Principes nolite irritare, vt exacerbentur: ne anſam detis ijs, qui illam contra nos quærunt.]

12 Hoc docuerunt omnes Patres Græci, ſumma conſenſione: à quorum adducendis teſtimonijs, ad vitandum lectoris tædium abſtinemus, hoc vnum Demetrij Cydonij,de Contemnenda morte,non prætermiſſo. [Non reperies, inquit, Reſpublicas leonum, aut elephantorum, aut aliorum animalium: ſed ciuitates ſolorum hominum ſunt opera:in qui-

nia mihi tradita ſunt à Patre meo.] & illud ad Hebr.c.1. [Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.] & illud Petri Apoſtoli documentum, Act. cap.10.de Chriſto: [Qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.] & illud etiam Apoſtoli Pauli, ad Hebr.c.1. explicantis Pſalmi 8.verba illa: [Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.] dum ait. In eo enim,quòd omnia ei ſubiecit;nihil omiſit non ſubiectum ei.]hæc, inquã, & ſimilia loca,Scholaſticos Doctores optimè explicare: vt Chriſtus Dominus, ab inſtanti ſuæ conceptionis, in quo fuit homo, hæc poteſtas, & auctoritas, & hæc omnium creaturarum competierit ſubiectio. De quo videndus Turrecremat.in Sum.de Eccleſ.capit 96. verſ.Secundo poteſt. lib.2.& S.Th.3.p.q.54.art.4.cum ſuis Interpretibus.

14 Hæc tamen poteſtas haud fuit caduca,& temporalis,ad modum aliorum Regum; neque per homines introducta; ſed ordinis cuiuſdam altioris,in ipſo Chriſto,à Deo in res omnes creatas immediatè manans, & ſuper omnes omnium hominum, & Angelorum actiones: & proindè media erat,hinc Diuinæ ſubdita poteſtati,hinc cuicumque poteſtati creatæ ſuperior:ſuprema ad infimam creatam,& infima ad ſupremam, & increatam collata poteſtatem. Quæ fuit expreſſa doctrina Apoſtoli Pauli, qui explicans rurſus de Chriſto illud Pſal.8. [Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius,] 1.ad Corinth.cap.15.ne quis putaret,per illam dictionem, omnia, intelligi etiam Deum,ideò ſignanter à dominio Chriſti, eiuſque poteſtate Deum excepit,ſubdens,[Cùm autem dicit,omnia ſubiecta ſunt ei,ſine dubio præter eum,qui ſubiecit ei omnia.]

15 Hanc autem tantam auctoritatem habuiſſe Chriſtum,fuit neceſſarium,& conueniens,ob excellentiam,& eminentiam perſonæ,& ob cauſſam conuerſionis,& redemptionis totius mundi; ita vt omnis in eo poteſtas eſſentialiter reſideret ſuper omnes,& de omnibus,ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus:vt homines ex poteſtate ſua,in cælo,& in terra illi crederent, & in eum ſperarent: & ex non vſu illius voluntario, ipſiuſque abiectione, qui humillimam, & pauperrimam duxit vitam, ad ſui omnes homines imitationem induceret,& ad rerum humanarum deſpectionem incitaret. [Scitis,] inquit Apoſtolus, 2.ad Corinth.cap.8. [gratiã Domini noſtri IESV Chriſti:quoniam propter nos egenus factus eſt;cùm eſſet diues: vt illius inopia vos diuites eſſetis.]

16 Id tamen perſpicuè, hanc Chriſti Domini arguit ſummam poteſtatem, quia ſi illa non fuiſſet in eo, ſanè paupertas,& illius demiſſio, non videbatur, tam commendanda,& tanta digna admiratione, quantũ fuit. Si enim nihil habebat, nihil eſſet eius voluntati, non dominandi, glorioſiùs attribuendum:attamen quia habuit,& noluit,admirabilis extitit; ſeſe verum eſſe Deum docens,& ſuper Angelos,& homines Regem & Dominum, & interim exemplum humilitatis nobis relinquendo, vt illius ſemper veſtigia conſectemur. Hoc ſenſit Cyprian.citatus,c.Dominus,

nus.diſtinct.93 dicens: [Quæ omnia ab eo ideò facta ſunt humiliter, atque patienter, vt nos humilitatis,& patientiæ haberemus exemplum : & non ex eo, quia noluit exercere, propterea non erat iam omniũ Dominus, omnemque poteſtatem non habebat.] Circa quam rationem, Aluar.Pelag.de planctu Eccleſ.lib.1.c.59.col.8.verſ.Non enim eſt æquũ. eſt omninò conſulendus.

17 His accinit Auguſtinus,Tractat.50.in Ioan.dicens: [Sed quid fuit Domino Regem eſſe Iſrael?] explicat Auguſtinus verba populi Iudaici, Chriſtum triumphantẽ,cum palmarũ ramis excipientis, ſcilicet:[Benedictus,qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.]Pergit.I. [Quid magnũ fuit Regi ſeculorũ,Regem fieri hominum?Non enim Rex Iſrael Chriſtus, ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandũ,hoſteſque viſibiliter debellãdos: ſed Rex Iſrael,quòd mentes regat,quòd in æternũ conſulat,quòd in regnum cælorũ credentes,ſperantes,amanteſq; perducat.]

Petrum, & ex conſequio, eius ſucceſſores Pontifices Romanos, habere à Deo immediatè poteſtatem, Eccleſiam gubernandi, oſtenditur.

Cap. XVIII. §.1.

CVM Chriſtus Dominus,apud Matth.capit.16.dixit Petro, [Tibi dabo claues regni cælorũ:] id eſt, Eccleſiæ: ſic enim Matth.cap.20. Regnum cælorum præſentis temporis militans Eccleſia, à Gloſſ. interlineali, ex omnibus antiquis Patribus explicatur: affirmari poteſt, tunc illis verbis, actu, & re ipſa poteſtatem eam illi, tamquàm ſuo futuro Vicario,prçſtitiſſe,qua caput eſſet Eccleſię:eaq; ſibi,& ſuis ſucceſſoribus legitimis Romanis Põtificibus Diuino iure teneretur obedire;eo vſitatiſſimo more loquẽdi Hebraico, quo futura pro præſentibus vſurpantur. Vnde Hieronym.ſic ibi dicit: [Loquitur de poteſtate promiſſa, ac ſi data eſſet:]quẽ refert,& ſequitur Cardinal.Turrecr.in cap.Ita Dominus.ſub nu.20. verſ.Ad 1.reſpondetur.19.diſtinct.& idem ſentit Ferret.Vincentin.in cap.Canonum ſtatuta.nu.8.& 9.de Conſtit. Vel certè fuit ſolùm promiſſio, quæ poſtea Ioan.c.vlt. in effectu exſtiterit adimpleta: cùm dixit ibi idem Dominus Petro: [Paſce oues meas.]

2 Quomodocumque tamen ſe res hæc habeat,nihil apud Catholicos Doctores, nihil apud Chriſtianos omnes, & ab initio naſcentis Eccleſiæ fuit,& nunc eſt,& perpetuò erit compertius, quam Petrum Apoſtolum, & in eo omnes eius Romanos Epiſcopos,ſeu Pontifices ſummos, ſucceſſores,à Chriſto ius,& poteſtatem immediatè habuiſſe,& habere,tamquam ipſius Chriſti Vicarios, ſuper omnibus, & ſingulis hominum Chriſtianorum orbis vniuerſi ſtatibus, abſque aliqua exceptione rerum, negotiorum, aut perſonarum, ad omnium hominum greſſus in viam

pacis,

acis, & æternæ beatitudinis dirigendos.

3 Sic habetur ex ſacra Pagina: ſic ex Apoſtolica traditione; ſic docent omnes Patres, & Doctores: ſic loquuntur omnia Canonica iura: ſic xplicant omnes eorum Interpretes; immò eſſe omnium Catholicorum oncordem ſententiam, teſtatur Alfonſus de Caſtro, de Iuſta Hæreticorũ unitione, capit. 11. col. 14. verſ. Demum quando Chriſtus. lib. 2. De quo rgumento: videatur ſaltem, S. Th. Tractat. contra errores Græcorum. ap. 66. & in Sum. contra Gent. lib. 3. c. 76. & determinatio Concil. Floent. in fin. in Bulla Vnionis, &c. & inferiùs hæc omnia latiùs deducemus.

4 Erat hæc tanti momenti res, vt mirum fuiſſet, de illa in antiqua Pagina allatas, voluntate Diuina, claras non præceſſiſſe Prophetias, quæ erum ſuccedente effectu, non iam prædictiones, ſed ipſum poſſent verum Euangelium, in nouiſſimis manifeſtatum temporibus, appellari. Ergo ſai. cap. 28. ſic promiſit Deus: [Ecce ego mittã in fundamentis Sion lapidem: lapidẽ probatum, angularẽ, pretioſum, in fundamẽto fundatum:] d eſt, ad funiculum, & ad amuſſim, moli totius Eccleſiæ, cui lex de Sion rat exitura, ſupponendus. Quẽ lapidẽ, eſſe ſeipſum Chriſtum Dominũ, pſemet explicuit: Matth. c. 21. dicens: [Numquam legiſtis in Scripturis, Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?] Quo Diuino huius Prophetiæ Enarratore præeunte, quid aliud diceret Paulus, 1. ad Corinth. capit. 10. niſi, [Petra autem erat Chriſtus?] & ad Epheſios, cap. 2. [Eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide, Chriſto IESV.]

5 Sed ecce Chriſtus Dominus, qui ex Baſilio, Homil. de Pœnit. & Homil. contra Sabel. & Arian. [Axiomata ſua largitur alijs, non euacuans, ed nihilominus retinens:] hoc tantùm Axioma Petro ſoli, & in eo ſuis ucceſſoribus Romanis Pontificibus impertiuit. Audita enim illuſtri ea onfeſſione, quam Petrus de eo ediderat dicens, Matth. capit. 16. [Tu es Chriſtus, Filius Dei viui:] ſic excepit ſtatim Chriſtus, [Beatus es Simon Bar Iona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in œlis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædiicabo Eccleſiam meam: & portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam,] um ſequentibus.

6 Fuerat quidem illucuſque Petrus, quaſi vnus ex duodecim Apoſtois, nulla inter eos excellentia, ſeu prærogatiua ſignatus: & cum alijs, ullo interiecto diſcrimine, vnus gregis Dominici futurus Epiſcopus: & d cuius curam, quaſi præconcepta ratione, Chriſtus Dominus noſtro ntelligendi modo, Romanæ vrbis incolas, ſeu Diœceſanos deſtinarat: nſigni verò illa ſequuta Verbi Incarnati Diuinitatis confeſſione, & inter ceteros Apoſtolos per Petrum, eiuſdem prolata manifeſtatione, idẽ erbum Chriſtus Dominus, illum ex Simone faciens petram, ſuper eam,

ſeu

Digitized by Google

ſeu ſuper Petrum, illi fidei inhærentem;ſuam voluit vniuerſam Eccleſiā ædificari: vt deinceps Petro,& eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, non iam vrbs Roma,ſed cunctæ per mundum Eccleſiæ ſubiacerent.

7 Prçceſſerat certè huius facti,Geneſ.cap.17.inſigne exemplum: nam cùm Deus Abrahami fuiſſet expertus Fidem, Spem , & Charitatem: decreuiſſetque, illius ſemini largam benedictionem impertiri: vt tamdem ex eo,ſecundùm carnem,olim mundum redempturus naſceretur: hunc ad illum habuit ſermonem: [Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, (id eſt,Pater excelſus,)ſed appellaberis Abrahā: quia Patrem multarum gentium conſtitui te.] & infra: [Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram:] id eſt,non vocabis eam,Principem meam,ſed Principē,hunc enim verba Hebræa ſenſum faciunt. Quod nihil fuit aliud, cùm omnia illi ex Apoſtolo in figura contigerint, 2.ad Corinth.cap.10. quàm dicere Chriſtum Simoni: Non eris, ſeu vocaberis Abram, ideſt,Pater excelſus, ſeu ſolius Romę, id enim Hebraicè illud ſignificat nomen,& punctorum facili mutatione,Romæ: nomen ibi continetur: ſed vocaberis, ſeu eris Abraham: ideſt,multarum Gentium,quę in Eccleſiam ſunt introituræ, Pater:id eſt,non Vrbis,ſed Orbis,Patrem,& Paſtorē te noueris conſtitutum. Similiter Sarai nominis mutatio, nihil fuit aliud, quàm dicere Chriſtum: Non vocabis Romanam vrbē,Principem meam,ſed,Principē: cùm ſuper omnes orbis Eccleſias ſit habitura Principatum.

8 Ecce ergo qua mira ſymphonia,Abraham,& Petrus duorum Teſtamentorum,veteris,ac noui Patriarchæ,& quaſi fundamenta,collocentur; Abraham veteris,quia ſibi generatio fuit larga antiqui illius populi repromiſſa: Petrus verò noui ,cui generatio largior Chriſtiani fuit commiſſa populi gubernanda. Ab illo iuſtificanda procedunt: in hoc iuſtificata fundantur. Ita,quod ille anxius exſpectauit, hic ſe gaudet ſuſcepiſſe. Illi dicitur, [Faciam te in gentem magnam:] huic dicitur, [Faciam te piſcatorem hominum.] Illi dicitur,[In ſemine tuo benedicentur omnes nationes Gentium:] huic dicitur, [Iudicabis duodecim tribus Iſrael.] Illi dicitur, [Sicut ſtellas cæli ponam ſemen tuum:] huic dicitur,[Tibi dabo claues regni cælorum.] Ac per hoc ille fœcunditate ſeminis benedicti impletur: hic ante ſemen ipſum euangelizaturus aſſiſtitur. Abrahæ pro filijs claritas monſtratur aſtrorum: ſed Petro traduntur regna cælorū: vt, videlicet,in eos, ſine Petro, nec ipſi ſint filij Abrahæ admittendi. Quamuis enim vetus Teſtamentum tēpore fuerit prius: nouum tamen anteponendum eſt: cùm illa vetera,præconia ſint nouorū.

9 Eſt hæc poteſtas Petri, & ſummorum Pontificū eius ſucceſſorum, tā ampla in rebus ſpiritualibus adminiſtrandis, gubernandis, & diſponendis: & in omnibus,quæ fini huic ſalutis hominum ſpiritualis,& æternæ, poſſunt obſtare, directè,& ſimpliciter remouendis: vt creſcente Hæreticorum,& numero, & ſectarum diuerſitate, & animos Catholicorum ho-

minum, maximè Principum, zelo, circa ſuas ditiones conſeruandas, inſtigante, quibus ſummi Pontificis poteſtas in ſuſpicionẽ forſan, quaſi affectatæ illorum ſtatuum tẽporalis dominationis, cœpit deuenire; vt cùm grauiſſimi Doctores Catholici, in hoc præcipuè opus inſudarint, explicandi, videlicet, orbi Chriſtiano, quæ, qualis, & quanta ſit hæc Papæ poteſtas, idque ſufficientiſſimè præſtiterint: nos aliam decreuerimus inire rationẽ, hoc negotium breuiter tractandi: priùs oſtenſo, Chriſtũ Dominum Pontificatum hunc ſummum, cum poteſtate prędicta immediatè, iuxta aſſertam Propoſitionem, inſtituiſſe.

10 Primò quidẽ illum inſtituit immediatè cauſſaliter, & effectiuè: quãtumcumque enim omnis poteſtas ſit à Deo, vt ſupra 2. Parte, & dictum, fuit ex Paulo Apoſtolo, ad Rom. cap. 13. & inferiùs adhùc declarabitur vberiùs: ſingulariter tamen Papalẽ poteſtatẽ Chriſtus Petro tribuit, verbis ſupra relatis, ex Matth. ſuper quibus Chryſoſtomus, ſic Homil. ibi. 55. philoſophatur. [Tibi dabo claues regni cælorum: nam Filius, quæ Patris eſt, & ipſius Filij poteſtatẽ Petro, vbique terrarum conceſſit, & homini mortali, omnium, quæ in cælo ſunt, dedit auctoritatem Dei: vt per poteſtatem clauium, vbique terrarum Eccleſiam amplificaret.]

11 Conceſſit Chriſtus ſecundò Petro, & ſuis ſucceſſoribus Pontificatũ immediatè, materialiter, & ſubiectiuè: quia, cùm omnis poteſtas inter homines exercita, Diuinæ innitatur poteſtati, tamquàm fundamento, ſingulariter tamen poteſtas ſummi Pontificis, Chriſti Vicarij, fundata eſt ſuper Chriſtum, Apoſtolo Paulo ſic docente, 1. ad Corinth. cap. 8. [Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.] Ad quod facit Chryſoſtomi illa explicatio loci, ex Matth. c. 16. adducti, quæ Serm. de Pentecoſt. to. 3. ſic habet: [Ideò dixit Chriſtus, nõ ſuper Petrum, ſed ſuper petram fundatam eſſe Eccleſiam; quia non ſuper homines, ſed ſuper fidem Chriſti, poteſtatem Eccleſiæ fundauit.]

12 Tertiò, eamdẽ Petro, ſummiſque Pontificibus Romanis ſuis ſucceſſoribus poteſtatẽ Chriſtus fuit largitus immediatè formaliter, & quidditatiuè: nam etſi omnis poteſtas formaliter conſiſtit in quodam ordine ſuperioris ad inferiorem; (vnde cùm Apoſtolus docuiſſet ad Romanos, dicto cap. 13. omnem poteſtatem eſſe à Deo, ſtatim ſubdidit: [Quæ à Deo ſunt ordinatæ ſunt,] videlicet, Poteſtates:) ſingulari tamen ratione, poteſtas Eccleſiæ ſic eſt à Deo ordinata, vt de ea dicatur, Cantic. capit. 4. [Eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.] Hinc colligitur ex ipſius Chriſti promiſſione, aduerſùs eam, ſempiternam inferarum poteſtatum confuſionem, vbi nullus eſt ordo, ex Iob c. 10. minimè forè præualiturã.

13 Vltimò dędit Chriſtus immediatè Eccleſiæ Papalem poteſtatem finaliter, & gubernatiuè: ſic enim docet Auguſtinus, ſuper illo verbo Apoſtoli, 1. ad Corinth. cap. 9. [Numquid de bobus cura eſt Deo?] explicans

Pſal.

Pſal. 145. quòd prouidentia quidem generali, Deus habet curam de bobus, & de omnibus creaturis: cùm dicat Propheta, Pſal. 146. [Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum:] attamen quamdam ſingularẽ curam habet de ſua Eccleſia, quàm ad creaturas irrationales non extendit. De qua optimè poteſt explicari illud, quod Iſai. cap. 49. ſcriptum eſt: [In manibus meis deſcripſi te;] quaſi, quam in manibus habet Chriſtus, Eccleſiam, etiam proprio vulnerum deſcriptam olim ſanguine, & eorum cicatricibus, ad rei perpetuam memoriam, glorioſè aſſeruatis, præſentioribus prouidentiæ oculis gubernet, cuſtodiat, & contuetur.

14 Sed regno Chriſti Domini partim conſtituto: ac, illius in terris Vicarium exſiſtere viſibilem, declarato, antequàm hęc omnia fuſiùs probemus, ad imperantium, & ſubditorum hominum in genere pernoſcenda officia tranſeamus: vt de Chriſti eodem regno, & ſua Eccleſiaſtica Hierarchia, ac Politia habita maiori notitia, quo pacto Chriſtianis, ſubiectos eſſe omni Humanę creaturę, à Petro iniunctũ ſit, faciliùs explicemus.

De poteſtate imperantium, ac ſubditorum obedientia, inter homines exercenda. Cap. XIX. §. 1.

NEGOTIVM aggredimur grande, ſed occaſione prædictorum, neceſſariò tractandum: vnde operæpretium erit, rem totam altioribus à principijs exordiri. Politiæ igitur in vniuerſum ratione, quò ad parendi, & imperandi neceſſitatem, inter homines perſpecta; quicumque Hæretico, vel aliàs barbaro, inculto, inhumanoque prorſus non falſus ſpiritu, fateatur opus eſt, omnẽ Poteſtatem, modo ſuperiùs à nobis explicato, à Deo eſſe: ac tamquam Dei miniſtrum, qui eam exercet, vel ſpiritualẽ, vel corporalem geſtare gladium: tum hominem quemcumque ſuo Magiſtratui, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſeculari obtemperare, & honorẽ, ac tributum reddere debere.

2 Hæc eſt doctrina Spiritus ſancti, & per illius inſpirationem Litteris ſacris luculentiſſimè conſignata. Exod. capit. 22. [Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.] 3. Reg. cap. 10. [Conſtituit te Deus regẽ: vt faceres iudicium, & iuſtitiam.] Prouerbior. c. 8. [Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.] Sapient. cap. 6. [Audite reges, & intelligite; diſcite iudices finium terræ. Præbete aures, vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum; quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam cùm eſſetis miniſtri eius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legẽ iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit

vobis: quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, Potentes autẽ, potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Dominus, nec reuerebitur cuiuſquam magnitudinẽ; quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter pro omnibus cura eſt illi. Fortioribus autẽ fortior inſtat cruciatio.] & infra: [Multitudo ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum, & rex ſapiẽs ſtabilimentum populi eſt.]

3 In noua Pagina, Matth. cap. 17. docuit ſic Chriſtus: [Liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare (loquebatur Petro) & mitte hamum, & eum piſcẽ, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me, & te.] Et capit. 22. [Reddite, inquit, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.] Luc. cap. 2. narratur Ioſephum, & S. Virginẽ Mariam paruiſſe Edicto Imperatoris Cæſaris Auguſti, vt irent deſcribendi in ciuitatẽ ſuam Bethlehem. Ioan. cap. 19. dixit Chriſtus Pilato: [Non haberes poteſtatem aduersùm me vllam; niſi tibi datum eſſet deſuper.] Ad Rom. c. 13. [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; Quæ autem à Deo ſunt, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.] Et infra: [Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.] Et 1. ad Timoth. c. 2. [Obſecro igitur primùm omnium, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarũ actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt: vt quietam, & tranquillam vitam agamus.] Et ad Tit. c. 13. [Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe; dicto obedire: ad omne opus bonum paratos eſſe: neminẽ blaſphemare.] Et ad Hebr. cap. 13. [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.] Et 1. Petr. c. 2. [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum; ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.] Et infra: [Regem honorificate. Serui ſubditi eſtote dominis, non tantùm bonis, & modeſtis; ſed etiam dyſcolis.]

4 Circa quam Spiritus ſancti doctrinam, illis locis prætermiſſis, quæ de Eccleſiaſtica præcisè loquuntur præfectura, vt eſt, [Reddite quæ ſunt Dei, Deo.] & item, [Obedite præpoſitis veſtris, &c.] hæc enim, iam ſuperiùs ſunt tractata; pro ea parte Scripturarum, quæ vel præcipuè præfecturam ſecularem commendant; vt eſt, [Subditi eſtote omni humanæ creaturæ. &c.] vel licèt commendent etiam Eccleſiaſticam, vt eſt, [Dijs non detrahes. &c.] &, [Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. &c.] ab illa interim abſtrahendo, primò notandum valdè eſt, eam tantùm ab Spiritu ſancto ſubditorum versùs Principes obedientiam ſeculares, & Principum versùs ſubditos præfecturam commendari, præci-

pi,& approbari,quæ omninò ſint cum iudicio, iuſtitia,& pietate in Deũ, & proximum colligata. Quod habetur expreſsè ex verbis illis. 3. Reg. cap.10.[Conſtituit te Deus regem:vt faceres iudicium,& iuſtitiam.] & ex loco Sapient.6.& ex Paulo, ad Titũ.[Ad omne opus bonum paratos eſſe.]Habetur etiam tacitè inſinuatum ipſo nomine, quo Præfectos dignatus eſt Diuinus ſpiritus nominare;dum dicitur,[Dijs non detrahes;] ſolo enim dicendi modo declarauit, Præpoſitis obediendum, vice Dei, ſed non contra Deum. Hoc ſic explicuit optimè Theodoretus,ſuper illum locum dicens: [Dijs non detrahes: Iudices Deorum nomine appellat, propterea quòd,ad vniuerſorum iudicis imitationem, iudicia illis credita ſunt. Hoc manifeſtè docet nos Propheta Dauid : nam cùm dixiſſet, Stetit Deus in Synagoga Deorum;mox ſubiunxit, Vſquequò iudicatis iniquitatem,& facies peccatorũ ſumitis? Iudicate pupillo,& inopi:humilem,& pauperem iuſtificate. Eripite pauperem : & inopem de manu peccatoris liberate. Deinde illos accuſans,ſubiunxit: Neſcierunt, neque intellexerunt:in tenebris ambulant.]

5 Docuit idem Spiritus manifeſtè, miniſterium Regis quale eſſe debeat,exemplo,& ore S.Iob,ſic dicentis,cap.29. [Cùmque ſederem,quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimoniũ reddebat mihi: eò quòd liberaſſem pauperẽ vociferantem,& pupillũ,cui non eſſet adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat:& cor viduæ conſolatus ſum.Iuſtitia indutus ſum,& veſtiui,ſicut veſtimẽto:] (quid aliud prædixit Iſai. de Chriſto?cap.11.[Et erit iuſtitia cingulum lumborũ eius:] & Paulus Apoſtolus Chriſtianis præcipit, dicens, [Induimini Dominũ IESVM Chriſtum;]ad Rom.cap.13.)[& diademate iudicio meo.Oculus fui cæco,& pedes claudo. Pater eram pauperum,& cauſſam,quam neſciebam, diligentiſsimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.]Et Prouerb.cap.20. [Rex qui ſedet in ſolio iudicij,diſſipat omne malum intuitu ſuo.] Itẽ, [Diſſipat impios rex ſapiens,& curuat ſuper eos fornicem.]& cap.29.[Rex iuſtus eriget terrã: & vir auarus deſtruet eam.] Item,[Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.]Et Sap.cap.1. [Diligite iuſtitiam,qui iudicatis terram,ſentite de Domino in bonitate,& in ſimplicitate cordis quærite illum.] Denique Paulus Titum docuit, vt vidimus, admonere Chriſtianos, ad omne opus bonum, à Principibus ſibi iniunctum,paratos eſſe.

6 Hoc Apoſtoli præcepto præuio, ſacra Thebæorum militũ legio, ad militiã pro Imperatoris,ac Romanæ rei incremento,non ad malitiam pro Chriſtianæ legis abnegatione, ſe eſſe paratam,ceruicibus martyrio expoſitis, comprobauit. Item, & Martinus non haſta, gladio, & clypeo fidens, ſed Chriſti IESV inuocatione, hoſtium Apoſtatæ Imperatoris

pe-

Digitized by Google

penetraturum cuneos ſe curè, ipſi Imperatori promiſit. De qua obedientia, qualis versùs Principes debeat eſſe, quale item eorũ imperiũ, habemus explicationẽ perpetuã ſacræ Scripturæ, à ſanctis Patribus expreſſam; de qua partim à nobis etiam 2. Parte actum eſt, partim ſtatim eſt agendum.

7 Aduertendum eſt ſecundò, hanc iuſtitiam in Præfectorum ſecularium adminiſtratione ab Spiritu ſancto requiſitam, non ſolùm eſſe, virtutem eam particularem, Moralium aliarum Principem, communi vtilitati ſeruientẽ; quam, illa de cauſſa, popularem virtutem, Philoſophus appellauit: quamque Iuris definiunt prudentes, [eſſe conſtantem, ac perpetuam voluntatem, ius ſuum vnicuique tribuentẽ:] hac enim per Principes hos, in ſuis Rebuſpublicis obſeruata, parti ſui muneris, non autẽ vniuerſo, ac integro eſſet pro meritis ſatisfactum. Comprehendit ergo iuſtitia ab imperantibus ſuis adminiſtranda ſubditis, eam illius iuſtitiæ ambitus rationem, qua omnes virtutes, quæ Reipublicæ, & regunt, & firmãt ſtatũ, intelliguntur; & quibus ſubditi ſobriè, in ordine ad ſe; iuſtè, ad proximum; piè ad Deum viuant; quarum obſeruantiæ, per Principes, eſt in Republica diligentiſsimè prouidendum: & inde iuſtitia hæc, Vniuerſalis, à Philoſophis nuncupatur.

8 Adnotandum eſt tertiò, hominum origine, & conditione conſiderata, facilè nedum à Chriſtianis Theologis, Philoſophis, & Iuris vtriuſque prudentibus, nedum ab excellentibus ingenij acumine antiquis Philoſophis, ſed à quibuſcumque mediocri intelligentia præditis, & qui res obuias, ac communi vitæ conſuetudine tritas percipiunt, fuiſſe ſemper intellectum, homines, à natura ipſa, ad ciuilem ſocietatem fuiſſe factos, ordinatos, & inſtitutos. Hinc tot hominum cœtus, & communiones, hinc eorum tot congregationes, hinc ciuitates fabricatæ, conſtitutæ Reſpublicæ; vlteriùs ipſa natura proficiente, vt homines ibidem congregatos, pacis inter ſe, ac tranquillitatis, & optandæ, & obtinendæ, opportunis vinculis colligaret. Factum eſt hoc, legum, ac Magiſtratuum auctoritate; ne finerẽtur homines agere, quod voluntas imperaret effrænis; neque cuique quod liberet, & liceret; eſſet enim aliàs impoſſibile, iſtiuſmodi hominum cœtus, in ſtatu ſuo, vel ad breue tempus conſeruari.

9 Ratio igitur communis, quæ Reſpublicas finxit, & ordinum diſtinctiones, & Magiſtratuum iuriſdictiones vnà refinxit: quas niſi adiũxiſſet, ſatiùs multo eſſet hominibus, vel diſperſos vagari, vel ferarum more, in latibulis, luſtriſque degere: quàm hac ratione in vnum confluere, vbi iniurijs accipiendis eſſent expoſiti; ſi interim nullis remedijs, ad iniurias, eſſent inſtructi, propulſandas. Certum eſt etiam, exceptis Gentibus iure belli ſubactis, & Regibus, ſeu Principibus, qui vi, & ferro regiones occuparunt, & inuitis populis dominationis iugum impoſuerunt, alias hominum congregationes, ciuitates, prouincias, vel nationes, pa-

rendi,& imperandi diuerſas formas habuiſſe;dum alij Reges,alij Dictatores,alij Conſules,vel ſimiles Magiſtratus præfecerunt;eoſque alij annuos,alij perpetuos ſibi præfixerunt:cum eius poteſtatis, ac auctoritatis limitibus,vel laxioribus,vel anguſtioribus, (quod ſupra dicebamus,) qui à populorũ fuerunt voluntatibus,& electionibus approbati. Qua ratione, vel electione,Principes ad ſublimem hanc imperij efferebantur celſitudinem,vel ſint efferendi,nihil moramur;cùm,ad alia, quæ ad rem faciant,orationis noſtræ ſeries dirigatur.

10 Habemus interim orſa, media, & fines,propter quos humanæ Societates ſunt inſtitutæ.Orſa habemus, ſcilicet,vt ab iniurijs tuti ſint in eis congregi,vt cum liberis,& vxoribus viuant tranquillè, & ſolitudinem communioni permutent,& cum bono priuato, bonum ab eis etiam publicum procuretur.Media habemus, quibus tam excellens conſequatur bonum;leges Politicas inferiores, ac ſuperiores Magiſtratus: amorem ciuium mutuum: concordiam publicam. Habemus fines, ad quos tendit hiſce medijs Reſpublica; & eos Ciceronis ad Atticum verbis referamus.[Vt gubernatori,inquit,curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic Reipublicæ moderatoribus beata ciuium vita propoſita eſt : vt ea opibus firma,copijs locuples,gloria ampla, virtute honeſta ſit.]Hucuſque Cicero.

11 Et ſuffeciſſet quidem Spiritus ſancti adducta ſuperiùs doctrina, & hoc præfatum à natura commune inſitum hominibus magiſterium: placuit tamen quartò,ex Patribus,& Eccleſiæ Doctoribus,conſiderare, qualem,& quantam cohærentiam,& Dei mens,& hominum vita habeăt, in Magiſtratuum,ac Præfectorum conſtitutione, quamque in ea firmiſſimè copulentur. Clemens Conſt.Apoſt.lib.4.cap. 12. ſic docet: [Eſtote ſubiecti omni Regi,& Poteſtati,in ijs,quæ Deo placent; tamquam miniſtris Dei,& impiorum vindicibus, & vltoribus.] Quod & lib.7.cap.17. repetit ferè ijſdem verbis.& Canon.Apoſt.84. [Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito: ſi clericus ſit, deponitor:ſi laicus ſit, à communione remouetor.] Ignatius Epiſt. ad Smyrnenſes,[Honorare oportet,& regem.&c.]ac Epiſcopo excepto,addit:[Nec inter Principes quiſquam ſimilis Regi, qui in pace, & optimis legibus ſubditos moderatur.]Et Epiſt. ad Antiochenos [Cæſari ſubiecti eſtote in ijs, in quibus ſubdi nullum animæ periculum eſt. Principes nolite irritare, vt exacerbentur : ne anſam detis ijs, qui illam contra nos quærunt.]

12 Hoc docuerunt omnes Patres Græci, ſumma conſenſione: à quorum adducendis teſtimonijs, ad vitandum lectoris tædium abſtinemus, hoc vnum Demetrij Cydonij,de Contemnenda morte,non prætermiſſo. [Non reperies, inquit, Reſpublicas leonum, aut elephantorum, aut aliorum animalium: ſed ciuitates ſolorum hominum ſunt operatin qui-

bus

bus ſapientia ſua inuenta,& mutua beneficia deponunt,atque ijs alij leges præſcribunt, alij dicto ſunt audientes. Ac à ſubditis, honores, & tributa Principibus penduntur,quæ virtutis, & inferiorum curæ præmia ſunt: Principes autem aſſiduam eorum ſolicitudinem, qui ipſis parent, perpetuamque prouidentiam conferunt: quam tantam præſeferunt, vt bonus, & iuſtus Princeps,ſuopte periculo ſalutem alijs præſtet,& multi pro patriæ defenſione occubuerunt.]

13 Ex Doctoribus, ac Patribus Latinis, Tertullianus lib.de Idolatria,cap. 11.[Igitur,ait, quod attineat ad honorem Regum; vel Imperatorum,ſatis præſcriptum habemus in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundùm Apoſtoli præceptum, ſubditos Magiſtratibus, & Principibus, & Poteſtatibus;ſed intra limites diſciplinæ; quouſque ab Idolatria ſeparamur. Propterea enim,& illud exemplum trium fratrum præcurrit, qui alias obſequentes erga Regem Nabuchodonoſor, honorem imaginis eius conſtantiſſimè reſpuerunt,]Hieronymus ad cap.3.ad Titum: [Paulus docet,inquit,credẽtes Principibus, & Poteſtatibus debere eſſe ſubiectos:Sed quia dixerat.Admone illos, Principibus,& Poteſtatibus ſubditos eſſe,poterat his,qui tormẽta formidãt,occaſio ad negandũ dari; dũ, iuxtà Apoſtoli dictum,ſe aſſererent, Principatibus, & Poteſtatibus eſſe ſubiectos,& facere quod iuberẽt:propterea ſubiecit, obedire ad omne opus bonũ:&c.] Auguſt.de Ciu. Dei lib.5. c.21.[Nõ tribuamus dãdi regna,& Imperij poteſtatẽ,niſi Deo vero,qui dat felicitatẽ in regno cælorum ſolijs pijs,regnũ verò terrenũ, & pijs,& impijs,ſicuti ei placet,cui nihil iniuſtè placet.Qui Mario, ipſe C.Cæſari,qui Auguſto, ipſe & Neroni,qui Veſpaſianis,vel patri,vel filio ſuauiſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo.Et ne per ſingulos ire neceſſe ſit,qui Cõſtãtino Chriſtiano,ipſe & Apoſtatæ Iuliano. Hæc planè vnus Deus, & verus regit,& gubernat,vt placet:etſi occultis cauſſis, numquid iniuſtis?]

14 Circa cuius auctoritatis primam partem, videndus omninò eſt Irenæus, lib.5.c.24. impugnans illam Sathanicam aſſertionem, Matth. cap.4 relatam,& Luc.cap.4.[Hæc omnia mihi tradita ſunt:]agebat de mundi regnis;[& cui volo, do ea:]vel,[Hæc omnia tibi dabo.&c.]alloquens Chriſtum Dominum. Circa vltimam partem legendus Salonius, qui,paucis poſt Auguſtinum ſcripſit annis,in Parabolas Salomonis: vbi, quaſi illum explicans,ſic ait,[Numquid Chriſtus omnibus tyrannis, impijs & Principibus dat regnum, & imperium?non vtique:veruntamen ipſo permittẽte,impij Reges,& Principes ſuſcipiunt regna,vel imperia: iuxta illud Iob, Permittit regnare hypocritam, propter peccata populi.] cap. 34. Videndus etiam Haymo,quaſi Auguſtinum explicans.ad c. 13.Epiſt. ad Romanos,dicens: [Omnis poteſtas,ſiue maior, ſiue minor, quæ hominibus præſtatur,aut ex voluntate Dei, aut ex permiſſione conſtituta eſt:ſicuti dicitur per Salomonem: Per me Reges regnant,& Prin-

cipes

cipes docuerunt iuſtitiam,&c.]Idem docet Bruno Carthuſianus, ſuper eumdem Pauli locum.Gregorius Magnus lib.7.Epiſt.120.[Summum in regibus,ait,bonum eſt, iuſtitiam colere, ac ſua cuique iur aſeruare, & ſubiectis non ſinere, quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt,cuſtodire.] Neque opus eſt per alios diſcurrere Doctores: cùm omnes,id ipſum quod ab aliis prius dictum eſt, repetant: & ſuperiùs hoc idem fuit à nobis tractatum; ac vltimò,potiùs cum regibus loquantur Chriſtianis: & ſtatim inter ipſos, &,reges qui Euangelium Chriſti numquam receperunt,ſit diſcrimen ingens adnotandum.

15 Quintò eſt conſiderandum,ex Philoſophorum Ethnicorum, immò & Chriſtianorum,atque Theologorum, Iuriſque, ac Ciuilis adminiſtrationis prudentium ſententia,nullum eſſe in quacumque Reipublicæ forma,officiũ,aut nomen regali auguſtius, vel maiore cum honore coniunctum. Nam quamuis Democraticus,ſeu popularis Magiſtratus, & Ariſtocraticus,ſeu Optimatum Principatus, eo ſenſu,quo ſuperiùs explicuimus,à Deo ſit hominibus contributus: regium tamen diadema longè eſt quacumque alia dominatione diuinius, præſtabilius,& hominum generi ſalutarius; quod qui vel imminuunt, vel contra illud ſeditioſè conſpirant, Diuinæ voluntatis hoſtes, humanæ ſocietatis inimici, publicæ quietis, & pacis turbatores iudicandi ſunt: & vlteriùs,ſunt ferro, ac flamma perſequendi.

16 Non eleuamus reliquorum Principatuum auctoritatem,quos certè natura inclinando conſtituit, erexerunt hominum cordatæ congregationes,Deus approbauit:vt de obedientia eis à ſubditis præſtanda,velimus aliquid eſſe diminutum, quibus nefarium cenſemus facinus repugnare. Regius tamen ſplendor, expreſſius multò Dei vnius vniuerſo Præſidentis mundo repræſentat imaginem: hic illuſtriùs multò, & Solis vnius,ſidera cetera ſuo lumine colluſtrantis,& mentis vnius, omnia corporis membra,atque officia dirigentis, & vnius Patrisfamilias,domum, & vnius Imperatoris,exercitum,& vnius naucleri, nauem, & in ipſis denique rationis expertibus animantibus, vnius arietis,ouium gregem, & vnius regis,examen apum,figuram gerit,gubernantis. Quibus ſimilitudinibus vſi ſunt antiqui Poetæ, & Philoſophi proximè citandi: eaſdemque poſtea Chriſtiani Patres ab illis,vt infra explicabitur,conduxerunt. Attamen hanc vltimam partem huius Notabilis,ſequenti cap. & Notabili proſequemur.

***In omni Magiſtratu, Principatum, & Monarchicum regimen eſſe optimum, breuiter exponitur.* Cap. XX. §. 1.**

QVAESTIONEM hanc, de Monarchię,ad ceteras regiminis à Philoſophis deſcriptas formas, principatu, ac excellentia, haud eſt animus,prolixè tractare:eam potiùs ſupponimus,quàm

diſputamus : Et quicquid Zuinglius, Bucerus, & Caluinus, cum ſuis obganiant aſſeclis, & diſcipulis Hæreticis: Politici omnes Scriptores rectè ſentientes, & ſit quintum Notandum, Principatus regimen, omnibus alijs longè excellere docuerunt; Gentiles id Philoſophi, Hiſtorici, ac Poetæ antiquiſſimi ſenſerunt. Homerus Iliad. lib. 2. Euripides in Andromacha. Act. 2. Iſocrates in Nicocle. Plato in Politic. vltra medium. Demoſthenes Olynthiac: 1. de Philippo. Ariſtoteles lib. 12. Primæ Philoſophiæ. Liuius Decad. 1. lib. 4. Seneca lib. 2. de Beneficijs. cap. 20. Lucanus lib. 1. Plutarchus De tribus Reipublicæ generibus, Monarchia, Democratia, & Oligarchia: & item, De Fortuna Romanorum. Plinius Natur. hiſt. lib. 11. c. 5. Pomponius in Pandectis; De origine Iuris. Dion. Caſſius Romanæ Hiſtoriæ lib. 44.

2 Hinc ab antiquitate primò, ſatis Principatus Monarchicus commendatur: homines enim primi, & origini ſuæ, hoc eſt, Deo Conditori proximiores, malis artibus, fraudibuſque nondum corrupti, optima vt elegerint, cenſendi ſunt, qui tamen Principatum elegerunt. In familijs ſingulis, quod primum Imperij exemplum fuit, vnius Paterfamilias illud in omnes domeſticos exercebat. Deinde plures familiæ cognationibus iunctæ, vnum habuerunt imperantem, & ex illis ſocietates, congregationes, oppida cum orirentur, & vnum Præſidem: donec magna imperia nata, & oppreſſio cœpit ab ambitione exorta. Vnde, vt fusè ſupra tractatum eſt, vnius Præſidetis originem expreſſiorē habuit dominatus. Seneca hoc veriſſimè docuit, Epiſt. 91. [Primi mortalium, inquit, quique ex ijs geniti, naturam incorrupti ſequebantur, eamdem habebant, & ducem, & legem: commiſſi melioris arbitrio. Et inde natura commenta eſt Regem: quod & ex alijs animalibus licet cognoſcere, & ex apibus; quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medioque, ac tutiſſimo loco.] Quibus autem alijs animalibus, partim dicta Epiſtola explicat; dicens: [Mutuis gregibus, aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima: non præcedit armenta degener taurus, elephantorum gregem excelſiſſimus ducit. In ouibus, in auibus, & alio quocumque congregum genere idem eſt videre.]

3 A communitate ſecundò, etiā Principatus æſtimanda eſt dignitas: eſt enim, ac fuit in orbe cōmuniſſimum, vnius imperio ditiones coërceri. Hinc Monarchiæ illæ antiquiſſimæ, Aſſyriorum, Medorum, ac Perſarum, Græcorum, & Romanorum: niſi enim à Deo, & eius præcipua Principatus electione hæ Poteſtates eſſent, haud tot ſeculis conſiſtere potuiſſent. De ijs autem Monarchijs, ſic Daniel ait ad Nabuchodonoſor: cap. 2. [Tu Rex regum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia, in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua ſubiecta conſtituit. Tu es ergo caput aureum, & poſt te cōſurget regnum aliud,

mi-

minus te,& regnum tertium aliud æreum,quod imperabit vniuerſæ terræ,& regnum quartum erit,velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, & domat omnia,ſic comminuet,& conteret omnia hæc.&c.]

4 Sic Iudæi à Samuele regem poſcentes, argumẽto, à ceterarũ nationum ſimili,vſi ſunt;dicentes. 1.Reg.cap. 8. [Conſtitue nobis Regem, ſicut & vniuerſæ habent nationes.]In Italia primi illi Romani, ex Liuiò lib. 1. [In varijs voluntatibus, regem tamen omnes volebant.]Quòd ſi poſtea mutarunt, Ariſtocraticum eligentes imperium, rerum continuæ viciſſitudini, & naturali mutationi tribuendum eſt: vt à Rege in tyrannum,à tyranno ad Optimates, aut populum Reſpublica tranſeat: iterumque ab his ad tyrannum, & Regem: contingit hoc faſtidio, tædio, aut odio non Principatus, ſed Principis alicuius eo abutentis. Ceterùm ſi pauca loca, neque diu,excipiamus, vetus hic orbis Monarchas ferè vbique habuit,in Aſia, Africa,& Europa: & nouus item orbis repertus ſic eſt,aut fuit. Argumentum ſanè validum,optimum vſu,ac ratione,& ab ipſa natura eſſe profectum; quod tam diu, & tam multis oſtenditur placuiſſe.

5 Quòd ſi rationem tertiò exquiramus, ecce à nobis ſtat: à maiori primò iuſtitiæ exercitio in Principatus imperio. Diximus ſuperiùs, iuſtitiæ fruendæ cauſſa imperia primùm reperta fuiſſe. Ea autem in Monarchia,magis floret,ac viget;ab eaque abſunt noxæ,& corruptelæ,quæ in alijs illis formis,illarum regimen ſunt ſolitæ deturpare. Rex ſi præſit,vel ipſe ius dicit,(ſicuti olim ſæpius fiebat,& nunc alicubi fit)aut qui dicant, eligit, & deſignat. Si ipſe, ſuper metum, ſuper gratiam, ſuper auaritiam omninò eſt: & nihil iſtis, quæ ſunt ſolitæ oculos iudicantium perſtringere,donat. Si alij,ſunt tamen ab ipſo, & eos cura eligit, & electis iam ſupereſt,& intendit. Non ſunt ijs vices Principis tenentibus libera iudicia, vt non iudicium huius metuant, & ſi quid iniuſtius agant, etiam promptam pœnam. In alijs regiminis formis nihil ſimile reperiatur.Si ad Optimates veniamus,factio, & agnati,& amici occurrent, & alternis inter ſe ius,aut iniuriam gratificantes. Si ad Democratiam, ſeu populare regimen eamus,magis,ac magis peccabitur; & ira, furore præcipiti, aut rapido affectu damnatos, aut dimiſſos paſſim videbimus. Fuere Athenienſium,& Romanorum Reſpublicæ, oculare huius veritatis exemplũ;dum oſtraciſmi,exilia, & mulctæ exſtiterunt toties Optimatũ; contrà verò peſſimis honores erant delati,& iudicijs per vim,& manum etiam erepti. Ac tamdem corruptelæ ibi liberrimè ſemper regnauerũt.

6 Secundò,à tranquillitatis,& concordiæ cultu:id enim in ſocietate, & hominum conuentu optimum, id optatiſſimum eſt: quietam, & tranquillam vitam agere,(quod deſiderabat, ac poſtulabat Apoſtolus) à vi, & iniuria tutos. Hoc maximè efficit metus, vel auctoritas Principis, quem vnum omnes colunt,ac reſpiciunt,qui vnus omnia adminiſtrat,&

poteſt, apud quem vnum ius vitæ, neciſque reſidet. Hinc ſubditorum animi magis domiti ſunt, ac fracti, & iugo faciliùs colla ſubmittunt. Non itidem hoc vſu venit inter plures dominos: eorum enim potentia, eſt ſparſa, & inde minor: vt flumen in plures diductum riuos. Alius alium colit, & reſpicit, patronumque contra hunc, vel illum habet. Correctio ibi ſcelerum minus ſeuera, ac libera: quia in ſuffragijs, aut Comitijs, popularium egent opera: vnde, & conniueant, & indulgeant, ſingulorumq; exquirant gratiam, neceſſe eſt: ſic minuitur auctoritas: hincque ſequitur, vt reuerentia, & metus langueant, obedientiæ, & quietis forte in Republica ſemper vinculum æſtimata.

7 Eſt præterea certiſſimum, minus eſſe tranquillos, cùm ad Rempublicam ſæpe auocentur: vbi cùm ſint Comitia, fiant leges, in quibus iure ſuffragandi gaudent, in ijs ambitio, in ijs factio magnas vires habent: vnde ſeditiones ſæpè, turbæ, ac pugnæ ſuccedunt. Neque vbi Comitiorum poteſtas eſt, maior tranquillitas, quàm apud mare, quod rarò eſt quietum: vtpote ventis plurimum, ac ſæpè procellis agitatum. Tacitus Annal. 1. rem breuiter complexus, ſic ait: [Suſpectum Senatus, populique imperium, ob certamina potentium, & auaritiam Magiſtratuũ.] O quales duo ſcopuli! ad quos alliſa Reſpublica, factionibus inteſtinis, ac ciuilibus bellis, nundinationibus, rapinis, corruptelis, in Magiſtratibus, in prouincijs, in iudicijs ſubruatur.

8 Hinc Iuſtinus Orat. cohortatoria ad Gentiles, ex ſuorum prudentium teſtimonijs, colligit Monarchici excellentiam Principatus, dicens. [Homerus ſub perſona Vlyſsis, Græcorum exercitum alloquens, ait:

Non bene regnabunt multi, Rex vnicus eſto.

Atque equidem ille, non bonum eſſe regimen multorum, ſed è diuerſo malum, re ipſa oſtendere conſtitutum habens, eam ob cauſſam, bella illorum propter multitudinem, & prælia, & factiones, & mutuas inſidias paſsim commemorat. Nam Monarchia, ſiue vnius imperium, pacatum eſſe conſueuit.] Eamdem doctrinam, & eiſdem ferè verbis Theodoretus, lib. 3. de Angelis. collaudauit.

9 Tertiò, à meliori, tutiorique agendi modo: Monarcha Princeps imperat diutiùs, vnus, & idem ſemper manet, aſsiduoque ipſo vſu magis diſcit, & rem vt propriam cordi habet: contrà omnia fiunt in Magiſtratibus, qui mutantur. Annui enim cùm ſint, ferè tunc ab imperio diſcedunt, cùm diſcere cœperant imperare. Intentio verò, aut cura nõ eadem eſt in breui, & alieno imperio, quod ſæpè, aut ignotis, aut inuiſis tradunt ſucceſſoribus: vnde illis ſatis eſt, quacumque meliori via, in poſterum ſecuritate defungi: cùm Princeps non ſe ſolum cogitet, ſed hæredes, non ſibi ſolùm, ſed futuræ conſulat ſucceſsioni.

10 Quid de arcanis conſilijs, quartò dicemus? de litteris, quæ in regimine interueniunt? quid de pactionibus, & cùm vicinis Principibus

tra-

tractatibus? quæ omnia oporteat haud intempeſtiuè vulgari? Inter plures ſecretum haud requirendum eſt: nemo liber accedit, aut tutò credit: quæ in Principatu locum non habent: in quo, aut vnus ipſe tractat, aut fide vtitur miniſtrorum, quibus ea tractanda committit.

11 Inter plures quintò, pluries ſecreta intercedit corruptela; immò vnus aliquis facilè emi contra Rempublicam poteſt, & ſana conſilia, ſub prætextu communis boni, aut euertere, aut impedire. Conquerebatur olim Demoſthenes, Athenis id factum ab aſtuto Philippo: & hunc eſſe ſcopulum, vt ipſe loquitur, ad quem res allidantur. Nec Romana res meliùs habuit, vbi Tribunus aliquis emptus, negotia turbabat, & hunc aut illum callidè ſuper capita ciuium imponebat. Sic ille Poëta breui ſermone longam retulit hiſtoriam, dicens:

Mutatuſq; fuit momentum Curio rerum.

Ecce vnus Curio, à Cæſare corruptus, Cæſarem Pompeio prætulit: Reipublicæ, & libertati finem, ac vltimum exitium comparauit.

12 Quartò, & vltimo præcipuo argumento, à diuturnitate, eſt Monarchicum imperium anteferendum: illud natura fouet, illi ratio fauet, & Deus vnus, vnum illud non inſigniter foueat? Si ſtatus alios conſideremus, Sparta, quæ moribus, & viris florebat, vt diurnaturam longiùs crederetur, vix quingentos annos fuit libertate potita. Athenæ ſæpè mutarunt, & oppreſſæ denuò reſpirarunt: turbidis tamen rerum ſucceſſibus agitatæ, & continenti in metu, ac potentioribus obnoxiæ. Roma, quod forſan admiratione non caret, ob plura, quæ ſilentio inuoluimus, quadringentos paulò plus annos liberum illum ſtatum conſeruauit.

13 Quid hæc ad Principatus? Aſſyriorum antiquiſſimus, à Nino Beli filio incipiens, perpetua ſucceſſione durauit, vſque ad Sardanapalum, annis mille ducentis quadraginta, vt vult Euſebius: vel, vt colligit Iuſtinus, lib. 1. mille trecentis: vel, vt Auctor eſt Diodorus, lib. 2. c. 7. mille quadringentis. Secunda Monarchia, quæ fuit Medorum, ac Perſarum, annis quingentis viginti duobus circiter continetur; ex quibus Medi pluſquàm ducentos ac ſexaginta ſibi vendicant, Perſæ reliquos. Quamquam de ijs, & mirum, & notatione dignum eſt, haud diu ab Alexandro reuixiſſe: & vires regnumque, & recepiſſe, & reintegraſſe, duce quodam Arſacio: qui, quoniam fuit Parthus, & initium regnum rurſus in libertatẽ aſſerendi fuit à Parthis, Romani, atque alij, Parthorum id regnum nuncuparunt: reuera tamen in iiſdem ferè gentibus, & finibus; & permanſit ad Imperatorẽ Alexandrum Mammeæ filium, per annos circiter quadringentos octoginta: quando iterùm nomen Perſarum ſurrexit Duce Artaxerxe, qui Artabanum vltimum Parthorum Regẽ loco mouit, & ſuſtulit. Inde ad præſens æui, quo multiplicatis legationibus S.D.N. Paulum V. ſummum Pontificem, illius, & ſanctitatis, & animi magnitudinis fama permoti, Perſæ adierunt, (mira diuturnitas!) Perſæ viuunt.

14 Ter-

14 Tertia Monarchia Græcorum, ſi non tot computat annos, cùm ab Alexandro, qui Monarchiam Perſarum, Medorum, ac Babyloniorum tranſtulit in Græcos, vſque in finem regni Perſis, vltimi regis Macedonum per Romanos ſuperati, circiter primum annum Ducatus Iudæ Machabæi, fuerint anni ſolùm centum ſeptuagintaquattuor, & à fine regni Macedonum, ſeu à primo anno Ducatus Iudæ, vſque ad Iulium Cæſarem centum quindecim, & à Cæſaris primo anno, ad Chriſti natiuitatem fuerint anni quadraginta ſex: quarta tamen Imperatorum Romanorum ab Auguſto Cæſare, notum eſt, quàm longos habeat. Ægyptij olim ſuis regibus, ad vltimam Cleopatram, annorum millia plura numerabāt. Millia etiam annorum multa ſuis hodie Sinarum populi adiudicant regibus. Et Hiſpanorū, ac Gallorum Monarchias pluribus annorum ſeculis, & duraſſe ſcimus, & duraturas ſperamus. Cum alijs in minoribus Principatibus ſimilibus exēplis; quæ tamen alij regiminis ſtatus, vnam ſi excipiamus Rempublicā Venetam, (de cuius diuturnitatis ratione non eſt mens diſputare) difficile, immò eſt impoſſibile demonſtrare.

15 Habemus ex Stobæo, ſerm. 45. quòd Crœſo Lydorum regi fratrem in conſortium Imperij aſſumenti, quidam Lydus ſapienter dixerit: [Omnium in terra bonorum ò Rex, maximum, eſt Sol; neque quicquam exſtaret in terra, Sole non illuſtrante. Ac ſi gemini Soles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia peſſum irent.

16 Quòd in deliberando de ſtatu Politiæ Perſis conuenientiori, ex ſeptem Proceribus illorum, qui Magos interfecerant, & qui conſilij, vbi quæſtio fuit agitata, erant Auctores, non Otano, popularē gubernationē ſuadenti, non Magabyzo, qui Optimatum, ac paucorum regimen Democraticò præferens, illud introducere conabatur, ſed Dario, vtrique huic adminiſtrationis formæ Monarchicam eſſe meliorem, grauibus rationibus perſuadenti, fuerit per ſocios alios aſſenſum: refert Herodotus in Thalia. Quòd poſt conſultationem habitam per Auguſtum Cęſarem cum M. Agrippa, & C. Mæcenate illo Principatum ei diſſuadente, ac vt Rempublicam Romanis redderet Senatoribus liberam; huic conſilium de retinendo principatum dante, ita tamen vt optimum Principem, non autem ſe gereret tyrannum, huic acquieuerit Auguſtus: refert Dion. lib. 52. orationibus Agrippæ, & Mæcenatis contrarijs, quæ omninò legi merentur, dilatatis. Lydi autem illius ſapientis, & huius Mæcenatis approbata conſilia, benè vertiſſe Auguſto Cęſari, certum eſt.

17 Sententiam hanc tenuere Patres, ac Eccleſiæ Doctores, vt Athanaſius, contra Idolat. Chryſoſt. Hom. 34. in 1. ad Corinth. & Homil. 34. in Epiſt. ad Hebr. Euthymius in Panoplia. tit. 1. Cyprianus de Idolorum vanitate. Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſticum. Thomas. 1. p. q. 103. art. 3. Philoſophicè, ac ſubtiliter à bonitate vnitatis, procedit ad Monarchiam extollendam: & addit, [Vnitatis autem cauſſa eſt vnum. Manifeſtum eſt

enim,

enim, quòd plures, multa vnire, & concordare non poſſunt: niſi ipſi aliquo modo vniantur. Illud autem quod eſt per ſe vnum, poteſt eſſe cauſſa vnitatis conuenientiùs, quàm multi vniti: vnde multitudo meliùs gubernatur per vnum, quàm per plures.] Immò Euſebius Cæſarien. qui in Orat. de laudibus Conſtantini Monarchiam, alijs regiminibus prætulerat, de Demonſtratione Euangelica, lib. 3. c. 9. Leo Max. Serm. 1. in Nat. Apoſtolorum. Eucherius Lugdunen. Epiſt. ad Valerianum, probant Monarchiam Romani Imperij, pro faciliori Euangelij diuulgatione, Diuina fuiſſe prouidentia præparatam.

Vnum Monarcham ſecularem, poſt Adamum, in orbe vniuerſo non fuiſſe: docetur. Cap. XXI. §. 1.

SVFFICIENTER probato, Monarchicam gubernandi formam præſtare ceteris, eamque ſupremum Deum ipſum mundi totius Conditorem, præ alijs, etiam in ſecularibus Poteſtatibus, elegiſſe, ponderandum eſt ſextò, in illis per partes fuiſſe, reſpectu tamen orbis vniuerſi, hucuſq; exercitam, à Protoparentis Adami conditione, non fuiſſe: cùm neque Romani, quando ſui Imperij limites longiùs produxerunt, omnibus eius prouincijs, ac regionibus imperauerint: neque poſtea vmquam Rex, vel Imperator vnus, earum dominium fuerit conſequutus. An autem talis Monarchia ſit aliquando in mundo ſequutura, neque ſcimus, neque de hoc quicquam nobis credendum, ſcriptum, aut traditum eſt: neq; an eam introduci poſſibile ſit, hucuſq; vrgentibus ſumus aliquibus rationibus aſſequuti.

2 Scripſit certè Engelbertus Abbas Admontenſis, iam ab hinc trecentis annis, Lib. de Ortu, & fine Imperij Romani, in hunc modum: [Tutius, & melius eſt, omnia regna, & omnes reges ſubeſſe vni Monarchiæ; quia prima inuentio, & conſtitutio regnorum, & regum emanauit à natura: ſicuti patet in feris, in quarum genere, leo eſt rex omnium ferarum, & in auibus, aquila eſt rex ceterarum volucrum omnium: ars verò, & ratio imitatur naturam.] Et cap. 18. ait: [Melius, & iuſtius eſt, ſemperque erit, quamdiu ſecundùm præuiſum à Deo curſum rerum mundi, ipſi Deo placuerit, omnia regna, & omnes reges ſubeſſe vni Imperio, & Imperatori Chriſtiano: quantum de iure, conſuetudine rationabili, & præſcripta competit, & conuenit vnicuique regno ſubeſſe, & obedire Imperio: quàm ſi ſingula regna, & reges per ſe ſtarent, ſine omni ſubiectione, & obedientia Imperij: tamquam multa capita, in vno corpore Chriſtianæ Reipublicæ: quæ eſt vna, & vnius populi Chriſtiani: & pro tanto habens vnum caput omnium; niſi de illa Republica, & vno populo Chriſtiano, quis vellit facere multorum capitum vnum monſtrum.]

3 Cir-

3 Circa quam doctrinam, videtur Auctorem, neque exēplis ſuis, neque rationibus, quam in orbe deſiderabat Monarchiam, eſſe meliorem induxiſſe. Et quidem primò, natura ipſa,& ducente, & inſtigante, Monarchiam eſſe cunctis gubernationis formis præferendam, & ſupra ſcripſimus,& denuò Engelberto concedimus; artem verò,& rationem imitari naturam, Axioma eſt tam notum, quàm certum, apud mediocriter intelligentes; dum verò & leonis versùs feras, & aquilæ versùs aues, Monarchicum diſtinguit imperium, ſpecierum atomarum, in ſpeciebus atomis: vnius generis hoc exemplar ad homines transferens vniuerſos, indiuidua, videlicet, plura vnius etiam ſpeciei atomæ, & ſub vnius regimine, conuenientiùs aſſerit militaturos: tangit, haud tamē quò vult pertingit: ſicuti pertingeret, ſi probaret, animantibus cunctis, animans vnū, ab homine aliud, imperare. Sufficit ergo vt ars, & ratio naturam imitentur, diuerſas in orbe, per eius partes, Monarchias, huius, & illius,& aliorum regnorum reperiri: ſicuti animantium volatilium, vnum animal, terreſtrium aliud, Principatum in cetera illius generis aſſeritur obtinere.

4 Secundò, ſi regna,& Reges Imperatori vni Chriſtiano ſubijci ſit meliùs, attamen quantum de iure, aut conſuetudine præſcripta,& rationabili ſubeſſe illi debeant, vbi nam inuenit Auctor ille, vel aliquis inueniet, de iure, vel de tali conſuetudine, obſequi vni Imperatori, omnibus regnis, & eorum regibus competere, aut conuenire?

5 Tertiò, quanam ratione diuiſo Chriſtiano orbe, vno Reipublicæ Chriſtianę corpore, in plures particulares Monarchias ſeculares, ἀταξίας nota illi poteſt inuri: cùm nullibi, vel in Scriptura ſacra, vel in eius Enarratoribus vmquam reperiatur ſcriptum, caput vnum ſeculare Chriſtianis omnibus præficiendum?

6 Quartò, qui colligendi modus eſt, quòd qui non admiſerit vnum caput ſeculare, vni populo Chriſtiano, vni Chriſtianæ Reipublicæ præfici, eſſe melius, ac iuſtius, quàm in plura ſecularia per tot, ſeu tot prouincias capita diſpartiri: velit multorum capitum vnum monſtrum coaptare? Sunt equidem capita Monarchiarum inter Chriſtianos, Imperator,& Reges, non ſunt tamen capita vnius illius populi Chriſtiani, & vnius Reipublicę particularis Chriſtianę, cui in ſecularibus pręſideāt, quatenùs eſt Chriſtiana. Immò ſub hac reduplicante ratione, & imperantes, & ſubditi membra ſunt omnes totius corporis Chriſtiani, quod eſt Eccleſia, cuius caput Primarium, eſt Chriſtus, Vicarium, fuere ab ipſo Chriſto Petrus, & eius ſucceſſores Romani Pontifices conſtituti.

7 Poſtremò, ſi vnus populus Chriſtianus, ac vna ex eius hominibus fidelibus conſtans Reſpublica, quia non habeant vnum ſeculare caput, multorum capitum vnum eſt monſtrum, dubio procùl Eccleſia, ab eius ortu, per mille ſexcentos annos, non ſolùm monſtroſa, ſed & monſtrum

eſt.

eſt. Cùm totius Chriſtiani orbis Imperium, nullus ſolus hucuſque geſſerit Imperator.

8 Ecce quot abſurda! ecce qua mente, huius doctrinæ falſæ ſubſidio, ſeculares Imperij auidi poſſent imbui reges; vt ſcilicet, de ſuis proferendis, ac dilatandis, eo titulo, procurarent, ditionibus: etiam cum Chriſtianorum Principatuum, ac Rerumpublicarum Chriſtianarum iniuria: ne Eccleſia monſtro ſimilis diceretur: ſed vt plenam ſuam perfectionem aſſequeretur. Nullus ergo mentis compos affirmabit vmquam, Gallicanam, Italam, Germanam, Hiſpanamque gentes, non fuiſſe olim, Chriſtianiſſimam primam, Religioſiſſimam ſequentem; Pijſſimam tertiam; Catholicam vltimam; nec regimine optimo potitas: ex eo, quòd, vel tunc in Regum plurium Monarchias ſcinderentur, vel nunc non omnes ſub vno Imperatore, & capite confundantur.

9 Optimè certè cum vniuerſo ageretur orbe, ſi vnus in eo, vnoque ordine Princeps, ac Monarcha præficeretur: nam non haberet hoſtem, neque populus alium, quàm ſuum Principem, neque Princeps alios, quàm ſuos populos, pertimeſceret. Hominum tamen, ac nationum, quæ nunc eſt, & in dies erit maior diuerſitas, vt cetera prætermittamus, vix quod numquam antea, erit in poſterum perpeſſura. Sapientiſſimè certè Deut. c 32. [quādo diuidebat Altiſſimus Gentes, quādo ſeparabat filios Adam: conſtituit terminos populorū, iuxta numerum filiorum Iſrael:] ſeu [Angelorum Dei;] ex Septuaginta: quibus regionū curam demandauit: vt ex Daniel. cap. 10. conſtat: quò Monarchias, & Principatus, ac Reſpublicas, in Chriſtiano orbe conſeruari, omnes Chriſtiani, ſicuti & in pręſenti conſiſtunt, optent, & à Deo, vt id efficiat, pijs obtineant precibus; dummodo ſit [Pars Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius:] habeat, videlicet, Chriſtus Dominus eā in hiſce Regnis, Rebuſpublicis, Principatibuſque partem, vt omnes legi Euangelicæ obſequētes, Catholicamque religionem profitentes, vnam Monarchiam ſpiritualem in terris agnoſcant Chriſtianam, ſub vno Pontifice Romano Petri ſucceſſore, & Chriſti Vicario conſtitutam: cuius quaſi ſupremi Paſtoris omnes etiam mundi ſingulares Monarchæ, eius ſe eſſe oues fateantur; & ad hoc Eccleſiæ Catholicæ Romanæ vnum ouile omnes, cum ſuis omnibus ſubditis, pertinere.

10 In reliquis nulli eſt dubium, ob præfatam etiam rationem, Principum raritatem pacatiorem eſſe, ac ſalubriorem vbique terrarum: maximèque rem intereſſe populi, amplitudinem Regum, Principumque tueri: ne plures ſuccreſcant hoſtes, eiuſq; ſubinde calamitas augeatur. Populi maximè intereſt, ne familię herciſcundę iudicium, ita in regnis, ſicuti in priuatorum hęreditatibus habeat locum: ac Regum liberi, quaſi pro portionibus totius aſſis ſuccedāt, vnde facilè bella poſt excitent: ſed vnus ſit Rex, cui omnes debeant obedire. Intereſt tamdem regni totius,

ne Reges, quæ regni ſunt, ac Coronæ, vel diſtrahant, vel alienent: ne regni vires eneruent, magnitudinem minuant, dirimant vnitatem. Quapropter Apoſtolus, 1. ad Timoth. cap. 2. hortabatur Chriſtianos omnes, ad preces, & obſecrationes, pro Regum, & Principum ſalute, ac incolumitate fundendas, ipſa illa addita ratione: [Vt tranquillam, ac quietam vitam agamus.] Et erant Ethnici Imperatores, quibus ſalutem à Deo iubebat Paulus precari; intelligebat nihilominus, nedum Diuinus, verùm & Status Politici, eiuſque boni prudentiſſimus vir, quãti referat, paucos habere Principes: ne plures inter ſe hoſtes habeamus.

Monarchiam Eccleſiaſticam, ab orbe condito, vſque ad Chriſtum exſtitiſſe, oſtenditur. Cap. XXII. §. 1.

OBSERVANDVM eſt ſextò, aliter ſe omninò rem habere Eccleſiaſticæ Reipublicæ reſpectu: eſt namque certiſſimum, ab orbe condito, vſque ad præſentem annũ M.DC.X. ſucceſſione perpetua ſemper fuiſſe vnũ Eccleſię Præſidẽ, & Monarchã: & conſequenter, quantumcũq; in Politica ſeculari adminiſtratione, vnum totius orbis eſſe Moderatorem nõ expediret: (de qua re nihil poni mus) ſecùs tamen in Eccleſiaſtica Politia, & Hierarchia, vbi Monarchiã, optimam eſſe gubernationem conſtanter affirmamus. Hæc doctrina eſt contradictoria peſtilentiſſimi Caluini ſcriptis: qui lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 9. cùm Monarchiam, non eſſe optimum regimen, docuiſſet; addidit ſtatim: [Etiamſi eſſet in Politica adminiſtratione regimen optimum, Monarchiã tamen in Eccleſia non eſſe: neque vnum hominem dici debere caput Eccleſiæ, non ſolùm principale, ſed neque miniſteriale.] De qua materia cùm alibi etiã idem ſentiret, ſuper c. 6. Amos ſcribens, mirũ eſt, quali inuectiua contra eos detonuerit, qui Henricum VIII. Angliæ Regem Eccleſiæ caput appellabant.

2 Siſte gradum, Lector Chriſtiane, obſecramus; & vnam fidem Catholicam, in bifidam fidem deplora, ſocius omnium piorum id deplorantiũ, commutatam. Habent Reges Angliæ iam ab anno 1535. exceptis Regibus Clar. Mem. Philippo, & Maria Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei Defenſoribus, pro Apoſtolis fidei, & confeſſionis ſuæ, Martinum Bucerum, & Petrum Martyrem Vermilium, ſeu potiùs Ioannem Caluinum humani generis Megæram: huius hæreticam doctrinam plurimũ, & credunt, & tuentur: ab ea interim eius parte, qua ipſis eſſe Eccleſiæ caput præcidit, adeò abhorrent, vt horreant aures, eorum referre Catholicorum numerum, quibus ob negatum illis hoc caput, capita, immò cuncta minutatim membra, immaniter præciderunt. Ecce fidem bifidam, ecce ab vno eodemque ore calidi, & frigidi ſimultaneam efflationem. Ergo Reges Sereniſſi-

reniſſimi,ſi Catholicam vnam per Apoſtolos, & Apoſtolicos Prædicatores annunciatam veſtris maioribus,& vobis fidem,& doctrinam,non recipitis: ſi hæreticam per Apoſtatas à fide, & Miniſtros Sathanæ propoſitam vobis fidem, & doctrinam, illius facta partitione, pro parte vobis tantùm placente recipitis; oportet, vt religio hæc, neque cum priorum veſtrorum Apoſtolorum, neque cum poſteriorum Apoſtatarum fide, dixerimus meliùs,infidelitate, & doctrina conueniens,arbitrij omninò veſtri ſit, cum antiquo nouum Euangelium permutare.

3 Quòd ſi cuique Regi eſt integrum, fidem ſuam ad libitum edere, vana certè fuit Apoſtolorum Chriſti prædicatio: inanis fuit & fides eorum omnium, qui illam ab eorum ore ſuſceperunt, vitaſque ſuas pro illius defenſione mille martyrijs conſecrarunt. Siccine tot ſapientiſſimi Græci,ſiccine tot prudentiſſimi Itali,ſiccine tot acutiſſimi Galli, ſiccine tot fortiſſimi Germani, ſiccine tot grauiſſimi Hiſpani, vt de ceteris interim ſileamus Nationibus, Apoſtolicæ fidei vniformis prædicatione, & ſuſceptióne deſiperent, infatuarentur, hebeſcerent, deficerent, ac leues agerentur; vt ſi fidem ſemel ſuſceptam,ad proprium nutum, biformem, vel ſeptiformem efficere potuiſſent: viam, formamque ignoraſſent, quibus, abſque chariſſimi ſui ſanguinis effuſione prodiga, & Chriſtianam nouam religionem ſuſciperent,& antiquam Ethnicam non repudiarent? & Chriſtum non vt vnum colerent Deũ, ſed vt ſuis Laribus additũ: (quod ex Lampridio in Alexandro,Imperatorem illũ efficere voluiſſe, ſcimus,) quò & verę,& falſę,& ſanę,& vanę doctrinæ,viuo & fictis,vno,& pluribus dijs, Arcæ denique Teſtamenti, & Dagon Idolo, ſtatus parilitas ſeruaretur? Sed iam ad præcedentis ſexti Notandi probationem accedamus.

4 Ergo propoſita Catholica doctrina,ſuo ordine,ſic probatur:primùm facto ipſo,ſicuti loquimur in genere,& de facto in ea. Vnde ad Adamum protoplaſtum,oportet, veniamus. Eſt quidem vnus Deus tantùm, qui ſolus cælum, terram, & cuncta, quæ terræ, cęlique ambitu continentur, creauit,conſeruat, regit, & moderatur: neque in hac ampliſſima dignitate, & maieſtate Deorum aliorum conſortium patitur. Patris enim, & Filij,ac Spiritus ſancti diſcretæ proprietates, in perſonis quidem realem numerum,in Deitate autem,cùm Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus, ſint vnus idemque Deus,nullum numerum induxere. Hic vnus Deus primo homini Adamo creato, & ex eius coſta formata Eua, illi tamdem poteſtatem dedit,& dominium, huic ſubiectionem,vt ſuo obtemperaret viro,iniunxit, ſic dicens Geneſ.capit.3. [Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.] Ab illo deinde ſeculo,vt verbis expreſſis S.Martialis Epiſt.ad Burdegalenſes,cap.1. loquamur: [Ex quo primus homo cœpit, à Deo formatus de limo,congregatio filiorum Dei,quæ iam cõgregabatur, proclamabatur.] Addit Epiphanius: [Sancta, & Catholica Eccleſia principium omnium eſt. Adam nouit Deum Patrem, & Filium, &

 Spi-

Spiritum ſanctum: Propheta enim erat, neque circumciſionem habens, neque ſimulacra colens: ſed Chriſtianiſmi formam oſtendens.]

5 Quòd ſi Adamus præ ſe ferebat hanc Reipublicę Chriſtianæ formã, opus eſt, vt & Sacerdos exſtiterit, & tamquàm Pontifex ſummus, Eccleſiæ præfuerit vniuerſæ: ſicuti Pontifex Max. Romanus ſucceſſor Petri, qui fuit Sacerdos, & Vicarius Chriſti, qui fuit Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ Monarchiæ, & Inſtitutor, & Rector, & ſummus Sacerdos, & ſupremus Rex; ipſius Chriſti Domini præcedente ordinatione, toti Eccleſiæ noſcitur pręſidere. Aliàs Laicocephali Nouatores, hęreſi infanda, ſine capite capitoſa, caput Eccleſiæ ſuis ſecularibus arrogantes Principibus, fortiſſimum, immò altiſſimum poſuiſſent refugium, tam alto à principio, Adamum Regem ſecularem, Eccleſiæ fuiſſe caput aſſerentes: neque Proteſtantes Principes Germani, hoc, inter alia, de Eliſabetha Angliæ Regina tuliſſent aliquando iudicium, ſcilicet: [Quæ fœmineo, & à ſeculis inaudito faſtu, ſe Papiſſam, & caput Eccleſiæ fecit.]

6 Verùmtamen Adamo iſthæc non defuerunt, ſic referente Moſe Bar Cepha doctiſſimo Hebræo Rabino, de Paradiſo, part. 1. capit. 28. [Auxit Adamum Deus Sacerdotij munere. Nam fuiſſe Sacerdotem, ex Dauidis Pſalmiſtæ verbis, Pſal. 139. cognoſcitur qui, veluti loquentem Adamum cum Deo inducens, ait: Finxiſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Sacerdotium enim, manuum impoſitione confertur.] hucuſque Rabinus. Non obſtat, non legi in Scriptura ſacra, Adamum Deo ſacrificium obtuliſſe: eſt enim veriſimile, eũ Domino Deo ſæpius ſacrificaſſe: quem nouerat omni cultu, tam interiori, quàm exteriori ab omni homine, & venerandum, & colendum: tacuit tamen de Adami ſacrificio pagina Diuina, cuius Auctori, neque decens, neque conueniens viſum fuit, vt in quo peccati origo monſtrabatur, ſanctitatis, ac religionis origo monſtraretur. Vel ſuæ certè culpæ conſcius, eamque contra ſe habens ſemper, præ animi humilitate, ab offerendis Deo ſacrificijs abſtinuit, contentus, quòd Præceptore Deo didicerat, ſuos filios inſtruere; oportere, videlicet, omnes homines interiùs, & exteriùs venerari Deum: profitentes, ac teſtificantes ea re, ipſum Dominum omnium, ſeſe autem ſeruos eius: qui niſi eius potentia, eius benignitate, neque quibus premuntur malis liberari, neque optata bona conſequi, neque ad æternam vitã, & vltimam felicitatem valeant peruenire. Fuit igitur noſter Protoparens Adamus, quoad vixit, hoc eſt, nongentis triginta annis, à tota Eccleſia ſummus Sacerdos, & Pontifex veneratus.

7 Centum & viginti annis ſuperuixit Seth Adamo parenti; cuius inſignem virtutẽ Ioſephus, libr. 1. Antiq. cõmendat: cui tamquàm homini optimo, ac loco Abelis ſancti, ſemen ſanctũ à Deo Euæ poſitũ, Sacerdotalẽ, ac Pontificiam dignitatẽ Adamus tradiderat. Vnde per illos annos eodẽ iure, quo Adamus, Eccleſiæ Monarchiam gubernauit. Poſt Seth mor-

Digitized by Google

tem, vixit Enos eius filius annos nonaginta octo, etiam dictæ Monarchiæ clariſſimus adminiſtrator: cùm ei hoc reddat Spiritus ſanctus teſtimonium, Geneſ. cap. 4. [Enos cœpit inuocare nomen Domini:] non quòd illucuſque nullus ſacrum illud inuocauerit nomen; ſed quòd magis aucto humano genere, ille plus Diuino dilatando cultui laborauit. Ab Enos nati ſunt filij Dei: ſicuti à Caino filij hominum: ex Geneſ. cap. 6. Superuixit Enos parēti, filius Cainam annis centum & quinque, ac inter primogenitos filiorum Dei fuit maior natu; & tamdiu, eodem, quo priores, iure, populi Dei tenuit Monarchiam, Cainam patri, filius Malaleel quadraginta quinque ſuperſtes annis, per eos, Princeps Sacerdos Eccleſiæ floruit. Defuncto Malaleel Patre, Iared eius filius, per ſequentes centum quinquaginta & duos viuens annos, Monarchiam eamdem obtinuit. Mathuſalem, poſt Iared auum ſuum, vixit ducentis quinquaginta & quattuor annis, vſque ad ipſum annum diluuij; quo temporis ſpatio hoc Monarchicum Eccleſiæ imperium ſumma cum poteſtate rexit.

8 Attamen Enoch pater Mathuſalem, & Lamech pater Noë, hoc primatu fungi non potuerunt: ille quia ante maiorum ſuorum funera, in cælum, paradiſum, videlicet, tranſlatus fuit: alter quia quinquennio ante patrem ſuum Mathuſalem, vita fuit ſubductus: & hinc in hac Monarchia Noë octauum locum obtinuit: qui poſt aui Mathuſalem obitum, ſolus trecentis quinquaginta annis Eccleſiæ præfuit.

9 Hinc D. Petrus 2. Epiſt. c. 2. intelligitur dicens: [Originali mundo non pepercit, ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit.] Erat quidem ab Adamo Noë generatione decimus: quia tamen neque Enoch, neque Lamech ſummo hoc fuere Pontificatu potiti, à quo iuſtitiæ præconium naſcebatur, dicendum eſſe videtur, Adamum fuiſſe primum iuſtitiæ præconem, Seth ſecundum, Enos tertium, Cainam quartum, Malaleel quintum, Iared ſextum, Mathuſalem ſeptimum. Noë octauum: vt Petri difficillimus ille locus explicetur.

10 Noë è viuis ſublato, illi Sem eius pijſſimus filius, cui viuens primas ſemper detulerat, centum viginti annos ſuperuixit; ipſe ſuis poſteris, qui pietatem inſigniter coluerunt, & notus iuſtitiæ præco anteſtitit, & Altiſſimi Dei Sacerdos fuit: qui in Salē egit ciuitate, quæ poſtea fuit Ieruſalē, referente Hieronymo, in Quæſt. Hebraicis. Melchiſedech, id eſt, Rex iuſtitiæ dictus. De quo Geneſ. cap. 14. ſic habetur: [At verò Melchiſedech rex Salem proferens panem, & vinum, (erat enim Sacerdos Dei Altiſsimi) benedixit Abrahæ, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cælum, & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt: & dedit ei decimas ex omnibus.] Vnde Paulus ad Heb. cap. 7. dixit: [Hic enim Melchiſedech Rex Salem Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ, egreſſo à cæde regum, & benedixit ei.] Et infra: [Sinè vlla autem contradictione, quod minus eſt, à

melio-

meliore benedicitur.] Hieronymus autem de Tradition. Hebraicis in Geneſim,refert,ex mente Hebræorum, Melchiſedech, eſſe Sem, filium Noë: & annis vitæ ipſius computatis,eum ad Iſaac vſque tẽpora perueniſſe: omneſque primogenitos ſtirpis Noë, donec ſacerdotio fungeretur Aaron,Pontifices exſtitiſſe.

11 Hæc igitur Monarchia prima durauit vſque ad obitum Sem, duobus millibus centum quinquaginta octo annis. Et quia vita hominum poſt diluuium,minore annorum ſpatio claudebatur, & ante Sem omnes eiuſdem filij,nepotes, abnepotes, & trinepotes fato conceſſerant, & ipſe Abraham annis quinquaginta ſex, ſeu, ſecundùm Hieronymum, Epiſt. ad Euagrium,annis 40. vel ſecundum Caietanum ſuper Geneſim, annis 35.ante Sem deceſſerat, prima hæc Monarchia Eccleſiæ, eam materialiter,per partes temporis,diuidendo, fuit in Sem, nono præcone iuſtitiæ terminata.

12 Cùm ergo poſt Sem nulli iam ex longæuis reperirentur hominibus;& Idololatria,etiã viuente Sem, radices agere cœpiſſet:Deus omnipotens Abrahamo ex Hur Chaldæorum,ex patris etiam domo, ſuaque educto:cognatione, & pietatem colere,& docto, & iuſſo,circumciſionis etiam veteri Sacramento inſtituto, & per Abrahamum, facto etiam, & ſibi,& ſuæ excepto familiæ,tamdem inſtruxit illum,quibus ſacrificijs ſe Deum vnum coleret. Hinc in ſua ampliſsima familia primus exſtitit Monarcha: ſolumque Melchiſedech ſuperiorem agnouit, ac ab eo,quaſi minor à maiore,fuit, iuxtà mox dicta,benedictione cumulatus. Obijt Abrahamus,& Iſaac eius filius omni hæreditate,ac benedictione paterna accepta, ſimili modo præfuit ſuis, & Eccleſiæ ſummus exſtitit Patriarcha. Habebat Iſaac duos filios vterinos, Eſau, ſcilicet, natu maiorem,& Iacob; ille parui faciens primogenituræ illuſtre illud ius, quo iam à Noë,in Sacerdotio,& Pontificatu primogeniti per ordinem patribus ſuccedebant, huiuſmodi prærogatiuam,cum Iacob fratre,vili edulio commutauit:& Iacob prærepta inde paterna benedictione,in huiuſmodi Sacerdotio legitimus Monarcha ſucceſsit.

13 Et quidem Alcuinus Quæſtion.in Geneſim, referens, ex Hieronymo, quam de Melchiſedech ſupra attulimus ſententiam, cum eo addit ex Hebræorum ſenſu, hoc ius, & hanc Sacerdotij prærogatiuam,eſſe primogenita, quæ Eſau fratri ſuo Iacob vendidit: vnde congruè fuit ab Apoſtolo,profanus,appellatus. E duodecim poſtea Iacob filijs, omnibus verę religionis cultoribus Leui in Sacerdotio fuit patri ſubrogatus:poſt hunc Caath,poſt Caath; Amram pater Mōſis, & Aaronis perpetua ſucceſsione Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principes exſtiterunt. Hæc ſecunda Monarchia in terra peregrinationis,annis quadringẽtis triginta, à tempore promiſsionis factæ Abrahamo, vſque ad exitum filiorum Iſrael de Aegypto continuata eſt.

14 Ec-

14 Eccleſiæ tertia Monarchia, ab exitu Iſrael de illo populo barbaro, perſtitit vſque ad Chriſtum Seruatorem noſtrum: cuius ſummorum Pontificum Catalogum, ordine illo, quo ab Aarone, ad poſtremum Ieroſolymitanum excidium, alijs alij ſucceſſerunt, referunt Ioſephus, & plurimi ex modernis Scriptoribus, ibi videndus.

De prædictionibus Monarchiæ Eccleſiaſticæ præſentis.
Cap. XXIII. §. 1.

EXSTITISSE igitur Eccleſiaſticum Monarchicum regimen à mundi origine, iam facto, & rebus geſtis declaratũ eſt: at ſi de noſtra Catholica Monarchia præſentis Eccleſiæ ſermo ſit, habemus expreſſam ipſius promiſsionem, tamquam de re optima, ingentique Dei munere, ac beneficio, cuius prælectione, & conſideratione, antiqui populi Hebræi patres longam ſuã exſpectationem ſolabantur. Et primò Regius Vates Pſalm 2. de Chriſto futuro Eccleſiaſticæ Monarchiæ fundatore, inſtitutore, & capite, ſic loquitur, ſub illius perſona; [Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius; prædicans præceptum eius.] Et æterna ſua generatione declarata, ſubditur, ſub perſona æterni Patris, [Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. &c. Reges eos in virga ferrea. &c.] & additur. [Et nunc Reges intelligite; erudimini, qui iudicatis terram.]

2 Ecce admonitio, ecce exhortatio generalis ad Monarchicam, ad Ariſtocraticam, ſeu Oligarchicam, & ad Democraticam gerentes ſeculares adminiſtrationes, miniſterialiter Dei Locumtenentes: quibus præcipit: [Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus. &c.] Ezechiel. cap. 37. [Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum ſuam. Et faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Iſrael: & Rex erit vnus omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.] & infra: [Seruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor erit vnus omnium eorum.]

3 Daniel, cap. 2. poſt quattuor Monarchiarum mẽtionem, de quibus ſupra retulimus, ſubdit: [In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum. Secundùm quod vidiſti, quòd de monte abſciſſus eſt lapis ſinè manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Deus magnus oſtendit regi, quæ ventura ſunt poſtea, & verum eſt ſomnium, & fidelis interpretatio eius.] Oſeæ c.

1. habetur, [Congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter: & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.]

4 Tandem Chriſtus IESVS harum omnium Monarchiarum inſtitutor, & auctor, priorum in lege naturæ, & ſcripta, quatenus Deus, & futurus homo, vltimæ quatenus Deus ſimul & homo in vna exiſtens Diuina perſona, Ezechielis ſupraſcriptam Prophetiam elucidans, explicans, exſequenſque, & quod exſequendum reſtabat, futurū omnino confirmans, Ioan. cap. 10. ſic loquutus fuit: [Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.]

5 Ex quibus Propheticis locis, fortiſſima argumenta, ad confirmandam Monarchiam Eccleſiæ Catholicæ, deſumuntur. Circa locum Pſalm. 2. noſcimus, Chriſtum Dominum conſtitutum fuiſſe Regem, fuſum, ſeu vnctum, ſeu inauguratum, vt explicat Hebraicum verbum Melchi, Regem, videlicet, non quemcumque, ſed illo ſignificatum rege, cuius diadematum nomen ibi referebatur, ſcilicet Melchiſedech: ad quem omnino alluſit Pſalmus, qui fuit, & Rex, & Sacerdos: vt ſupra explicatum eſt: de quo Pſalm. 109. habetur: [Tu es Sacerdos in æternum: ſecundùm ordinem Melchiſedech.] Agitur ergo ibi de illo Rege, cuius typus eſſet Melchiſedech. Noſcimus etiam Chriſtum vnctum, ſeu inauguratum fuiſſe Regem ſuper Sion, hoc eſt Eccleſiam, cuius initium, fundamentum, & mater eſt Sion: dicente Iſaia, c. 2. [De Sion exibit lex. &c.]

6 Quòd ſi Ieruſalem eadem erat, licèt auctior ciuitas, quæ olim Salem regia Melchiſedech, vt Chaldaicæ placuit interpretationi, Geneſ. c. 14. & affirmat Hieronymus, Epiſt. ad Euagrium, ſenſiſſe ſex Commētatores Græcos grauiſſimos, alluſio regni Chriſti ad illius regnū mirificè currit. Huius Ieruſalem erat Sion mons biiugus, in cuius vno colle erat arx Dauidis, in alio templum Salomonis: vtroque enim Magiſtratu Eccleſia cōtinetur, munitur, & viget. [Super mōtem ſanctum eius:] ſcilicet, Patris: ſiue Chriſti; nam & Hebraicè habetur, meum, quod eſt certè idem: namque mons eſt ſacer Patri, & Filio, qui eſt cum Patre vnus Deus. Finis autem huius vnctionis Chriſti in Regem, & Sacerdotem, [prædicans, inquit, præceptum eius:] vt, ſcilicet, enarrem Dei ſtatutum, & decretum. Ecce, inter alia, neceſſitas conſtituendi Chriſti in Regem, & Sacerdotem in mundo: vt, ſcilicet, doctrinam Euangelicam, ac cæleſtem mundo narraret, prædicaret, annunciaret, & diuulgaret: vt Sacerdos, & iuſtitiæ præco; & quatenus Rex Omnipotens, iuxta ſuæ voluntatis conſilium, illius aſſiſteret protectioni, contra quorumcumque Monarcharum, Potentatuū, Optimatum, ſiue populorum violentam contradictionem. Vnde illos ſtatim admonet, de ſuæ huius tantæ Monarchiæ potentia, addens: [Et nunc Reges intelligite; erudimini. &c.] vſque ad Pſalmi finem.

7 Eamdem Monarchiam Eccleſiæ, per Chriſtum erigendam, ſignificauit

Digitized by Google

uit idem regius Vates Pſalm.citato 109.cùm dixit: [Tu es Sacerdos in æternum: ſecundùm ordinem Melchiſedech.] Ecce qualiter promittit Deus Pater Deo Filio, homini facto, quòd antiquato Sacerdotio, & Pontificatu tertiæ Aaronicæ Monarchiæ, æternum hoc Euangelicum eſſet ſubſtituturus Sacerdotium: ſecundùm ordinem, vel negotium, quod etiã explicat verbum Hebræũ, Melchiſedech. Ordo igitur, & negotium in eo erant: primò fuit rex Salẽ, ideſt, pacis, & iuſtitiæ: ſecundò fuit Sacerdos Altiſſimi, ac Pontifex Monarcha, offerens panem, & vinum, incruentum ſacrificium inter Chananæos, & Hebræos, ea communicaturis fideliter diſpenſando: tertiò fuit benedicens vtrique populo, ante legem datam, proque eis interpellans; ſeorſum autem Abraham, & eius poſteris: quartò ab eis decimas accipiens: quintò ex Apoſtolo; [ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens:] ſacris litteris, ſcilicet, expreſſa.

8 Hic ergo eſt ordo, hoc eſt Chriſti negotium, hic eſt ritus, iuxta quæ regnat in Eccleſia vera Salem, iuſtè, & pacificè. Eſt primò Sacerdos, & Pontifex ſummus, aſſiduè pro nobis, è Iudæis, & Gentibus collectis, apud Patrem in cælis interpellat: ſecundò ſe, ſub panis, & vini ſpeciebus, incruentè Deo offert; (immò & inde exorſus fuit ſuũ Sacerdotiũ, ex Theodoreto,) & fidelibus diſtribuit; tertiò affert in terris benedictionẽ vtriq; populo, gratiam, ſcilicet, Dei, & peccatorum remiſſionem: quartò in terris natus ſine patre, in cælis ſine matre: æternus à parte principij, & finis: cuius generatio, & ineffabilis, & incomprehenſibilis eſt: denique verus Rex, & verus Sacerdos, cui nullus vmquam in eius locum ſuccedet: vt verus rex legibus, & armis congruis ſalutem, & pacem ſuorum: aduersùs hoſtes viſibiles, & inuiſibiles, tuetur, & conſeruat: vt verus Sacerdos ſalutari religione, & Diuinarum rerum notitia populum imbuit, eiuſque peccata donis, & ſacrificijs expiat iugibus, Deũq; pro ipſorum ſalute continenter deprecatur. Ecce collatio Melchiſedech, & Chriſti, à nomine, genere, loco, conditione, ritu ſacrificandi, deſumpta eſt.

9 Daniel loco citato, hanc æternam Chriſti Monarchiam, ſecundùm ordinem, ac negotium Melchiſedech, vocat etiam regnum æternum, cui nullum aliud ſuccedet: regnum, videlicet, & Monarchiã Eccleſiæ, cuius effectum, eſſe ait, futurum, vt cùm ſit Diuinum, comminuat, & conſumat regna, & Monarchias illas, de quibus fuerat loquutus: vt ſciamus, in regnis, & Regibus terrenis, ſub hoc æterno regno, & Rege militaturis, quicquid illius cæleſtis, & Euangelicæ legis ſtatutis, decretis, ac ordinationibus contrarium eſt, quantumuis aurum, argentum, æs, ferrum priorum Monarchiarum redoleat, & ſapiat, eſſe funditùs diſſipandum.

10 Quòd ſi quærat aliquis, qua ratione de Eccleſiaſticæ præſentis Monarchiæ efficacitate à Daniele prædicatur, aurum, argentum, &c. præcedentium Monarchiarum diſſipaturam? quæ omninò eſſe deſierant;

 reſpon-

Digitized by Google

reſpondemus,earum adhuc reliquias remanſiſſe: quæ per Chriſti regnũ, & Monarchiam,eſſent vltimò debellandæ. Remanſerunt certè reliquiæ: quià remanſerunt Dæmones,qui maiori ex parte Monarchias Chaldæorum,& Aſſyriorum,Medorum,& Perſarum,Græcorum denique ſub Alexandro Magno,ad vitia plurima excitabant; permittente Deo, etiam ob ſcelus populorum ; qui adhuc non ſunt à ſua arrogantia deiecti,necdum ſunt omninò ad vltimum ſupplicium demandati,ignem,videlicet, inferni,qui,vt Chriſtus ipſe dixit,Matth.cap.25.eſt Diabolo,& eius angelis præparatus . Huius ergo vitia, & Monarcharum,cùm in terris regnarent, prædixit Daniel regnum Chriſti comminuturum : vt arrogantiam Aſſyriorum,humilitate:Medorum,& Perſarum doloſitatem, fraudem,& aſtutiam,qua rebellarunt contra Aſſyrium, ſimplicitate , rectitudine,& obedientia: Græcorum impetum , & ferocitatem, qua nec iam deuicto Dario, pepercerunt, ſuſtinentia, & patientia; Romanorum verò ſuperſtitionẽ,& auaritiam paupertate,& fide,quam docuit, quamq; per orbem Apoſtoli prædicarũt,eorumq; etiã hodie profitentur ſucceſſores.

11 Per hos tamdem Chriſtus Dominus iugiter comminuit , & vſque in ſeculi finem comminuet omnia regna hæc , quæ in filijs,ſecundùm vitia adhuc intelliguntur perdurare. Hac enim ratione præmiſit: [In diebus autem regnorum illorum;]& non, In diebus Romani Imperij, quod ſimul,ex parte,hæ antiquæ Monarchiæ in pranis , ac ſimilibus exſtarent, & exſtent in Paganis,Sarracenis,Turcis, Hæreticiſque: ac primorum Romanorum vitia Imperatoribus etiam multis adhæſerint poſterioribus; neque alio quã lapide abſciſſo deſuper de monte ſine manibus abolenda : Hic eſt Chriſtus Dominus , hic eſt Petrus eius Vicarius , hic eſt ſummus Romanus Pontifex eius ſucceſſor , cui regni huius Monarchici eſt omnis cura,ac ſolicitudo commendata .

De exhibitione præſentis per Chriſtum Eccleſiaſticæ Monarchiæ. Cap. XXIV. §. 1.

CHRISTO Domino humani generis Saluatore adueniente,quarta illa Monarchia ceſſabat,vltima verò inſtituebatur:quæ ortum habens in Petro Apoſtolorum Principe,in eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ad hæc vſque tempora durauit : eſtque inuitis inferorum portis , ad ſeculi conſummationem duratura : Nullius enim alterius regnum in æternum non diſſipandum, prophetauit Daniel, niſi Chriſti Domini , cuius regni nullum futurum finem Angelus Luc.c.2. Virgini Mariæ nunciauit . Quod ipſum declarauit Chriſtus,quando Pilato apud Ioan. cap. 18.reſpondit: [Regnum meum non eſt de hoc mundo.Si ex hoc mundo eſſet regnum meum,mini-

niſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc.] Hoc eſt, vt ſupra dicebamus, à mundi caducâ potentia non pendet, nec terrenis, ſed ſpiritualibus viribus firmatur; ſpirituale eſt, ſpiritualibus vtitur, & ſpiritualium menſuram habet æternitatem. Denique diſcors omninò, & diſſona à regnis mundi eſt hæreditas, quam Pater æternus voluit adire, & cernere Chriſtum eius dilectum Filium, quando illum conſtituit hæredem vniuerſorum: cùm ex præfato Daniele, dederit ei poteſtatem æternam, & regnum haud corruptioni obnoxium: vtpote contrario carens, cùm ſit ipſiſſima pax, vnitas, & concordia: omnibus vni Chriſto obedientibus, & Chriſto vno omnibus imperante.

2 Volens igitur Chriſtus Dominus omnes electos ſecum regnare, homo factus, inter homineſq; viſus, & conuerſatus; [fecit nos Deo noſtro,] vt ait Ioan. Apocal. cap. 5. [regnum, & Sacerdotes;]dum, etiam in vita præſenti, ſupremi Regis nos participes effecit, donorum ſpiritualium influxu: quem ab inſtitutis à ſe Sacramentis pendere ordinans, Miniſtros, vt ad noſtrum deueniamus intentum, viſibiles ordinauit: vt regnum ſpirituale, natura inuiſibile, ſignis, & miniſterio viſibile fieret, & ad maiorem electorum firmitatē: & quò à vaniſſimo mundi huius regno, & Diaboli cœtibus, Sanctorum Eccleſia diſcernatur. Hoc ergo tantum, tamque excellens Chriſti regnum, quatenus viſibile eſt, & per fidem in eo ambulamus, includit Rempublicam Chriſtianam, cum Decalogi, ac Euangelij legibus: comprehendit Sacramenta viſibilia, rerum inuiſibilium Symbola: continet miniſterium Hierarchicum, & Politicū; omnia à Chriſto ordinata, ab Apoſtolis vſque ad noſtra tempora conſeruata à veris fidelibus: & à futuris, ſi Catholicæ Eccleſiæ membra eſſe velint, tenore ſimili conſeruanda.

3 Eſt ergo Chriſtus Dominus datus à Deo Patre caput ſuper omnem Eccleſiā: Epheſ. c. 1. eſt caput corporis Eccleſiæ, 1. ad Corinth. cap. 15. & ad Coloſſ. cap. 1. eſt caput totius orbis, ex Pſalm. 2. & Matth. cap. 28. eſt caput omnis viri. 1. ad Corinth. cap. 11. attamen eſt caput, & Rex immortalis, & inuiſibilis, vt habetur ex Paulo ad Timoth. ſæpè: eſt Imperator immortalis, vt conſtat paſſim in Ioannis Apocalypſi: eſt Pontifex immortalis, vt dicitur ad Hebr. cap. 6. Vnde ſuo corpori myſtico, Eccleſiæ, videlicet, mortali, & viſibili in ſtatu militanti, oportuit, vt de capite prouideret viſibili: cùm in poteſtatibus à Deo congruentiſſimè ordinatis, ex Paulo ad Rom. cap. 13. corpus viſibile, caput etiam à quo regeretur, viſibile poſtularet.

4 Quo circa fides Catholica docet, D. Petrum Apoſtolum Eccleſiæ vniuerſæ Principem, ſummum Pontificem, ac Paſtorem fuiſſe à Chriſto Saluatore conſtitutū. Habetur hæc doctrina Matth. c. 16. Rogāte namq; Chriſto ſuos diſcipulos; [Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens

Simon Petrus dixit; Tu es Chriſtus filius Dei viui. Reſpondens autem IESVS, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.] Item Luc. cap. 22. quod 2. Parte ſupra latè explicuimus: [Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquãdo conuerſus, confirma fratres tuos.] & Ioan. c. 21. [Cùm prãdiſſent, dicit Simoni Petro IESVS, Simõ Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiã Dñe; Tu ſcis, quia amo te. Dicit ei; Paſce agnos meos. Dicit ei iterùm: Simõ Ioãnis diligis me? Ait illi: Etiam Dñe, Tu ſcis, qa amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simõ Ioãnis amas me? Cõtriſtatus eſt Petrus, qa dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei: Dñe tu omnia ſcis; tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce oues meas.]

5 Hoc idẽ ſupra collegimus ex Act. c. 3. quando claudũ ſanauit Petrus, ad portam templi Speciosãm. Et cap. 5. Ananiam, & Sapphyram ſubita caſtigauit morte. Capit. 15. in primo Concilio Ieroſolymitano, primus Petrus, tamquam Primarius, ſententiam dixit: cui omnes Patres Conciliares conſenſerunt. Et cap. 18. Paulus Ieroſolymam aſcendit, Petrum videre: de ſua etiam cum eo Euangelica doctrina collaturus. Ac tamdem cap. 14. ſuæ ſummi Pontificatus functionis clarum Petrus ſpecimen dedit; quando, [Stans cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & ſic loquutus eſt: [Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem vniuerſi, &c.] His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, &c.]

6 Immò maxima animaduerſione dignum eſt, pro ſatisfaciendo argumento eorum, qui omnes Apoſtolos, æquales in omnibus contendunt fuiſſe: hac eximia præfectura D. Petro, & eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus denegata, quod alibi etiam infra attingimus: nihil cum Petro, & ceteris eius Coapoſtolis fuiſſe à Chriſto Domino excellenter geſtum, quod ſigillatim ab eodem cum Petro non fuerit actitatum. Orauit Dominus, Ioan. c. 17. pro omnibus Apoſtolis, Patrem, dicens, [Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo: ſed pro his, quos dediſti mihi, &c. Non rogo, vt tollas eos de mundo: ſed vt ſerues eos à malo:] Lucæ verò c. 22. ad Petrum ſic loquitur Chriſtus, [Ego rogaui pro te: vt non deficiat fides tua.] Matth. c. 4. promiſit omnibus Apoſtolis ſic: [Faciam vos fieri piſcatores hominum:] Lucæ verò cap. 5. promiſit Petro: [Ex hoc iam eris homines capiens.] Marc. c. 14. cùm paulò ante paſſionem ſuam oratum introiſſet hortum, tres diſcipulos aliquantulum prætergreſſus; qui-

bus

bus vigilare iniunxerat,eoſq;,dum rediret, inueniens dormientes,ad omnes quidem dixit: [Vigilate,& orate, &c.] ad Petrum autem: [Simon, dormis? Non potuiſti vna hora vigilare?] Marc.cap.vlt. præcepit omnibus Apoſtolis:[Euntes in mundum vniuerſum,prædicate Euangelium omni creaturæ:] Ioannis verò c.21.præcepit Petro: [Paſce oues meas.] Ioann.c.20. communicauit illud grande imperium Apoſtolis omnibus : [Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:]Matth.verò cap.16. ſic hoc imperium ſpeciali ratione Petro communicauit: [Tibi dabo claues regni cælorum . Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cęlis ; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum,& in cælis .]

7 Huius ſpecialis Petri Apoſtoli poteſtatis memor Angelus, Marci cap.vlt. Chriſti Domini reſurrectionem ſanctis illis annuncians mulieribus,& iniungens eis, ſicuti Apoſtolis indulgens,vt eos de tanto myſterio certiores facerent:[Ite,] addidit,[dicite diſcipulis eius:] quò tamen intelligerent, corpus illud Eccleſiæ haud ſine capite remanſiſſe: ſubiunxit ſtatim,[& Petro,quòd præcedet vos in Galilęam:]quaſi clarè ſignificans,muneris eſſe Petri,diſperſos cõgregare diſcipulos,quo nouus viſibilis Paſtor,& Epiſcopus Eccleſię cũ ſuis ouibus in Galilæã pergeret, ab immortali Paſtore, & animarũ Epiſcopo Chriſto Domino tã ſibi, quã illis,vale vltimum,ſolemni,ac magnifica cum benedictione,recepturus .

8 Hæc omnia manifeſtè arguunt,Chriſtum aliquid magnum,& ſingulare, tamquam ſuæ fidei confeſſionis proprium præmium, Petro & promiſiſſe primò, & poſtea conceſſiſſe : quod nihil eſt aliud, quàm illa eximia,& excellens dignitas,ac, inter ceteras Apoſtolis collatas, ſingularis: vt ſuper eum Eccleſiam ſuam fundaret; id eſt, eum Eccleſiæ ſuæ Caput conſtitueret: ſuumque in ea Vicarium efficeret. Erat hoc præcedenti, de qua ſuperiùs dicebamus, Abrahami figuræ cõuenientiſſimum: vt quẽadmodum Chriſtus duodecim Apoſtolos ad ſimilitudinem duodecim Patriarcharum elegerat , ita vnum , veluti Abrahamum eligeret : qui, propter maiorem fidem,omnium erigeretur caput; & vt Abrahamus veteris, ita Petrus Euangelicæ Eccleſiæ fundamentum iaceretur .

Probatur doctrina præcedentis Capitis,ex SS. Patribus,& Eccleſiæ Doctoribus. Cap. XXV. §. 1.

HANC veritatem docuerunt omnes Patres,tam Græci, quàm Latini : ſic Clemens, Epiſt. 1. ſcribens: [Simon Petrus verè fidei merito,& integrę prædicationis obtẽtu , fundamentum Eccleſiæ eſſe definitus eſt .] Vocans eum deinde , Primitias electionis Domini . Dionyſius Areopagita cap.3.de Diuin.nomin.[Aderat Petrus ſu-

pre-

remum decus, & antiquiſſimum Theologorum columen.] Hippolytus Oration.de Conſummat.mundi: [Princeps Petrus fidei petra, quem Beatum indicauit Chriſtus Deus noſter. Ille Doctor Eccleſiæ, ille primus diſcipulorum: qui regni claues habuit,&c.] Origenes Homil.5.in Exodum: [Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſsimæ,ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam,&c.] Ad Pſal. 1. [Petrus ſuper quem Chriſti Eccleſia, contra quam inferorum portæ non præualebunt, ædificata eſt.&c.] Homil.17. in Lucam: [Ergò ſcandalizati ſunt vniuerſi, in tantum, vt Petrus quoque Apoſtolorum Princeps tertiò denegarit.] ad cap.6.ad Rom.[Et Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur,& ſuper ipſum,velut ſuper terram,fundaretur Eccleſia; nullius cõfeſsio virtutis alterius ab eo, niſi Charitas exigitur.] Euſebius Alexandrinus explanans illud: [Dicite diſcipulis eius, & Petro:] Hom. de Reſurrectione: [Veni, inquit, ne timeas: nihil tibi de gloria Apoſtolici Chori minui: non te à dignitate remoui: non feci te ſecundum infra alterum: non dedi alteri claues: ne timeas, quod promiſi, impleo: ſuper tuam fidem, quæ ſit petra, ædificabo Eccleſiam meam.] Euſebius Cæſarienſis loquitur conſequenter, Eccleſ. hiſtoriæ, lib.2. capit.13.& 14.& in Chronicis, [Petrus, inquit, Romanorum Pontifex Primus, cùm primùm Antiochiæ Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur.]

2 Concilium Nicænum I. Canon 39. Arabico, [Ille, qui tenet ſedem Romæ, Caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipſe eſt primus: ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum: vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini, ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicumq; contradixerit, à Synodo excommunicatur.] Videndus Athanaſius, Epiſt.ad Felicem. Dorotheus Tyrius in Synopſi. Baſilius Magnus ad cap.2.Iſaiæ.& in proœmio de Iudicio Dei, vbi ſic ait: [Beatus Petrus, qui & ceteris antelatus fuit Diſcipulis, cuique magnificentiùs, quàm reliquis omnibus datum teſtimonium eſt: magiſque, quàm reliqui omnes, Beatus appellatus; cui claues regni cæleſtis commiſſi.] Idem docet Orat.3. de Peccato. & lib.2.cõtra Eunomium. & in proœmio Præceptionum latiùs diſputatarũ. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech.11.[Omnibus Apoſtolis reticentibus, ſupra vires enim hæc erat doctrina, Petrus Princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco, non comminiſcens ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Patre Deo in mente illuminatus, dicit ad ipſum: Tu es Chriſtus Filius Dei viui.] Idem ſentit Catech.17. Et Efræm Syrus in Panoplia. ſiue armatura ſpirituali; & item de Varijs tormentis inferni. appellat Petrum, Apoſtolorum Principem, & verticem. Et ſermone de Transfiguratione Domini: [Sicut Moſes, inquit, Societatis illius,& cõiunctionis Hebræorũ, iuſsis Dei, Princeps fuit, ita Petrus Eccleſiæ Chriſtianorũ: atq; vt ille veteris, ſic hic noui Teſtamẽti Princeps.]

3 Gre-

3 Gregorius Nazianzenus videndus, Orat. 7. ſeu Apologetico ad patrem Gregorium, cùm Epiſcopus Saſimorum creatus eſt. & Orat. 26. quę eſt, de Moderatione in diſputationibus ſeruanda. Epiphanius hæreſi 51. & in Ancorato. Ioannes Chryſoſtomus Orat. 5. in Iudæos. & Orat. Encomiaſtica in Petrum, & Paulum. & Hom. in Petrum Apoſtolum, & Eliam Prophetam. & Homil. 33. & 85. in Matth. & Homil. 87. in Ioan. & Homil. 80. ad populum Antiochenum. & Homil. 9. ad Pœnitentiã. & ſuper Pſal. 50. Philo Carpathius ſuper illis verbis Canticorum: [Caput eius aurum Cephas.] Nilus Epiſt. ad Euſebium. & Epiſtol. ad Magnam. Ioann. Caſſianus de Incarnatione Domini. lib. 3. capit. 12. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 12. & 4. cap. 28. & 10. cap. 41. & 12. cap. 64. & lib. 14. Theſauri. capit. 2. Maximus Conſtantinop. Patriarch. Epiſt. ad Orientales. Paulus Emiſſenus Homil. habita Alexandriæ, de Chriſti Natiuitate, deque Beati Cyrilli, qui ibi præſto erat, præſtantia, & fide. Baſilius Diaconus, & Archimandrita Epiſt. ad Theodoſium, & Valentinianum AA. Iſidorus Peluſiota libr. 1. Epiſtol. 142. & 285. & libr. 2 Epiſtol. 58. & 99. Sozomenus, lib 7. c. 4. Theodoret. ad cap. 1. ad Galatas, Baſilius Seleucius Serm. 1. & Serm. 4. in Dauidem.

4 Synodus Chalcedonenſis Actione 3. ſic habet: [Ter Beatiſſimus, & omni laude dignus, Beatus Petrus Apoſtolus, qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectę fidei fundamentum.] Galla Placidia Epiſt. ad Theodoſium Imperatorē. Victor Antiochenus ad Marci; cap. 3. & 8. Iuuenalis Epiſcopus Ieroſolymitanus Epiſt. ad Presbyteros Palęſthinos. Epiſcopi Orientales ad Symmachum Papam: [Sicut, inquiunt, docuit glorioſus Apoſtolorum Princeps Petrus; cuius Cathedram Beatitudini tuę credidit Chriſtus.] Andreas Cęſarienſis ad cap. 13. & 21. Apocalyp. Anaſtaſius Imper. Epiſt. ad Hormiſdam. Procopius Gazæus ad cap. 62. Iſaiæ. Andreas Cretenſis Orat. de Transfiguratione Domini. Euagrius lib. 2. cap. 4. Sophronius Ieroſolymitanus De laboribus, certaminibus, & peregrinationibus ſanctorum Petri, & Pauli. Maximus Monachus Dialog. de Incarnat. Verbi. Stephanus Dorenſis Epiſt. ad Martinum Papam. Conſtantinus IV. Imper. in Edict. pro 6. vniuerſali Synodo. Germanus Conſtantinop. in Theoria rerum Eccleſiaſticarum. Ioannes Damaſcen. Orat. de Transfiguratione Domini. & Hiſtoriæ Barlaam capit. 11. Elias Cretenſis in Orat. 1. Nazianzeni. Conſtantinus, & Irenes. AA. ad

5 Synod. 2. Nicęn. & ibi Can. 4. [Pręcepit enim & Petrus Apoſtolus ſummus, Paſcite gregem Domini, Epiſcopatum gerentes non per vim, ſed ſponte, ac voluntate, ſecundùm Deum.] Theophanes Cerameus Sermone de SS. Apoſtolis. Theodorus Studites Epiſt. ad Paſchalem Papam. & Epiſt. de Imaginibus. Methodius Conſtantinop. in Martyrio Dionyſij Areopagitę. Michael Syngelus in Dionyſio Areopagita. Ignatius Cõſtantinopol. Epiſt. ad Adrianum II. Leo VI. Imper. in Serm. de Petro. Theo-

phy-

phylactus ad cap.16.Matthæi,& ad c.22.Luc.& ad c.22.Ioann.& ad c.1. Epiſt. ad Galat. Simeon Metaphraſtes, in vita Iacobi Apoſtoli, & in Encomio Ioannis.Pſellus in Cantic.ad illud,[Crura eius ſunt colũnæ marmoreæ :] per crura, inquit, Petrum intellige Apoſtolorum Principem, ſuper quem Dominus in Euangelio Eccleſiam ſe ædificaturum promiſit.

6 OEcumenius ſequitur, ad cap. 1. Actuum, & ad c.1. Epiſt.ad Galatas. Euthymius ad cap.16.Matth.& ad cap.21.Ioann.& ad c.16.Marci. Georgius Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum,fol.375.Nylus Theſſalonicenſis de Primatu Papæ. Theodorus Balſamon ad Canon. 16. Synod.Carthaginen.Nicephorus Calliſtus lib.2.Hiſtor. cap.14.& 44.Gennadius Scholarius de Primatu Papę, ſect. 2. Gregorius Trapezuntius ad illud Ioãnis:Sic eũ volo manere,&c.Zaga Zabo,Epiſcopus AEthiops in Confeſſione fidei AEthiopicæ. Et tamdem Ieremias Patriarcha Conſtantinopolitan.reſpon.2.cap.de Iuſtitia fidei, & bonis operibus. & reſpõſion. 3.qui omnes,alius hoc,alius illo dicẽdi charactere,Petrum eſſe Principem Apoſtolorum,& fundamentum Eccleſiæ, confitentur.

7. Nec Patres Latini fuere ſegniores in hoc Petri aſſerendo Primatu, eum admittit,& deſcribit Tertull. de Prę́ſcript. Hæreticorum, c. 22. de Monogamia.cap.8. & de Pudicitia.cap. 21.Cyprianus Epiſt. 40. & 55. & 69.& 70.& 71.& 73.& de vnitate Eccleſiæ Catholicæ.& Exhortatione ad Martyrium.cap.11.Zeno Veronen.Serm.de Circumciſione. Marcellus I. Epiſt. 5. Melchiades Epiſt. ad Epiſcop. Campaniæ. Iulius I. Epiſt. 1.ad Epiſcopos Orientales. Hilarius ad Pſal.131.& in Matthæum, Canon.16.Ambroſius Sermon. 11.de Mirabilibus.& Sermon.47.& 68.& ad cap.24.Luc. & ad cap. 1. & 2. Epiſt. ad Galatas.& ad cap. 12.poſterioris ad Corinthios.& in Hymno inquit (de gallo)

Hoc nauta vires colligit, *Hoc ipſa Petra Eccleſia*
Pontique miteſcunt freta, *Canendo, culpam diluit.*

Prudentius Hymno de S.Laurentio.

Et iam tenemus obſides *Alter vocator Gentium,*
Fidiſsimos huius ſpei: *Alter Cathedram poſsidens*
Hic namque iam regnant duo *Primam, recludit creditas*
Apoſtolorum Principes: *Aeternitatis ianuas.*

8 Optatus Mileuit. cõtra Donatiſt.lib.2.& lib.7.Patianus Epiſt. 3.ad Symphro.Damaſus Epiſt.2.SyritiusEpiſt.4.Hiero.ad Pſal.13.& ad c.16. Matthæi.&ad c.2. Epiſt.ad Galat.& lib. 1.aduersùs Iouinianum. c.14.& lib.1.Dialog.aduersùs Pelagianos.c.4.& Epiſt.54.ad Marcell.& 89. ad Auguſtinum.c.2. Auguſtinus ipſe q. 75. Veteris, & noui Teſtamenti. & Tractat.56.& 124.in Ioann.& de Baptiſmo, contra Donatiſtas. lib.2.c. 1. & Sermone 5.in feſto Petri, & Pauli. & lib.1.Retractat.cap.21. Innocentius I.Ep.ad Victricium.Paulinus Nolanus Natali 4.S. Felicis. Maximus Taurinenſis Hom. 1.in natali Petri, & Pauli,& Hom.3.de iiſdem.

9 Phi-

9 Philippus Presbyter in Concilio Epheſino, tom.2.c.16.[Nulli dubium, immò ſeculis omnibus notum eſt, Sanctum, Beatiſſimumq; Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, fideique columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamētum à Domino IESV Chriſto Saluatore noſtro, humaniq generis Redemptore cæleſtis regni claues accepiſſe: ſoluendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat vſum fuiſſe: nec non per ſucceſſores ſuos, hucuſque ſemper viuere.]Sixtus III.de malis Doctoribus,& operibus fidei. Petrus Chryſologus Serm.78. & 107.& 154. Arnobius Romanus ad Pſal.138.Eucherius Lugdunenſis in vigilia ſancti Petri:[Dicit, inquit, ei, Paſce oues meas: prius agnos, deinde oues commiſit ei: quia non ſolùm Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos, paſcit, & oues: paſcit filios, paſcit & matres: regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt: quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.]

10 Leo Maximus Serm.2. in Anniuerſario die ſuæ Aſſumptionis. itē Serm.3.& Homil.de Transfiguratione. & Epiſt.81. & 89.cap.1. Proſper Aquitanicus de Vocatione gentium.lib.2.capit.28.Felix III.Epiſt.1.ad Petrum Epiſcopum Antiochenum.Gelaſius Epiſt.11. ad Epiſcopos Dardaniæ. Poſſeſſor Epiſcop.Epiſt.ad Hormiſdam Papam. Aurelius Caſſiodorus lib.de Amicitia.capit.Quali diſcretione benefaciendi ſunt amici. Arator Hiſtor. Apoſtolor.lib.1.& lib.2.Pelagius Epiſt.1.ad Vigilium Epiſcopum. Ioannes III.Epiſt.ad Epiſcopos Germaniæ,& Galliæ.Gildas Sapiens Correptione in Eccleſiaſticum ordinem. Fortunatus lib.3. Carminum in honorem Petri, & Pauli Apoſtolorum. & lib.11. ad Chilpericum Regem. Gregorius Magnus lib.1.Epiſt.24. & lib.3.Epiſt.33.& lib.4.Epiſt.32.& lib.6.Epiſt.37.& Homil.21. ſuper 16.cap. Marci.Iſidorus Hiſpalenſis de Vita,& morte Sāctorum. cap.69.& de Officijs Eccleſiaſticis.lib.2.c.5.Ildephonſus Toletanus Serm.5.de Aſſumptione B.Marię.Adelhelmus de Laudibus Virginitatis, ad ſacras Virgines cap.28.& Epiſt. ad Gerunthium. Agatho Epiſt. ad Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium AAA. Iulianus Pomerius contra Iudæos lib.3. Aponius lib.2. in Cantica.Beda ad cap.22. Lucæ.& ad cap.13. Ioannis, & Homil in vigilia Apoſt.Petri,& Pauli.& Homil.in die ipſorū.Zacharias Papa Epiſt. ad Vittam. Alcuinus ad cap.21.Ioannis.Stephanus II. Epiſt.ad Carolum,& Carolomannum Regem Francorum.Hadrianus I. Epiſtol.3.Haymo Dominica 2.poſt Paſcha. Valfridus Strabo de rebus Eccleſiaſt. cap. 22.Rabanus Maurus ad Matth.c.16.& ad c.vlt.Ioannis.Lupus Ferrarien. Epiſt.84.Nicolaus I. Epiſt.6.& Epiſt.ad Mediolan.Ioānes VIII.Epiſt.75.

11 Eulogius etiam Toletanus, in Memorial.Sanctorum, ſic loquitur: [Nam & B.Petrus Princeps Apoſtolorum, firmiſſimum Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, vtpotè cui ab ipſo Redemptore dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,&c.] Altercatio

Synagogæ,& Eccleſiæ cap.19. Luitprandus Ticinenſis lib.6.c.8.Smaragdus ad c.vlt. Marci. Leo IX. ad Michaelem Imperatorem, & Leonem Acridanum.cap.7.& Epiſt.ad Petrum, Epiſcop. Antiochen. Petrus Damianus Sermone 1.de B. Andrea Apoſtolo. Alexander II. in Concilio Romæ celebrato. Gregorius VII.lib. 8.Epiſt.21.Anſelmus ad caput. 16. Matthæi. Iuo Carnotenſis Epiſt.54. Honorius Auguſtodunenſis Sermone, de Petro,& Paulo.& Sermone, de Decollatione Ioannis Baptiſtæ.Rupertus Tuitienſis de Trinitate, & operibus eius. lib.1.c.25.& de Proceſſion. Spiritus ſancti.lib.9.c.28. Hugo Victorinus Sermone 64. de Apoſtolis Petro, & Paulo. Bernardus Serm.3. de Septem miſericordiarum fragmentis.& de Conſiderat.ad Eugenium lib.2.c.9.& Sermone 1.in die Petri,& Pauli,& Epiſt.237.ad Eugenium Papam. Otto Friſingenſis lib. 3. Chronicorum cap.15.Photo Prumienſis de Statu Domus Dei. libr. 1. Hugo Etherianus de Proceſſion. Spiritus ſancti. libr. 3. c.17. Guerricus Igniacenſis de Aſſumpt.B.Mariæ. Serm.4.& Serm. ad Excitandam deuotionem in Pſalmodiam. Godfridus Viterbienſis par. 14. Chronicorum. de Simone Petro. Adam Victorinus Proſa de Petro,& Paulo. & Proſa de S.Petro. Innocentius III. Serm.1. in feſto S.Gregorij Papæ.& lib.1.Myſteriorum Miſſæ.cap.8. Albertus Magnus ad c.10.& 16.Matthæi.S.Thomas lib.1. contra errores Græcorum. c 32. Poſt quem omnes DD. Theologi,tam ſuper ſacra Biblia, quàm de Theologia Scholaſtica ſcribentes Commentarios, eamdem Petro Apoſtolo, in Eccleſiam Catholicam, auctoritatem, & poteſtatem,aſſeruerunt: ſicuti & Iuriſprudentes.

12 Hinc benè docent dicentes, eſſe conceſſum Petro, vt inter omnes Prophetas,& Apoſtolos,primum, poſt Chriſtum, Eccleſiæ fundamentum ſit: & locum,& vicem illius abſentis replicet: nam illis verbis Chriſti, Matth.cap.16. [Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:] ſignificatum fuit abſque dubio,hanc ſe illi eximiam,& ſingularem dignitatem conceſſurum: vt ſuper eum Eccleſiam ſuam ædificaret: id eſt,eum Eccleſiæ caput conſtitueret, ſuumque in ea Vicarium faceret. Hinc credimus certiſſimè cum prædictis Doctoribus, orbem pugnaturũ eſſe terrarum pro Petro, contra Hæreticos impios, indoctos, & inſenſatos, hanc illi poteſtatem denegantes.

Petrum Apoſtolum Eccleſiam Romanam fundaſſe, gubernaſſe, ac ſuo ſanguine conſecraſſe,demonſtratur. Cap. XXVI. §. 1.

IMPII Hæretici Guillelmus quidam Ioan. Vuicleui preceptor, & Martinus Lutherus,& ſimilia mundi monſtra huic obſtrepant veritati: quorum Dogmata alij ex eorum Scholis malè ſani homines ſunt ſequuti: Petrum Apoſtolum nec Romæ fuiſſe Epiſcopum, neque ibi prædicaſſe, aſſeuerantes: contra quos extat manifeſta veritas,

vt

vt ex ſequentibus apparebit.

2 Fuit ergo hæc prædictio Sibyllæ ex Chaldęo ſermone in Græcum, & tamdem in Latinum tranſlata: quę ſic habet: [Elegit ſibi ex piſcatoribus, & delectis numerum duodenarium: vnumque Diabolum: (Iudam ſcilicet.) Non in gladio, belloue AEneadem vrbem, (Romam) Regeſque ſubijciet: ſed in hamo piſcantis: (ſcilicet Petri.) Citatur hæc Prophetia à Franciſco Petrarcha de Otio Religioſor. libr. 1. & ſubiungit, quæ Erythræ proculdubio Sibyllæ ſunt: vt quæ ex illius libro ad contextum elicui. Citantur eadem à S. Bernardino Senenſe, 6. par. Serm. 1. de feſtiuitate B. Mariæ, & ab Antonino in Chronicis. par. 1. tit. 3. c. 9. §. 1.

3 Aſſeruerunt hoc Patres Græci: Linus de paſſione Petri. Clemens Epiſt. 1. ad Iacobum. Papias in Explanationibus Sermonum Dñi. Egeſippus de Excidio Ieroſolymitano. lib. 3. c. 2. Dionyſius Corinthiacus Epiſt. ad Romanos. Irenæus lib. 3. cap. 1. & 3. Clemens Alexandrinus lib. Hypotypoſeon. Origenes lib. 3. in Geneſim. Petrus Alexandrinus de Pœnitentia. Canon. 9. Euſebius Cæſarien. in Chronicis. & Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 2. cap. 13. & c. 24. & lib. 3. c. 1. Athanaſius in Apologia de fuga ſua. Dorotheus Tyrius in Synopſi. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 6. Epiphan. hæreſi 27. Valentinianus, Gratianus, & Theodoſius A A A. de ſumm. Trinit. & Fid. Cath. Gregorius Nazianzenus Iambico 1. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 32. in Epiſt. ad Romanos. & in Encomio 12. Apoſtolorum. & in Encomio Petri, & Pauli. Ioannes Caſſianus de Incarnatione Verbi, lib. 3. cap. 12. Sozomenus lib. 4. cap. 14. & lib. 9. cap. 9. Theodoretus ad Pſal. 116. & ad cap. 1. ad Romanos. & Epiſt. ad Leonem Papã. & libr. 1. Hæreticarum fabularum. Galla Placidia Imperatrix Epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam. Victor Antiochenus in Euangelium Marci. paulò poſt principium. Andreas Cæſarienſis ad c. 17. Apocalypſis. Epiphanius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Epiſt. ad Hormiſdam Pont. Romanum. Iuſtinianus in Authentica. Vt Eccleſia Romana centum annorum priuilegio gaudeat. Marianus Archimandrita, & ceteri, ſupplicatione ad Iuſtinianum Imperatorem. Procopius Chartophylax in Encomio Diui Marci. Maximus Monachus ad c. 4. Dionyſij de Diuinis nominibus. Ioannes Damaſcenus Epiſt. de Triſagio. Taraſius Conſtantinopolit. Epiſt. ad Adrian. Papã. de non faciendo pecunia ordination. Elias Creten. in Orat. 3. Nazianzen. Nicephorus Conſtantinop. in Chronolog. Methodius Conſtantinop. in Martyrio Dionyſij Areopag. Michael Syngelus ibid. Theophylactus ad c. 1. Epiſt. ad Rom. Simeon Metaphraſt. in Comment. de certaminib. lab. & peregr. Petri, & Pauli. & in vita S. Silueſtri. cap. 6. Suidas in Nerone. OEcumenius de 12. Apoſtolis. Euthymius Procemio in Marcum. Ioann. Zonaras. tom. 2. Georg. Cedrenus in Nerone. Michael Glycas Parte 3. Annal. Nylus Theſſalonic. de Primatu Papæ. Theodorus Balſamon in Commentarijs ad Synodum Carthaginen. Ni-

Digitized by Google

cetas Choniates Orthodoxæ fidei lib. 4. c. 1. Nicephorus Calliſtus libr. 2. cap. 15. & cap. 35.

4 Idem affirmarunt Patres Latini: Anacletus Epiſt. 3. Pius I. Epiſtol. ad Iuſtum Epiſc. Tertullianus de Præſcription. aduerſus Hæretic. & contra Gnoſticos. ad Scorpiacum. c. 15. De Baptiſmo. c. 4. contra Marcionē. lib. 4. c. 5. in Carminib. contra Marcion. lib. 3. c. 9.

Ex quibus electum magnum, plebique probatum,
Hac Cathedra, Petrus qua ſederet ipſe, locatum,
Maxima Roma Linum primum conſidere iuſſit,

Calliſtus Epiſt. ad Proclum Cataphrygam. Cyprianus libr. 1. Epiſt. 3. & lib. 4. Epiſt. 2. & libr. de Vnitate Eccleſ. Arnobius lib. 2. aduerſ. Gentes. Marcellus I. Epiſt. ad Antiochenos. Euſebius Papa Epiſt. 3. Lactantius Diuin. Inſtitut. lib. 4. cap. 21. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis. c. 1. & lib. 5. Epiſt. 32. vet. edit. Optatus Mileuitan. lib. 2. contra Donatiſtas. Phylaſtrus de Simone Mago. Damaſus in vita D. Petri. Prudentius Hymno 12. de paſſione Petri, & Pauli. & Hymno 2. de S. Laurentio. Hieronymus ad c. 52. Iſaię. & ad c. 2. ad Galatas. & lib. de Viris illuſtrib. c. 1. Ruffinus Inuectiua. 2. in Hieronymum. Auguſtinus contra litteras Petiliani. libr. 2. c. 51. & cōtra Iulianum Pelagian. lib. 1. c. 4. Ad Quoduultdeum. Hæreſi 1. & Epiſt. 165. Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decennium Eugubinum. & 14. ad Bonificacium Presbyterum. Paulinus Nolanus. Natali 3.

5 Sequuntur Seuerus Sulpitius, ſacræ Hiſtoriæ lib. 2. Oroſius lib. 7. c. 6. & 7. Maximus Taurinenſis in Natali Petri, & Pauli. Arnobius ad Pſal. 106. Philippus Presbyter in Concil. Epheſino. tom. 2. c. 16. Petrus Chryſologus Epiſt. ad Eutychem. Leo I. Serm. 1. in Natali Petri, & Pauli. c. 2. 3. & 4. & Epiſt. 62. c. 2 Proſper de Promiſſion. & prædiction dimidij temporis. Gelaſius in Decreto de Apocryphis Scripturę libris. Fulgentius de Incarnat. & gratia IESV Chriſti. c. 11. Elpis vxor Boethij Hymn. de Apoſtolis Petro, & Paulo. Symmachus Apologet. ad Anaſtaſium Imp. Synod. Romana 3. ſub Symmacho. Poſſeſſor Africanus Epiſt. ad Hormiſdam Papam. Iornandes lib. de Regnorum, & tēporum ſucceſſione. Marcellinus Comes in Chronico. Arator in Acta Apoſt. ad finē. Caſſiodorus in Chronicis. in Claudio. Fortunatus vitæ. S. Martini lib. 3. Gregorius Turonen. Hiſtor. Francorum. lib. 1. c. 25. Gregorius Magnus. ad Pſal 4. Pœnit. & lib. 6. Epiſt. 37. Iſidorus Hiſpalen. de Vita & morte SS. c. 60. Beda de ſex ętatibus mundi. & Prologo ſuper Marcum. & ad c. 5. 1. Petri. & ad c. 15. Actorum. Paulus Diaconus de Vita SS. Syri, & Iuuentij. Paulinus Aquilegien. lib. 8. Hiſtorię. Haymo Hom. Dominicæ 3. in Quadrageſ. Froculphus Lexiouen. tom. 2. lib. 1. cap. 12. Dreperius Floro. Hymno ad Michaelem Archangelum. Rabanus Maurus ad c. 12. Iudith. Hingmarus Epiſt. de Dionyſio Areopag. Nicolaus I. Epiſt. 7. & 32. & ad cōſulta Bulgarorum. c. 92. Hadrianus II. Epiſt. 3. Ioannes VIII. Epiſt. 76. Ado Viennen. Ætate 6. de

anno 45. Regino Prumiren. lib. 1. Annaliũ. Luitprandus Ticinen. lib. 1. c. 8. & lib. 4. cap. 3. Hugo Floriacen. in Chronicis. Aetate 6. Petrus Damianus Serm. de S. Marco. Hermannus Contractus in Chronic. de Nerone. Marianus Scotus. Aetate 6. Florentius VVigornięſis lib. 2. Chronicorũ. Honorius Auguſtodunenſis Serm. de Petro, & Paulo. Rupertus Tuitienſis ad cap. 3. Ionæ. Bernardus epiſt. 237. Hugo Victorinus Inſtitutionis Monaſticæ, de vanitate mundi, lib. 4. & Inſtitut. Monaſt. excerptorum priorum lib. 6. cap. 6.

6 Petrus Cluniacenſis ait, Epiſt. 1. [Quid enim! numquid per 25. annos, quibus Romæ Petrus Apoſtolus ſedit, abſque templo, vel Eccleſia, id eſt, orationis domo, vel paruo ſaltem Oratorio fuit? Non ne vt geſtorum veracium ſeries narrat, primus ipſe Princeps Apoſtolorum Petrus, in Vrbe orbis capite, templum Chriſto, inter innumera Gentilium templa, conſtruxit? Non ne & nos ipſi Romæ poſiti frequenter vidimus in cryptis antiquiſſimis Oratoria, & Altaria, qualia eo tempore fieri poterant: quæ ab eodem Apoſtolo conſtructa, ſicut per ſucceſſionem fama conſentiens, ac celeberrima proteſtatur, in monumentum tantæ ſanctitatis fidelibus oſtenduntur, ac deuotiſſimè exoſculātur.] Cuius teſtimonio quis fidē non adhibebit, & ſecurè, & ſincerè, ſi nobiſcũ viginti ab hinc annis horum ſanctorum locorum, quæ Petrus ſua illuſtrauit præſentia, extiterit venerator? Quæ loca, & reliquias horũ ſanctorum Apoſtolorum videre, legimus, D. Chryſoſtomum anxiè deſideraſſe.

7 Accedunt Otto Friſingenſis lib. 3. Chronicorum cap. 15. Egbertus Presbyter aduerſus Catharos. Serm. 3. Petrus Comeſtor in Hiſtor. Scholaſtica. lib. Actuum Apoſt. cap. 127. Godfridus Viterbien. part. 14. Chronicorum. Petrus de Riga ad finem Actuum Apoſtolorum. Gunterus lib. 4. Ligurini. Adam Victorinus Proſa de ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo. Innocentius III. Serm. 2. de feſto SS. Petri, & Pauli. Conradus Abbas Vrſpergenſis in Chronicis. de anno 43. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Orientali. cap. 78. Albertus Scandenſis in Chronicis. Thomas Cantipetranus lib. 2. Miraculorum. cap. 53. Guillielmus Durandus in Rationali Diuinorum. lib. 7. cap. 43. Nicolaus III. de electione, & electi poteſtate. cap. 17. Nicolaus Lyranus ad c. 1. poſterioris Epiſtolæ Petri. Martinus Polonus in Chronicis. in Petro, & in Nerone. Aluarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ lib. 1. art. 68. Matthæus VVeſtmonaſterienſis in Chronicis. de anno 41. Thomas VValdenſis Doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. c. 7. Martinus V. Conſtit. 4. AEneas Siluius Epiſt. 130. VVernerus Roleuingius in Faſciculo temporum. Petrus Apollonius Collatius in Faſtis. in Natalitijs Petri, & Pauli Apoſtolorum. Marcus Antonius Sabellicus Aeneadis 7. lib. 2. Albertus Crantzius in Metropoli. lib. 2. c. 1. Baptiſta Mantuanus lib. 6. Paſtorum.

8 Tantorum Auctorũ, ſola Hæretica perfidia, auctoritati refragatur:

quæ

quæ poſtquam in cælum ſacræ Scripturæ poſuit os ſuum, eamque profanis, & vocum, & ſenſuum nouitatibus adulterata eſt; lingua ſua tranſiuit in terram: nihil, quod ſuo non ſapiat palato, in ſacris Scriptoribus, non aut negando, aut damnando, aut irridendo.

Pontificem Romanum eſſe B. Petri ſucceſſorem, eamdemque cum illo in Eccleſia vniuerſa ligandi, & ſoluendi habere poteſtatem; probatur. Cap. XXVII. §. 1.

QVANDO Chriſtus Dominus Petro commiſit gubernandam Eccleſiam, eique ad hoc munus plenè exercendũ tradidit cælorum claues, quis tam ſit amens, vt credat, Chriſtum Dominum, Eccleſiam, domum ſuam immortalem, ſuper mortalem hominem ædificaſſe: quo mortuo totius ædificij molem corruere neceſſe eſſet? Non ergo ſuper ſolum Petrum, ſed ſuper illum, & ſuper omnes eius ſucceſſores Eccleſiã fundauit: qui, quoniã defuturi numquã ſunt, Eccleſia non corruet. Quorſum enim Chriſtus, ſoli Petro, non autem eius etiam ſucceſſoribus, tantam, ac talem, qualem Petro concrediderat, non concrederet auctoritatem? Conſtituebat namque Eccleſiam, inſtituebat officia, munera diuidebat: quæ, vel imprudentiſſimus quiſque, non in perſonarum honorem, ſed in eiuſdem Eccleſiæ vtilitatem inſtituiſſet. Tamdiù ergo erant, quamdiù Eccleſia ipſa duratura: maximeque illud, quod, vt omnium maximum, ita omnium erat maximè neceſſarium, capitis, ac Principis Eccleſiæ; qui eius erat ſubſternendus fundamentũ. Itaque, vt alia officia minora, non eſſent in poſteros transferenda, hoc tamen, neceſſe erat omnino ad ſucceſſores tranſmitti: ſicuti omnes veteres Auctores docuerunt, Catholici, videlicet: nam de Hæreticorum turba, hanc veritatem negante, nihil à viris Orthodoxis eſt curandum: & à Græcis Patribus, & Scriptoribus ordiamur.

2 Ignatius in inſcriptione Epiſtolæ ad Romanos ſic habet. [Ignatius Eccleſiæ ſanctificatę, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χώρης ῥωμαίων. id eſt, [quę præſidet in loco regionis Romanorum Polycarpus, vt refert Hieronymus de Viris illuſtribus. in Polycarpo. Irenæus lib. 3. c. 3. Origenes, referente Euſebio, lib. 6. Hiſt. cap. 12. & idem Euſebius lib. 7. Hiſt. cap. 24.

3 Conc. Nicænũ I. in Canonibus collectis ex Epiſt. Iulij Papæ, Canon. 1. [Non debent, pręter ſententiam Romani Pontificis, Concilia celebrari.] Canon. 2. [Vt omnes Epiſcopi, qui in quibuſdam grauioribus pulſantur, vel criminantur cauſſis, quoties neceſſe fuerit, liberè Apoſtolicam appellent Sedem: atque ad eam, quaſi ad matrem, confugiant: vt ab ea, ſicut ſemper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur: cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſſas, & Epiſcoporum iudicia, anti-

qua Apoſtolorum,eorumque ſucceſſorum, & Canonum auctoritas reſeruauit. Quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem Sedis Papæ fieri placuit.] Et in Canonibus ex Arabico tranſlatis.Canon. 39.[Conſideret Patriarcha ea,quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi in prouincijs ſuis faciunt:& ſi quid reperiat ſecus,quàm oporteat,factum mutet: & diſponat, prout ſibi videbitur: ſiquidem ipſe eſt Pater omnium,& illi filij eius. Et quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos,tamquàm frater maior, qui curam habet fratrum ſuorum,& ei debent obedientiam,quia præeſt: eſt tamen Patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt,ſicut ille, qui tenet ſedem Romæ, caput, & Princeps eſt omnium Patriarcharum: quandoquidem ipſe eſt primus: ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes Populos eorum: vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri, ſuper cunctos Populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.]

4 Athanaſius Apolog. 2. contra Arianos.& Epiſt.ad Marcum Papam. Idem Athanaſius,& vniuerſi Aegyptiorum,Thebaidorum,& Libyorum Epiſcopi Epiſt.ad Felicem II.Papam.quæ exſtat tom.1. Conciliorum. Conſtantinus Cæſar Epiſt.ad ſolitariam vitam agentes.

5 Concilium Sardicenſe cap. 5. [Hoſius Epiſcopus dixit: Quòd ſi aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſſa, & putat ſe bonam cauſſam habere:vt iterùm iudicium renouetur: ſi vobis placet,ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus: vt ſcribatur, vel ab ijs, qui examinauerunt,vel etiam ab alijs Epiſcopis, qui in propinquo morantur,Romano Epiſcopo:& ſi iudicauerit,renouandum eſſe iudicium,renouetur,& det iudices:ſi autem probauerit talem cauſſam, vt ea non refricentur,quæ acta ſunt, quæ decreuerit Romanus Epiſcopus,confirmata erunt. Si ergo omnibus placet,ſtatuatur.Synodus reſpondit,Placet.]

6 Et cap.7. [Hoſius Epiſcopus dixit, Placuit autem,vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit,& iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint.ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopũ Romanæ Eccleſiæ,& voluerit ſe audiri: ſi iuſtũ putauerit,vt renouetur iudicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere ijs Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia ſunt: vt ipſi diligenter omnino requirant,& iuxta fidem veritatis,definiant. Quòd ſi is, qui rogat cauſſam ſuam iterùm audiri,deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum,vt à latere ſuo Presbyterum mittat,erit in poteſtate Epiſcopi,quid velit,& quid æſtimet. Et ſi decreuerit,mittendos eſſe,qui præſentes cum Epiſcopis iudicent,habentes eius auctoritatem,à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio: ſi verò crediderit, Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.]

7 Baſilius Magnus Epiſt. 52. ad Athanaſium. & Epiſt. data Sabino Diacono, ad Pont Roman. Gregorius Nazianzenus Oratione 23. quæ eſt in laudem Heronis Alexandrini in exilium miſſi. & Oratione 52. quæ eſt Epiſt. 2. ad Cledoniũ. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. Edicto ad Populum Vrbis Conſtantinopolitanæ. & habetur C. de ſumm. Trinit. & fid. Cathol. & apud Sozomenum lib. 7. cap. 4. Concilium Conſtantinop. I. Can. 3. [Cõſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes, poſt Romanum Epiſcopum: eo quòd ſit ipſa noua Roma.]

8 Ioannes Chryſoſtomus Epiſt. ad Innocentium Papam. Palladius Hellinopolitanus in Vita D. Ioannis Chryſoſtomi. Synodus Epheſina Epiſt. ad Cæleſtinum Papam: [Quia verò neceſſitas exigebat, vt omnia quæ in hac ſacra Synodo acciderunt, Sanctitati Tuæ declararẽtur, nõ potuimus, his litteris noſtris ad Sanctitatem Tuam, non perſcribere, ſecundùm Seruatoris noſtri omnium voluntatem, Pijſſimorumque, ac Chriſti amantium Imperatorum noſtrorum ſanctionem, ex multis, varijſque prouincijs Epiſcopos ſupra 200. in Epheſiorum ciuitate conueniſſe, &c. fuerunt in cõſeſſu noſtro, & illi quoque, qui à Sanctitate Tua miſſi fuerant: videlicet, pientiſsimi Epiſcopi Arcadius, & Proiectus, vnaque cum illis Religioſiſsimus Presbyter Philippus; qui ſua præſentia, tuam nobis præſentiã exhibuerunt, Apoſtolicæque ſedis locum tenuerunt. &c. Vt autem omnia, quæ hic geſta ſunt, cognoſcas, integros Actorum Commentarios miſimus, & Synodi ſubſcriptiones.]

9 Cyrillus Alexandrinus Epiſt. ad Cæleſtinum Papam. Maximianus Conſtantinop. Epiſcopus Epiſt. ad Orientales. Socrates Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 2. cap. 5. & 11. lib. 4. cap. 30. & lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 3. cap. 7. & cap. 9. & lib. 6. cap. 22. Theodoretus Epiſt. ad Leonem Papam. & Epiſt. ad Renatum Presbyterum. & Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 2. cap. 22. & lib. 5. c. 10.

10 Concilium Chalcedonenſe Act. 1. [Et poſt hæc, reſidentibus magnificentiſsimis, & glorioſiſsimis iudicibus, &c. & ex læua quidem parte ſedentibus Sanctiſsimis, & Reuerendiſsimis Epiſcopis, & Vicarijs Deo amiciſsimis Sanctiſsimi, & Reuerendiſsimi Leonis Antiſtitis priſcæ Vrbis Romæ, &c. Paſchaſinus verò Vicarius Sedis Apoſtolicæ cùm in medio vna cum his viris Reuerendiſſ. collegis ſuis ſtetiſſet, dixit: Beatiſsimi, atque Apoſtolici viri, Papæ Vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, &c.] & Actione 3. Legati Romani Pontificis primi ſubſcribunt, [Paſchaſinus Epiſcopus, &c. Vice Beatiſsimi, atque Apoſtolici Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, &c.]

11 Anaſtaſius Ieroſolymitanus Patriarcha Epiſtola ad Felicem Papam. Achatius Conſtantinop. Epiſt. ad Simplicium Papam. Ioannes Conſtantinop. Epiſt. ad Hormiſdam Papam. Archimandritæ, & monachi ſecundæ Syriæ, Epiſt. ad Hormiſdam Papam. quæ exſtat inter eius Epiſtolas. Theodorus Lector lib. 1. Coll. & lib. 2. Martianus Monachus, & ceteri

Archimãdritæ Orientales ſupplicatione ad Iuſtinianum Imperatorem & Epiſt. ad Agapetum. Mênas Patriarcha Conſtantinop. de quattuor Cõcilijs Oecumenicis. Procopius Cæſarienſis lib. 1. de Bello Gothorum cap. 2. Iuſtinianus Imperator C. de ſumm. Trinit. & fid. Cath. epiſt. ad Ioan. Papam. Eutychius Patriarcha Conſtant. epiſt. ad Vigilium Papam

12 Synodus Mopſueſtana epiſt. ad Vigilium Papam [Decebat, cùm primam Sacerdotis dignitatem ſortiti eſtis, ea, quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ diutiùs honoratæ Beatitudini fieri.] Euſtathius in vita S. Eutychij. Maximus monachus Diſputatione cum Theodoſio Cæſarienſi Epiſcopo. Anaſtaſius diſcipulus ſancti Maximi, apud Gennadium Scholarium de Primatu Papæ. ſect. 8. Sophronius Ieroſolymitan. Epiſt. ad Stephanũ Epiſcopum. Stephanus Dorenſis libello ad Martinum Papam. Sergius Cyprius Epiſt. ad Theodorũ Papã.

13 Synodus item 6. Conſtant. Act. 17. ſubſcriptiones. [Theodorus humilis Presbyter S. R. E. Locumgerens Agathonis Terbeatiſſimi Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi. Georgius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos nouæ Romæ, definiens ſubſcripſi.] Et Actione 18. [Proinde inſpiratione ſancti Spiritus conſpirantes, & ad inuicem omnes conſonantes, atque conſentientes, & Agathonis ſanctiſſimi Patris noſtri, & ſummi Papæ dogmaticis litteris ad veſtram fortitudinem miſſis conſentientes, vnum de ſancta Trinitate Dominum noſtrũ IESVM Chriſtum etiam incarnatum prædicamus, in duabus perfectis naturis indiuisè. &c. Summus autem nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & Diuini Sacramenti myſteriorum illuſtrantem per litteras confeſſionem, ſibi à Deo inſcriptam, illa Romana antiqua Ciuitas obtulit, & dogmatum diem à veſpertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.]

14 Conſtantinus Imperator Epiſt. ad Synodum Apoſt. Sedis antiquæ Romæ. Ioannes Patriarcha Conſtantinop. epiſt. ad Conſtantinum Papam. Taraſius Patriarcha Conſtantinopolit. in Synodo Nicæna 2. Act. 2. & Epiſt. ad Hadrianum Papam. Concilium 2. Nicænum, Actione 2. [Eccleſia Romana, eſt caput omnium Eccleſiarum.] Act. 6. [Exſecrabilis eſt, & profana, & adulterina ſeptima Synodus Conſtantinopolitana: non enim habuit cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Prouinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet. &c.] & Actione 7. legati Romani Pontificis primi ſubſcribunt. Nicephorus Patriarcha Conſtantinop. Epiſt. ad Leonem III. Papam Theodorus Studites Epiſt. ad Paſchalem Papam. Methodius Patriarcha Conſtantinop. in martyrio D. Dionyſij Areopagitæ. Photius Patriarcha Conſtantinop. Epiſt. ad Nicolaũ Papam. Ignatius Conſtant. epiſt. ad Nicolaũ Papã. Act. 3. 8. Synodi

ſtolas. Fulgentius de Incarnatione,& gratia IESV Chriſti,cap.10.
3 Accedunt Synodus Romana 3. ſub Symmacho. & 4. ſub eod. c. 3. Ennodius Diaconus lib. de Synodis ſub Symmacho habitis. Poſſeſſor Epiſcopus epiſt. ad Hormiſdam Papam. Concilium habitum in Epiro, epiſt.ad Hormiſdam Papam. Eulalius Carthaginenſis epiſt. ad Bonifacium II.Caſsiodorus lib.11. epiſt.2.ad Ioannem Papam. Amator Epiſcopus epiſt.ad Siluerium Papam. Arator in dedicatione Actorum Apoſtolicorum Heroico à ſe carmine conſcriptorum. Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in Breuiario.Cap.20.21.& 22.Gildas Badonicus Correptione in Eccleſiaſticum ordinem.Concilium 4.Aurelianenſe.c.1. [Quoties aliquid, inquit, de ſolemnitate Paſchatis dubitatur, inquiſita,vel agnita,per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra Conſtitutio teneatur.] Concilium 2.Turonenſe cap. 21.[Quis inquit,Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica præceſſerunt, agere præſumat? Et quorum Auctorum valere poſsit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper intromiſit? Et Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt,quod eorum præcepit auctoritas.]Concilium 1.Bracharenſe cap.22.[Placuit,vt eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quomodo Profuturus quondam huius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ab ipſa Apoſtolici Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.]Videndum etiam de hoc cap.23.
4 Ioan.Epiſcopus Rauennaten.epiſt. ad Gregorium Magnum, eſt inter. ipſius epiſtolas lib.2 Indict.11. epiſt.55. Iſidorus Hiſpalenſis præfatione in opus Conciliorum:[Subiecimus,inquit, reliqua Præſulum Romanorum decreta, vſque ad S.Gregorium: & quaſdam ipſius epiſtolas: in quibus,pro culmine Sedis Apoſtolicæ,non impar Conciliorum exſtat auctoritas.&c.](Quanti Doctoris de quanto Doctore iudicium!)ſequitur,[Nullā Synodum ratam eſſe legimus,quæ non fuerit Apoſtolicæ Sedis auctoritate congregata, vel fulta.] Columbus, & ceteri Primates Epiſcopi prouinciarū Africæ, Numidiæ,Mizazeni, & Mauritaniæ epiſt. ad Theodorum Papam.quæ exſtat in Concilio Lateranenſi ſub Martino I.Conſultatione 2.Maurus Epiſcopus Rauennatenſis epiſt.ad Martinum Papam. quæ exſtat in Synodo prædicta Lateranen. Ionas Monachus in vita ſancti Euſtachij cap.5. Aldelmus epiſt. ad Geruntium. Beda venerabilis Hiſt. Anglicanæ lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap.3. & cap.25.& 29.& Homil. in Natali S.P.N.Benedicti.& de ratione temporum. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus epiſt. ad Zachariam Papam. & epiſt.ad Stephanum II. quæ exſtat apud Nauclerum Generatione 26. Alcuinus lib. de Diuinis officijs cap.19. Paul. Diaconus de Geſtis Longobardorum lib. 6.c.4.aliās 15.& cap. 10. aliās 28. Paulinus Aquilegienſis aduerſus Felicem Vrgelitanum.Ambroſius Anſuertus epiſt.ad Stephanum Papam præfixa Commentarijs in Apocalypſin. & in fine Commentariorum

Con-

Concilium Caroli Imperatoris apud Gratianum diſt. 19. In memoriam quæ diſt.tota facit ad rei,de qua agimus, confirmationem. Haymonius Hiſtoriæ Francorum lib. 2.c. 1. VValafridus Strabo de Rebus Eccleſiaſ c.22.& cap. 31. Ionas Aurelianenſis lib. 1. de Cultu imaginum.& lib. 3.

5 Præterea Strabus Fuldenſis in Gloſſ. ordinaria 2. Paralip.c.17. Rabanus Maurus ad Matthęi c.17.& de laude S.Crucis.ad Gregorium IV. P.M. Hingmarus in Synod.apud S.Medardum.& Epiſt.ad Hadrianum II. Hildoinus in Areopagiticis. Landramus Turonenſis, &c. Epiſt. ad Numenium Priorem gentis Britannicę. Anaſtaſius Bibliothecarius Præfat. ad Pont.M. ni vitam Ioann. Eleemoſynarij à ſe verſam. Rochaldus Sueſſionenſis appellat.ad Nicolaum Papam. Synodus Triburienſis capit.30. repetitis verbis citatis Concilij Caroli Imperatoris: [In memoriam B.Petri Apoſtoli, honoremus ſanctam Romanam,& Apoſtolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis:] Regino Prumienſis in Chronicis de anno 842. 865.& 866. Luitprandus Ticinen.lib. 1.c.8.& lib. 2.c.13.& lib. 6.cap.6. Notgerus Leodienſis in vita S.Lãdoaldi. Burcardus VVormatienſis lib. 1.c.42. Berno Augienſis libello de quibuſdam ad Miſſas ſpectantibus. Petrus Damianus in vita S.Barbatiani. & in vita S.Vitalis.& Epiſt.11. ad Nicolaum Papam.c.5. Lanfrancus Cantuarienſis de Euchariſtia. contra Berengarium. Guitmundus Auerſanus de Sacramento Altaris. Anſelm. Cantuarienſis de Incarnat. Verbi.c.1.& in Præfatione in Epiſt.ad Rom. & ſuper Caput illius 1. Aldebertus Cenomanenſis Epiſtol. 19. Edinerus Anglus vitæ S.Anſelmi lib.2. Iuo Carnotenſis Epiſt. 48. ad Paſchalem P.M.& Epiſt.71.& 183. Leodienſes Clerici Epiſt. ad Paſchalem Papam. Otto Bambergenſis Epiſt.ad eumdem. Rupertus Tuitienſis in Ioan.lib.2. c.3.& de Diuinis officijs.lib.1.c.27.& lib.2.c.22. Hugo Victorinus lib.1. de Sacramentis Eccleſiæ.c.43.

6 Bernardus omninò videndus de Conſiderat.ad Eugenium Papam. libr.3.cap.8.& Epiſtol.125. 131. 183. 190. & 237. & Serm. de priuilegijs B.Ioannis Baptiſtæ. Guigo Carthuſianus prologo in vitam S.Hugonis Epiſcopi ad Innocentium II. Petrus Lombardus 4.Sententiar.diſtin. 24. Ioan. Gratianus diſtinct.93. per totam. Petrus Cluniacenſis lib.6. Epiſtol.14.ad Eugenium Papam.& Epiſt.44. Ildegardis Epiſt. ad Eugenium P.M. & Epiſt. ad Alexandrum III. P.M. Otto Friſingenſis in Chronicis. lib.7.c.32. Poto Prumienſis de ſtatu Domus Dei.lib.3.& 4. Petrus Bleſenſis Epiſt.45.ad Pont.Rom. Arnulphus Lexouienſis Epiſt. ad Alexandrum Pont.Max.de promotione ſua. Hugo Eterianus de Spiritus ſancti proceſſion.lib.3.c.17. Ioannes Saliſberienſis lib.8. Policratici. Capit.17.& 23. Godfridus Viterbienſis in proœmio Hiſtor. vniuerſalis ad Vrbanum III. Guillelmus Tyrius Belli ſacri lib.11.c.28.& lib.15.cap.15. Gulterus lib.1. Dodochinus de anno 1099. Ioachim Abbas Florent. Prologo

Synagogæ,& Eccleſiæ cap.19. Luitprandus Ticinenſis lib.6.c.8.Smaragdus ad c.vlt. Marci. Leo IX. ad Michaelem Imperatorem, & Leonem Acridanum.cap.7.& Epiſt.ad Petrum, Epiſcop. Antiochen. Petrus Damianus Sermone 1.de B. Andrea Apoſtolo. Alexander II. in Concilio Romæ celebrato. Gregorius VII.lib. 8.Epiſt.21.Anſelmus ad caput. 16. Matthæi. Iuo Carnotenſis Epiſt.54. Honorius Auguſtodunenſis Sermone, de Petro,& Paulo.& Sermone, de Decollatione Ioannis Baptiſtæ.Rupertus Tuitienſis de Trinitate, & operibus eius. lib.1.c.25.& de Proceſſion. Spiritus ſancti. lib.9.c.28. Hugo Victorinus Sermone 64. de Apoſtolis Petro, & Paulo. Bernardus Serm.3. de Septem miſericordiarum fragmentis.& de Conſiderat.ad Eugenium lib.2.c.9.& Sermone 1.in die Petri,& Pauli,& Epiſt.237.ad Eugenium Papam. Otto Friſingenſis lib. 3. Chronicorum cap.15.Photo Prumienſis de Statu Domus Dei. libr. 1. Hugo Etherianus de Proceſſion. Spiritus ſancti. libr. 3. c.17. Guerricus Igniacenſis de Aſſumpt.B.Mariæ. Serm.4.& Serm. ad Excitandam deuotionem in Pſalmodiam. Godfridus Viterbienſis par. 14. Chronicorum. de Simone Petro. Adam Victorinus Proſa de Petro,& Paulo. & Proſa de S.Petro. Innocentius III. Serm.1.in feſto S.Gregorij Papæ.& lib.1. Myſteriorum Miſſæ.cap.8. Albertus Magnus ad c.10.& 16.Matthæi.S.Thomas lib.1. contra errores Græcorum. c 32. Poſt quem omnes DD. Theologi,tam ſuper ſacra Biblia, quàm de Theologia Scholaſtica ſcribentes Commentarios, eamdem Petro Apoſtolo, in Eccleſiam Catholicam, auctoritatem, & poteſtatem,aſſeruerunt: ſicuti & Iuriſprudentes.

12 Hinc benè docent dicentes, eſſe conceſſum Petro, vt inter omnes Prophetas,& Apoſtolos,primum, poſt Chriſtum, Eccleſiæ fundamentum ſit: & locum,& vicem illius abſentis replicet: nam illis verbis Chriſti, Matth.cap.16. [Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:] ſignificatum fuit abſque dubio,hanc ſe illi eximiam,& ſingularem dignitatem conceſſurum: vt ſuper eum Eccleſiam ſuam ædificaret: id eſt,eum Eccleſiæ caput conſtitueret, ſuumque in ea Vicarium faceret. Hinc credimus certiſſimè cum prædictis Doctoribus, orbem pugnaturũ eſſe terrarum pro Petro, contra Hæreticos impios, indoctos, & inſenſatos, hanc illi poteſtatem denegantes.

Petrum Apoſtolum Eccleſiam Romanam fundaſſe, gubernaſſe, ac ſuo ſanguine conſecraſſe,demonſtratur. Cap. XXVI. §. 1.

IMPII Hæretici Guillelmus quidam Ioan. Vuicleni preceptor, & Martinus Lutherus,& ſimilia mundi monſtra huic obſtrepant veritati: quorum Dogmata alij ex eorum Scholis malè ſani homines ſunt ſequuti: Petrum Apoſtolum nec Romæ fuiſſe Epiſcopum, neque ibi prædicaſſe, aſſeuerantes: contra quos exſtat manifeſta veritas,

vt

vt ex ſequentibus apparebit.

2 Fuit ergo hæc prædictio Sibyllæ ex Chaldęo ſermone in Græcum, & tamdem in Latinum tranſlata: quę ſic habet: [Elegit ſibi ex piſcatoribus, & delectis numerum duodenarium: vnumque Diabolum: (Iudam ſcilicet.) Non in gladio, belloue AEneadem vrbem, (Romam) Regeſque ſubijciet: ſed in hamo piſcantis: (ſcilicet Petri.) Citatur hæc Prophetia à Franciſco Petrarcha de Otio Religioſor. libr. 1. & ſubiungit, quæ Erythrææ proculdubio Sibyllæ ſunt: vt quæ ex illius libro ad contextum elicui. Citantur eadem à S. Bernardino Senenſe, 6. par. Serm. 1. de feſtiuitate B. Mariæ, & ab Antonino in Chronicis. par. 1. tit. 3. c. 9. §. 1.

3 Aſſeruerunt hoc Patres Græci: Linus de paſſione Petri. Clemens Epiſt. 1. ad Iacobum. Papias in Explanationibus Sermonum Dñi. Egeſippus de Excidio Ieroſolymitano. lib. 3. c. 2. Dionyſius Corinthiacus Epiſt. ad Romanos. Irenæus lib. 3. cap. 1. & 3. Clemens Alexandrinus lib. Hypotypoſeon. Origenes lib. 3. in Geneſim. Petrus Alexandrinus de Pœnitentia, Canon. 9. Euſebius Cæſarien. in Chronicis. & Eccleſiaſ. Hiſtor. lib. 2. cap. 13. & c. 24. & lib. 3. c. 1. Athanaſius in Apologia de fuga ſua. Dorotheus Tyrius in Synopſi. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 6. Epiphan. hæreſi 27. Valentinianus, Gratianus, & Theodoſius A A A. de ſumm. Trinit. & Fid. Cath. Gregorius Nazianzenus Iambico 1. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 32. in Epiſt. ad Romanos. & in Encomio 12. Apoſtolorum. & in Encomio Petri, & Pauli. Ioannes Caſſianus de Incarnatione Verbi, lib. 3. cap. 12. Sozomenus lib. 4. cap. 14. & lib. 9. cap. 9. Theodoretus ad Pſal. 116. & ad cap. 1. ad Romanos. & Epiſt. ad Leonem Papã. & libr. 1. Hæreticarum fabularum. Galla Placidia Imperatrix Epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam. Victor Antiochenus in Euangelium Marci. paulò poſt principium. Andreas Cæſarienſis ad c. 17. Apocalypſis. Epiphanius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Epiſt. ad Hormiſdam Pont. Romanum. Iuſtinianus in Authentica. Vt Eccleſia Romana centum annorum priuilegio gaudeat. Marianus Archimandrita, & ceteri, ſupplicatione ad Iuſtinianum Imperatorem. Procopius Chartophylax in Encomio Diui Marci. Maximus Monachus ad c. 4. Dionyſij de Diuinis nominibus. Ioannes Damaſcenus Epiſt. de Triſagio. Taraſius Conſtantinopolit. Epiſt. ad Adrian. Papã. de non faciendo pecunia ordination. Elias Creten. in Orat. 3. Nazianzen. Nicephorus Conſtantinop. in Chronolog. Methodius Conſtantinop. in Martyrio Dionyſij Areopag Michael Syngelus ibid. Theophylactus ad c. 1. Epiſt. ad Rom. Simeon Metaphraſt. in Comment. de certaminib. lab. & peregr. Petri, & Pauli. & in vita S. Silueſtri. cap. 6. Suidas in Nerone. OEcumenius de 12. Apoſtolis. Euthymius Procemio in Marcum. Ioann. Zonaras. tom. 2. Georg. Cedrenus in Nerone. Michael Glycas Parte 3. Annal. Nylus Theſſalonic. de Primatu Papæ. Theodorus Balſamon in Commentarijs ad Synodum Carthaginen. Ni-

cetas Choniates Orthodoxæ fidei lib. 4. c. 1. Nicephorus Calliſtus libr. 2. cap. 15. & cap. 35.

4 Idem affirmarunt Patres Latini: Anacletus Epiſt. 3. Pius I. Epiſtol. ad Iuſtum Epiſc. Tertullianus de Præſcription. aduerſus Hæretic. & contra Gnoſticos. ad Scorpiacum. c. 15. De Baptiſmo. c. 4. contra Marcionē. lib. 4. c. 5. in Carminib. contra Marcion. lib. 3. c. 9.

Ex quibus electum magnum, plebique probatum,
Hac Cathedra, Petrus qua ſederet ipſe, locatum,
Maxima Roma Linum primum conſidere iuſſit,

Calliſtus Epiſt. ad Proclum Cataphrygam. Cyprianus libr. 1. Epiſt. 3. & lib. 4. Epiſt. 2. & libr. de Vnitate Eccleſ. Arnobius lib. 2. aduerſ. Gentes. Marcellus I. Epiſt. ad Antiochenos. Euſebius Papa Epiſt. 3. Lactantius Diuin. Inſtitut. lib. 4. cap. 21. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis. c. 1. & lib. 5. Epiſt. 32. vet. edit. Optatus Mileuitan. lib. 2. contra Donatiſtas. Phylaſtrus de Simone Mago. Damaſus in vita D. Petri. Prudentius Hymno 12. de paſſione Petri, & Pauli. & Hymno 2. de S. Laurentio. Hieronymus ad c. 52. Iſaiç. & ad c. 2. ad Galatas. & lib. de Viris illuſtrib. c. 1. Ruffinus Inuectiua. 2. in Hieronymum. Auguſtinus contra litteras Petiliani. libr. 2. c. 51. & cōtra Iulianum Pelagian. lib. 1. c. 4. Ad Quoduultdeum. Hæreſi 1. & Epiſt. 165. Innocentius I. Epiſt. 1. ad Decennium Eugubinum. & 14. ad Bonificacium Presbyterum. Paulinus Nolanus. Natali 3.

5 Sequuntur Seuerus Sulpitius, ſacræ Hiſtoriæ lib. 2. Oroſius lib. 7. c. 6. & 7. Maximus Taurinenſis in Natali Petri, & Pauli. Arnobius ad Pſal. 106. Philippus Presbyter in Concil. Epheſino. tom. 2. c. 16. Petrus Chryſologus Epiſt. ad Eutychem. Leo I. Serm. 1. in Natali Petri, & Pauli. c. 1. 3. & 4. & Epiſt. 62. c. 2 Proſper de Promiſſion. & prædiction. dimidij temporis. Gelaſius in Decreto de Apocryphis Scripturę libris. Fulgentius de Incarnat. & gratia IESV Chriſti. c. 11. Elpis vxor Boethij Hymn. de Apoſtolis Petro, & Paulo. Symmachus Apologet. ad Anaſtaſium Imp. Synod. Romana 3. ſub Symmacho. Poſſeſſor Africanus Epiſt. ad Hormiſdam Papam. Iornandes lib. de Regnorum, & tēporum ſucceſſione. Marcellinus Comes in Chronico. Arator in Acta Apoſt. ad finē. Caſſiodorus in Chronicis. in Claudio. Fortunatus vitæ. S. Martini lib. 3. Gregorius Turonen. Hiſtor. Francorum. lib. 1. c. 25. Gregorius Magnus. ad Pſal 4. Pœnit. & lib. 6. Epiſt. 37. Iſidorus Hiſpalen. de Vita & morte SS. c. 60. Beda de ſex ętatibus mundi. & Prologo ſuper Marcum. & ad c. 5. 1. Petri. & ad c. 15. Actorum. Paulus Diaconus de Vita SS. Syri, & Iuuentij. Paulinus Aquilegien. lib. 8. Hiſtorię. Haymo Hom. Dominicæ 3. in Quadrageſ. Froculphus Lexiouen. tom. 2. lib. 1. cap. 12. Dreperius Floro. Hymno ad Michaelem Archangelum. Rabanus Maurus ad c. 12. Iudith. Hingmarus Epiſt. de Dionyſio Areopag. Nicolaus I. Epiſt. 7. & 32. & ad cōſulta Bulgarorum. c. 92. Hadrianus II. Epiſt. 3. Ioannes VIII. Epiſt. 76. Ado Viennen. Ætate 6. de

anno

anno 45. Regino Prumiren. lib. 1. Annaliũ. Luitprandus Ticinen. lib. 1. c. 8. & lib. 4. cap. 3. Hugo Floriacen. in Chronicis. Aetate 6. Petrus Damianus Serm. de S. Marco. Hermannus Contractus in Chronic. de Nerone. Marianus Scotus. Aetate 6. Florentius VVigornieſis lib. 2. Chronicorũ. Honorius Auguſtodunenſis Serm. de Petro, & Paulo. Rupertus Tuitienſis ad cap. 3. Ionæ. Bernardus epiſt. 237. Hugo Victorinus Inſtitutionis Monaſticæ, de vanitate mundi, lib. 4. & Inſtitut. Monaſt. excerptorum priorum lib. 6. cap. 6.

6 Petrus Cluniacenſis ait, Epiſt. 1. [Quid enim! numquid per 25. annos, quibus Romæ Petrus Apoſtolus ſedit, abſque templo, vel Eccleſia, id eſt, orationis domo, vel paruo ſaltem Oratorio fuit? Non ne vt geſtorum veracium ſeries narrat, primus ipſe Princeps Apoſtolorum Petrus, in Vrbe orbis capite, templum Chriſto, inter innumera Gentilium templa, conſtruxit? Non ne & nos ipſi Romæ poſiti frequenter vidimus in cryptis antiquiſſimis Oratoria, & Altaria, qualia eo tempore fieri poterant: quæ ab eodem Apoſtolo conſtructa, ſicut per ſucceſſionem fama conſentiens, ac celeberrima proteſtatur, in monumentum tantæ ſanctitatis fidelibus oſtenduntur, ac deuotiſſimè exoſculatur.] Cuius teſtimonio quis fidẽ non adhibebit, & ſecurè, & ſincerè, ſi nobiſcũ viginti ab hinc annis horum ſanctorum locorum, quæ Petrus ſua illuſtrauit præſentia, extiterit venerator? Quæ loca, & reliquias horũ ſanctorum Apoſtolorum videre, legimus, D. Chryſoſtomum anxiè deſideraſſe.

7 Accedunt Otto Friſingenſis lib. 3. Chronicorum cap. 15. Egbertus Presbyter aduerſus Catharos. Serm. 3. Petrus Comeſtor in Hiſtor. Scholaſtica. lib. Actuum Apoſt. cap. 127. Godfridus Viterbien. part. 14. Chronicorum. Petrus de Riga ad finem Actuum Apoſtolorum. Gunterus lib. 4. Ligurini. Adam Victorinus Proſa de ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo. Innocentius III. Serm. 2. de feſto SS. Petri, & Pauli. Conradus Abbas Vrſpergenſis in Chronicis. de anno 43. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Orientali. cap. 78. Albertus Scandenſis in Chronicis. Thomas Cantipetranus lib. 2. Miraculorum. cap. 53. Guillielmus Durandus in Rationali Diuinorum. lib. 7. cap. 43. Nicolaus III. de electione, & electi poteſtate. cap. 17. Nicolaus Lyranus ad c. 1. poſterioris Epiſtolæ Petri. Martinus Polonus in Chronicis. in Petro, & in Nerone. Aluarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ lib. 1. art. 68. Matthæus VVeſtmonaſterienſis in Chronicis. de anno 41. Thomas VValdenſis Doctrinalis fidei lib. 2. art. 2. c. 7. Martinus V. Conſtit. 4. AEneas Siluius Epiſt. 130. VVernerus Roleuingius in Faſciculo temporum. Petrus Apollonius Collatius in Faſtis. In Natalitijs Petri, & Pauli Apoſtolorum. Marcus Antonius Sabellicus Aeneadis 7. lib. 2. Albertus Crantzius in Metropoli. lib. 2. c. 1. Baptiſta Mantuanus lib. 6. Faſtorum.

8 Tantorum Auctorũ, ſola Hæretica perfidia, auctoritati refragatur:

quæ

quæ poſtquam in cælum ſacræ Scripturæ poſuit os ſuum, eamque profanis, & vocum, & ſenſuum nouitatibus adulterata eſt; lingua ſua tranſiuit in terram: nihil, quod ſuo non ſapiat palato, in ſacris Scripturis,non aut negando,aut damnando,aut irridendo.

Pontificem Romanum eſſe B. Petri ſucceſſorem, eamdemque cum illo in Eccleſia vniuerſa ligandi, & ſoluendi habere poteſtatem; probatur. Cap. XXVII. §. 1.

QVANDO Chriſtus Dominus Petro commiſit gubernandam Eccleſiam, eique ad hoc munus plenè exercendũ tradidit cælorum claues, quis tam ſit amens,vt credat, Chriſtum Dominum, Eccleſiam, domum ſuam immortalem, ſuper mortalem hominem ædificaſſe: quo mortuo totius ædificij molem corruere neceſſe eſſet? Non ergo ſuper ſolum Petrum, ſed ſuper illum,& ſuper omnes eius ſucceſſores Eccleſiã fundauit: qui, quoniã defuturi numquã ſunt,Eccleſia non corruet.Quorſum enim Chriſtus,ſoli Petro,non autem eius etiam ſucceſſoribus,tantam,ac talem,qualem Petro concrediderat, non concrederet auctoritatem? Conſtituebat namque Eccleſiam, inſtituebat officia, munera diuidebat: quæ, vel imprudentiſſimus quiſque, non in perſonarum honorem, ſed in eiuſdem Eccleſiæ vtilitatem inſtituiſſet. Tamdiù ergo erant,quamdiù Eccleſia ipſa duratura: maximeque illud,quod,vt omnium maximum,ita omnium erat maximè neceſſarium, capitis,ac Principis Eccleſiæ; qui eius erat ſubſternendus fundamentũ. Itaque,vt alia officia minora, non eſſent in poſteros transferenda, hoc tamen,neceſſe erat omnino ad ſucceſſores tranſmitti: ſicuti omnes veteres Auctores docuerunt,Catholici,videlicet: nam de Hæreticorum turba,hanc veritatem negante, nihil à viris Orthodoxis eſt curandum: & à Græcis Patribus,& Scriptoribus ordiamur.

2 Ignatius in inſcriptione Epiſtolæ ad Romanos ſic habet,[Ignatius Eccleſiæ ſanctificatę,ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χώρας ῥωμαίων.id eſt,[quę præſidet in loco regionis Romanorum Polycarpus, vt refert Hieronymus de Viris illuſtribus. in Polycarpo.Irenæus lib.3.c.3. Origenes,referente Euſebio,lib.6.Hiſt. cap.12.& idem Euſebius lib.7.Hiſt.cap.24.

3 Conc.Nicænũ I.in Canonibus collectis ex Epiſt.Iulij Papæ,Canon.1. [Non debent,pręter ſententiam Romani Pontificis,Concilia celebrari.] Canon.2.[Vt omnes Epiſcopi,qui in quibuſdam grauioribus pulſantur, vel criminantur cauſſis, quoties neceſſe fuerit, liberè Apoſtolicam appellent Sedem:atque ad eam,quaſi ad matrem,confugiant:vt ab ea, ſicut ſemper fuit,piè fulciantur, defendantur,& liberentur: cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſſas, & Epiſcoporum iudicia, anti-

qua

qua Apoſtolorum,eorumque ſucceſſorum, & Canonum auctoritas reſeruauit. Quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiuſdem Sedis Papæ fieri placuit.] Et in Canonibus ex Arabico tranſlatis.Canon. 39.[Conſideret Patriarcha ea,quæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi in prouincijs ſuis faciunt:& ſi quid reperiat ſecus,quàm oporteat,factum mutet: & diſponat, prout ſibi videbitur: ſiquidem ipſe eſt Pater omnium,& illi filij eius. Et quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos,tamquàm fratrer maior, qui curam habet fratrum ſuorum,& ei debent obedientiam,quia præeſt: eſt tamen Patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt,ſicut ille, qui tenet ſedem Romæ, caput, & Princeps eſt omnium Patriarcharum : quandoquidem ipſe eſt primus: ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes Populos eorum : vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri, ſuper cunctos Populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.]

4 Athanaſius Apolog. 2. contra Arianos.& Epiſt.ad Marcum Papam. Idem Athanaſius,& vniuerſi Aegyptiorum,Thebaidorum,& Libyorum Epiſcopi Epiſt.ad Felicem II.Papam.quæ exſtat tom. 1. Conciliorum. Conſtantinus Cæſar Epiſt.ad ſolitariam vitam agentes.

5 Concilium Sardicenſe cap. 5. [Hoſius Epiſcopus dixit: Quòd ſi aliquis Epiſcopus adiudicatus fuerit in aliqua cauſſa, & putat ſe bonam cauſſam habere:vt iterùm iudicium renouetur: ſi vobis placet,ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus: vt ſcribatur, vel ab ijs, qui examinauerunt,vel etiam ab alijs Epiſcopis, qui in propinquo morantur,Romano Epiſcopo:& ſi iudicauerit,renouandum eſſe iudicium,renouetur;& det iudices:ſi autem probauerit talem cauſſam, vt ea non refricentur,quæ acta ſunt, quæ decreuerit Romanus Epiſcopus,confirmata erunt. Si ergo omnibus placet,ſtatuatur.Synodus reſpondit,Placet.]

6 Et cap.7. [Hoſius Epiſcopus dixit, Placuit autem,vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit,& iudicauerint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint. ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopũ Romanæ Eccleſiæ,& voluerit ſe audiri: ſi iuſtũ putauerit,vt renouetur iudicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere ijs Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua prouincia ſunt: vt ipſi diligenter omnino requirant,& iuxta fidem veritatis,definiant. Quòd ſi is, qui rogat cauſſam ſuam iterùm audiri,deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum,vt à latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi,quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit,mittendos eſſe,qui præſentes cum Epiſcopis iudicent,habentes eius auctoritatem,à quo deſtinati ſunt; erit in ſuo arbitrio: ſi verò crediderit, Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo iudicauerit.]

7 Baſilius Magnus Epiſt. 52. ad Athanaſium. & Epiſt. data Sabino Diacono, ad Pont. Roman. Gregorius Nazianzenus Oratione 23. quæ eſt in laudem Heronis Alexandrini in exilium miſſi. & Oratione 32. quæ eſt Epiſt. 2. ad Cledoniũ. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. Edicto ad Populum Vrbis Conſtantinopolitanæ. & habetur C. de ſumm. Trinit. & fid. Cathol. & apud Sozomenum lib. 7. cap. 4. Concilium Conſtantinop. I. Can. 3. [Cõſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes, poſt Romanum Epiſcopum: eo quòd ſit ipſa noua Roma.]

8 Ioannes Chryſoſtomus Epiſt. ad Innocentium Papam. Palladius Hellinopolitanus in Vita D. Ioannis Chryſoſtomi. Synodus Epheſina Epiſt. ad Cæleſtinum Papam: [Quia verò neceſſitas exigebat, vt omnia quæ in hac ſacra Synodo acciderunt, Sanctitati Tuæ declararẽtur, nõ potuimus, his litteris noſtris ad Sanctitatem Tuam, non perſcribere, ſecundùm Seruatoris noſtri omnium voluntatem, Piiſſimorumque, ac Chriſti amantium Imperatorum noſtrorum ſanctionem, ex multis, varijſque prouincijs Epiſcopos ſupra 200. in Epheſiorum ciuitate conueniſſe, &c. fuerunt in cõſeſſu noſtro, & illi quoque, qui à Sanctitate Tua miſſi fuerant: videlicet, pientiſsimi Epiſcopi Arcadius, & Proiectus, vnaque cum illis Religioſiſsimus Presbyter Philippus; qui ſua præſentia, tuam nobis præſentiã exhibuerunt, Apoſtolicæque ſedis locum tenuerunt. &c. Vt autem omnia, quæ hic geſta ſunt, cognoſcas, integros Actorum Commentarios miſimus, & Synodi ſubſcriptiones.]

9 Cyrillus Alexandrinus Epiſt. ad Cæleſtinum Papam. Maximianus Conſtantinop. Epiſcopus Epiſt. ad Orientales. Socrates Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 2. cap. 5. & 11. lib. 4. cap. 30. & lib. 5. cap. 8. Sozomenus lib. 3. cap. 7. & cap. 9. & lib. 6. cap. 22. Theodoretus Epiſt. ad Leonem Papam. & Epiſt. ad Renatum Presbyterum. & Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 2. cap. 22. & lib. 5. c. 10.

10 Concilium Chalcedonenſe Act. 1. [Et poſt hæc, reſidentibus magnificentiſsimis, & glorioſiſsimis iudicibus, &c. & ex læua quidem parte ſedentibus Sanctiſsimis, & Reuerendiſsimis Epiſcopis, & Vicarijs Deo amiciſsimis Sanctiſsimi, & Reuerendiſsimi Leonis Antiſtitis priſcæ Vrbis Romæ, &c. Paſchaſinus verò Vicarius Sedis Apoſtolicæ cùm in medio vna cum his viris Reuerendiſſ. collegis ſuis ſtetiſſet, dixit: Beatiſsimi, atque Apoſtolici viri, Papæ Vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, &c.] & Actione 3. Legati Romani Pontificis primi ſubſcribunt, [Paſchaſinus Epiſcopus, &c. Vice Beatiſsimi, atque Apoſtolici Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, &c.]

11 Anaſtaſius Ieroſolymitanus Patriarcha Epiſtola ad Felicem Papam. Achatius Conſtantinop. Epiſt. ad Simplicium Papam. Ioannes Conſtantinop. Epiſt. ad Hormiſdam Papam. Archimandritæ, & monachi ſecundæ Syriæ, Epiſt. ad Hormiſdam Papam. quæ exſtat inter eius Epiſtolas. Theodorus Lector lib. 1. Coll. & lib. 2. Martianus Monachus, & cæteri

Ar-

Archimãdritæ Orientales ſupplicatione ad Iuſtinianum Imperatorem. & Epiſt. ad Agapetum. Mẽnas Patriarcha Conſtantinop. de quattuor Cõcilijs Oecumenicis. Procopius Cæſarienſis lib. 1. de Bello Gothorum. cap. 2. Iuſtinianus Imperator C. de ſumm. Trinit. & fid. Cath. epiſt. ad Ioan. Papam. Eutychius Patriarcha Conſtant. epiſt. ad Vigilium Papam.

12 Synodus Mopſueſtana epiſt. ad Vigilium Papam [Decebat, cùm primam Sacerdotis dignitatem ſortiti eſtis, ea, quæ ad ſanctarum Eccleſiarum ſtatum reſpiciunt, manifeſta veſtræ diutiùs honoratæ Beatitudini fieri.] Euſtathius in vita S. Eutychij. Maximus monachus Diſputatione cum Theodoſio Cæſarienſi Epiſcopo. Anaſtaſius diſcipulus ſancti Maximi, apud Gennadium Scholarium de Primatu Papæ. ſect. 8. Sophronius Ieroſolymitan. Epiſt. ad Stephanũ Epiſcopum. Stephanus Dorenſis libello ad Martinum Papam. Sergius Cyprius Epiſt. ad Theodorũ Papã.

13 Synodus item 6. Conſtant. Act. 17. ſubſcriptiones. [Theodorus humilis Presbyter S. R. E. Locumgerens Agathonis Terbeatiſſimi Vniuerſalis Papæ Vrbis Romæ, ſubſcripſi. Georgius miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopoleos nouæ Romæ, definiens ſubſcripſi.] Et Actione 18. [Proinde inſpiratione ſancti Spiritus conſpirantes, & ad inuicem omnes conſonantes, atque conſentientes, & Agathonis ſanctiſſimi Patris noſtri, & ſummi Papæ dogmaticis litteris ad veſtram fortitudinem miſſis conſentientes, vnum de ſancta Trinitate Dominum noſtrũ IESVM Chriſtum etiam incarnatum prædicamus, in duabus perfectis naturis indiuiſè. &c. Summus autem nobiſcum concertabat Apoſtolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis ſucceſſorem habuimus fautorem, & Diuini Sacramenti myſteriorum illuſtrantem per litteras confeſſionem, ſibi à Deo inſcriptam, illa Romana antiqua Ciuitas obtulit, & dogmatum diem à veſpertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.]

14 Conſtantinus Imperator Epiſt. ad Synodum Apoſt. Sedis antiquæ Romæ. Ioannes Patriarcha Conſtantinop. epiſt. ad Conſtantinum Papam. Taraſius Patriarcha Conſtantinopolit. in Synodo Nicæna 2. Act. 2. & Epiſt. ad Hadrianum Papam. Concilium 2. Nicænum, Actione 2. [Eccleſia Romana, eſt caput omnium Eccleſiarum.] Act. 6. [Exſecrabilis eſt, & profana, & adulterina ſeptima Synodus Conſtantinopolitana: non enim habuit cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Pontificem, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Prouinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet. &c.] & Actione 7. legati Romani Pontificis primi ſubſcribunt. Nicephorus Patriarcha Conſtantinop. Epiſt. ad Leonem III. Papam Theodorus Studites Epiſt. ad Paſchalem Papam. Methodius Patriarcha Conſtantinop. in martyrio D. Dionyſij Areopagitæ. Photius Patriarcha Conſtantinop. Epiſt. ad Nicolaũ Papam. Ignatius Conſtant. epiſt. ad Nicolaũ Papã. Act. 3. 8. Synodi.

15 Cōſtantinopolitana 8. generalis Synodus Canon. 21. [Definimus, neminem prorſus mundi potentium, quemque eorum, qui Patriarchalibus Sedibus præſunt, inhonorare, aut mouere à proprio throno tentare; ſed omni reuerentia, & honore dignos iudicare: præcipuè quidem Sanctiſſimum Papam ſenioris Romæ: deinceps etiam Conſtantinopoleos Patriarcham: deindè verò Alexandriæ, & Antiochiæ, atque Ieroſolymorū. Sed nec alium quemquam conſcriptiones contra ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, ac verba complicare, vel cōponere liceat: ſub occaſione, quaſi diffamator quorumdam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multò ante Dioſcorus. Quiſquis autem tale facinus, contra fidem Petri Principis Apoſtolorum, auſus fuerit intentare, æqualem, & eamdem, quam ille, condemnationem recipiat.] Præſederunt in hac Synodo Donatus, ac Stephanus Epiſcopi Hadriani Pontificis Romani, & ſubſcripſerunt hac forma. [Ego Donatus Epiſcopus Hoſtien. Eccleſiæ, Locumtenens Domini mei Hadriani Pontificis, & vniuerſalis Papæ, omnia quæ ſuperiùs leguntur, huic ſanctæ, & vniuerſali Synodo Præſidens, ad voluntatem eximij Præſulis, promulgaui, & manu propria ſubſcripſi.] qua forma ſubſcribendi & eius Collegæ vſi ſunt.

16 Leo Imperator cognomento, Sapiens, ſequitur idem ſentiens in quodā Sermone. Simeon Metaphraſtes vitæ Gregorij Agrigentini Epiſcopi cap. 27. & vitæ Pauli Conſtantinop. Patriarchæ cap. 4. & vitæ ſancti Stephani Iunioris c. 30. Ioan. Zonaras in Conſtantino. Prælati Græciæ Epiſt. ad Gregorium X. Georgius Pachimerius lib. 5. Hiſtoriarum, recenſet capita pacis Græcorum, & Latinorum: [Principatus ſit Romanæ Sedis: ad eam appellare liceat Græcis: & memoria Romani Pontificis vnà cum Patriarchis celebretur.] Nicephorus Calliſtus lib. 6. cap. 29. & lib. 9. cap. 8. & lib. 17. cap. 9. Nicephorus Gregoras lib. 5. Hiſtoriæ cap. 1. Ioſeph Patriarcha Cōſtantinop. in Conc. Florentino Seſſ. vlt. Armeniorum Oratores in Conc. Florentino, in Decreto Eugenij IV. Iſai. Archiepiſcopus Ieroſolymitan. Epiſt. ad Eugenium IV. Ioan. Patriarcha Alexandrinus, referente Iacobo Nauarcho, in Epiſt. Aſiatica. Nicodemus Abbas Aethiops Epiſt. ad Eugenium. Gennadius Scholarius de Primatu Papæ, cap. 9. & cap. 16. Georgius Trapezuntius Epiſt. ad Cretenſes. & Opuſculo de dicto Chriſti. Sic eum volo manere. &c. ad Nicolaum V. Leonardus Chienſis Mityleneus Epiſcopus de Vrbis Conſtantinopoleos iactura, ad Nicolaum V. Petrus Patriarcha Maronitarum Epiſt. ad Leonem X. Zaga Zabo Epiſcopus Aethiops in confeſſione fidei Aethiopicæ. Petrus Abbas Aethiops Epiſt. ad Paulum III. P. M. Moſes Mandenus Antiochenus in fidei profeſſione. Neſtoriani in Seleucia Parthorū Epiſt. ad Pont. Romanum, pro Patriarcha initiando. de anno 1552. Siud, ſiuè Sulacha Patriarcha Neſtorianorum in profeſſione fidei. de anno 1553. Abdiſus Patriarcha Aſſyriorum in ſuæ fidei profeſſione. de anno 1562. Ga-

briel Patriarcha Alexandrinus Epiſt. ad Clementem VIII. P.M. de anno 1595. & in confeſsione ſuæ fidei. Michael Metropolita Chiouienſis. Hypathion Epiſcopus VVlodimirienſ. Cyrillus Epiſcopus Luciorienſis, & ceteri Ruſſorum Epiſcopi Epiſt ad eumd. Clementem VIII. Hyparhion Protochronius VVlodimirienſis Epiſcopus ad eũd. in fidei profeſsione.

Latinorum SS. Patrum, & Doctorum de hoc eodem, ſententia.
Cap. XXVIII. §. 1.

IDEM. ſenſerunt mente vna antiqui, & vltimi Eccleſiæ Patres, & Doctores Latini. Tertullianus de Pręſcriptioni. aduersùs Hęreticos. c. 36. licèt lib. de Pudicitia. iam factus Hæreticus aliter ſenſerit. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. ſeu 55. & lib. 3. Epiſt. 1. ſeu 67. & lib. 4. Epiſt. 2. ſeu 52. & 8. ſeu 45. Synodus Romana ſub Siluestro cap. 20. Ambroſius Oratione funebri de obitu fratris ſui Satyri. & ad cap. 3. prioris ad Timotheum. & epiſt. 78. ad Theophilum Alexandrinum. & Epiſt. 81. ad Syricium. Optatus Mileuitanus lib. 2. aduersùs Parmenian. Prudentius Carmine de S. Hippolyto. Stephanus Mauritaniæ in Africa Epiſcopus Epiſt. ad Damaſum. Hieronym. Epiſt. 57. ad Damaſum. & Epiſt. 8. ad Demetriadem. cap. 9. & Epiſt. 16. ad Principiam. cap. 3. & aduersùs Ruffinum lib. 3. cap. 5. & 6. Ruffinus ipſe in explicatione Symboli. Auguſt. contra Iulianum Pelagianum. lib. 1. c. 4. & lib. 2. contra Pelagium, & Cæleſtium. c. 7. & Epiſt. 106. 157. 162. & 165.

2 Concilium item Toletanum 1. ſub finem aſſertionis fidei. Conc. Africanum c. 35. Concil. Mileuitanum Epiſt. ad Innocentium Papam. eſt apud Auguſtinum epiſt. 92. Concilium Carthaginenſe epiſt. ad Innocẽtium Papam. eſt apud Auguſtinum epiſt. 90. Seuerus Sulpitius ſacræ Hiſtoriæ lib. 2. Poſsidius vitæ S. Auguſtini cap. 14. & 18. Philippus Presbyter in Conc. Epheſino. tom. 2. cap. 16. Maximus Taurinenſis Homilia 2. de Natali ſancti Laurentij. Vincentius Lyrinenſis contra Hæreſes. cap. 42. Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychem. & Serm. 185. Garetius, Salonius, & Verannius Epiſcopi Galliæ epiſt. ad Leonem Papã. quæ habètur inter eius Epiſtolas Colonię impreſſas. Epiſcopi Metropolis Arelàtenſis epiſt. ad Leonem Papam. Proſper Aquitanicus de Ingratis. cap. 2,

peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſsidet armis,
Relligione tenet.

Et contra Collatorem. cap. 41. & de vocatione Gentium. lib. 2. c. 16. & in Chronicis. Aſcanius, & ceteri Epiſcopi Tarraconenſes epiſt. ad Hilarium Papam. Victor Vticenſis de perſequutione Vuandalica. lib. 2. Epiſcopi Dardaniæ epiſt. ad Gelaſium Papam. quæ exſtat inter eius epi-

ſtolas. Fulgentius de Incarnatione, & gratia IESV Chriſti, cap. 10.

3 Accedunt Synodus Romana 3. ſub Symmacho. & 4. ſub eod. c. 3. Ennodius Diaconus lib. de Synodis ſub Symmacho habitis. Poſſeſſor Epiſcopus epiſt. ad Hormiſdam Papam. Concilium habitum in Epiro, epiſt. ad Hormiſdam Papam. Eulalius Carthaginenſis epiſt. ad Bonifacium II. Caſsiodorus lib. 11. epiſt. 2. ad Ioannem Papam. Amator Epiſcopus epiſt. ad Siluerium Papam. Arator in dedicatione Actorum Apoſtolicorum Heroico à ſe carmine conſcriptorum. Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in Breuiario. Cap. 20. 21. & 22. Gildas Badonicus Correptione in Eccleſiaſticum ordinem. Concilium 4. Aurelianenſe. c. 1. [Quoties aliquid, inquit, de ſolemnitate Paſchatis dubitatur, inquiſita, vel agnita, per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra Conſtitutio teneatur.] Concilium 2. Turonenſe cap. 21. [Quis inquit, Sacerdotum contra Decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica præceſſerunt, agere præſumat? Et quorum Auctorum valere poſsit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper intromiſit? Et Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas.] Concilium 1. Bracharenſe. cap. 22. [Placuit, vt eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quomodo Profuturus quondam huius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ab ipſa Apoſtolici Sedis auctoritate ſuſcepit ſcriptum.] Videndum etiam de hoc cap. 23.

4 Ioan. Epiſcopus Rauennaten. epiſt. ad Gregorium Magnum. eſt inter ipſius epiſtolas lib. 2 Indict. 11. epiſt. 55. Iſidorus Hiſpalenſis præfatione in opus Conciliorum: [Subiecimus, inquit, reliqua Præſulum Romanorum decreta, vſque ad S. Gregorium: & quaſdam ipſius epiſtolas: in quibus, pro culmine Sedis Apoſtolicæ, non impar Conciliorum exſtat auctoritas. &c.] (Quanti Doctoris de quanto Doctore iudicium!) ſequitur, [Nullā Synodum ratam eſſe legimus, quæ non fuerit Apoſtolicæ Sedis auctoritate congregata, vel fulta.] Columbus, & ceteri Primates Epiſcopi prouinciarū Africæ, Numidiæ, Mizazeni, & Mauritaniæ epiſt. ad Theodorum Papam. quæ exſtat in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. Conſultatione 2. Maurus Epiſcopus Rauennatenſis epiſt. ad Martinum Papam. quæ exſtat in Synodo prædicta Lateranēſ. Ionas Monachus in vita ſancti Euſtachij cap. 5. Aldelmus epiſt. ad Geruntium. Beda venerabilis Hiſt. Anglicanæ lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 3. & cap. 25. & 29. & Homil. in Natali S.P.N. Benedicti. & de ratione temporum. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus epiſt. ad Zachariam Papam. & epiſt. ad Stephanum II. quæ exſtat apud Nauclerum Generatione 26. Alcuinus lib. de Diuinis officijs cap. 19. Paul. Diaconus de Geſtis Longobardorum lib. 6. c. 4. aliàs 15. & cap. 10. aliàs 28. Paulinus Aquilegienſis aduerſus Felicem Vrgelitanum. Ambroſius Anſuertus epiſt. ad Stephanum Papam præfixa Commentarijs in Apocalypſin. & in fine Commentariorum

Con-

Concilium Caroli Imperatoris apud Gratianum diſt. 19. In memoriam. quæ diſt. tota facit ad rei, de qua agimus, confirmationem. Haymonius Hiſtoriæ Francorum lib. 2. c. 1. VVallafridus Strabo de Rebus Eccleſiaſ. c. 22. & cap. 31. Ionas Aurelianenſis lib. 1. de Cultu imaginum. & lib. 3.

5 Præterea Strabus Fuldenſis in Gloſſ. ordinaria 2. Paralip. c. 17. Rabanus Maurus ad Matthęi c. 17. & de laude S. Crucis. ad Gregorium IV. P.M. Hingmarus in Synod. apud S. Medardum. & Epiſt. ad Hadrianum II. Hildoinus in Areopagiticis. Landramus Turonenſis, &c. Epiſt. ad Numenium Priorem gentis Britannicę. Anaſtaſius Bibliothecarius Præfat. ad Pont. M. ni vitam Ioann. Eleemoſynarij à ſe verſam. Rochaldus Sueſionenſis appellat. ad Nicolaum Papam. Synodus Triburienſis capit. 30. repetitis verbis citatis Concilij Caroli Imperatoris: [In memoriam B. Petri Apoſtoli, honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis:] Regino Prumienſis in Chronicis de anno 842. 865. & 866. Luitprandus Ticinen. lib. 1. c. 8. & lib. 2. c. 13. & lib. 6. cap. 6. Notgerus Leodienſis in vita S. Lãdoaldi. Burcardus VVormatienſis lib. 1. c. 42. Berno Augienſis libello de quibuſdam ad Miſſas ſpectantibus. Petrus Damianus in vita S. Barbatiani. & in vita S. Vitalis. & Epiſt. 11. ad Nicolaum Papam. c. 5. Lanfrancus Cantuarienſis de Euchariſtia. contra Berengarium. Guitmundus Auerſanus de Sacramento Altaris. Anſelm. Cantuarienſis de Incarnat. Verbi. c. 1. & in Præfatione in Epiſt. ad Rom. & ſuper Caput illius 1. Aldebertus Cenomanenſis Epiſtol. 19. Edinerus Anglus vitæ S. Anſelmi lib. 2. Iuo Carnotenſis Epiſt. 48. ad Paſchalem P.M. & Epiſt. 71. & 183. Leodienſes Clerici Epiſt. ad Paſchalem Papam. Otto Bambergenſis Epiſt. ad eumdem. Rupertus Tuitienſis in Ioan. lib. 2. c. 3. & de Diuinis officijs. lib. 1. c. 27. & lib. 2. c. 22. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis Eccleſiæ. c. 43.

6 Bernardus omninò videndus de Conſiderat. ad Eugenium Papam lib. 3. cap. 8. & Epiſtol. 125. 131. 183. 190. & 237. & Serm. de priuilegijs B. Ioannis Baptiſtæ. Guigo Carthuſianus prologo in vitam S. Hugonis Epiſcopi ad Innocentium II. Petrus Lombardus 4. Sententiar. diſtin. 24. Ioan. Gratianus diſtinct. 93. per totam. Petrus Cluniacenſis lib. 6. Epiſtol. 14. ad Eugenium Papam. & Epiſt. 44. Ildegardis Epiſt. ad Eugenium P.M. & Epiſt. ad Alexandrum III. P.M. Otto Friſingenſis in Chronicis. lib. 7. c. 32. Poto Prumienſis de ſtatu Domus Dei. lib. 3. & 4. Petrus Bleſenſis Epiſt. 45. ad Pont. Rom. Arnulphus Lexouienſis Epiſt. ad Alexandrum Pont. Max. de promotione ſua. Hugo Eterianus de Spiritus ſancti proceſſion. lib. 3. c. 17. Ioannes Saliſberienſis lib. 8. Policratici. Capit. 17. & 23. Godfridus Viterbienſis in proœmio Hiſtor. vniuerſalis ad Vrbanum III. Guillelmus Tyrius Belli ſacri lib. 11. c. 28. & lib. 15. cap. 15. Gulterus lib. 1. Dodochinus de anno 1099. Ioachim Abbas Florent. Prologo

i. in Apocalyp. Ioann. Beletus de Diuinis officijs. c. 13. & 14. Saxo Grãmaticus Hiſtor. Danicę lib. 13. Conc. Lateranenſe c. 5 de anno 1215. Conradus Abbas VVrſpergẽſis in Chronicis. de anno 1107. Iacobus Vitriacus Hiſtor. Orientalis c. 75. Alex. Alenſis p. 3. q. 40. memb. 2.

7 Rodericus Toletanus ſic refert Rerum Hiſpanicarum lib. 6. cap. 26. [Gregorius VII. Papa, ad petitionem Regis Aldefonſi, miſit quemdam Ricardum Abbatem S. Victoris Maſſilienſis, vt Eccleſias Hiſpaniæ, tot perſecutionibus perturbatas, Eccleſiaſtico moderamine ordinaret. Qui minus religioſè officium peragens, cœpit irregulariùs ſe habere. Quod attendens Toletanus electus, per maris, & terræ pericula, ſe Romani Pontificis conſpectui præſentauit. Et Gregorio VII. viam vniuerſæ carnis ingreſſo, inuenit Vrbanum II. in Sede Apoſtolica ſubſtitutum: à quo gratanter & benignè ſuſceptus, conſecrationem, Pallium, & Priuilegium obtinuit: & Primas inſtitutus Hiſpaniarum, Apoſtolicæ Sedis benedictionem ſuſcepit.]

8 Vincentius Burgundus Prologo in quattuor ſpecula doctrin. c. 13. & libr. 30. c. 61. Hugo Card. ad c. 17. Deuter. Henricus Hoſtien. Card. in Summa. §. Vnde. in fine Prooemij. & de Auctor. & vſu pallij. §. Et quo loco. Albertus Magnus ad c. 16. Matth. S. Thom. ſeu Auctor Opuſculi ſibi adſcripti de Regim. Princip. lib. 1. cap. 14. ſed ipſe Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. & contra impugnantes Religionem. c. 3. Poſt quem omnes eius Interpretes, omnes Scholaſtici Doctores, Iuris prudẽtes vtriuſque, ſacrorum Bibliorum Enarratores, & Hiſtoriographi, mira conſenſione, hanc aſſertam veritatem acerrimè contra impios Hæreticos defenderunt.

9 Longum eſſet etiam referre ſuo ordine Romanorum Pontificum Petri ſucceſſorum teſtimonia, quæ ex eorum Epiſtolis Decretalibus habentur, ab Anacleto, vſque ad præſens æui: quibus tam verè, quàm grauiter, ſapienter, & ſanctè hanc ſuam auctoritatem profitentur. Attamen pro Catholicis haud illa apponere neceſſarium eſt: qui autem torrenti SS. Patrum, & Doctorum, ac Conciliorum reſiſtere ſemel decreuerunt, quique commotionem nubis tot, ac tantorum teſtium nobis impoſitæ, non ſuſtinent; neque ſummorum Pontificum ſcripta, quæ quaſi aquę Siloe, cum maiori currunt ſilentio, neque eorum auræ tenuis ſibilum ſuſtinebunt.

Imperatores Chriſtianos, Reges, Principes, & Magiſtratus Seculares, agnouiſſe ſemper Eccleſiæ Romanæ Primatum, deſcribitur.

Cap. XXIX. §. 1.

REFERVNT Euſebius Cæſarienſis lib. 6. c. 27. Hiſtor. & Nicephor. Calliſtus lib. 5. c. 25. Imperatorem Philippũ & fuiſſe primum ex Chriſtianis Imperatoribus, & B. Fabiano ſummo Ponti-

ſici humiliter obediuiſſe; dum eum inter Chriſtianos collocauit pœnitentes, pœnitentiæ cum illis; pro ſuis agendæ delictis, com participem, ac conſcium futurum: ac Imperatorem ſummam hanc in Romano Epiſcopo auctoritatem cognouiſſe. Conſtantinus Magnus reſcripto ad S. Silueſtrum eamdem luculentiſſimè fuit profeſſus. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius A A A. libr. 1. C. de Summ. Trinit. & Fid. Cathol. l. Cunctos populos. idem, Damaſum Petri reuerentes ſucceſſorem, demonſtrarunt. Honorius Auguſtus ad Bonifacium Papam. Valentinianus III. Epiſt. ad Theodoſium Imper. quæ exſtat in Concilio Chalcedon. Valētinianus, & Martianus AA. Epiſt. ad Leonem P. M. Martianus Imper. ad Leonem Papam. Galla Placidia Imperatrix Epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam. Pulcheria Auguſta epiſt. ad Leonem P. M. Anaſtaſius Imper. epiſt. ad Hormiſdam Papā. Iuſtinus Imp. epiſt. ad eumdem. Athalaricus Rex epiſt. ad Clerum Eccleſiæ Romanæ.

2 Eſt celebris Iuſtiniani epiſt. ad Ioannem Papam. & refertur C. de Summ. Trinit. & Fid. Cathol. item & reſcriptio eiuſdem ad eumdem. in principio Authent. Vt Eccleſia Romana centum annorum gaudeat præſcriptione. & in Authent. de Eccleſiaſticis titulis, & priuilegijs c. 2. & ad Bonifacium Papam. & in eius Decretis exſtat. Sequuti ſunt eadem mente Conſtantinus V. Imper. epiſt. ad Domnum Papam. Iuſtinianus II. Imper. referente Beda de Sex ætatibus. de anno 4665. Luitprandus Longobardorum Rex in legibus Lōgobard. tit. 23. §. 5. Carolus Magnus epiſt. ad Elipandum Toletanū. & in priuilegio Eccleſiæ Bremenſis. apud Crātzium in Metropol. lib. 1. cap. 7. & libr. 5. legum Franciæ. cap. 167. & lib. 7. cap. 235.

3 Kenulphus Rex Merciorum apud Anglos in hanc formam Leoni III. ſcripſit Pontifici: [Vnde meritò omnis per orbem exſultat Eccleſia: quia eum omnium vetus remunerator bonorum, glorioſiſſimum gregis ſui Paſtorem Hadrianum perpetuò remunerādum, ſuper æthera duxiſſet: ſuis tamen ouibus pia erexit prouidentia præuium, qui ſcit ouile Dominicum ad caulas non inferius vitæ agitare. Nos quoque meritò, quos extremitas orbis tenet, eodem modo præ ceteris gloriamur; quia illius ſublimitas, noſtra ſalus eſt; illius proceritas, nobis perennis exſultatio: quia vnde tibi Apoſtolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit.] Et plura quæ ibi ſequuntur oſtendentia clarè Angliæ inſulam ab Apoſtolica Sede Euangelij lucem, quæ illam extolleret, eius verò tenebras, quæ illam deprimerent, à Petro Martyre, à Bucero, & Caluino impijs, & audacibus Hæreticis ſuſcepiſſe.

4 Eduardus Rex Angliæ ſic ſcripſit ad Nicolaum II. P. M. [Summo vniuerſalis Eccleſiæ Pontificis Nicolao; Eduardus gratia Dei Anglorum Rex, debitam & ſubiectionem, & obedientiam. Glorificamus Deum: quia curam habet ſuæ electæ Eccleſiæ: quoniam in loco boni prædeceſ-

ſoris, vos optimum ſucceſſorem conſtituit. Quapropter iuſtum iudicamus, apud vos, veluti ad ſolidam petram, tenere, & probare omnes bonas actiones noſtras, & veſtram notitiam, & ſocietatem in bono habere; quatenùs eas donationes, & priuilegia, quæ obtinuimus apud prædeceſſores veſtros, renouetis, atque augeatis nobis; videlicet, vt quod ille iniunxerat nobis, ſub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ, propter votum, quod voueram ire Romam; &, in remiſſionem omnium peccatorũ meorum, conſtruere Cœnobium Monachorum, in honore Apoſtoli Petri, tacum faciatis: & priuilegia poſſeſſionum, & dignitatum eiuſdem loci confirmetis, renouetis, & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & conſuetudines pecuniarum, quas habet S. Petrus in Anglia: & ipſas pecunias collectas, cum regalibus donis mitto vobis: vt oretis pro me, & pro pace regni mei: & continuam, & ſolemnem memoriam inſtituatis totius gentis Angliæ, coram corporibus ſanctorum Apoſtolorum.]

5 Quæ certè ſola verba ſufficere deberent, vt Sereniſſimi Angliæ Reges, Nouatorum ſuorum Doctorum, ſeu vilium, & ex plebis fæce ſeductorum, prætermiſſis falſis ſuggeſtionibus, prædeceſſorum Regum inſiſterent veſtigijs, quam illi Catholicam ſunt venerati religionem venerantes: ac ſummum Pontificem Romanum Eccleſiæ agnoſcentes viſibile caput, quò inuiſibili Chriſto Domino viſibiliter copulati, tandem eo, in cæleſti Ieruſalem, & Eccleſia triumphante, Hæreticis peccatoribus videntibus, & iraſcentibus fruerentur. Sed pro maiore Eccleſiæ Romanæ, eiuſque ſummi Pontificis circa hęc iuſtificanda cauſſa, ſemel, quid alij Anglię Reges de hoc & ſenſerint, & ſcripſerint, proferamus.

6 Regina Angliæ epiſt. ad Cæleſtinum Papã. quæ eſt 144. inter epiſt. Petri Bleſenſis: ſic ait: [Gentes diuulſæ, populi lacerati, prouinciæ deſolatæ, & generaliter tota Occidentalis Eccleſia confecta lamentis, in ſpiritu contrito, & humiliato ſupplicant Vobis, quem conſtituit Deus ſuper gentes, & regna in omni plenitudine poteſtatis. Afflictorum, quęſo, clamor introeat in aures Veſtras: calamitates enim noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper numerum: nec iſta diſſimulare poteſtis, citra criminis, & infamiæ notam; cum ſitis Vicarius Crucifixi ſucceſſor Petri, Sacerdos Chriſti, Chriſtus Domini, Deus etiam Pharaonis. &c. Vbi eſt zelus Eliæ, in Achab? zelus Ioannis in Herodem? zelus Ambroſij in Valentem? zelus Alexandri III. qui, ſicut audiuimus, & vidimus, patriam iſtius Principis Fridericum, plena auctoritate Apoſtolicæ Sedis, à fidelium communione præcidit? Porrò tyrannus Apoſtolicas claues habet ludibrio: nec, niſi verba, reputat legem Dei. Scriptum eſt enim: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Ideò ſi veſtram non vultis, aut Eccleſiæ Romanæ iniuriam perſequi; vobis tamen diſſimulare non licet Petri opprobriũ, & iniuriam Chriſti.

7 Eduar-

7. Eduardus Rex Angliæ epiſt. ad Bonifacium VIII.P.M.ſic inſcripſit: [Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino Bonifacio Diuina prouidentia Eduardus, &c. Conſeruetur Paternitas veſtra, ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ,per tempora proſpera, & longæua.]

8 Comites, & Barones Angliæ ſic ad Bonifacium VIII. P.M.ſcripſerunt: [Sanctiſſimo in Chriſto Patri D. Bonifacio, Diuina prouidentia S.Romanæ, ac Vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, ſui deuoti filij Ioãnes Comes VVarran.Thomas Comes Gloceſtriæ, & Hertfordiæ, deuota pedum oſcula beatorum. S.Romana mater Eccleſia, per cuius miniſterium, fides Catholica, in ſuis actibus, cum ea, vt firmiter credimus, & tenemus, maturitate procedit, quòd nulli præiudicare, ſed ſingulorum iura ſeruari velit illæſa,&c. Sanctitati V. reuerẽter,& humiliter ſupplicamus, quatenùs Dominum noſtrum Regem, qui inter alios Principes orbis terræ, Catholicum ſe exhibet, & Romanæ Eccleſiæ deuotum,iura ſua,& libertates,& cõſuetudines,& leges,abſque diminutione,& inquietudine pacificè poſſidere, & illibata perſiſtere, benigniùs permittatis.]

9 Eduardus Rex Frãciæ,& Angliȩ epiſt. ad Clementem VI.ſic ſcripſit: [Sanctiſſimo Patri,ac Domino D.Clementi Diuina Dei prouidentia,Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Eduardus Dei gratia Rex Franciæ, & Angliæ, Dominus Hiberniȩ, deuota pedum oſcula beatorum.]

10 Henricus VIII. Rex Angliæ in Aſſertione. 7.Sacramentorum, aduersùs Lutherum. Art. 2. ſic docuit: [Negare Lutherus non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium, ſacroſanctam Sedem Romanam, velut matrem, Primatemque recognoſcat, ac veneretur: quæcumque ſaltem, neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus,prohibetur acceſſu. Quamquam,ſi vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipſi,tot terrarum,tot marium,tot ſolitudinum plagis diſiuncti, Romano tamen Pontifici ſe ſubmittunt. Ergo ſi tantam, & tam latè fuſam poteſtatem, neque Dei iuſſu Pontifex, neque hominum voluntate conſequutus eſt, ſed ſua ſibi vi vindicauit; dicat, velim, Lutherus,quando in tantæ ditionis erupit poſſeſſionem? Non poteſt obſcurum initium eſſe, tam immenſæ potentiæ: præſertim, ſi intra hominum memoriam, nata ſit. Quòd ſi rem dixerit,vnam fortaſſe, aut duas ætates,ſuperare: in memoriam,nobis redigat,ex hiſtorijs: alioquin, ſi tam vetuſta ſit, vt rei etiam tantæ obliterata ſit origo, legibus omninò cautum eſſe cognoſcit, vt cuius ius omnem hominum memoriam ita ſupergreditur,vt ſciri non poſſit cuiuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum: vetitũq; eſſe conſtat omnium conſenſu gentium, ne,quæ diu manſerunt immota, moueantur. Certè ſi quis rerum geſtarum monumenta euoluat, inueniet,iam olim protinus poſt pacatum orbem,pleraſque omnes Chriſtiani orbis Eccleſias obtemperaſſe Romanæ. Quin Græciam ipſam,quam-

quam ad ipſam commigraſſet Imperium, reperiemus tamen, quòd ad Romanæ Eccleſiæ Primatum pertinebat:&c.prę terquam dum Schiſmate laborabat, Romanæ Eccleſiæ ceſſiſſe.]

11 Liceat nobis hic proclamare cū Paulo, ad Galat.c.5.Rex infelix, [currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?] & cum eodem.c.4. [O inſenſati] Hæretici Angli,& Scoti,[quis vos faſcinauit, non obedire veritati: ante quorum oculos,] iam ab ipſa prima in Britannia, Anglia, & Scotia prædicatione Euangelij facta, [Chriſtus proſcriptus eſt,& in vobis crucifixus?] Hoc ſolùm à vobis volumus diſcere: ex operibus Petri Martyris, Buceri, Caluini, & ſimilium Sycophantarum, ſpiritum Chriſtianum accepiſtis,an ex auditu fidei,per S.Ioſephum ab Arimathia nobilem Decurionem, & nobiliorem Apoſtolum in Britannia primò prædicatæ, & deinde per SS.Damianum,& Fugatium,miſſos à S.Eleutherio Papa, & in Anglia primò per ſanctos Apoſtolos, Auguſtinum, Laurentium, Iuſtum, Mellitum, & Petrum Abbatem, omnes Benedictinos Monachos, à Monacho Benedictino eorum ſpeciali, & orbis Chriſtiani communi Patre; ſummo Pontifice Gregorio Magno deſtinatos? Certè oportuiſſet,Veſtrorū imitari maiorū pietatem:& Apologias & θεωρίας ſcriptas contra veritatem, in illorū conuertere Eulogias,qui Vos è tenebris infidelitatis, in admirabile Catholicæ fidei lumen vocauerunt: eorum inhærere veſtigijs, in eorum ſepeliri ſepulchris; (quæ fuit ingens Patrum, & Regum benedictio ſub priori Teſtamento,) qui Pontifices Romanos ſucceſſores Petri, Vicarios Chriſti Domini,Eccleſiæque capita cognouerunt. Hæreſibus nuncium remittere oporteret, eaſque abiurare, & Catholicā fidem à veſtris regnis exſulem,domū poſtliminio reducere: vt ęternis Elogijs in terra nobilitaremini,in cęlis verò gaudiū, quod ex peccatorum conuerſione nouum ſequitur, Angelis crearetis.

12 Et quid opus eſt,Apologijs contra Reges illarum Inſularum agere? Vos ipſos vobis ipſis, Reges Regibus opponimus: & non iam tot SS.Patres, & Doctores, ex Veſtra gente:ſed ſupplicamus, vt ad acta Regum Anglorum, & Scotorum auorum, proauorum, & atauorum Veſtrorum Sanctiſſim. Prudentiſſim. & Fortiſſimorum,oculos conuertatis: eorum imitemini facta, veneremini ſcripta, ſtudia conſectemini. Ac tandem ad ea, quæ Henricus Angliæ Rex VIII. Eccleſiam Romanam amans,ſcripſerit,non ad ea,quæ amens fecerit,attendatis.

13 Quid ſenſerit Ludouicus Imp.habetur apud Gratian.d.93.Ego Ludouicus.Itē Ludouicus,& Lotharius AA.epiſt.ad Eugeniū P.M.Lotharius Rex epiſt.ad Hadrianum II.P.M. Baſilius Imper.Conſtantinop.in Concil.8.generali. Act.6.Carolus Rex Franciæ epiſt. ad Hadrianum II.Leo Imper.Serm.de S.Petro.Otho I.Imper.apud Gratianum.diſtinct.63.Tibi Domino Papę Ioanni. Hugo Rex Franciæ epiſt.ad Ioannem Papam.Fridericus I.Imp. epiſt. ad Emmanuelem Imp. Græcorum. Ludouicus Rex

Fran-

Francorum epiſt. ad Alexandrum P.M. Alexius Imper. Græcorum epiſt. ad Innocentium III. P.M. Leo Rex Armeniorum epiſt. ad eumdem Innocentium. Reginaldus Rex Inſularum epiſt. ad Honorium III. Frideric. II. Imper. in Conſtitutionibus, de Statutis, & Conſuetudinibus, &c. Carolus Rex Siciliæ epiſt. ad Clementem IV. S. Ludouicus Rex Franciæ in Documentis ſcriptis filio ſuo Philippo ante mortem. exſtant apud Guillelmum Nangium. de Geſtis S. Ludouici. Michael Palęologus epiſtol. ad Gregorium X. Andronicus Imper. Græcorum epiſt. quæ exſtat Græcè in Bibliotheca Palatina. Henricus Dux Heluiæ epiſtol. ad Ioannem XXII. Vladiſlaus Rex Poloniæ epiſt. ad eumdem Ioannem. P.M. Sigiſmundus Imper. epiſt. ad Pontificem Romanum. quæ exſtat in Appendice Concilij Baſilienſis. Ladiſlaus Rex Hungariæ, & Bohemiæ Orat. Romæ habita ad Nicolaum V. P.M. exſtat apud Cochlæum Hiſtor. Huſſitarum lib. 2. Ludouicus Rex Francorum epiſt. ad Pium II. Sigiſmundus Rex Polonia epiſt. ad Concil. Lateranen. Dauid Rex Æthiopiæ epiſt. ad Ioannem Regem Portugalliæ. & epiſt. 1. & 2. ad Pontificē Romanum. Damianus à Goa epiſt. ad Paulū P.M. [AEthiopum Imperator, cum omnibus ſuis regnis, ſub tua diſciplina viuere cupit: nec quicquam magis optat.] Carolus V. Imp. in Concil. VVormacien. Claudius Imp. AEthiopū epiſt. ad Paulum III. P.M. Franciſcus Rex Bungi in Iapponia epiſt. ad Gregorium XIII. P.M. Procaſius Rex Armeniorum epiſt. 1. ad eumdem Gregorium P.M. Barptholomæus Omuranorum Princeps epiſt. ad eumdem Gregorium P.M. Sigiſmundus III. Polonię Rex epiſt. ad Sixtum V. P.M.

14 Omnes Imperatores, Reges, Principes relati, in ſuis ſcriptis mira conſenſione, ſummum Pontificem Romanum, Eccleſiæ vniuerſę Caput, & Primum Eccleſiaſticum Principem, & Patrem eſſe confitentur, & ſe ipſos illi, tamquam filios, omni animi demiſſione ſubiecerunt.

De Chriſti regno adhuc, & de Eccleſiæ poteſtate agitur, ex Mat. c. vlt *Cap.* XXX. §. 1.

DE Chriſto Domino in mundum paſſibili, & mortali ingrediente, & in eo conuerſante, aliter fuiſſe loquutos, ſiue antiquos Prophetas, ſiue ipſos Euangeliſtas, & Apoſtolos aliter verò de eo à mundo ad Patrem regrediente, iam immortali, ac paſſionibus non obnoxio, facilè perſpiciet quicumque in ſacræ Scripturę lectione mediocriter verſatus Et pro antiquę Paginæ pluribus locis hoc explicantibus, ſit modo ſati vnus Iſaias. c. 53. de Chriſto paſſuro, ſic loquens: [Domine, quis credidi auditui noſtro? Et brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcende ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecie ei, neque decor: & vidimus eū, & non erat aſpectus;] & plura huiuſmod

quæ ſequuntur. Ipſe tamen Propheta de Chriſto, poſt paſſionem, & reſurrectionem, ad cælos aſcendente ſcribens, ſic ait, cap. 63. [Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? &c.]

2 Pro noui Teſtamenti teſtimonijs, ſeu exemplis, accedat ipſemet Chriſtus, Matth. c. 20. ſic docens Diſcipulos ſuos: [Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare:] &, c. 11. [Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.] Attamen diſceſſurus è mundo, & ad Patrem reuerſurus, OEconomia noſtræ redemptionis peracta, quàm magnifica de ſe protulerit, & quæ mandata Apoſtolis, de ſua prędicanda per orbem, ac celebranda poteſtate, dederit, ex Matth. c. vltimo copiosè comprobatur. [Data eſt mihi,] dixit Apoſtolis, [omnis poteſtas in cęlo, & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Docentes eos, ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.]

3 Quidam Interpretes de ea doctrina aiunt, Chriſtum hic loquutum, quam in monte, vt habetur c. 5. apud eumdem Euangeliſtam, nouam, ac inauditam illucuſque attulerat. Latiſſimè tamen, ex communi ſententia SS. Patrum, & Enarratorum Euangelij, illa Chriſti mandata ſe extendunt: cùm plura, quàm illa eis aliàs propoſuiſſet; cùm multa etiã illis ſolùm inſinuaſſet: quorum intelligendorum, ac percipiendorũ tunc eſſent incapaces, quæ poſtea erant illis clariùs, Spiritus ſancti aduentu, ſuggerenda. Quæ omnia voluit, & pręcepit Chriſtus, vt Apoſtoli per orbem cunctos mortales edocerent. Talia erant mandata, quę Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 11. ſcribebat, ſe illis allaturum dicens: [Cetera cùm venero diſponam.] Et de quibus ibi dixerat, [Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis; & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.] Et cap. 14. ſic ſcripſit: [Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, agnoſcat quę ſcribo; quia Domini ſunt mandata.]

4 Data eſt mihi, dixit, omnis poteſtas in cęlo, & in terra.] Lege cęlitùs accepta, deſcendit ſemel, & iterùm Moyſes ad populum, quò eam curioſiùs obſeruaret, nihil, præter Dei pręcepta, in ea contineri, ſępius illum obteſtando. Chriſtus Dominus ſummus noſter Legiſlator, id primum diſcipulos admonet; poteſtatem, videlicet, illam, quam erat nactus, & in qua, & cum qua, per orbem, operis ſui eos Vicarios deſtinabat, non eſſe pręſumptam, nihil, ſibi temerè arrogare: neque dare illis, quod aliàs ipſe non haberet. Data quidem fuerat omnis poteſtas Chriſto, quatenùs Deus erat, à Patre ęterno, qui fons totius Diuinitatis exiſtens, per ęternam generationem, poteſtatem omnem, ſicuti & naturam ipſam Diuinam, dedit Filio, vt eum, [Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero,] crederemus: ſic dixit: [Omnia tradita mihi ſunt à Patre meo.] Luc. c. 10.

5 Item data eſt omnis poteſtas Chriſto: quia quando homo factus eſt, eam cum natura accepit humana: vt nobiſcum illam communicaret: vt dixit Athanaſius. Accepit præterea poteſtatem Chriſtus, quatenùs homo erat, quam, quatenùs erat Deus, naturaliter habebat: ſicuti Gregorius Niſſenus, & Cyrillus Alexandrinus explicarunt. Attamen, quòd ad hunc locum propriè facit, non loquitur Chriſtus hic de quacumque poteſtate, ſed de ea, quam Apoſtolis tribuebat: id eſt, de poteſtate ſui regni ſpiritualis acquirendi, colligendi, & veluti recuperandi: ad quem effectum ad orbem Apoſtolos tranſmittebat. Sic loquitur Chriſtus, tamquã de re noua, & quam ante reſurrectionem, quaſi non fuiſſet aſſequutus. Hoc & Athanaſius adnotauit: vt eum ſenſum reddat, ſe de ea inſtituiſſe ſermonem poteſtate, quam habebat, tamquam hominum redemptor; quamque per mortem, ac ſuam reſurrectionem compararat. Ius namq; hoc ſibi perpetuum firmauerat, vt quia ſui effuſione ſanguinis; magno pretio! non auro, vel argento, de vana conuerſatione genus redemerat humanum; homines cunctos in regnum congregaret ſuum, eoſque ſibi ſubditos, ac morigeros efficeret.

6 De illa certè loquutus fuit poteſtate, quam ei Pater, quaſi per nouam, ac miram generationem à mortuis ſuſcitato, vt explicat Pſalm. 2. Petrus Apoſtolus Act. cap. 2. promiſerat, dicens ibi; [Filius meus es tu: ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ. &c.] Et Pſalm. 71. de ea dicitur: [Dominabitur à mari vſque ad mare; & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.] & Pſal. 88. [Et ego Primogenitum ponam illum: excelſum præ Regibus terræ.] & Pſal. 109. [Dixit Dominus Domino meo:] Pater, videlicet, Filio, ſic explicante Chriſto Domino, Matth. cap. 22. [Sede à dextris meis; Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.] De qua etiam per Iſaiam cap. 49. prædictum fuerat. [Ecce dedi te in lucem gentium; vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus; In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui. Et ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi: vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas. Et diceres his, qui vincti ſunt, exite, & his, qui in tenebris, reuelamini.

7 De ea dubio procul loquutus fuit poteſtate, de qua Daniel prædixit cap. 7. [Aſpiciebam in viſione noctis; & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat; & vſque ad antiquum dierum peruenit. Et in conſpectu eius obtulerunt eum; & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ſeruient ei. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.]

8 De illa tamdem egit poteſtate, de qua apud Ioann. c. 16. dixerat: [Confidite, ego vici mundum.] Hanc ſibi affirmat Chriſtus poteſtatem, per mortem, & reſurrectionem ſuam, datam; quia eam cumulatiſſimè

me-

meruit: dicente Paulo ad Philip. cap. 2. [Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorũ.] Ea poteſtas data eſt Chriſto in cælo, & in terra; de qua, dixit Apoſtolus, ad Rom. c. 14. [In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum, & mortuorũ dominetur.] Qua poteſtate inſtructos, ad regni ſui fines propagandos, Apoſtolos miſit: vt optimè aduerſus Eutychetem lib. 5. Vigilius Papa fuit interpretatus.

9 Data eſt mihi, dixit, omnis poteſtas in cælo, & in terra:] vt ſignificaret, ſe vbique Dominum, vbique Regem conſtitutum: quod Paulus ibi expreſſit. Attamen inſinuauit Apoſtolis, alteram regni partem, eam, videlicet, quæ erat in cælo, iam penitùs acquiſitam, iam exſtare paratam: alteram, quę erat in terris reſidua, per Apoſtolos, quos ad id mittebat, ſpiritualibus bellis acquirendam.

10 Qui ergo in eam regni partem, nullis miſerijs, difficultatibus nullis obnoxiam, ſed quietam, paceque fruentem, aſcendebat, in ſolio ſuo ad dexteram Patris conſeſſurus, Apoſtolos in alteram, curis, ſollicitudinibus, contradictionibus, luctibus, mortibus, omniq́ue pœnarum, nedum delictorum, genere refertiſſimam, direxit: ea diſpoſitione, qua ſibi diſpoſuit Pater æternus regnum: vt irent in mundum vniuerſum, & fructum afferrent, & fructus eorum maneret: quaſi cum illis imperium diuidendo, vt ipſe ſcanderet aſtra cæleſtibus imperaturus, ipſi non iam Iudæam ſolam, ſicuti olim eis præceperat, prædicando peragrarent, vt in qua fuiſſet Deus notus, eiuſque nomen magnum ibi habitum, quæ etiam hæreditario quaſi iure, ſuum erat peculiare regnum: ſed ex Pſalm. 13. in omnem terram eorum exiret ſonus: & in fines orbis terræ eorum verba perſonarent.

11 Data eſt Chriſto omnis poteſtas, qua & ipſe potentes miſit Apoſtolos in opere, & ſermone, per mundũ prædicaturos: vt populus incognitus Chriſto ſeruiret, ipſiuſq́ue dicto audiens eſſet: ex Pſalm. 75. & illud Iſaiæ cap. 65. impleretur. [Quæſierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt, qui non quæſierunt me.] & illud Oſee cap. 13. ab Apoſtolo ad Rom. cap. 9. celebratum: [Vocabo non plebem meam, plebem meam.] Ergo, dixit Chriſtus Apoſtolis, vt intentũ concludamus, quandoquidem à me emittimini, cui data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra, & à me eſt vobis communicata, (eam enim habet emphaſim illa particula illatiua, [Ergo: docete omnes gentes.] Quod autem erãt docturi, erat Euangelium: dicente Marco c. vltimo. [Prædicate Euangeliũ omni creaturę.] addit Matthęus, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.] Ecce ianua, per quam erant homines admittendi, ad ſequẽtia, ſcilicet, [Docentes eos, ſeruare omnia quæcũq; mãdaui vobis.]

12 Hinc

12 Hinc eſt conſequens, eodem præcepto teneri Chriſtianos omnes excipiendi, ac ſeruandi Apoſtolorum mandata ab ore Chriſti profici ſcentia, quo adſtricti erant Apoſtoli ea hominibus publicare; eoſque de eis copioſiùs inſtituere. Hinc eſt conſequens, ſanctiorem legem Deum hominibus cum Euangelio tribuiſſe, quàm in Codicibus antiquis, per Moyſem, populo Hebræorum deſcripſit: quò maior eſt Chriſtus Filius, & Dominus in domo, quàm Moyſes, ſolùm famulus reputatus. Hinc eſt conſequens; non plus obligaſſe ſexcenta & tredecim præcepta data illi carnali populo, ad ſui obſeruantiam, quàm Euangelij mandata ſuos obligant profeſſores; & tamen, [irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſericordia, duobus, aut tribus teſtibus moriebatur: quantò magis,] inquit Apoſtolus ad Hebræos c. 10. [maiora meretur ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, eiuſque ſanguinem pollutum duxerit?] eius mandata, per Apoſtolos nobis tradita, contemnendo.

13 Docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.] Moyſi dictum olim fuit à Deo, Exod. c. 25. [Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in mõte mõſtratũ eſt.] Apoſtolis dicitur, [Docẽtes eos ſeruare, quæ mandaui vobis.] Vt omnia, ſcilicet, facerent ſecundũ exẽplar, quod ab ipſo perceperant Chriſto. Vbi manifeſtè relucet poteſtas illis data, nouam hanc Chriſtianam Rempublicam conſtituendi: eius tot negotia ſuſtinendi: eam armis legum ſanctarum, etiam ciuilium, tutandi, moribus ornandi, ſtatutis, decretis, Canonibus emendandi. Inter quæ cæleſtia ſancita; ſtatim illud ſe præſtat obuium, quo Chriſtus vni Petro claues huius regni tribuendo, cunctumque gregem paſcendum eius cõmittendo curæ, eum conſtituit fidelium omnium caput: quod ex primis eſt Chriſti mandatis, quod ceteri Apoſtoli mundum vniuerſum ſeruadũ docuerũt.

14 Mandatum igitur hoc habuerunt Apoſtoli publicandum: vt in prædicationis Euangelicæ limine, totius domus, quæ eſt Eccleſia Dei, ex Paulo, interior ornatus appareret: dum quò omnes domus incolæ pacis, & concordiæ arctiori vinculo adſtringerentur, vnum ſunt iuſſi habere caput, Principem vnum venerari. Nam ſi inter ſe diſſiderent: ſi hæreſes eſſent: (erant autem etiam Apoſtolis ſuperſtitibus, vt Nicolaitæ narrantur à Ioanne in Apocalypſi: & ab ipſo, ex Hieronymo in Prologo, fuit Euangelium conſcriptum, propter Cerinthum, & Hebionẽ Hæreticos: & Paulus, epiſt. ad Timotheum. de Hymenæo refert, & Phileto. & epiſt. ad Galatas. de alijs: & Ignatius Petri diſcipulus, multos tum cauponari Euangelium docuit, in Epiſtola ad Trallianos,) quis fuiſſet inter eos iudex, & arbiter? Quem in hiſce quæſtionibus, ac difficultatibus adibant? Apud quem conquerebantur? Quis coercebat, aut coerceret imperio pares? An Titus Timotheum, is Titum, vel vterque Epiſcopus Iacobum Ieroſolymorum Epiſcopum conuenirent, ſuarum Eccleſiarum quieti conſulturi?

Quam

Quam poteſtatem, ſe à Chriſto Domino accepiſſe, intellexerint Apoſtoli; manifeſtatur. Cap. XXXI. §. 1.

CLEMENS diſcipulus Petri Apoſtoli, immò ab ipſo Primitiæ eorum, quos ad fidem conuertit, vocatus non quòd primus, ſed quòd fuerit potior. quique eiuſdem Petri geſſit ſummum Pontificatum, epiſt. ad Iacobum fratrem Domini ſcripſit, ipſum Petrum docuiſſe: cunctorum Sacerdotum vitam ſuperiorem, ſanctioremque, atque diſcretam à ſecularibus, & laicis omnibus eſſe: & ſpirituales, (ſeu Pneumaticos, quos ſupra dicebamus,) quoſque, atq; Sacerdotes, ſuper carnales, atque laicos ſemper conſtituendos, docebat. Quod cùm ſcripſit Clemens, nulli erit dubium, ex doctrina eiuſdem Petri, qui Chriſtum Magiſtrum habuerat, & ratione, & verbis eiuſdem Chriſti fuiſſe vſum, quibus Luc. cap. 12. ſic docuit. [Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?]

2 Eamdem præfecturam Apoſtolorum, ac eorum ſucceſſorum, ſuper omnes fideles, etiam Principes, & Magiſtratus, idem Clemens ibidem tradere proſequens; poſtquam docuerat, Epiſcopos exorbitantes, non eſſe à laicis reprehendendos, vel arguẽdos: ſed ſupportandos, niſi in fide errauerint: ſubiunxit: [Illi ergo ſuper iſtis ſunt, non iſti ſuper illos: quoniam maior à minore, nec argui, neque iudicari poteſt. Nullus ſe extollat ſuper Doctores, & magiſtros ſuos: quia diſcipulus ſuper magiſtrum eſſe non poteſt.]

3 Anacletus Pontifex item ſummus epiſt. 1. eodem magiſterio Apoſtolico imbutus, ait: [Omnis oppreſſus, liberè Sacerdotum, ſi voluerit, appellet iudicium; & à nullo prohibeatur; ſed ab ijs fulciatur, & liberetur.] Quo loco, certum eſt, Anacletum, non de oppreſſis ab Ethnica Poteſtate agere, in quam, nullam ipſe, neque ceteri Præfecti Eccleſiaſtici poteſtatem exercebant; neque illius valebant oppreſſiones impedire. Loquebatur ergo de Apoſtolica poteſtate, qua, ex Chriſti inſtitutione, Præfecti Eccleſiaſtici iudices ſeculares Chriſtianos, ipſis Chriſtianis conſtituebant; à quibus docuit, integrum fore, vim, ſeu iniuriam patientibus, ad ipſos Præfectos Eccleſiaſticos prouocare.

4 Habetur etiam 2. lib. Conſt. Apoſt. cap. 34. huius doctrinæ Apoſtolicæ traditio, quam omnes Eccleſiæ Orientis, & Occidentis tenent, obſeruant, & venerantur. Caput ergo illud ſic habet: [Nam ſi de parentibus ſecundùm carnem, ait Diuina Scriptura: Honora patrem tuum, & matrem tuam: vt benè ſit tibi: &, Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur: quantò magis de patribus ſpiritualibus verbi Dei moneamur, honore, & charitate eos proſequi; vt beneficos, & noſtros ad Deũ

lega-

legatos?qui nos per aquam Deo regenerarunt; Spiritu ſancto impleuerunt:lacte verbi Dei aluerunt:& doctrinæ alimento nutriuerunt: monitis ſtabilierunt:corpore ſalutari, & pretioſo ſanguine nos dignati ſunt: nobiſque peccata remiſerunt : & ſanctæ,ac ſacræ Euchariſtiæ participes fecerunt: ac promiſſionis Dei conſortes, & Chriſti cohæredes conſtituerunt.His igitur reuerentiam adhibentes, omni eos genere honoris afficite; ſiquidem hi poteſtatem vitæ, & mortis à Deo acceperunt,in ijs iudicandis,qui deliquerunt,& in damnandis ad mortē ignis ſempiterni,& ijs,qui ſe ad rectè viuendum conuertunt,abſoluēdis,& viuificandis.&,c. 34.Hos exiſtimate veſtros Præſides;hos putate Reges; his quaſi Regibus vectigalia offerte ; eos enim , eorumque domeſticos alere debetis . Vt enim Samuel in 1. de Regibus lib. de Rege alendo ſanxit populo : & Moyſes Sacerdotibus in Leuitico;ſic nos vobis, de Epiſcopis ſancimus. Nam ſi illic populus tanti Regis,pro viribus,ſeruitia , quæ vocant,præſtabat,an non multò magis debet nunc Epiſcopus accipere ea,quæ ſunt à Deo conſtituta,ad alendum eum, & Clericos eius?Immò ſi an plius aliquod dicendum eſt,plus hic accipiat, quàm ille olim accipiebat. Siquidem ille militaria tantùm adminiſtrabat,bello,& pace, ad cuſtodiam corporis,ſuſceptis:hic verò Sacerdotiū,ad Dei honorem, adminiſtrat; vt pericula ab anima , & corpore propulſet.Quantò ergo anima corpore præſtantior eſt,tanto eſt Sacerdotium regno excellentius:ligat enim,aut ſoluit ſupplicio,vel remiſſione dignos.Quo circa Epiſcopum,oportet,vt patrē diligere,vt regē,metuere vt dominū honorare,offerēdo ei in benedictionem veſtram,fructus veſtros,& opera manuum veſtrarum;tribuendo,inquam,vt Sacerdoti Dei primitias veſtras, & decimas veſtras; primitias frumenti,vini,olei, pomorum, lanæ, & quicquid Dominus Deus vobis ſuppeditat:& erit oblatio tua accepta in odorem ſuauitatis , Domino Deo tuo.Benedicet Dominus operibus manuum tuarum, & multiplicabit bona terræ tuæ, quia benedictio ſuper caput impertientis :.] Hucuſque Apoſtolica Conſtitutio.

5 . Hæc doctrina non ſolùm tradita fuit à SS.Apoſtolis per ſermonem, ſed eſt facta Chriſti IESV Euangelium, cælitùs Apoſtolo Paulo reuelatum,& epiſt.ad Hebr.cap.13.ſic deſcriptum:[Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditurì.] Loquutus fuit ibi Apoſtolus de Præpoſitis illis, de quibus initio Capitis dixerat,[Mementote Præpoſitorum veſtrorum , qui vobis loquuti ſunt verbum Dei.] & hi certè non ſeculares erant Magiſtratus,non ſeculi Principes,ſed Apoſtoli,& eorum diſcipuli Eccleſiaſtici Præfecti:quos,ſpeciali ratione, non ἐξουσίας vocauit,id eſt, Poteſtates, ſicuti Lucas,c.12.primò,& deinde idem Paulus ad Rom.c.13.agēs in genere de Præfectis,ſiue Laici,ſiue Eccleſiaſtici eſſent, illos nuncupauerat: ſed appellauit eos . ἡγουμένους , id eſt,duces, & quaſi præeuntes: cùm ad

Præpoſitos ſpirituales magis pertineat, vt exemplo præeant: quemadmodum & ipſe Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 4. ſcripſit: [Exemplum eſto fidelium, in verbo, & conuerſatione, in charitate, & fide, & in caſtitate.] Similiter etiam Petrus docuit Epiſcopos. 1. c. 5. [Forma facti gregis ex animo.] ſcilicet, faciendo prius, quod à ſubditis effici poſcunt; dicentes cum eximio illo iudice Gedeone, Iudic. cap. 7. [Quod me videris facere, hoc facite.] ſicuti Paulus epiſt. ad Philip. cap. 4. [Quæ, inquit, & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite.] Hæc autem omnia ad animarum curam ſpectant, & referuntur: pro quibus illi vigilant, vt ait Apoſtolus, tamquam de eis Deo iudici ſupremo rationem reddituri.

6 Pauli Apoſtoli hac doctrina duce, quærendum eſt à quibuſcumque, etiam ſupremis, in Chriſtiano orbe Principibus ſecularibus, An ad hos Igumenos, ad hos Duces, ad hos animarum Præpoſitos pertineant, an non? Haud credimus reſponſuros, non pertinere; ne peioris conditionis haberentur, quàm reliqui fideles non Magiſtratus mundi, non Principes ſeculi, non Poteſtates orbis; cùm qui pro animabus eorum vigilarent, quaſi de eis rationem reddituri, vt ceteri omnes habent Credentes, Igumenos, & Præpoſitos non haberent. O miſeros, & infelices Germaniæ vtriuſque, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Geneuæ, Rupellæ, Sedani. &c. Principes, & Magiſtratus, quorum animas, Chriſti IESV ſanguine redemptas de vana conuerſatione, vigilijs paſtorum, medicorum remedijs, cura patrum, impoſtores, & illuſores Hæretici veſtri Miniſtri ſpoliant, & nudant: eas præcipites agentes, vt rurſus ad vomitum Atheiſmi reuertātur.

7 Sin verò pertinent Principum animæ ad dictos Igumenos, ſeu Duces, & Præpoſitos, vt neceſſe eſt fateantur: obedire ergo eis, & ſubiacere, ſicut Apoſtolus præcepit, debent. Sunt ergo maiores eis: maiores enim, nullus ordo patitur, minoribus ſubiacere. Deinde, cùm Apoſtolus Petrus Epiſcopos conteſtatur, vt paſcant gregem, qui in eis eſt, credendum eſt in eo grege, quem paſcere iubet, Magiſtratus, Poteſtates, Principes, Reges ſeculi contineri? Neque hoc, Chriſtiani Principes, Chriſtianorum omnium Principi Epiſcopo eſt negandum. Locum igitur ouium tenent: ex quo fit rurſus, vt ſub poteſtate ſint ſpiritualis Paſtoris, vt Gregorius Nazianzenus, ſupra citatus, ad Imperatorem loquebatur: ſunt ergo Epiſcopi, & Epiſcoporum, ac Chriſtianorum omnium ſummus Pontifex, maiores, quàm Magiſtratus, Poteſtates, & Principes ſeculi: ad eoſque omne ius Eccleſiaſticarum rerum, & cauſſarum, & eorum omnium, quæ quantumuis Politica ſint, ad eorum ſalutem animarum ſpectant: de quibus earum æternus Paſtor à Paſtoribus dictis, quos ſui operis Vicarios conſtituit, eſt ſummam, ſicuti diligentem, rationem quæſiturus.

8 Præterea cùm Chriſtus Dominus ait Luc. cap. 12. [Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam

ſuam,

ſuam, vt det illis in tempore, tritici menſuram?] nullo modo dici poteſt, hunc diſpenſatorem, Principem eſſe ſecularem, ſed Eccleſiaſticum eſſe Præfectum: non Magiſtratum Ciuilem, ſed ſpiritualem eſſe Præpoſitum, omninò fatendum eſt. Diſpenſator namque ſpiritualis, in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, menſuram tritici Chriſtianæ familiæ diſtribuit, congruo tempore; ne laboret fame illa, de qua minatus fuit Paterfami lias Iudæis, Amos cap. 8. dicens: [Ecce venient dies, dicit Dominus, & mittam famem in terram; non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.] Quod Cyrillus explicans, clariſſimè in Iudæis impletum eſſe dixit: qui Propheta, & Magiſtro carent, ſciente, craſſitudinem detrahere hiſtoriæ, & ſub littera latētia myſteria eruere, ac propalare. Cùm enim non admiſerint Chriſtum, dicentem Ioan. cap. 6. [Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi,] neceſſum eſt, vt in illis impleatur illud Iſaiæ cap. 3. [Ecce ſerui mei comedent, vos autem eſurietis: ſerui mei bibent, vos autem ſitietis.] hactenus ex mente Cyrilli.

9 Doctrinam ergo verbi, & mandata, quæ Apoſtoli à Chriſto Domino euulganda acceperunt, cum ſpeciali poteſtate, ea Chriſtianos omnes edocēdi, & cum ſpeciali mandato, ea recipiendi, & obſeruandi, Chriſtianis iniuncto, quibuſque Epiſcopi, & Sacerdotes, & præcipuè Sacerdotum ſummus Romanus Pontifex, miniſtrant, vocat Chriſtus ipſemet hic, [mēſuram tritici:] quæ accommodanda eſt, ad vſum, & neceſſitatem eorum, qui ſunt paſcendi, cùm non omnes, eadem ſint ratione, per Eccleſiaſtica, ac Euāgelica paſcua recreādi. Quis enim ignorat, præeunte Pauli magiſterio, conſulta victus ratione, alijs lacte opus eſſe, alijs ſolido cibo, qui perfectorum eſt? Temporis deinde notata circumſtantia, certum eſt, ex Eccleſiaſte dicente cap. 3. [Tempus tacendi, & tempus loquendi:] in tempore eſſe adhibendam verbi doctrinam, quæ veluti tritici menſura habetur: accinente Eccleſiaſtico c. 32. [Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem.]

10 Ad hæc, illud etiam maximè declarat, hunc diſpenſatorem, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, quò ei opportunè de tritici demenſo prouideret, non eſſe Ciuilem, ſed Eccleſiaſticum Magiſtratum; quòd difficilis, & ardua res ſit, ipſo Domino teſtante, huiuſmodi diſpenſatorem fidelem, ac prudentem reperire. Hoc intelligitur, ex Idiomate Scripturæ ſacræ, quæ has difficiles inuentu res, percontando eſt ſolita enunciare. [Mulierem fortem, quis inueniet?] dictum fuit, Prouerb. cap. vlt. [Verumtamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?] dixit Chriſtus Dominus, Luc. cap. 18. ſic & hic percontatus fuit [Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit dominus? &c.] Quod claro, & affirmante ſermone Prouerb. cap. 20. ſic ſcriptum fuit: [Virum fidelem, opus inuenire.] id eſt, arduum, ſummaque cum difficultate coniunctum eſt. Hoc enim ſignificat hic, ἔργον, opus, vt illud Poe-

tæ,[Hoc opus:hic labor.&c.]& idem,Iſidorus Peluſiota epiſt. ad Palladium Diaconum,adnotauit.

11 Haud tamen ſic eſt difficilis inuentu diſpenſator Ciuilis, fidus, & prudens: id eſt,Rector,aut Præfectus ciuitatis,regni,vel prouinciæ,qui fide,prudentia,neceſſariaque animi dexteritate, legibus eam moderetur,& regat;cùm ſola homini inſita ratio de eo, quòd vnuſquiſque non vult affici iniuria, omnes doceat; ſicuti,neque alios ab eo iniuria fore afficiendos. Hinc plures præceſſerunt filij huius ſeculi, quales vocabat Chriſtus Dominus,in generationibus ſuis fidi,& prudentes ciuitatum, immò Rerumpublicarum,& regnorum inſtitutores,ac Legumlatores,vt Solon,Lycurgus,&c.qui quidē veritatem hanc non cognouerunt,quā ſolus Deus docet,quæque ſolùm habetur eius magiſterio:eam enim, vt de Gentium Philoſophis docuit Petrus Apoſtolus, apud Clementem, ab alio,qui eorum ſimilis eſſet,diſcere non potuerunt. *πλὴν πολιτείας*, dixit, *μόνης καὶ ταῦτα, ἐκείνης διὰ τὸ εὔλογον γνωρισθῆναι δυναμένης, ἥτις ἑκάστῳ, ἐκ τοῦ μὴ θέλειν ἀδικεῖσθαι, τοῦ μὴ δεῖν ἄλλον ἀδικεῖν, τὴν γνῶσιν παρίστησιν*. hoc eſt, [præter ſolam illam Politiam,quæ propter rationis conuenientiam,cognoſci poteſt:quæ vnicuique,hoc ipſo, quòd iniuriam pati non vult,indicat,non eſſe alijs iniuriam irrogandam.]His accedit,Paulum Apoſtolum,ſecularia iudicare, facile eſſe cenſuiſſe,1. ad Corinth.cap. 6. inter eos maximè,qui Chriſtiana imbuti diſciplina,non pro ſuarum actionum fine, ſed pro ſuarum paſſionum medio, ad pace Euangelica fruendum, lites eſſent habituri.

12 Opus igitur, *ἔργον* illud, ille labor: diſpenſatorem reperire prudentem, qui, vt oportet,præeſſe valeat Eccleſiæ; in qua adminiſtranda, tanta, tamq; excellens ſpiritualis eſt requiſita prudentia,ad diiudicandum ne dum de ſpiritualibus, verùm de Ciuilibus Eccleſiaſticis, ac ſecularibus legibus, ex quarum conditione iuſta, & obſeruantia debita, pax,& tranquillitas animorum Chriſtiani populi pendet, pro quibus eſt Deo rationem redditurus:tanta, & tam eximia fidelitas,erga Deum, eſt neceſſaria, qui ei familiam ſuam concredidit; & eum domui ſuæ ad Sacramenta diſpenſanda præfecit: cumque ad ea diſpenſandum charisinate poteſtatis, & doctrinæ ampliſſimè cumulauit. [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. &c.] dixit Chriſtus Dominus: [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes. &c. Docentes eos, ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.]

13 Poteſtatem hanc,cùm doctrina,à Chriſto Domino Apoſtolis communicatam, ad prædicandum Euangelium, baptizandum, docendum gentes omnes,ſeruare ea mandata, quæ illis tradiderat, inter quæ tot præcepta de Hierarchia, ac Politia Eccleſiaſtica, à nobis ſupra relata, continentur, appellauit Apoſtolus, ſcribens 2. ad Timoth.cap.1. verbo

con-

concepto, ac myſterij pleno, [Depoſitum;] ſic dicens, [Bonum depoſitũ cuſtodi.] Eſt autem in confeſſo apud omnes Doctores, etiam Philoſophos Ethnicos, de iuſtitiæ ſpecialis virtutis partibus tractantes, ad cuſtodiendum depoſitum, magna opus eſſe fidelitate. Hinc Iſaias, eos, qui docent alios, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, quales ſunt Eccleſiaſtici Præſides, Cuſtodes, vocauit, dicens, c. 52. [Quoniam vox Cuſtodientium exaltata eſt:] quæ eſt Cyrilli etiam obſeruatio. Neque ſilendum eſt, Prophetam eumdem, c. 22. Sobnam Pontificem, qui in ijs, quæ ad Deum pertinebãt, ſummo præerat Sacerdotio, vocaſſe, Hebraicè סכן, Græcè tranſlatum apud Septuaginta Interpretes, ταμίαν, id eſt, Theſaurarium, ſeu Cuſtodem, eorum, videlicet, quæ fidei eius, tamquam depoſitum, commiſſa erant, nempè præcepta, cæremoniæ, & quæ modo quocumque Dei cultũ concernebant. Et hunc optimè noſter vulgatus Interpres: [Præpoſitum:] nominauit.

14 Ergo cùm prudens, & fidelis diſpenſator ille apud Lucam, qui Cuſtos, Theſaurarius, ſeu Præpoſitus eſt apud Iſaiam, in illa Parabola à Chriſto Domino ſuper familiam ſuam conſtitutus, ſi Scripturæ ſacræ loquendi modus, ſi rei intima conſideretur ratio, nequeat conuenienter Poteſtas quæcumque ſecularis, & ciuilis intelligi, eſſe: ſed omninò ſit Præfectus Eccleſiaſticus explicandus: optimè Apoſtoli intra illius poteſtatis, quam miſſi fuerunt à Chriſto exercere per orbem vniuerſum, intellexerunt contineri eam rationem, Eccleſiam cum ſua Hierarchia, ac Politia inſtituendi, quam ei à ſuis initijs tradiderunt; quamque perpetuo ordine conſeruauit; quò Apoſtoli fidem ſuam apud Eccleſiæ Inſtitutorem Chriſtum Dominum, ac præcepti illius Auctorem, ſcilicet, [Euntes ergo, docete, &c.] illud ſic adimplendo, liberarunt: ſicuti eorum ſucceſſores, continenti ſeculorum ſerie eiuſdem præcepti exſequutores, fidem, quam ſimilem Chriſto debebant, liberantes, exemplum præceſſere ſuis poſteris, quo eiuſdẽ exſequutioni incumbentes, fidem ſimilem Chriſto debitam acerrimè liberabunt. Habent enim ſicuti promptum, ſic & ſecurum iubentis Chriſti ipſius, ad tanti muneris functionem, auxilium; qui eo tempore, quo prouinciam adeò arduã illorum impoſuit humeris, vt docerent omnes gentes, ſeruare ea, quæ in Euangelio à ſe prædicato, & cælitùs deportato, mandauerat, ſic illis promiſit: [Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.] Et hinc conſtat manifeſtè, doctrinam Petri illam à Clemente relatam, qua Spirituales quoſq;, atq; Sacerdotes, ſuper carnales, & laicos ſemper eſſe cõſtituendos, docuit, mira concordantia, cùm Parabola Euangelica, de diſpenſatore ſuper Domini familiam conſtituendo, conuenire. Conſtat etiam, Hæreticos callidè docere, nõ obligari peccato Poteſtatibus ſecularibus nõ obedientes, ne contrario ab eis admiſſo, concedere cogantur peccare eos, qui ſpirituali non obediunt Poteſtati.

Aſſum-

Digitized by Google

Aſſumptum præcedentis Cap. adhuc probatur, & quædam Obiectio diſſoluitur. Cap. XXXII. §. 1.

POTESTATEM talem ſe recepiſſe, intellexerunt Apoſtoli, quando Chriſtus Dominus eos in orbem, prædicaturos Euangelium, deſtinauit; vt eſſent Eccleſiæ Epiſcopi, quaſi noui Moyſes, & Aarones, vt ſicuti illi in veteri Hierarchia, & Politia, ſic & ipſi eſſent primi, & ſummi Sacerdotes in noua; & præeſſet ex eis vnus caput totius Hierarchiæ, qui tunc erat Petrus, eorum, & Chriſtianorum omnium Princeps, & deinde eiuſdem poteſtatem exercerent Romani Pontifices, eiuſdem legitimi ſucceſſores. Sic figuræ, erat decens, correſpondere veritatem, vmbræ ipſam rerum imaginem: vt ſicuti erat Moyſes Hierarcharum legis primus Myſta, & Dux, vt Dionyſius Areopagita Eccleſ. Hierarch. c. 4. ait, in lege perfectiore vnus ſummus Myſta, & Dux, omnibus præficeretur. Hoc certè ratio concordiæ, ac animorum vnitatis, quam Chriſtus ſuis diſcipulis adeò enixè commendauerat, poſtulabat: vt ſicut erant ſuper ſingulas Eccleſias, tamquam ſuper ſingulas familias Chriſti, ſinguli diſpenſatores conſtituti, quibus ſua cuique familia obſequeretur, vt concors eſſet: ſic ſuper vniuerſos diſpenſatores eſſet vnus etiam conſtitutus, cui ceteri omnes diſpenſatores, & familiæ Domini eis commiſſæ obtemperarent: vt eſſet hac ratione Monarchiæ, vna omnium membrorum, vnius corporis arcta compago, ſtricta connexio, & concors coniunctio; neque, quòd Paulus tantùm vetabat, in varias ſectas, hic nexus quaſi cæleſtis Chriſtiani corporis, ſcinderetur.

2 Tantam, ac talem poteſtatem ſe à Chriſto Domino ſuſcepiſſe, docuit Petrus, apud Clementem, cum Zachęum, Epiſcopum ordinare vellet, ſic dicens: [Oportet multitudinem fidelium vni parere: vt hoc modo valeat in concordia perſiſtere. Quod enim deſinit in Principatum vnius Poteſtatis, ad ſimilitudinem Monarchię, facit, vt qui ei obediunt, propter conſeruationem ordinis, pace fruantur. Contra verò, nolle vni obedire, cupiditate imperādi, cauſſa plenè exſiſtit & diſcordię, & ruinę.

3 De hoc omninò videnda eſt Apoſtolica Conſtitutio. 2. earum libr. c. 28. de honore Epiſcopis tribuendo, agens ex collatione ad ipſos Idolorum ſacerdotes. Legendus eſt etiam Gregorius Magnus epiſt. ad Mauritium Imper. qui & ex illo Exod. c. 22. [Applica illum ad deos:] & ex illo Malach. c. 2. [Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt:] & ex relatione Eccleſ. Hiſtoriæ. de Conſtantino Magno, cauſſas Epiſcoporum, ad Epiſcopos, tamquam ad Deos, reijciente; de qua ſupra, & ex Paganorum religione falſa, honore verò maximo ſuos Sacerdotes dignante colligit,

& Præ-

& Prçfectorum Eccleſię poteſtatem, & venerationem, quę eis à ſummis debetur Principibus: quam cùm illis exhibent, ſibi magis ex humilitate, quàm illis ex reuerentia præſtare impenſa, veriſſimè Diuinus Gregorius æſtimauit.

4 Neque eſt intelligendum, cùm Apoſtoli hanc à Domino poteſtatem acceperunt, ſibi vmquam perſuaſiſſe, Politiam, ciuilemque adminiſtrationem, hominum quibuſcumque congreſſibus, & congregationibus neceſſariam, ſua illa tanta poteſtate iri diſrumpendam, aut modo quocumque violandam: cùm licèt ore vno Pauli, adducto cap. 13. ad Romanos teſtimonio, communi tamen cunctorum conſenſu, Chriſtianis fuerit omnibus ſic iniunctum: [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.] Verùm illam ciuilem facultatem ſecularibus Chriſtianis Principibus, immò Ethnicis ſuo tempore, reſpectiuè, in ijs, in quibus ſubijci nullum eſſet animæ periculum, relinquendo, ſeſe negotijs ſecularibus non implicantes, vt Deo placerent, cui ſe probarunt, ſeu delegerunt, ex Paul. 2. ad Timo. cap. 2. ab eorum tractatione, quantum poterant, abſtinebant.

5 Intellexerunt ergo Apoſtoli, ſibi eam à Domino poteſtatem communicatam, qua Eccleſiæ corpus, etiam Politicè, conſiſteret, eo modo, quo & Euangelium ipſius Chriſti Domini de hoc diſponens, ſupra à nobis explicatum, prædicandum aſſumpſere: quò tamdem tamdem vtriuſque poteſtatis, & ſpiritualis, & ſecularis officia, & munera actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, diſcreta permanerent: vt Nicolaus Magnus Pontifex, itemque erudiſſimus, ad Michaelem ſcripſit Imperatorem, de Diſcrimine poteſtatis Imperatoriæ, & Pontificalis diſſerendo. Cuius diſcriminis hæc eſt ſumma, vt & ſeculares Poteſtates, pro æterna vita, vt ille ait, ſpiritualibus Poteſtatibus indigerent: & ſpiritualis Poteſtas pro curſu temporalium tantummodo rerum, Magiſtratuum, & Poteſtatum legibus ſecularium vteretur: vt ſic, addit, militans Deo minimè ſe negotijs ſecularibus implicaret: neque rebus Diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotijs ſecularibus implicatus. Et modeſtia vtriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque ſuffultus: & competens qualitatibus actionum profeſſio ſpecialiter aptaretur.

6 Obligant igitur, colligendo ex dictis, leges Poteſtatis ſecularium, quibus illæ qualitates Concl. vnica. I. Partis. ſupra attributæ ſunt, conſcientiam ſecularium, ad earum, reſpectiuè, obſeruationem; dicente Paulo, dicto cap. 13. ad Rom. [Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote; non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:] id eſt, ne non obediendo, peccatum admittamus, de quo nos conſcientia noſtra accuſet: & fiduciam apud Deū amittamus, impetrandi quod petierimus: ſicuti Ioannes, 1. c. 3. omnes Chriſtianos erudiuit. Obligant ergo ex conſequio neceſſario, multò magis leges ſpirituales eorum, qui Eccleſiaſticam, & Apoſtolicam nacti ſunt poteſtatem, omnes Chriſtianos, ad ſui obſeruan-

tiam, hoc quoque dicente Petro, qui illam poteſtatem primus, inter primos, accepit, apud Clementem, cùm Zachæo, non quidem opus, & laborem Eccleſiam gubernandi, defugienti, ſed ex nimia humilitate Epiſcopatum recuſanti, ne præeſſe diceretur. Petri ſunt hæc verba, ſumma digna animaduerſione: [Sin verò prorſus non vis ſciri, quòd poteſtatem habeas gubernationis; videris mihi neſcire, ad continendum in metu, & pudore multitudinem, multum valere, poteſtatem Præpoſiti manifeſtam. Vnuſquiſque enim ei, qui poteſtatem accepit, obtemperat, quippè cùm magnam obtemperandi neceſſitatem conſcientiæ imponat.]

7 Iſthæc eſt, Auctore Clemente, D. Petri ſententia, de ſpirituali, & Eccleſiaſtica poteſtate, quam à Chriſto, ſiue ſimul cum alijs Apoſtolis, ſiue ſpeciali ratione, quatenùs & illorum, & totius Eccleſiæ Caput, pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, à Chriſto Domino accepit, & de qua loquebatur: quæque, ſi qualis, & quanta eſt, à Chriſtianis omnibus noſceretur, haud Hæretici aſſererent, Eccleſiaſticos Præfectos dominatum, & tyrannidem in conſcientias exercere, doctrinam à Paulo Apoſtolo, & ab alijs ſuis Coapoſtolis ſcriptam, ad ſuam, & aliorũ perditionem, pro more deprauantes; errantes, neq; Scripturas ſacras intelligentes: neque ſcientes virtutem, quam Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Præfectis Eccleſiaſticis Deus adminiſtrauit: neque veterum Patrum, & Sanctorum ſequentes interpretationes, qui dono intellectus illuminati, Eccleſiam non ſolùm ſanctis ſuis actionibus, ſed etiam doctrinis ſalubrioribus illuſtrarunt.

8 Is certè eſt verus dominatus, ea eſt vera tyrannis, huic Apoſtolicæ poteſtati, nedum Hæreticos, vbi potentiores ſunt, aditum intercluſiſſe, verùm fidei Catholicæ Orthodoxæ, & Apoſtolicæ profeſſoribus, illius expreſſam, & publicam, immò, quæ crudelior tyrannis eſt, ſecretam confeſſionem denegaſſe: vt, ſub ciuilis conuerſationis tuendæ prætextu, ſolus Chriſtus, & eius Chriſtiana, Euangelicaque doctrina, exſulet: vbi pluſquam centum & ſeptuaginta nouarum hæreſeon innumeris profeſſoribus, earum clara, & publica profeſſio non negatur.

9 Scimus etiam, quoſdam Hæreticos, ex Lutheranis maximè, argumenti à Chriſti Domini doctrina deſumpti, de diſpenſatore prudente, & fideli, vi, & efficacia conuictos, vt nihil intactum relinquant, de Præfectorum Eccleſiæ non ſolùm poteſtate, ſed etiam fidelitate, & prudentia diſſeruiſſe: ſicuti ſupra Molinæum vidimus diſputantem: quibus occurrendũ etiã eſt: hocq; eſt habendũ pro certo, nihilo à nobis, vt vt ſint, minore eſſe afficiendos honore, quàm ſi omnes qualitates à Chriſto Domino requiſitæ illorum animos, & actiones exornarent. Hoc docuit ipſe Chriſtus, hoc monuit, hoc nobis facere præcepit toto ſuo Euangelio, hoc rebus à ſe ipſo geſtis, exemplo ſuis diſcipulis præeundo, declarauit. Ad

Sacerdotes mittebat leproſos à ſe mundatos, vt illis ex lege Moſaica debitum obſequium exhiberent. Coram Pontificibus, & Sacerdotibus iudicandus adſtans, non tantùm infidelibus ſibi, & imprudentibus, ſed & ſummè impijs, eorum fuit præſentiam reueritus. Sed illa generali doctrina, Matth. c.23. Chriſtus plures in Eccleſia de Præfectorum ſuorum exorituras querelas, & quæſtiones ſemel amputans, & decidens, ſic dixit: [Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite; ſecundùm opera verò eorũ nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.] Quod certè Chriſtus Dominus non propter Moyſen tantùm dixit, cuius lex breuiſſimo erat ſpatio temporis antiquanda: ſed propter Eccleſiæ ſuæ futuros Epiſcopos, & Præfectos quoſcumq; Eccleſiaſticos. Et hoc ipſum docuit Petrus, referente Clemente, in ordinatione Zachæi, in Epiſcopũ Cæſaræ, omnes Chriſtianos exhortans ad Epiſcopos honorandos. [Audite, inquit, Epiſcopũ veſtrum, & ne pigeat, omnem ei honorem exhibere: non ignaros, quod ei præſtatis, Chriſto præſtari: & quod, hac occaſione, Chriſto prçſtatis, ad Deum referri: & ei, qui præſtiterit, multò amplius eſſe reddendum.] & ſubiungit: [Thronum ergo Chriſti honorate: quia & Moyſis Cathedram honorare iuſſi eſtis: quãuis, qui ſederent, peccatores eſſe exiſtimarẽtur.]

10 Et quia non ſcribimus Locos communes, ſufficiat, pro hac perſuadenda veritate, Gregorij Magni teſtimonium illud grauiſſimum, ex eadem Epiſt. citata ad Mauritium Imper. Poſtquam enim Pontificiam, Sacerdotalem, & vniuerſè Eccleſiaſticam extulerat dignitatem: ne quis bonos Sacerdotes honorandos eſſe putaret, malos contrà, non honorandos, ſubiungit prudentiſſimus, & fideliſſimus domus Dei diſpenſator, & Pontifex. [Hæc ergo non tantùm ſpecialiter, quantum generaliter, pro omnibus aſſerimus Sacerdotibus; quoniam adhuc neſcimus, quis in terribili iudicio Dei, qualis futurus ſit. Etenim Paulus egregius Prædicator dicit: [Nolite ante tempus iudicare; quoadusque veniat Dominus,] & reliqua. Nam ſunt multa, quæ de iudicio illius homines ignorant, quia fortaſſe, quæ vos laudatis ille reprehendet: & quæ vos reprehenditis, ille laudabit.]

Qualiter Apoſtoli illud Chriſti *Domini præceptum: [Euntes ergo, docete, &c.] exſequuti fuerint, explanatur. Cap. XXXIII. §.1.*

COMMVNICATA igitur ſibi à Chriſto Apoſtoli poteſtate, Euangelium per orbem prędicandi, Gentes, nedum Iudæos, edocendi, ſeruare omnia mandata, quæ ab eo acceperant: eam conuerſationis in Eccleſia formam, & plantarunt, & conſtituerunt, vt omnibus innoteſceret Chriſtianis, vt Cretæ, exempli gratia, Epiſcopi omnes Titum à Pau-

lo primum illic Epiſcopum creatum, Titus ipſum Paulum, Paulus ipſe Petrum conſulerent, ac cum eis, de grauibus Eccleſiæ negotijs, ſemper conferrent. Romæ Petrus, & Paulus de rebus, tamquam ex Pontificia, ac ſuprema Petri Cathedra, decernebant; nouam Rempublicam inſtituebant, non ſolùm religionis legibus, ſed etiam Ciuilibus omnibus, quæ ad honeſtum vitæ genus pertinerent: quibus Petri, & Pauli Epiſtolæ refertæ ſunt.

2 Interdixit Paulus, Chriſti hac poteſtate præuia, Chriſtianis foro Ethnico, iuſſit Chriſtianis Chriſtianum cōſtitui iudicem, 1. ad Corinth. cap. 6. quod priùs latè ſumus proſequuti: ſicuti quòd à Petro, Clemente, &c. Republica hac in dies Chriſtiana augeſcente, fuit conſtitutum, vt primarum ciuitatum primarij Epiſcopi, & eſſent, & dicerentur Metropolitani, ceteriſque præeſſent. Hæc omnia clarè demonſtrant Apoſtolorum ſummam in huius Reipublicæ erigendæ, ac conſeruandæ poteſtatem, ab ipſo Chriſto Domino ſibi traditam. Condere enim nouam Rempublicam, iuriſdictionem Ethnicis adimere, Chriſtianis attribuere, ſub ea, videlicet, forma ſuperiùs à nobis deſcripta, & à Chriſto Domino deſignata, hoc certè Principis hominis erat: eſt namque ſummi Imperij, hæc ſumma iuriſdictio. Petrus ſimiliter cùm Clementem ſibi ſufficit, vetuit, ne in profanis negotijs verſaretur: neve ſecularium cauſſarum, rerumve iudex eſſet, aut cognitor; ſed laicis ipſis Chriſtianis inter ſe relinqueret; qui ſi ignorarent, à Diaconis edocerentur: vnde omninò prohibuit, ne ad iudicia externa laici vocarentur: ſed inter ipſos, iudices ab Epiſcopo ſibi dari iuſſit: quod ex Epiſt. 1. Clementis, habetur etiam 11. q. 1. Te quidem. quæ tota eſt videnda: vt, quæ & Concilia, & Pontifices, Imperatoreſq;, de hac iuriſdictione ſanxerint, conſiderentur, & ſuperiùs ſatis de hoc dictum eſt.

3 Attamen iuriſdictionem omnem, vt docent Iureconſulti, vel legatam, ſeu mandatam eſſe oportet, vel ordinariam. Hæc datur à Principe, vel à lege, illa ab habēte ordinariam, vel à Legato Principis. Quis ergo hiſce Chriſtianis laicis, quis hiſce ſapientibus, vel etiam ex Paulo contemptibilibus iudicibus hanc tribuerat iuriſdictionem? Deinde, erat ordinaria, an mandata? Quis illis iudicibus mandauerat? Si ordinaria, quis conceſſit? Si mandata, aliena erat: cuius ergo? Ecce eſt neceſſum omninò ad hoc venire principium: [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes, &c. Docentes eos, ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.] Vt intelligamus, à Chriſto, inter alia, hoc fuiſſe Apoſtolis mandatum, vt Eccleſiæ Chriſtianā Rempublicam eo ordine conſtruerent, quo internè haberet, & leges, & earum exſequutores; quibus abſq; ſecularis Poteſtatis interuentu, poſſet iuſtiſſimè gubernari.

4 Immò in eadem Clementis Epiſtola, dixit Petrus, Eccleſiam eſſe,

nauim:

nauim: eius gubernatores, Epiſcopum, Presbyteros, & Diaconos eſſe; nauigantes autem, ſeu vectores, Græco vocabulo appellat, ἐπιβάτας, laicos ait eſſe. Quis ergo regebat illam nauim? quibus Iudicibus gubernatio nauis, & Magiſtrorum, ac inter vectores cum ipſis, & inuicem, rerum, ac cauſſarum cognitio competebat? Certè ex Petri, & Pauli, certè ex Chriſti ſententia, ad Eccleſiam, eiuſque Prælatos generale nauis regimen pertinebat.

5 Quòd ſi dixerit quis, Apoſtolis impoſuiſſe Chriſtum, docendi gentes, illud onus, ad cælum iam iam diſceſſurum: Paulum verò tantæ huius Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, ac poteſtatis deſcriptorē, haud ad Chriſtum Præceptorem, ſic potuiſſe ſuas diſpoſitiones reuocare: accedat ipſi Paulus, pro ſe reſpondens, etiam cùm de iuriſdictionis materia erat ſpecialiter tractaturus: 2. ad Corinth. cap. 13. [An experimentum quæritis inquit, eius, qui in me loquitur Chriſtus?] Poterant quidem ceteri Apoſtoli dicere, Omnia facimus in Reipublicæ Chriſtianæ conditione, ſecundùm exemplar, quod à Chriſto, adhuc in terris agente, nobis monſtratū eſt. Dicebat Paulus, 2. ad Corinth. cap. 12. [Raptum ſe fuiſſe, vſque in tertium cælum, & audiuiſſe in paradiſo arcana verba, quæ non licet homini loqui.] Ibi didicit Euangelium, ibi hauſit mandata, leges, ſtatuta decreta, quæ Eccleſiæ obſeruanda propoſuit: vt poſſet dicere etiam Omnia facio iuxta exemplar, quod mihi in cælo monſtratum eſt.

6 Ad hęc, peculiari Chriſti Domini prouidentia geſtum eſt, vt Paulus, Eccleſiaſticæ poteſtatis, & iuriſdictionis eſſet ſingularis, & aſſertor, & deſcriptor, & enarrator; qui acerrimus exſtiterat, Iudaicæ iuriſdictionis tutor, & obſeruator, & defenſor; cùm non aliter, quàm acceptis patentibus Litteris à Principe Sacerdotum, Act. cap. 9. Damaſcum pergeret, vinctos in Ieruſalem, Chriſtianæ viæ profeſſores quoſcumque reperiſſet, adducturus. Sciebat ergo optimè Saulus, paternarum ſuarum traditionum, cùm erat zelantiſſimus æmulator, quid Cæſari Iudæorum tunc regi, quid Deo eſſet reddendum. Sciuit poſtea Paulus: [vas electionis factus Chriſto, vt portaret nomen illius coram regibus, & Gentibus, & filijs Iſrael:] Act. cap. 9. quid Cæſari, quid Regibus, circa iuriſdictionem, ac poteſtatem in Chriſtianos eſſet reddendum; quid interim Deo; cum Ethnico foro Chriſtianis interdixit.

7 Neque inde colligendum eſt, Petrum, & Paulum, quæ dudum ædificauerant, rurſus voluiſſe deſtruere: qui adeò ſtudioſi erant honoris Regum, qui Chriſtianis tam enixè commendabāt, vt eſſent eis ſubiecti: eos obſecratione pręmiſſa, hortabātur ad orandum, poſtulandū, obſecrandū & gratias agendum, in Diuinæ conſpectu Maieſtatis aſſiduè, pro Regibus, pro Principibus, pro ijs, qui erāt in ſublimi conſtituti loco: vt quietam, tranquillam, & pacificam vitam agerent omnes; hos ergo Apoſtolos, ſic Rempublicam ſuam nouam inſtruentes, haud eſt credendum, cum

Qqq 2 aliundè

aliunde voluiſſe confundere ſtatum Politicum Regum,eũ,Chriſtianis,ne illorum in ſuis litibus adirent miniſtros,ac Magiſtratus, deterritis,perturbando. Sed, ſicuti legem Euangelicam, ſine fictione, à Chriſto didicerant, ſic eam,abſque Principum etiam Ethnicorum,circa hanc Eccleſiæ, eiuſque Præfectorum poteſtatem, inuidia,in concionem, ſeu Eccleſiam hanc nouam coeuntibus fidelibus communicabant.

8 Hinc olim referente Luca, Act.cap.5. Theudas, qui ſe magnum Iudæorum iactauerat ducem,eorumque libertatis aſſertorem,ceruicem, cum quadringentis viris, qui ei adhæſerunt, contra Magiſtratum Romanum erigens,fuit ab eo ſubitò diſſipatus. Iudas deinde Galilęus tempore illius generalis, ſub Auguſto Imper. deſcriptionis orbis, auerſa magna populi parte, illi perſuaſit, vt excuſſo Romanorum iugo,ſeſe in libertatem vendicarent. Hic tamen non ſolùm ſeipſum perdidit, ſed & omnes illi conſentientes in extremum exitium pertraxit. Contra verò Petrus, & Paulus,nedum Palæſthinæ, & alijs remotioribus,Romano Imperio parentibus, prouincijs, verùm in ipſo vrbis Romæ, ſeu orbis medio,Claudio,& ſubinde Nerone Imperatoribus,Euãgelij doctrinam inuexere. Ibi leges ſpirituales ediderunt, totius religionis cultum continentes, ibi leges ciuiles totius Eccleſiæ,ac Chriſtianorum Reipublicę ſtatum, ac ordinem ſpectantes, diuulgarunt: neutiquam tamen ob id à Magiſtratibus reprehenſi Gentilibus, quaſi ab eorum iuriſdictione populos auerterent,vel in materia adeò ſicuti Politica,ſcrupuloſa, Imperatoriam vel læderent, vel imminuerent Maieſtatem.

9 Et quid faciliùs Romanis Imperatoribus, poteſtatis auidis, imperij cupidis,ditionis ſitibundis, quàm ſi in animum ſemel inducerent, leges Chriſtianæ Reipublicę Ciuiles,ſuis eſſe dominijs vel noxias,vel inſidioſas, Apoſtolos, eorumque aſſeclas, ac diſcipulos Chriſtianos hoc delere prætextu, quòd rebelles Imperio, ſacram Romanam ditionem violarent? Hoc tamen neque Petro, neque Paulo à Gentium Magiſtratibus impoſitum fuit, quorum doctrina,quorum Epiſtolæ,& in eis leges Chriſtianis præſcriptę Politicę, haud Romanos latebant curioſos Iudices, ac Pręfectos. Et praxis ſaltem, earumque exſequutio, haud latere illos poterat, qui eorum notabant geſta, quaſi hominum, qui noua Dogmata,ſiue,vt Athenis Paulo dictum fuit,Dæmonia noua nunciabãt.

10 Narrat Egeſippus, nepotes quoſdam Iudæ Apoſtoli, Domitianum Chriſtianis iratum adijſſe: illique expoſuiſſe,Chriſti regnum,non mundanum, non terrenum eſſe; ſed cæleſte, & æternum,& ſeſe illius ſectatores,nòn arma,non gladios,non bella, non conſpirationes tractare: ſed orationes tantùm,ac preces;& à ſummo Deo quietam,ac pacatam vitam, tam ſibi, quàm Imperatoribus impetrare. Qua ratione, ac oratione,Domitiani animus recõciliatus eſt,haud interim affectatę,ſeu præſumptæ iuriſdictionis Chriſtianos vmquam incuſando. Sic Qua-

dratus,

dratus, & Ariſtides, Hadrianum in Chriſtianos ardenter concitatum, ſuis orationibus, libris, & Apologijs placarunt; & Edictum ab eo in Chriſtianorum gratiam tenuerunt. Iuſtini Apologia ad Antoninum Pium tantùm valuit, vt edixerit Imperator, ne Chriſtiani ampliùs vlla moleſtia afficerentur. Apollinaris Hieropolitanus Apologia quadam, ſimilem gratiam à Vero Cæſare, ſui ſeculi Chriſtianis adeptus eſt. Similiter Tertullianus in Apologetico, Chriſtianos à rebellionis crimine vindicauit. Themiſtius libro Valenti dedicato, pacatum eum reddidit, eòque adegit, vt pœnam mortis in Chriſtianos latam, in exſilium commutarit.

11 Simili ratione alij Eccleſiæ Proceres, orationibus, precibus, ſcriptis declamationibus, ſeſe Cæſaribus expurgarunt, & eos ex iratis, ac exacerbatis, ſibi beneuolos reddiderunt. Nullibi tamē, neque apud delatorum querelas, neque apud Principum iras, neque apud Chriſtianorum ſcriptas ſatisfáctiones apparebit, Ciuilis adminiſtrationis præſumptæ, aut vſurpata iuriſdictionis noxa, fuiſſe Rempublicam Chriſtianam damnatam, aut eius Præfectos inſimulatos, & conuictos: cùm tamen iuriſdictionem ſæpe à nobis præfatam, ſicuti à Petro, & Paulo, & ceteris Apoſtolis, ex Chriſti Domini ore illam acceperant, exercerent. Hac via gens Chriſtiana altas egit radices, res Credentium auctæ ſunt, Reſpublica Euangelica creuit, ac paulatim ipſos domans, ac vincens ſuos perſequutores, Idolorum proculcato honore, Chriſti crucem, in ipſis Imperatorum diadematibus collocarunt.

Animaduerſio differentiæ legis ſcriptæ, & Euangelicæ: & confirmatio prædictorum: & quale regnum Eccleſiæ ſit dicendum. *Cap. XXXIV. §. 1.*

TERTIO huius Tractatus Principio, de dignitate Legiſlatoris Chriſti, de eius legis quædam præmiſimus perfectione: quæ viam ſternunt, vt breuiſſimè ſubiungamus id, quod huius regni, ac poteſtatis in Eccleſia cauſſam foueat, ac faueat. Statuūt Diuini Theologi, inter alias, hanc non mediocrem differentiam inter ſcriptam legem, ac Euangelicam, quòd lex, ſit doctrina inchoata, Euangelium autem, doctrina perfecta.

2 In tribus autem verſatur tota Scriptura; in Credendis, Sperandis, & Faciendis: ſeu in Myſterijs fidei, Promiſſionibus, & Præceptis. Sed in omnibus his tribus, longè præſtat Euāgelica noui Teſtamenti doctrina, legis antiquæ magiſterio. At hæc conſtabat iudicijs, Ciuilibus legibus, varijs, ac multiplicibus ordinibus, ac ſtatutis, & decretis, quibus Hebræorum Reſpublica gubernabatur. Oportet ergo, concedere legi Euan-

gelicæ,etiam in hac parte, excellentiam, felicioraque, ac faciliora accepiſſe à Chriſto Legiſlatore mandata, quibus moles eminentiſſimæ huius Euangelicæ Reipublicæ ſarta, ac tecta ſeruaretur. Hæc autem ſunt illa,quæ ſparſim per Euangelij ſacros Codices continentur, quæq; Apoſtoli iuſſi à Domino prædicare Gentibus, eis in regnum Chriſti colligendis, ac congregandis expoſuerunt: ac poteſtate ſibi ab eo communicata,interriti,nullis Regibus, nullis circa hoc, eos impedientibus Principibus,plantauerunt.

3 Neque ſumus immemores,Principio 5.huius Tractatus initio à nobis præpoſito,firmatum fuiſſe, hanc Chriſti Domini nouam legem antecuiuſque Scripturæ,ad nouam Paginam pertinentis, editionem,perfectam,ſuiſque numeris abſolutam exſtitiſſe.Quo ſuppoſito, cõſequens eſt, hæc omnia,quæ ex Euangelijs, ex Apoſtolorum ſiue geſtis,ſiue ſcriptis, colligimus, ad Politiam, Eccleſiaſticamque immunitatem firmandam, hæc ſcripta præceſſiſſe,nedum Practicè, verumetiam & Theoricè. Et pro omnibus eſto de iuriſdictione Eccleſiaſtica,etiam in Laicos, exemplum: Scribit Paulus, vt vidimus 1. ad Corinth.c.6.audaciam Chriſtianorum Corinthiorum eſſe,aliquem fratrẽ conuenire alium fratrem, iniuriarum quarumcumque actione,coram iudice infideli,Sanctis,iudicibus prætermiſſis.Rogamus ergo pium Lectorẽ;quanã vrgenti,ſeu congrua ratione, Paulus cũ Corinthijs ageret,ſic ex abrupto eos audaciæ arguẽs,ſi hoc illis non fuiſſet cũ ipſo Euangelicæ prædicationis lacte ſuggeſtũ,ne Chriſtianus Ethnicorũ forum adiret, vt contra Chriſtianũ cauſſam agitaret?

4 Diximus,non latuiſſe Iudices,ac Præfectos Ethnicos, qua Politica gubernatione Chriſtianorum regnum, ſeu cœtus, & congreſſus eorum regerentur;indeque facilè potuiſſe anſam ſumere,eos inhibendi, ſi iuriſdictionis laicæ violatores, & fori Principum vſurpatores reperirentur. Hoc autem veroſimillimum eſſe, oſtendit Epiſtola Plinij Secundi Ethnici,lib.10.epiſt. ad Traianum Imperatorem;cùm Proconſul regeret prouinciam Ponti,& Bithyniæ. [Stato die,(inquit, de Chriſtianis referens:) ſoliti ſunt ante lucem conuenire; carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem:ſeque ſacramento,non in ſcelus aliquod,obſtringere: ſed ne furta, ne latrocinia,ne adulteria committerent: ne fidem fallerent; ne depoſitum appellati denegarent: quibus peractis,morem ſibi diſcedendi fuiſſe,poſt Edictũ meum: rurſuſque coeundi,ad capiendum cibum, promiſcuum tamen,& innoxium:quod ipſum facere deſijſſe, poſt Edictũ meum,quo,ſecundùm mandata tua,Hetærias eſſe vetueram:] *Vebetrias.* dicunt Caſtellani, corrupto vocabulo: quæ ſunt hominum amicæ ſocietates,ac coitiones.

5 Et quidem Politicarum legum illam diſpoſitionem, quibus Chriſtiana Reſpublica gubernabatur, non taxauit Plinius: quæ leges, haud ſolùm ad actum Theoricum pertinebant,ſed etiam ad Practicum: & qui

prohi-

prohibebant furta, adulteria. &c. actu, & re ipſa in ſuis Hetærijs, & damnum ferentibus reſtitutioné, & inferentibus ſeparationis à cœtu Chriſtiano pœnam, iuridicis actionibus, irrogabant. Et hoc Romanam Plinij & aliorum Præfectorum, & diſquiſitionem, & indagationem curioſam non latebat; à cuius iuriſdictionis exercitio, numquam, quaſi inofficioſi, fuere Chriſtiani per Ethnicos perturbati.

6 Quòd ſi quæ Chriſtus de hoc regno Eccleſiæ dixit, & docuit, & quæ ſui Diſcipuli ab eo acceperunt, de hoc regno prædicãdo, mãdata coniungamus, & comparemus, videbimus, Chriſtum, Matth. cap. 4. ad pœnitentiam homines inuitaſſe, appropinquatione regni cælorum illos exhortando: vbi Gloſſ. interl. regnum, ipſum Chriſtum, qui dat, vel Eccleſiam, cui erat promiſſum, intellexit. Sed in proceſſu Capitis docet Matth. Chriſtum per totam Galilæam Euangelium regni prædicaſſe: quem locum optimè explicuit Apoſtolus Act. cap. 20. idem eſſe dicens, Euangelium regni prædicare, & teſtificari Euangelium gratiæ Dei: & ad Timoth. 1. cap. 1. appellat idem, Euangelium gloriæ Beati Dei. Et cùm Chriſtus homines vellet à terrenarum rerũ cura auocare, & ad ſeria, & æternum duratura, quærenda transferre, ſic docuit, Matth. cap. 6. [Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.] Quod regnum rursùs explicuit Apoſtolus ad Rom. c. 14. [non eſſe eſcam, & potum, ſed iuſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu ſancto.]

7 Hoc igitur Chriſti regnum Apoſtolis, & Chriſtianis certo modo communicatum, non fuit quid temporale, ad aliorum modum regnorũ, ſeu Regum; quæ eius poteſtas, non fuit caduca, & tranſitoria: neque per homines, inſtar terrenarum poteſtatum, introducta: ſed ſuperioris cuiuſdam fuit ordinis, à Deo procedens immediatè in omnes res creatas, & ſuper omnes omnium hominum, & omnium Angelorum actiones; & illud explicat dictio illa, [omnis;] dum dicit Chriſtus, [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra:] eumdem enim ſenſum facit illud ſignum [omnis,] ac ſi omnes per ſpecies ſingulas recenſerentur à Chriſto poteſtates. Quod idem docuerat, Luc. cap. 10. dicens: [Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo;] & inſtante iam ſua morte ſpontanea, ac voluntaria, ſic dixit, Ioan. cap. 18. [Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.]

8 Paulus verò Apoſtolus hæc loca miris his Commentarijs illuſtrauit, ad Hebræos cap. 1. dicens: [Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.] & cap. 2. exponens illud Pſalm. 8. [Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius:] ſubdit, [In eo enim, quòd omnia ei ſubiecit, nihil omiſit non ſubiectum ei.] Et cùm 1. ad Corinth. cap. 15. idem vellet docere, quò ſe explicaret, & exceptione firmaret regulam in contrarium, eumdem locum Pſalmi tractans, ſignanter Deum ſolùm ab hac Chriſti poteſtate, & ab eius dominio excepit dicens. [Cùm autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei; ſine dubio, præter eum, qui ſubiecit ei omnia.]

Etiam-

Etiamſi non eſſet ſummus in Eccleſia Pontifex, ſeu Papa, adhuc fore in ea illius poteſtatem ſummam, docetur. Cap. XXXV. §. 1.

QVA veritate cõſtãte, noſter dicẽdi de hac poteſtate Petri. &c breuis accedat diſcurſus, Principũ ſeculariũ omninò vanis timoribus ſatisfacturus. Eſto, Chriſtus, ſicuti reuerà inſtituit ſummi Pontificis auctoritatem, & poteſtatem immediatè: demus, illam non inſtituiſſe; & qui de eius qualitate ſeu malint, quantitate, vel Principes ſeculares, vel eorũ Conſiliarij, & à ſcientia, ſeu conſcientia Doctores, & Theologi, de illius quidditate, & ſubſtantia, vel diſputant, vel diſputamus, omnes conſenſu vno, non eſſe in Eccleſia Papam, & vnum ſummum Pontificẽ, admittamus. Eſſet tamen Eccleſiã? eſſet lex Chriſtiana? eſſet Euangelium, quod Chriſtus docuit? eſſet regnum Eccleſiaſticum? ſi non generale, ac vniuerſum, Monarchicumque ſub vno capite ſummo Pontifice Romano, ſaltem in partes plures diuiſum per prouincias, vel aliàs, cum ſuis congruis ſæpiùs ex Apoſtolo ad Epheſ. cap. 4. relatis miniſtris? an non eſſet? Certè apud Catholicos eſſet; apud impios Hæreticos, ſi non eſt in hoc ſeculo, eorum obſtinatam compeſcens audaciam, erit in futuro, pœnas igneas tot, ac tantis eorum ſceleribus perpetuas infligendo. Igitur hæc lex Chriſtiana, hoc Chriſti certum, & indubitatum Euangelium, hæc ſacra nouæ Paginæ ſcriptura, docent expreſsè, in Eccleſia Catholica eſſe quamdam poteſtatem, eſſe quoddam ius regni, eſſe quoddam regnum, cui immediatè omnes Chriſtiani, ſiue ſubditi ſint, ſiue ipſi ſupremi Dominatores immediatè, ſine exceptione, debeant obedire.

2 Hæc fuit primò prædictio Iſaiæ Prophetæ, ſeu Quinti Euangeliſtæ expreſſa ſententia: qui præuidens in ſpiritu hanc Eccleſiæ Chriſtianæ poteſtatem, & hoc eius regnum, & dominium, ſic cap. 60. fuit vaticinatus. [Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi, &c. Et aperientur portæ tuæ iugiter: die, ac nocte non claudentur: vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes fortitudine vaſtabuntur. &c. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. &c. Et ſuges lac gentium, & mammilla regum lactaberis. Et ponam viſitationem tuam pacem, & Præpoſitos tuos, iuſtitiam.]

3 Ecce, omnibus Catholicis Doctoribus explicantibus, Eccleſiæ regnum, & poteſtas, & maieſtas, quæ lacte gentium, & mammilla earum regum, id eſt, diuitijs populorum, & regum. erat ſatianda; Septuaginta Interpretibus ſic vertentibus; [& diuitias regum comedes:] & Chaldaico textu id ſimiliter explicante. Hæc tamen omnia de ſtatu Eccleſiaſtico

in lege Chriſti, & de Miniſtris Eccleſiæ eſſe ſpecialiter dicta, explicuit idem Propheta, dum cap. ſequenti, eadem, quæ ſucceſſura Eccleſiæ prædixerat, in eius Miniſtris Eccleſiaſticis eſſe adimplenda, ſic dicens, confirmauit: [Et vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Domini, ad glorificandum.] Quæ verba de Eccleſia ipſa ſuperiori capite prædixerat, ſic dicens: [Populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram: germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.]

4 Sequitur dicto capite 61. dicens: [Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri: dicetur vobis: Fortitudinē Gentiū comedetis;] vel, vt habet Hebraica dictio, opes, ſeu facultatem Gentium comedetis: [& in gloria earum ſuperbietis:] ſeu ex Hebræo etiam Idiomate, lætabimini, ſeu ſplēdidi, ſeu admirabiles, ſeu glorioſi eritis: vertētibus ſic etiam Septuaginta Interpretibus: [in diuitijs earum eritis admirabiles.] Quo charactere dicendi, Eccleſiæ Catholicæ Miniſtros, cum ſua maieſtate, & immunitate videmus ſignificatos, & eorū bona immunia, ab ipſis etiam Regibus, illis nedùm tuenda, verumetiā liberaliſſimè fore præſtanda, cum omnibus Patribus ſic exponentibus, conſideramus.

5 Deindè, vt loquamur ex nouæ Paginæ teſtimonijs, quando Chriſtus Dominus in longinquam regionem diſceſſurus ex Luc. c. 19. dixit Petro, Ioan. cap. vlt. [Paſce oues meas:] non arctauit ſuarum ouium, vſque ad finem ſeculi futurarum, cuſtodiam, ad perſonalem Petri præſentiam, qui paulò poſt erat Chriſtum per crucis ignominiam, ſeu veriùs gloriam ſequuturus: ita vt, Petro vita functo, Fideles, eius oues, eſſent ſine paſtore permanſuri: ergo præceptum illud ad Petrum Epiſcopum ſemper viuentem, id eſt, ad munus, & illius officium ſemper viuens, id eſt, ad Petri, ordine ſuo, ſucceſſores illud tractaturos fuit directum: immò omnes Epiſcopos ſuarum ouium reſpectu, idem eſt intelligendum, à Chriſto eas paſcendi, id eſt, gubernandi, & regendi præceptum habuiſſe. Vnde eſt conſequens, de iure Diuino eſſe in Eccleſia hanc poteſtatem, & hoc regnum, cui omnes Chriſtiani debeant obtemperare.

6 Sic rem hanc intellexit ipſe Petrus, Diuinus Chriſti Domini Euangelicæ doctrinæ Scholiaſtes, dum 1. epiſt. cap. 5. ſic ſcribit ad omnes Epiſcopos, immò etiam ad Presbyteros: [Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei.] Idem docet Apoſtolus Paulus, Actuum cap. 15. ſic exhortans Eccleſiæ Epheſinæ maiores natu: [Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos: regere Eccleſiam Dei, quā acquiſiuit ſanguine ſuo.]

7 Et cùm ſuperiùs Parte 2. hoc argumentum latè tractauerimus, per recapitulationē, & breuem additionem, illud ex Scripturis ſacris adhuc vrgeamus. Deut. cap. 17. ſic habetur. [Si difficile. &c. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille; & auferes malum

de Iſrael.] Ex quo loco, & alijs ſimilibus, Philo doctiſſimus Hebræus lib. de Victimis. & Theodoretus q. 1. in Leuiticum. & Procopius Gazæus in Commentar. 4. cap. Leuitici. Pontificem Rege præſtantiorem fuiſſe apud Iudæos cõfirmãt. Quòd ſi in antiquo populo erat in ſtatu Leuitico talis, ac tanta poteſtas, quantò magis eam habent noui Pontifices teſtamenti?

8 Matth. cap. 16. dictum fuit à Chriſto Domino Petro: [Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.] Quæ verba, Expoſitoribus omnibus Catholicis conſentientibus, debent referri ad ea omnia, quæ ſecundùm Scripturæ vſum, dicuntur ligari: cùm ibi Dominus in genere ſit loquutus: Sed ligare, ſignificat, etiam imperando leges imponere, dicente Chriſto, Matth. cap. 23. de Scribis, & Phariſæis: [Alligant enim onera grauia:] Ergo ipſe Petro promiſit, vt quam obligationem, præcipiendo, fidelibus ipſe, & Epiſcopi eius ſucceſſores impoſuerint, rata ab eo ſimul in cælis habeatur: & vt eorum præceptum, ſit etiam præceptum ipſius Chriſti. Item cap. 18. [Si peccauerit in te. &c.] vſque ad illud, [erunt ligata & in cælis.]

9 Ioan. cap. 20. ſic dixit idem Dominus ad Apoſtolos: [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.] Super quem locum ait Chryſoſtomus, [ſuũ eis reliquit miniſterium:] Sed Chriſtus miſſus eſt à Patre cum poteſtate etiam præcipiendi, & iudicandi, vt omnes Theologi docent; ergo hanc poteſtatem Apoſtolis dedit, præcipiendi, ſcilicet, & iudicandi, eo modo, quo ſupra à nobis declaratum eſt.

10 Ad Roman. cap. 13. docuit ſic Apoſtolus Paulus: [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,] Quẽ locum fuſiſſimè ſupra explicuimus 2. Par. & addit infrà: [Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram,] id eſt, metu pœnæ: [ſed etiam propter conſcientiam:] id eſt, peccati, ſi non ſubdamini: vt explicant Theod. Ambroſ. Beda, Anſelmus in hunc locum, & Auguſtinus epiſt. 54.

11 Et ad Corinth. 1. cap. 4. idem ſcribit ſic: [Quid vultis? in virga,] id eſt, iudiciaria puniendi poteſtate, vt omnes Enarratores Catholici interpretantur, [veniam ad vos?] & c. 11. [Laudo vos, quòd præcepta mea teneatis:] & 1. ad Theſſal. cap. 4. ait: [Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.] & 2. ad eoſdem cap. 3. [Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate: & ne commiſceamini illi.] Quod idem prius Chriſtus Dominus Luc. cap. 10. ſic docuerat: [Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.]

12 Item ad Hebræos cap. 13. ſic docuit: [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.] Quẽ locũ explicans Baſilius in Conſtit. c. 20. ait, [Apoſtolũ ſubiunxiſſe: Id enim vobis non eſt vtile:] Vbi Græcè nõ habetur negatiuè, ſed ἀλυσιτελὲς id eſt, incommodum, ſeu damnoſum: ſeu detrimentoſum: propter pœnas videlicet, quibus ab eis, ſi non obediatis, eritis puniendi in foro externo, & contentioſo; vt ſuprà fuſiùs probatum fuit.

13 Sic etiam ad Epheſ.cap.4.docuit; agens de Chriſto Domino, [Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.] Quo loco meminiſſe oportet illius regulæ Tichonij, ab antiquis Patribus adeò approbatæ, de Chriſti duplici corpore, & reali, & vero; de quo non loquebatur hic Apoſtolus: & de corpore myſtico, ſcilicet, tota Eccleſia cum Chriſto ſuo capite, de quo ibi loquebatur. Hoc corpus erat ædificandum ex duplici ſtatu, & ſeculari, qui exciperet Apoſtolos, ſcilicet, miſſos, ſeu legatos, qui legatione, ex eodem Apoſtolo 2. ad Corinth.c. 5. pro Chriſto, per mundum vniuerſum, fungebantur, vt Deo reconciliaretur: audiret Prophetas, id eſt, illam legationem explicantes, donis linguarum, & ſermonum explicationis donatos; crederet Euangeliſtis, geſta Chriſti Domini, & eius legem enarrantibus: Paſtoribus denique, id eſt, Rectoribus, Ducibus, Prælatis docentibus, & præceptis, exſequentibus iuriſdictionem præmio, & pœna contentam, obtemperaret: & ex alio ſtatu etiam ædificaretur, Eccleſiaſtico, videlicet, qui ex dictis Apoſtolis Prophetis, Euangeliſtis, & Paſtoribus, ſeu Prælatis erat integrandus.

14 Ex quibus omnibus locis, & alijs ſupra Par.2.Concl. 2. adductis, & alijs adhuc inferiùs, ſuper hoc eodem argumento, adducendis, negari non poteſt, in Eccleſia, & eius Prælatis eſſe ius, & poteſtatem à Chriſto, Deo & homine immediatè illis datam, ad leges condendas, etiã coactiuas, præter Ciuiles, humanaſque, quæ ſint Diuinæ, & Euangelicæ, pro Eccleſia benè gubernanda: ad exercendum imperium in omnes omnium ſtatuum Chriſtianos, ſinè exceptione, ad præcipiendum etiam actus indifferentes, faciendo, ex vi præcepti, neceſſarios; ad inſtituendas denique regulas, quæ humanarum, & Chriſtianarum actionum directiones reputentur.

15 Sed huius iuris, & poteſtatis, exercitium, & actus ipſe demonſtrãt clariſſimè, rationem. Apoſtoli enim Act.cap.3.de ſuffocato, & ſanguine, legem ediderunt: de quibus neque à Chriſto, neque à natura fuerat aliquid inſtitutum. Ad Timoth.1.cap.3.legem tulit Paulus, de bigamis non ordinandis. Petrus in hac poteſtate Ananiam, & Sapphiram occidit. Paulus idem Elimam Magum excæcauit: & Alexandrum, ac Hymenæum excommunicauit; & in Corinthium inceſtuoſum iuſſit, coram Eccleſia Corinthi congregata, ſententiam ab eo latam excommunicationis promulgari.

16 Hæc tamdem cùm probent, tam in ſpirituali iuriſdictione exercẽda, eſſe à Chriſto datam immediatè Eccleſiæ Prælatis poteſtatem in omnes Chriſtianos, ſine exceptione, quàm in externo, & cõtentioſo foro Eccleſiaſtico, habemus intentum: quantumcumque non eſſet vnus ſummus

Pontifex in Eccleſia,ſicuti eſt, qui Chriſti Domini vices gereret, adhuc ſeculares omnes, etiam Principes, huic eſſe ſubiectos poteſtati, & foro Eccleſiaſtico,in ijs,quæ ad illud reſpectiuè pertinent. Etiam habemus, dictos Prælatos poſſe, & debere ſimpliciter dici, & appellari, Diuinas creaturas; non ſolùm qua generali ratione homines omnes, ex dictis, quatenùs à Deo immediatè creati ſunt, Diuinæ creaturæ,nuncupantur; ſed ſpeciali, & indiuidua hac de cauſſa, quòd ſint à Chriſto,non ab hominibus,conſtituti in Eccleſia, ſiuè Apoſtoli, ſiuè Euangeliſtæ, ſiuè Prophetæ,ſiuè Paſtores, & Doctores; ad quos gradus eſt omnis Eccleſiaſticus ſtatus regentiū reducendus. Habemus tamdē hac admiſſa poteſtate, etiam ſummi Pontificis Romani poteſtatem eſſe admittendam: & hac negata,illam Eccleſiæ ex conſequio denegari.

Si Pontificia Romana dignitas eſſet ab hominibus inſtituta, adhuc haberet præfatam poteſtatem. Cap. XXXVI. §. 1.

PRAEDICTIS tamen hanc peculiarem rationem ducimus adiungendam,ſed maximoperè notandam. Nam ſi, vt demonſtrauimus iam,in ſocietatibus hominum,generaliter, & in vniuerſum de mundi totius geſtis iudicando,licuit non ſolùm hominibus, verumetiā opus fuit, ad tenuiorum res à potentiorum iniuria defendēdas,aliquem,potentioribus potentiorem,quęrere hominem,qui ius omnibus alijs æquabile reddens,ab eis omnis generis iniurias propulſaret; Cur id ipſum ergo, in Eccleſiaſtica non licuiſſet Politia,Eccleſiaſticis ſocietatibus,& perſonis, ſi à Chriſto alias Caput, & Monarcha Petrus, & ſui ſucceſſores Romani Pontifices nō fuiſſent cōſtituti totius Eccleſiæ; vnam, videlicet, aliquam perſonam Eccleſiaſticam,potentiorem potentioribus,creare in ſuperiorem, & ſummam Poteſtatem;quæ,ex Diuinæ legis Chriſtianæ præſcriptis, omnes Chriſtianos in officio contineret? Quæ perſona ad hanc ampliſſimam ſuper alias poteſtatem, ad hoc ſummum ius in Eccleſia, tam in ſuis Spiritualibus, quàm in Ciuilibus rebus,& temporalibus,adminiſtranda,ſic erecta;cùm eſſe deberet Epiſcopus quidam,& ſupremus Paſtor,& Rector, & Epiſcopi à Deo,ex ſuppoſitione facta, immediatam haberent poteſtatem: eſſent dubio procul talis poteſtas,& tale ius ipſi immediatè conceſſa:vt Eccleſiā vniuerſam,quò ad vtrumque ſtatum,in ijs,quæ Eccleſiaſtica quæcumque concernunt negotia,gubernaret:neque aliter Chriſtus Dominus Eccleſiæ viſus fuiſſet,de adeò congruo regimine prouidiſſe.

2 Ergo eſto,quod non eſt,quòd ſumm.Pontifex Romanus,quam ſuper Eccleſiam vniuerſam habet poteſtatem, à Chriſto Petro, cuius ſucceſſor eſt, primò traditam, modo prędicto,hominum,ſcilicet, voluntate,ac po

ſteriori, liberaque eam habuiſſet electione; eſto, quod nõ eſt, quòd à tempore, quo Phocas Imperator, referente Anaſtaſio, in Vita Bonifacij III. & Paulo Diacono, de Geſtis Longobard. lib. 4. c. 11. declarauit ſua ſententia, ab Epiſcopo Conſtantinopolitano indebitè vſurpari OEcumenici nomen Patriarchæ, quod Romanæ dumtaxat Eccleſiæ deberetur, Romanus Pontifex, quaſi ſummus Chriſtianorum Sacerdos, orbi Chriſtiano præſideret; hæc eius præfectura, perenni continuata conſuetudine, præſcribi potuiſſet: vt Eccleſiarum omnium, ac Chriſtianorum cunctorum iuſtiſſimè, & Caput, & Princeps haberetur.

3 Itaque ſi præter Diuini iuris, quo ſupremi vnius Pontificis Romani maieſtas, ac potentia eſt innixa, iuris humani rationem, ſcita, & conſtituta deſideraremus; repetendus, conferenduſque eſſet ortus huius ampliſſimi Sacerdotij, cum Imperiorum, Regnorum, Principatuum, ac Rerumpublicarum initijs: & horum neminem profectò reperiremus, cuius iuſtior cauſa Regni, Imperij, aut cuiuſuis exſiſteret Principatus. Quid enim iuſtius, æquius, aut ſanctius, quid à quacumque corruptela accipi poteſt longius, quàm quod nec vi arreptum, neque armis occupatum, neque clam præſumptum, ſed vno omnium ſuffragio, publica conſenſione, communi iudicio Imperatorum, Regum, Principum, Rerumpublicarum, ac populorum receptum, ac probatum eſt, quale eſt ſummi Romani Pontificis Imperium, per orbem vniuerſum dilatatum? Quod optimè Henricus VIII. Angliæ Rex ſuperiùs relatus ponderauit. Vt faciliùs certè ſit, Imperatorum, Regum, Principumque, quorum non alia eſſet iuris cauſſa, poteſtatem, imperium, ius, ac dignitatem, quàm vnius Romani Pontificis oppugnare.

4 Priuatus quis res ſuas præſcriptione temporis longi, quod centum non excedat annos, à iure approbata, tuetur, & defendit, eaſque, aut inuadentes, aut ſibi eripientes, ad integrè compellit, per Iudicem, reſtituendas; quid ni Pontificibus Romanis, qui, poſt Phocam, annos iam ferè mille cum ſuprema hac poteſtate ſui ſummi computant Pontificatus, lex priuatis aſſiſtens hominibus non aſſiſtat? Vt interim de retrò actis temporibus, quibus hoc iure ad Petrum ſunt vſque vſi Apoſtolum taceamus.

De Politia in Eccleſia inſtitutione, ad Synagogam comparata. *Cap.* XXXVII. §. 1.

SI eorum à nobis ſolùm fuiſſet habenda Principum ſecularium ratio, qui Catholici in Eccleſiæ continentur ouili, Eccleſiæ oues, vnius ſummi Paſtoris, Romani Pontificis, & paſtum ex Euangelico præſcripto exſpectantes, & auctoritatem reuerentes, contenti forſan eſſe poſſemus cum his, quæ ſuperiùs dicta ſunt: credentes, circa poteſtatem Eccleſia-

ſiaſticam ciuilem, cumulatè fuiſſe cōtra opinantibus ſatisfactum: neque quaſi δευτέρας φροντίδας, eſſe adhuc à nobis exſpectandas. Attamē, vt quicumque huius Eccleſiaſticæ iuriſdictionis æmuli, vel oſores, modò Chriſtum recipiant, ſemel agnoſcant, Chriſti lege inuiolata, haud poſſe ab Eccleſiaſticis eam perſonis auelli, in quarū ſtatu, eſt per Chriſti ſanguinem, cum ipſo Euangelij verbo, inſita, plantata, irrigata, aucta, & hucuſque in Eccleſia vera conſeruata; ea, quæ ſupra dicebamus, nunc expreſſiora duximus apponenda.

2 De Synagogæ mirabili ſtructura, circa iudicia exercenda, & de tribus Leuiticæ, & Sacerdotum poteſtate, de ſummorum Pontificum eiuſdē auctoritate, actum eſt pluribus ſupra: & oſtenſum, qua ratione, per Babylonios olim regio nomine abolito, & populo in captiuitatē abducto, cùm poſt ſeptuaginta annos, Dei benignitate, Iudaicę Reipublicæ res meliùs haberent, & eius forma cœpiſſet innouari, ſimul ipſius Dei mandato fuit inſtauratum Pontificale tribunal, fuitque antiquum Conciliū reſtitutum. Hoc deinceps multò fuit illuſtrius; vt nihil maioris alicuius momenti, aut ponderis geſtum fuerit, Pontificis ſummi non interueniēte aſſenſu, & facultate. Vltimò, Dei ipſius præuia voluntate, Regio quoq; imperio ad Pontificem ſummum delato, (qui, vt ex Ioſepho lib. 13. c 11. conſtat, vtrumque, & ſpirituale, & temporale tenuit, vſque ad Herodem tyrannum, qui & Concilio illi, & legitimæ item Pontificum ſucceſſioni finem impoſuit: quantumuis certo modo adhuc, vſque ad Ieroſolymæ vaſtationem fuerit conſeruata,) poteſtas Pontificia multò fuit quàm priùs amplior, multò fuit à Iudęis, immò ab ipſis Gentibus auguſtior æſtimata.

3 Antiquo huic Teſtamento, nouum ſucceſſit, ea differentia, vt cùm illud hircorum, ac vitulorum fuerit ſancitū ſanguine, hoc Chriſti IESV, Dei & hominis, fuerit ore inſtitutum, ſanguine conſecratum, morte ſtabilitum, cui aliud iam non ſit amplius Teſtamentum ſucceſſurum. In hoc Pontificatus Iudaicus, in Chriſtianum, Moyſi Cathedra, in Petri fuere Cathedram commutata: corpus vmbrę, figurę veritas, Eccleſia Synagogę ſucceſſit. Vnde eſt neceſſum, vt per Chriſtum IESVM, in ęterno Teſtamento, omnia ad ęternam ſtabilitatem aptiſſimè fuerint ordinata. Quanto ergo clariùs, neceſſum fuit, ſubditorum ſanciri obedientiam erga ſupremos Paſtores, regimen Politicum externum inſtitui, per quod tanti corporis moles cōſtaret, ac reformaretur: quādo non de vmbris, & figuris, vt olim, ſed de rerum tunc ſignificatarum veritate, de Dei gratia, de æterna beatitudine, & ſempiternis inferorū ſupplicijs agebatur?

4 Ad condendum ergo, & ſartum, ac tectum ſeruandum tantę magnitudinis ędificium; Chriſtus ipſe Dominus, vt docet eius Apoſtolus Paulus, ad Epheſ. c. 4. [Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad con-

ſum-

ſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ędificationem corpori Chriſti:] myſtici, videlicet, quod eſt Eccleſia: [donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei.] Voluit autem Chriſtus tantam Eccleſię ſuę Rectoribus & Doctoribus ſubiectionem exhiberi, vt ſi quis illorum imperium ſpreuerit, is Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti imperium, eadem opera, cenſeatur reieciſſe: dicente eodem Saluatore, Luc.cap.10.[Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.]

5 Hoc ergo Teſtamentum, cùm ex Paulo ad Hebręos, cap.8. in melioribus ſit ſancitum repromiſſionibus, ideò quæcumque illic, ad veteris Teſtamenti diuturnitatem, fuerant inſtituta, æquum eſt hic in Teſtaměto æterno, multò vigere firmiùs, multò colligi fortiùs, multò religioſiùs obſeruari. Hinc Chriſtus Dominus conſultiſſimè, ſicuti abundantiſſimè, prouidit Eccleſiæ de vno Paſtore ſupremo inter Paſtores, de vno inter Doctores ſummo Doctore, tanta, ac tali, diuinitùs collata gratia, circumſepto; vt ſuper eum tutò noui Teſtamenti Eccleſiam ædificaret; cui fundamento, cui ædificio, eam firmitatem tribuit, id robur appoſuit; vt ad Eccleſiam, ſuper eo firmatam fundamento, euertendam, omnes & Tyrannorum furores, & Iudæorum rabies, & Hæreticorum fraudes, & Infidelium machinæ, & Dęmonum vires inanes eſſent, irritæ cederent, & incaſſum laborarent.

6 Licèt enim Petrus Apoſtolus, cuius humeris Chriſtus Dominus, hoc Diuinum, excellens, grauiſſimumque onus impoſuit, homo eſſet, eiuſdem cum ceteris mortalibus fragilis conditionis, eam tamen, participatione quadam à primaria illa petra IESV Chriſto, accepit ſoliditatem, eam ſortitus fuit firmitudinem: vt ſicuti à Chriſto petra angulari, & Cepha, ſeu capite, hic Petrus, ſeu petra, & Cephas vocatus eſt; ſic item à Chriſto illam habuit communicatam virtutem, vt in tradendis Chriſtianæ religionis ſanis Dogmatibus, eius fides ab originaria veritatis regula numquam deficeret, eius Cathedra à Spiritu ſancto numquam eſſet deſeręda. Et ſicuti Chriſtus à Patre, ſic Petrus à Chriſto miſſus, Eccleſiæ toti per vniuerſum orbem diffuſæ, eſt præpoſitus: quem & agnis, & ouibus ſuo ſanguine redemptis, paſcendis, & regendis præfecit, ſummi Paſtoris omni cura in eius humeros reclinata.

7 Hæc eſt certa, hæc eſt Catholica veritas, in Scripturis ſacris luculenter, vt viſum eſt, cõtenta, & ex iiſdem Scripturis inuicem comparatis luculentiùs deducta: & recepta eſt, communi ſenſu Eccleſiæ, & omnium in ea doctiſſimorum Patrum, & Epiſcoporum, quorum loca ex ſuis Scriptis ſuperiùs citauimus, & ſpeciali ratione ſunt videndi, Tertullianus de Præſcript. Origenes Homil.5. in Exod. Baſilius lib.2 contra Eunomium. Cyrillus in Ioann. lib.2.c.2. & 12. Epiphanius in Ancor. Chryſoſtomus in Matth. Homil.95. & in Pſalm.50. Cyprian. de vnit. Eccleſ. & Epiſt.75.

Augu-

Auguſtinus Sermon.15.16.20.& 29.de Sanct.& de Verb.Domini, ſecundùm Ioann.Tractat.49. Annot.in Iob cap.30.& in Pſalm.69.Hieronym lib.1.in Iouinianum.& cap.2.in Iſai.& cap.16.Ieremiæ. Leo Serm.2. de Anniuerſ.ſuæ Aſſumption.& Epiſt.89.Ambroſius Serm. 47. Hilarius in Matth.c.16.Proſper de Vocat.Gent.lib.2.c.28. Gregorius lib.4. Epiſt 32. & 76. Veritas hæc non ſolùm prædictorum Patrum ibi, & alibi pluries, & aliorum dictorum, verùm omnium Catholicorum Doctorum, & antiquorum,& recentium eſt, & ſcriptis,& confeſſione roborata:vt ea vna nihil ſit in Chriſtiana Theologia clariùs, nihil magis munitum, & inuictum,nihil, cōtra quorumcumque Hæreticorum impias aſſertiones habeamus fortiùs roboratum.

8 Erat hæc & difficilis, & immenſa ferè prouincia Petro aliàs adminiſtranda: niſi Auctor doni, tantam illi auctoritatem donaſſet, tam ingentem facultatem tribuiſſet:ne quid tanto muneri optimè deeſſet perfungendo. Et quid? Claues regni cælorum illi concredidit; verbo vnico eam, quæ maxima poterat excogitari, deſignans poteſtatem: tum eam, qua Eccleſia, cæleſte in terra Chriſti regnum, gubernetur: tum eam rurſus, qua Eccleſia ad æternum cælorum regnum perducatur. Vt enim ciuitatum Rectores, victorum quorumcumque voluntate ſe dedentes, traditis earum clauibus,quæ,ſummæ rerum omnium in ciuitatibus quaſi Emblema ſunt, ſe totos illis regendos permittunt: ſic eamdem poteſtatem clauium cōgruentiſsima Metaphora, Scriptura ſancta ſignificante, Chriſtus Dominus regni ſui clauibus ſummo Paſtori Petro collatis, Matth.cap.16. & Ioann.cap,21.ſummam,& abſolutam eidem,Eccleſiæ vniuerſæ regendæ,poteſtatem conceſsit: illi ſe neque metas rerū, neque tempora ponere, tunc vberiùs explicando, quando,vt omnis,ſiue dubitandi, ſiue cauillandi,præcideretur occaſio, adiecit: ita Deum in cælis perpetuò Paſtoris huius in terra prolatam ſententiam firmaturū: vt quodcumque is ligaret in terra,id item Deus ligaret, & adſtringeret in cælis; & quodcumque is rurſum ſolueret in terra, id quoque à Deo ſolutum in cælis haberetur. Illis enim verbis manifeſtè continetur, quicquid ad Eccleſiæ eſt bonum regimen requiſitum, quicquid ad fidem eſt ſtabiliendam neceſſarium, quicquid ad diſciplinam ſanciendam, eſt commodū, quicquid ad profligandos à Chriſtiano ouili lupos, Hæreticos, videlicet, eſt vtile;ſiue ſeueritate opus ſit ad reſtringendum, ſiue lenitate ad relaxandum: quò ad iſta enim omnia, quodcumque in terris ſoluitur,vel adſtringitur,idem in cęlis quoque vel ſoluitur,vel ligatur

9 Hinc Chryſoſtomus in illa verba Chriſti ſcripſit,aureo ſuo dicendi flumine: [A terra iudicandi, principalem auctoritatem ſumit cælum: nam iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hæc ille in ſupernis comprobat.]

10 Huc etiam ſpectat extremum illud Chriſti Domini è mundo ad

Patrem aſcenſuri præceptum, quo Petrus oues, agnoſque ſuos βόσκειν, & ποιμαίνειν, paſcere, ſcilicet, & regere, fuit iuſſus; id enim totum vox ea Chriſti manifeſtè comprehendit. Paſcendi verò, & regendi humanas oues, officium quid efflagitet, vitæ communis conſuetudo, communis ciuitatum, & Rerumpublicarum gubernatio facilè declarat: cùm ſit, leges iuſtas ferre, iniuſtas tollere; artes honeſtas alere, inhoneſtas prohibere; inſtruere etiam, à quorum commercijs abſtinendum ſit, quibus ſtudijs incumbendum: qui amandi ſint, vt ciues, qui cauendi, vt proditores: quando contra inimicos pugnandum, quando vt in alta pace quieſcendum: hæc enim omnia ciuibus ſuis Reipublicæ rectorem debere præſcribere, tam eſt manifeſtum, quàm euidens eſt; paſtoris officium exigere; vt à ſanis ouibus morboſas arceat: vt ſalutaria ijs paſcua prouideat: vt ouile contra lupos probè ſepiat: vt eos à caulis ſuis baculi ſigno à longe fuget: etiam, ſi quando ad mactandas oues irruant præſumptuosè, eos paſtorali gladio iugulando.

11 Addidit autem Chriſtus, dum Petro excellentiam hanc vniuerſalis conceſſit regiminis: [Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.] Quibus in verbis Petro promiſſa fuit poteſtas, non ſolùm ligandi, & ſoluendi in foro ſiue exteriori, ſiue interno: quæ vtraque ſunt partiales tantùm actus dictarum clauium: ſed quia claues ipſæ indefinitè promiſſæ, nec ad vnum aliquod aperiendi, vel claudendi genus determinatæ ſunt, profectò promiſſa eſt illi tota poteſtas, quanta, & qualis illa eſſet, quæ clauibus contineretur.

12 Claues ergo regni cælorum Petrum accepiſſe, idem fuit ac, poteſtatem accepiſſe aperiendi, & claudendi regnum cælorum, ſeu vitã æternam: ſiue communionem Eccleſiæ militantis ligandi, & ſoluendi; in vtroque foro gubernando Eccleſiaſtico, & ſpirituali, & ciuili gubernatione, doctrina, prædicatione, Sacramentorum diſpenſatione, legum conſtitutione, ſacræ Scripturæ interpretatione, Articulorum fidei declaratione, dubij cuiuſcumque Dogmatis controuerſi deciſione, & quacumque alia ratione opus ſit: ſiue exercendo ad ædificationem, ſiue ſubtrahendo ad perniciem: vel ſuam, ſi culpa, vel negligentia propria, id fiat, vel aliorũ, quando eorum ſalus illud requireret, ac poſtularet. De quo Paulus Timotheũ. 1. ad illũ. c. 4. hiſce breuibus cõmonefaciebat verbis: [Hæc faciens, teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.] Admonuit autẽ doctè Tertullianus, lib. de Pudicitia. tam in primo Baptiſmo, quàm in diſceptatione illa, de non ſeruanda lege veteri, Act. cap. 15. Petrum Apoſtolum tum reſeraſſe aditum ad regna cælorum: tum & ſoluiſſe, quæ omiſſa ſunt legis, & alligaſſe, quæ ſeruata ſunt: vt iam ſuperius dicebamus.

13 Præceſſerat inſignis tantæ huius rei geſtæ figura, dum Iſai. cap. 22.

ſummo Sacerdoti Eliachim, Chriſtum Dominum adumbranti, dictum fuiſſet: [Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius:] explicuit ſtatim Scriptura clauis eius vſum, dicens: [& aperiet, & nemo erit qui claudat: & claudet, & nemo erit qui aperiat.] Quod idem totidem verbis de perſona Chriſti in Apocalypſi, cap. 3. ſic à Ioanne repetitur: [Sanctus ille, & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.] Sicut ergo in figura Eliachim, in veritate Chriſtus, accipiens clauem domus Dauid, id eſt, Eccleſiæ, aut regni cælorum, accepit eadem opera poteſtatem claudendi, & aperiendi: ſic etiam Petrus Eccleſiæ, loco Chriſti, Paſtor ſuffectus, accepit ab eo poteſtatem clauium, ſcientiæ, & potentiæ: poteſtatem, videlicet, Ordinis, poteſtatem Iuriſdictionis: & huius tam in foro externo excommunicandi, ſuſpendendi ab officio, Indulgentias concedendi, leges ferendi, & exſequẽdi, docendi, & gubernandi: quàm in foro interno, crimina remittendi: quibus exercitijs, clauium ampla, & adęquata poteſtas continetur.

14 Vbi omninò aduertẽdum eſt, hanc poteſtatem, quæ in Petro eiuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ſingulari excellit modo, certa quadam ratione Apoſtolis omnibus, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, fuiſſe ab eodem Chriſto Domino communicatam: dicente ad eos Matth. c. 18. [Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo.] Haud enim ſine grandi myſterio geſtum eſt, vt eo tempore Simoni nouum nomen, Petrus, ſeu, Cephas, imponeretur, Marc. cap. 3. & Luc. cap. 6. quo duodecim deſignauit Chriſtus Apoſtolos: vt, videlicet, eodem momento de capite, Petro, & de corpore, alijs, videlicet, etiam Paſtoribus, Apoſtolis, proſpiceret: neque priùs, cùm non ſit vſus capitis ſine corpore: neque poſteriùs, cùm ſine capite nequeat corpus adaptari. Non quòd tunc completa nouæ Eccleſiæ eſſet forma: ſed quia tunc formari cœpit, quaſique in Chriſti vtero parturiri, quæ in die Pentecoſtes, per Spiritus ſancti aduentum, qui eſt tamquam anima Eccleſiæ, ea eſſet vltimam ſuam formam acceptura.

Obiectio, de poteſtate cęterorum Apoſtolorum, ad Petri, eiuſque ſucceſſorum poteſtatem comparata, diſſoluitur.

Cap. XXXVIII. §. 1.

VERVMTAMEN, hanc Eccleſiæ poteſtatem, quæ reuera omiſſis fictionibus, ſeu ſuppoſitionibus, ſupra factis, in ſummo Pontifice Papa Romano, tamquam in capite, in tota verò Eccleſia, tamquam in corpore myſtico, capite & membris integrè conſtante reſidet, ab eo tempore, quo Chriſtus Petro, cuius verus ſucceſſor in Pontificatu, & Pri-

matu eſt Epiſcopus, & Papa Romanus, claues regni cælorum dedit: vt Eccleſia in Capite, & Caput, propter Eccleſiam, ſcientiæ, ac potentiæ claues haberent, ad cæleſtes ianuas, fidelibus, vel reſerandas, vel claudendas: hanc, inquam, poteſtatem, vt dicto Romano Pontifici inuidè, malitioſeque, ſeu propriùs hæretico ſpiritu, quidam Nouatores negotium faceſſerent, aſſeruerunt, æquè in omnibus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, quos Petro in omnibus æquales eſſe autumant, reſediſſe. Probant id, quia omnibus diſcipulis dictum fuit à Chriſto, Matth.ca.18.[Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cælo.] Et iterum dicit omnibus Apoſtolis, Ioann.cap.20. [Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.] Vbi Eccleſiæ poteſtas, & claues illis datæ fuiſſe videntur.

2 Et Hieronymum hunc ſenſum admittere dicunt, dum ait: [At dicis, ſuper Petrum fundatam Eccleſiam,&c.] & addit: [Licet idipſum alio loco (Ioan.videlicet,cap.20.) ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant,& ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur.] His ſimilia habet Cyprianus, citatus. 4.q.1. c. Loquitur.dum ait, [Chriſtum,videlicet,Apoſtolis omnibus,poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuiſſe: dicendo,Quorum remiſeritis peccata,&c.] & mox ſubiungit: [Hoc erant vtique ceteri Apoſtoli, quod erat Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis.]

3 Huic obiectioni breuiter reſpondebimus,ſi,ad prædictorum corroborationem,rem totam cum ipſorum Patrum,quos nobis opponunt,confeſſionibus conferamus: Eſto ergo, & omnibus Apoſtolis poteſtas præfata,ſit æqualiter contributa: triplici tamen intercedente diſcrimine, erit hoc omninò intelligendum: Eſt primum, quia ipſius Apoſtolatus non erat ſucceſſio, parem enim habebant poteſtatem, quatenus Apoſtoli, in ſuis perſonis, non tamen in ſucceſſores deriuandam. Apoſtoli namque, iuxta nominis etymologiam, erant legati, ſeu miſſi, ex Matth. cap.10.& Ioan.c.13. [Legatione fungimur, &c.]dicebat etiam Paulus, 2.ad Corinth.c.5. & ad Epheſ.c.6. cum plena poteſtate,ad Eccleſiam, poſt Chriſtum, inchoandam, augendam,& ſtatuendam: priuilegio tamen ſingulari, atque extra ordinem. Quod expreſſit Seruator ipſe dicens, [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.] Ioan.c.20. Sed alia fuit præterea in illis Epiſcopalis,& iuriſdictionis ſingularis poteſtas, propria vnicuique eo in loco, vbi ſedem ſuæ ſpecialem aſſequutus; vt Epheſi Ioannes, Hiſpaniæ Iacobus eius frater, Ieroſolymæ Iacobus minor, Romæ Petrus,&c.[In ijs locis, ſeu ſedibus,]inquit Irenæus, lib.3.c.3.[ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum magiſterij locum ipſis tradentes.] Quo ſenſu,Hieronymus Epiſt.ad Euagrium,Epiſcopos,& Presbyteros, vocat ſucceſſores Apoſtolorum: & Auguſtinus, Enarratione in Pſalm.44. pro Apoſtolis conſtitutos eſſe in Eccleſia Epiſcopos, ſcripſit. At hoc reſpectu,

Epiſcopalis, ſcilicet, ordinariæ poteſtatis, inferiores erant Petro alij Apoſtoli. Hinc Andream, Iacobum, Ioannem, vocat Gregorius lib. 4. Epiſt. 38. ſingularum plebium capita, & ſub vno capite Petro omnes membra Eccleſiæ. Hinc Petri ſucceſſor Romanus Pontifex, ſtatim ab ipſorum Apoſtolorum temporibus, Epiſcopus Epiſcoporum, & ſummus Pontifex eſt appellatus, vt habetur ex Tertulliano, lib. de Pudicitia. Igitur finita legatione Apoſtolorum, cum ipſis legatis, in qua erant, quatenus Apoſtoli, omnes pares, Petrus, qui hanc poteſtatem plenam acceperat, non vt legatus, non vt Apoſtolus, non vt miſſus extra ordinem, ſed vt Paſtor ordinarius Eccleſiæ, eam ad ſuos tranſmiſit ſucceſſores Romanos Pontifices, in eis perpetuò duraturam.

4 Diſcrimen ſecundum eſt, ratione amplitudinis, & extenſionis rerũ gerendarum. Habuerunt enim omnes Apoſtoli parem poteſtatem, quò ad res cunctas adminiſtrandas, quę Eccleſię concernerent ſtabilimentũ; non habebant tamen eam, quò ad ſuperioritatem, & amplitudinem, in ordine eas gerendi. Reſpectu itaque aliorum omnium Chriſtianorum, plenam ſinguli Apoſtoli, & ſupremam nacti fuere à Chriſto poteſtatem, non autem reſpectu ad ſe inuicem: quia Petrus erat caput, & omnium fidelium, & ipſorum Apoſtolorum. Hæc eſt doctrina Hieronymi in ipſis ſequentibus verbis ad ea, quæ in argumento ſupra referuntur: dum ait: [Tamen inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.]

5 Sic & Cyprianus poſt verba citata, ſubdit, [Sed exordium ab vnitate proficiſcitur, Petro Primatus datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.] Qui Cypriani locus, ſi integer legatur, nihil Nouatorum oppoſitionem adiuuabit. Sicuti neque Epiſt. 2. Anacleti Papæ, ex qua 21. d. c. In nouo teſtamento, & 22. d. c. Sacroſancta Romana, ſumuntur: vnde & Cyprianus poſtea ſua videtur deprompſiſſe. Qui Patres ſi attentè, & piè legantur, ſeipſos clariſſimè explicant. Poteſtas verò, quę ex Ioan. cap. 20. colligitur, Apoſtolis data, quantum ad ligandum, & ſoluendum fideles ſubditos, non autem, quantum ad accipiendas claues, eſt intelligenda. Ergo Apoſtoli, qui reſpectu Eccleſiæ reliquæ, & ſuæ legationis, erant paris omnes poteſtatis: reſpectu tamen ipſorum mutuò, & ad inuicem, ac reſpectu Paſtoralis adminiſtrationis, Petrum pro capite habuerunt. Et in hoc ſenſu, paſſim à veteribus Patribus, ipſe Petrus, Princeps, Caput, & Coryphæus vocatur Apoſtolorum; immò Epiphanius in Anchorato, Coryphæotatum illum nominat, id eſt, excellenti gradu, ſummum Apoſtolorum Coryphæum.

6 Tertium, idemque præcipuum diſcrimen eſt, quòd Petro data fuit poteſtas præceptiua, alijs autem tantùm exſequutiua. Itaque habuerunt Apoſtoli à Chriſto immediatè parem cum Petro poteſtatem faciẽdi ea omnia, & exſequendi, quæ ad ædificandam Eccleſiam pertinebant.

ſoli tamen Petro ſic iſta plena poteſtas data fuit à Chriſto,vt in ipſo Eccleſiaſtico regimine, ipſe præſcriberet illa, quæ agenda,& exſequutioni eſſent committenda; ideoque omnis ab illo gubernãdi poteſtas ad alios deriuaretur. Et hoc eſt, quod dixit Auguſtinus ſuper Ioan.citatus 24.q. 1. cap. Quodcumque.[Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.] Cui accinit Hieronymus ead. q. cap. Omnibus. Item, hoc eſt,caput ceterorum fuiſſe,& vnitatem Eccleſiæ ſignificaſſe, figuraſſe, & verè inchoaſſe:dum, quaſi fundamentum, ac principium Eccleſiæ, & primus in ea, ſupremuſque Paſtor exſiſtens, hanc regiminis poteſtatem ad ſuos nedum moriens ſucceſſores, ſed etiam viuens,ad Eccleſiæ alios omnes Paſtores deriuauit.

7 Hinc ait Cyprianus, lib. de Vnit. Eccleſiæ: [Vt vnitatem Chriſtus manifeſtaret,vnam Cathedram conſtituit,& vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem,ſua auctoritate diſpoſuit.] Id eſt,ab vno illo Capite in Eccleſia,ſuo Vicario Petro,actu incipientem:quod Act. cap. 2. factum eſt,vt notauit Ambroſ.Serm. 47. & Euthymius in Comment. ad Matth. cap. 16. Et Optatus lib. 2. contra Parmenianum,ait. [Apoſtolorum Caput Petrus Romæ ſedit; vt in illa vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur:ne ceteri Apoſtoli ſingulas Cathedras ſibi quiſque defenderet.] In hoc ſenſu loquitur Cyprianus,cùm docet, Petrum eſſe originem vnitatis Eccleſiæ,& à Petri Cathedra vnitatem Sacerdotalem oriri. Et Leo Maximus ſcribit: [Firmitas,quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis confertur.]

8 Ad hanc autem vnitatem inchoandam,haud eſſet ſatis, vt ad vnum Chriſtum referantur,qui claues acceperunt: ſed hoc vnum,ad quod referuntur ceteri, oportet, vt ſit eiuſdem generis caput: terrenum,ſcilicet, vel temporale,ſicut hoc militantis Eccleſiæ corpus, temporale eſt. Ne corpus Eccleſiæ viſibile, ἀκέφαλον, ideſt, capitis corpori conformis, & proportionati eſſet expers; vt aut corporis veram rationem non haberet, aut monſtro ſimile videretur.

9 Quæ omnia adhuc vberiùs explicantur,ſi conſideremus,vnitatem Eccleſiæ, non ſolùm hæreſi,ſed etiam Schiſmati opponi. Nam ad illam conſeruandam,& ſana fide in Deum opus eſt,& vera obedientia, & communione, ac nexu in vniuerſam Eccleſiam,& eius præcipuè Principes: & cum illis,circa eumdem religionis cultum,cohærentia. Hinc dicuntur Schiſmatici, qui adhuc retenta fide, à communione fidelium,& præſertim à ſuis ſegregant ſe Paſtoribus, & maximè ab vnitate Sedis Apoſtolicæ Romanæ. Quod Schiſma,ex Cypriano,inde committitur,lib. 1. epiſt. 3. & lib. 4. epiſt. 9. quia vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos,& ad tempus iudex,vice Chriſti,non cogitatur.

10 Concludendo ergo, pro reſponſione argumenti, notandum eſt: quod ſicuti in hominum generatione,ex Auguſtino lib. 12. de Ciuit. Dei

cap.

cap. 21. ad vehementiùs commendandam humanæ ſocietatis vnitatem, & vinculum concordiæ, vnum, ac ſingularem hominem Deus creauit, vt ab illo vno homine omne diffunderetur genus humanum: ſic in hominum regeneratione; ad vnitatem fidei fortius retinendam, & vehementiùs commendandam, vni Petro fides eſt primùm altiſſima de Chriſtò reuelata. Vnus Petrus ceterorum omnium caput, & pater ſtatuitur: ſic per vnum Petrum, quaſi ſuper petrã ſolidam, fundatur Eccleſia: vnus Petrus accipit cælorũ claues; pro vnius Petri fide, ne deficiat, oratur: vni Petro oues ſuas paſcendas Chriſtus cõmiſit: vt vnitatis origo ab vno capite Petro tot modis, & inciperet, & propagaretur, & denique in alios omnes fideles dimanaret.

11 Ex quibus hoc tamdem efficitur, non ſic ceteris Apoſtolis, vt Petro, collatas fuiſſe Eccleſiæ poteſtatem, & claues; ſed ſolùm Petrum pro ſe primùm, & ſuis ſucceſſoribus; deinde in ordine, etiam ſuper Apoſtolos alios: tertiò tamdem, vt ab illo in vniuerſam Eccleſiam, ſuo ordine, deriuandas, accepiſſe.

12 Et ſufficientiſſima ſunt hæc, ad Petri aſſerendum Primatum, item, & Romani Pontificis, eius ſucceſſoris: ſed proteruis æqualitatis Apoſtolicæ defenſoribus, excluſo vno Principe, orbem vniuerſum ſingulis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, pro eorum Epiſcopatuum diſtricto, ſeu Diœceſi tribuentibus reſpondemus: iam Romanum Pontificem primò probari, ex conceſſis ab illis, totius mundi Apoſtolum, ſeu Epiſcopum, cui vti tali parendum ab omnibus eſſet; Deinde de Petri Principatu, &, an eius ſucceſſoribus, vti Principibus, eſſet obediendũ, diſceptaretur ab ijs, qui in Apoſtolorũ ſucceſſere locum, non à contumacibus Hæreticis, qui illorum nõ ſunt ſucceſſores. Vnde vertant ſe in omne latus, ratio adducta ſemper vigebit: & cùm Romani Pontificis auctoritatem, ac poteſtatem, ſeculis omnibus teſtatiſſimam, negant, omnium aliorum Epiſcoporum, quæ non ita ab Apoſtolis per Claſſicos Scriptores celebretur emanaſſe, negari neceſſe eſt. Nam ſi admittũt, alios poſſe quicquam, quod ita certũ nobis traditũ eſt, & hunc maximè poſſe, certiſſimũ: quod ſi nec hũc, nec vllum: niſi minus certa certioribus potiora debeãt iudicari. De qua inter Petrum, & ceteros Apoſtolos differentia, cùm plures antiqui Patres, & Doctores multa Diuinè dixerint, D. Bernardus libris de Conſider. ad Eugenium P. M. eſt, pro piorum conſolatione Chriſtianorum, perlegendus.

13 Ceterum dum Apoſtolorum ſucceſſores appellantur Epiſcopi ab Anacleto Pontifice epiſt. 2. Auguſtino, ſuper illa verba Pſalm. 44. [Pro patribus tuis, nati ſunt tibi filij:] Concil. Florentino. in Armeniorũ inſtructione, & Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 4. ea ducimus, hoc, ratione intelligendum eſſe, vt dicantur Epiſcopi, ſuccedere Apoſtolis, non propriè, eo modo, quo Epiſcopus Epiſcopo, Rex ſuccedit regi: ſed dupliciter:

ter: Primò, ratione ſacri Epiſcopalis ordinis; ſecundò per quamdam ſimilitudinē, & Analogiam: quia, ſcilicet, ſicuti Chriſto Domino commorante in terris, primi ſub eo erāt duodecim Apoſtoli; deinde Septuaginta duo diſcipuli; ſic & nunc, primi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi, deinde Presbyteri, tertiò Diaconi, &c.

14 Aliàs enim Epiſcopi nullam Apoſtolicæ alterius auctoritatis habent partem. Apoſtoli enim, vt habemus ex Matth. & Marco cap. vlt. fuere à Chriſto Prædicatores in orbem vniuerſum deſtinati: vnde alias, atque alias Eccleſias fundare, & libros poterant Canonicos ſcribere: horum verò nullum Epiſcopi efficere vmquam potuerunt. Dono prætereà linguarum fuere Apoſtoli inſigniti, quod non omnes Epiſcopi poſſederunt. Chriſtus Apoſtolis, vniuerſam Eccleſiam gubernandi, ampliſſimam contribuit facultatem, & iuriſdictionem: illis verbis apud Ioannem, cap. 20. [Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:] (tametſi ordinaria iuriſdictio, quæ in poſteros, per ſucceſſionem transferretur, ſoli Petro, extraordinaria reliquis etiam Apoſtolis conceſſa ſit:) Epiſcopi autem à Petri ſucceſſore Romano Pontifice, cui dictum eſt, [Paſce oues meas; Paſce agnos meos;] ſuam iuriſdictionem immediatè, vel à ſuis Patriarchis, qui ſuam habent immediatè à Romano Pontifice, certis limitibus definitam conſequuntur. Ac tandem non ſucceditur propriè, niſi præcedenti: at ſimul cum Apoſtolis exſtitere plures alij Epiſcopi, in Eccleſia: vt Timotheus, Titus, Euodius, alijque plures. Si ergo alijs, à definitis, modis ſucceſſores Apoſtolorum dicerentur, cui Apoſtolo Timotheus, cui Titus, cui Euodius ſucceſſere?

15 Prædicta igitur in hoc Capite, eſt legitima, Chriſtiana, Catholicaque doctrina, eſt regia ab omnibus fidelibus terenda via: & cuicumque audaci Doctori, ſeu ſeductori aliter docenti, vel dicenti, eſt dicendum breuiter illud, quod S. Vitalianus Papa, ante hos mille annos ferè, Archiepiſcopo Cretenſi ſcripſit, epiſt. 1. cùm iniuſtè, & iniquè cum quodam ſuo ſuffraganeo Epiſcopo ſe geſſiſſet: [Quæ ergo, inquit, ſancti ſtatuerūt Patres, indecentia ſunt? an placentia tibi decentia ſunt?]

De exercitio huius Poteſtatis Petri, eiuſque ſucceſſorum, adhuc per comparationem ad Synagogam. Cap. XXXIX. §. 1.

DE hac poteſtate, qualiter circa Ciuilis adminiſtrationem iuriſdictionis fuerit in Eccleſiam introducta, diximus plura ſupra Part. 3. argum. 2. & 3. principali, contra perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, & totam Politiam: eius autem vſum, & praxim in illius Apoſtolicæ Eccleſiæ moribus originarijs ſi conſideremus, fieri nequit, quin admiremur Dei in ſeruis ſuis potentiam, eamque ſuſpiciamus, nobiſque ipſis imitandam

repræſentemus egregiam primitiuorum Chriſtianorum, erga Patres ſuos, reuerentiam, & mirabilem ſubiectionem. Ergo ſi quis hæreſim aliquam docebat, neque, monitus, ab ea volebat deſiſtere, tradebatur Sathanæ, vt diſceret non blaſphemare: vt 1. ad Timoth. cap. 1. facto, videmus per Paulum Apoſtolum rei iudicem, contigiſſe.

2 Reum autem ex Chryſoſtomo Homil. 5. in illum locum, & Homil. 15. in 1. ad Corinth. cap. 5. viſibili quadam operatione inuadebat Dæmon, aliquando, & eum adeò miſerè vexabat, vt Hæreticus ille, ſeu excõmunicatus, iam quaſi inferni ipſas pœnas perſentiſceret: immò hac erant Chriſtiani imbuti opinione, eum Chriſti ſpeciali eſſe præſidio orbatum: vnde illius conſortium exhorrebant, & quaſi Diaboli membrum, luctu, & mœrore vir ille ad deſperationem ferè, ex 2. ad Corinth. c. 2. adigebatur.

3 *Diuerſo præterea agendi ordine*, Act. cap. 13. Elimas Magus cæcitate fuit à Paulo percuſſus: & Petrus Act. cap. 5. Ananiam, & Sapphiram morte mulctauit. Denique Paſtores illi primi, Chriſtianos, ſiuè ob hæreticam doctrinam, ſiuè ob nefariam vitam, fratres à communione priuabant Eccleſiaſtica: reliquos Chriſtianos ita inſtituentes, vt cum eis, vel cibum capere, vel in domo eadem manere, vel familiariter colloqui, vel prætereuntes ſalutare, vel vllum ciuile officium exercere, nefas exiſtimarent: ſicut certum eſt, Ioannem Apoſtolum balnei vſum, vbi Cherintus caſu intrauerat, deuitaſſe.

4 Sicuti verò Apoſtoli hac ſumma à Chriſto facultate præditi, non iactatione, ſed veritate, illud de ſe prædicabant, 1. ad Corinth. cap. 6. [Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis ſecularia?] & 2. ad eoſdem, c. 10. [Arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum: conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem, extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei; & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Chriſti. Et in promptu habentes, vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia.] & eadem 1. c. 4. [Quid vultis? in virga veniam ad vos?] Sicuti, inquam, hæc, & ſimilia non glorioſè de ſe iactabant Apoſtoli, ſed verè efferebant, ſuã Chriſtianos corrigendi, & caſtigandi potentiam ſignificãtes; ſic in Chriſtianis ipſis, nihil magis quàm ſummam erga ſuos Paſtores humilitatem, & reuerentiam, commendabant. Adſit pro omnibus teſtis idem Apoſtolus Paulus, hiſce verbis Romanorum obedientiam extollens, epiſt. ad ipſos cap. 16. [Veſtra enim obedientia in omni loco diuulgata eſt.] Eamdemque obedientiam conſtantem à Philippenſibus exigebat, ad ipſos c. 2. ſcribens. [Itaque chariſſimi mei, ſicut ſemper obediſtis, non vt in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea, cum metu, & timore veſtram ſalutem operamini.] Et generali præcepto, ad omnes ſic habuit ſermonem Chriſtianos, ſcribens ad Hebr. cap. 10. [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem

pro animabus veſtris reddituri.]

5 His igitur imperandi, parendique moribus inchoata,& perfecta Chriſti IESV Eccleſia, ab Ieroſolymis incipiens, in omnes Aſiæ, Africæ,& Europæ Prouincias, immò in ipſam forſan ſeſe effudit Americam & orbis extremas partes: doctiſſimoſque Philoſophos, eloquentiſſimo Oratores,acutiſſimos Iuriſprudẽtes,ſciẽtiarũ omniũ profeſſione eminẽtiſſimos Doctores, Augures, Magos, Aruſpices, Druydas,Brachmanes falſæ licèt Religionis, apud populos tamen venerandos Sacerdotes ſibi ſubiecit;ac tamdẽ etiã Principes, Reges,ipſos denique orbis terrarũ Imperatores,iuxta Prophetarum antiqua vaticinia,ſubiugauit.Sic namque perſpicuè de Eccleſia prædixerat Iſaias c.60.[Aedificabũt filij peregrinorũ muros tuos:& reges eorũ miniſtrabunt tibi. Aperientur portæ tuæ iugiter; vt afferatur ad te fortitudo Gentium,& Reges earum adducantur. Gens enim, & regnum,quod non ſeruierit tibi,peribit.]

6 Ita nimirùm Dei Omnipotentis admiranda factum eſt prouidentia: nam certè in antiquo Teſtamẽto,poſt Sacerdotium ordinatum,leges deſcriptas,inſtitutas cæremonias, diſtributa ſacrificia, quibus Synagoga conſtabat harmonia, plura interiecta fuere ſecula, priuſquam Regium nomen,auribus olim ſolùm perceptum,ad rei exſequutionem deueniret; quo toto tempore,nihil,ad ſui ſeu inſtitutionem,ſeu perfectionem,Synagoga deſiderauit. Et poſtea,Babylonica ſequuta captiuitate,deletis Regibus;eorũque imperio obliterato,eiuſdem Synagogæ ſtatus,poſt populi Iudaici reditum in patrias ſedes, nihil propterea imminutus, nihil eſt immutatus: immò antiquam ſuam conſeruauit formam, adhuc per tempus ſine Regibus: donec Chriſti aduentu, qui priorum erat promiſſionum terminus, & legis finis,legi,& promiſſionibus fuit ſuus exitus præſtitutus: Nõ aliter in nouo Teſtamento Chriſti eiuſdem Sponſa Eccleſia perfecta, fuiſque omnibus numeris abſoluta, pleraſque omnes cogniti, ſeu,ſi placet,incogniti terrarum orbis prouincias complexa eſt; & tamquam fructuoſa arbor altis defixa radicibus, à paruis initijs exorſa, ampliſſimè ſuos dilatauit ramos: vt Chriſtus ipſe,Marci cap.4. eam deſcripſit: trecentis ferè annis,priuſquam, vel Rex,vel Imperator aliquis publico,& generali Edicto, in ipſius communionem adſcriberetur.Quin immò cùm Reges terræ, cum Imperatores adſtarent, & in vnum aduerſùs Dominum,& aduerſùs Chriſtum eius,iuxta Pſalm.2.prædictionem, omneſque Regnorum,& Imperiorum ſuorum neruos intẽderent,vt quibuſcumque poſſent artibus,& viribus,arborem hanc exſcinderent: iuxta Chriſti ea ſanguinis decurſum plantata, fructum ſuum,in tempore ſuo, numquam deſtitit præſtitiſſe.

7 Succeſſere tempora temporibus, &, quæ humanarum eſt rerum viciſſitudo, Imperium Romanum in varias fuit partes diuiſum, nunc in Oriente,nunc in Occidente, aliquando inter duos,aliquando inter tres,

immò & inter triginta Tyrannos, vt ſub Auguſtulo fuit dilaceratum; numquam tamen propterea Eccleſiaſticæ Politiæ quicquam vel acceſſit, vel deceſſit: ſiuè ſub vno Imperatore, ſiuè ſub multis, ſiuè etiam ſub nullis, aut cùm Imperatores iurati etiam Eccleſiæ eſſent hoſtes, eodem ſemper tenore progreſſa eſt Eccleſia, eamdemque perpetuò gubernandi retinuit formam illam à Chriſto, & Apoſtolis traditam: vt Pontifices præeſſent, alij verò quocumque appellati nomine ſubeſſent: illi eſſent Paſtores, hi oues; ex quo itẽ eſt euidẽs, perpetuã, & immobilẽ Eccleſię Hierarchiã, & Politiam Imperatorũ Baptiſmo nihil fuiſſe variatam; ideoq; neceſſe fuit, vt cùm Imperatores, Reges, Principes, veritatis Chriſtianæ conſtantia conuicti, in Eccleſiæ corpus, per Baptiſmi Sacramentum inſerebantur, (ſi quidem ea ad Eccleſiam adiunctione Paſtores, & Epiſcopi non ſunt effecti:) in ouium, & ſubditorum numerum ſuſciperentur. Deſignarat hoc, idem Iſaias Propheta clarè, dicto cap. 60. ſic prænuncians: [Reges eorum miniſtrabũt tibi. (agit de Eccleſia) Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi: & vocabunt te, ciuitatẽ Domini, Sion ſancti Iſrael.] Nihil clarius, nihil potuit dici illuſtrius, quo quaſi præ oculis poneretur ea rerum commutatiò, cùm Imperatores, & Reges, cùm Poteſtates quæcumque ſeculares, ex Eccleſiæ perſequutoribus, Eccleſiæ, per Baptiſmum altores, nutritores, & defenſores effecti ſunt.

8 Ex quibus omnibus id conſequitur: Ad præſentes, & futuros Chriſtianos, non minus quàm ad primitiuos, dicta omnia, & Chriſti, & Apoſtolorum præcepta ſpectare. Quare, ſi Reges, ſi Principes, ſi Imperatores Catholicæ ſunt Eccleſiæ membra facti, per regenerationis lauacrum, Eccleſiam tenentur audire, eius Paſtoribus debent reſpectiuè ſubiacere, vt obediant Præpoſitis ſuis neceſſum eſt: qui ex Paulo Apoſtolo vigilant, quaſi pro eorum animabus rationem Deo æterno Paſtori reddituri. Summus Pontifex ergo Epiſcopi, Eccleſiaſtici Prælati, quaſi Paſtores habent baculum; ſcilicet, virgam æquitatis, & directionis à Chriſto ſibi commiſſam, quia illorum, æquè ac ceterorum Credentium, dirigant Chriſtianiſmum; Apoſtoli ſunt à Chriſto Dei Patris Apoſtolo conſtituti, ad Regum, Principum, & Imperatorũ etiam (ſi ſancti volũt eſſe,) cõſummationem, in opus miniſterij tanta auctoritate præditi, qua & Angelos iudicabunt, quantò magis Principes ſeculares, quò ad ea, in quibus contra Eccleſiam Chriſti, & Chriſtianam offendant pietatem.

9 Itaque Moderatores certos, ſicuti neceſſarios, Eccleſiæ dedit Chriſtus Dominus Epiſcopos, qui intrinſecam eius naturam curarent; videlicet, puritatẽ Dogmatum, Articulorũ fidei, & Sacramentorũ doctrinam: diſciplinam Eccleſiaſticam, & quæcumque alia, ad interiorem eius vitam, & tamquam animam, pertinent; atque etiam quò ad Ciuilem, & ex-

ter-

ternam inuicem Eccleſiaſticam adminiſtrationem; ſine qua cetera hau congruè conſiſteret. Quorum Curionum officium,quia circa ſublimia,& valde recondita myſteria verſatur,ideoque perpetuò præſentem Diuin Numinis gratiam ſingularem poſtulabat, idcircò Chriſtus ipſe,Matth.c 28.promiſit, ſe illis affuturum omnibus diebus,ad ſeculi vſque conſum mationem:& Ioan.c.14.& 16.ab eis numquam receſſurum Spiritum ve ritatis, qui eos in omnem duceret veritatem: qui per os Ieremiæ, cap 31.aſſeruerat, priùs futurum,vt Sol, & Luna è medio tollerentur; quàn vt hæc promiſſio ſua vi, & effectu deſtitueretur: aut leges iſtæ, de quibu ibi loquebatur,eſſent coram eo defecturæ.

10 Principes verò, & Reges, & ſeculares Poteſtates, & denique om nem ciuilem Magiſtratum iuxta & naturæ, & cuiuſque gentis, ſeu pro uinciæ mores ordinatum, ita iam gratiæ lege ſuccedente reformauit,v tum demum munere ſuo perfectè fungerentur, cum myſtica, ac noua na tiuitate in Eccleſiam inſiti,Epiſcopis,ac Prælatis regenerantibus,vt fili patribus, & oues paſtoribus, vt diſcipuli magiſtris, iuxta Chriſti præ ceptum,ſe ſubdentes, Politicum ſuum gladium dirigerent, ad eam ex trinſecam Eccleſiæ pacem procurandam, cuius interna Sacramenta, & ciuilem Eccleſiaſticorum adminiſtrationem externam, ad ea ſarta tect tuenda neceſſariam,diximus,Epiſcoporum fidei commiſiſſe. Quod Prin cipum ſecularium munus,cùm iam ſupra per Iſaiam cap.60. fuiſſe præ dictum oſtenderimus,adhuc ex ipſo cap. 49. illud colligimus dicente [Reges videbunt,& conſurgent Principes; & adorabunt, propter Domi num, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael,qui elegit te.] Quod idem ceci nerat regius Vates, Pſalm. 2.& 71. Chriſti,videlicet,iugo fore Reges,& colla,& ſua ſceptra ſubmiſſuros.

11 De prædictorum conſequentia nullus dubitabit, qui Chriſtiana vel leuiter ſit imbutus diſciplina; [Gregis enim mei ouis es,]dicebat, vt ſupra retulimus,Gregorius Theologus ad Imperatorẽ ſuum Theodo ſium:& [Quid Imperatori honorificẽtius eſt,quàm vt dicatur filius Ec cleſiæ?] ad Valentinianum item Imperatorem cõſtantiſſimus Ambroſius perorabat. Quòd ſi quæ latent in hac Principum ſecularium, ad Eccle ſiam,& eius Prælatos,altiſſima ſubiectione myſteria propalare velimus conſequenter ad ſuperiùs dicta reperiemus: fuiſſe hoc excellentiſsimum beneficium Regibus Infidelibus ad Chriſtum conuerſis,per eius fidem & doctrinam Euangelicam contributum; quòd cùm priùs,cuiuſque eo rum regnum, etiam cùm optimè adminiſtraretur,eſſet Politicum merè & mundanum,profanum,ac carnale,& veraque ſicut religione, ſic & ſan ctitate alienum: iam per Chriſtianam profeſsionem, qua ipſi in filios Dei, & Eccleſiæ adſciti ſunt, eorum quoque ſceptrum,ſacrum, religio ſum, Eccleſiaſticum,immò ſpirituale, & ſacerdotale quodammodo effe ctum eſt; quia ad eamdem Chriſti Eccleſiam cum Epiſcopis,& Sacerdoti-

Veterum Imperatorum, & Regum Hiſpaniarum ſententia de præ dictis, proponitur. Cap. XL. §. 1.

HANC doctrinam Optimi, Maximiq; illi Orientis, & Occidentis priores Chriſtiani Imperatores firmiter amplexi ſunt: in hunc ſenſum, in hanc venere ſententiam eamq; ſuis in imperando legibus, & moribus, roborarunt. Erat ſolitus dictitare Conſtantinus Magnus referente Euſebio lib. 4. eius vitæ. cap. 24. [Vos, ò Epiſcopi, intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum.] Theodoſius mittens ſuo nomine Comitem Candidianum, ad generale Concilium Epheſinum, expreſsè ei præcepit, vt nullo modo ſe interponeret in illis, quæ de pijs Dogmatibus erant controuerſa: hac addita ratione: [Illicitum eſt enim, qui non ſit ex Ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, ſeſe Eccleſiaſticis immiſcere tractatibus.] Imperator Martianus, vt ex Concil. Chalcedonenſi habetur Act. 1. & 6. proteſtatus fuit, ſe illuc acceſſiſſe, vt Conſtantini Magni exemplo, quæ Epiſcopi Diuina auctoritate ſacroſancta eſſe decernerent, ipſe Imperiali poteſtate populis ſeruanda ediceret: & Decretis Concilij repugnantes legitimis caſtigaret ſupplicijs: ſicuti Conſtantinus damnatos à Concilio Nicæno in exilium eiecerat, Arij libros igni tradiderat, & qui eos celauerant, comprehenſos capitali ſupplicio affecerat.

2 Ea igitur, quæ de rebus Eccleſiaſticis Epiſcopi concluſerant, ſuis Edictis firmabant Imperatores: & ad ea ſeruanda, pœnas inſuper Ciuiles adijciendo, populos reddebant propenſiores. Habemus inſigne exemplum etiam Iuſtiniani Imperatoris (quantumcumque poſtea, vt ſupra dictum eſt, aliquid in rebus tractandis Eccleſiaſticis deuiauerit,) is enim in Concil. 5. OEcumenico Conſtantinopolitano Actione. 1. enumeratis alijs quattuor prioribus Concilijs, ſic loquitur in quadam forma ad Concilium miſſa: [His omnibus per diuerſa tempora ſubſequutis, prædictę pię recordationis noſtri Patres, ea quæ in vnoquoque Concilio iudicata ſunt, legibus ſuis corroborauerunt, & confirmauerunt: & Hæreticos, qui definitionibus ſanctorum prædictorum quattuor Conciliorum reſiſtere, & Eccleſias conturbare conati ſunt, expulerunt.]

3 Inſpiciamus autem leges aliquas, in iure Ciuili contentas, harum priorum, & piorum Imperatorum praxim declarantes. Vt Conciliorum generalium illibata maneat auctoritas; quod eſt Chriſtianæ pacis & vnitatis fundamentum, ſic edicunt Theodoſius, Valentinianus, & Martianus AAA. C. tit. de Sum. Trinit. &c. §. [Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuſlibet conditionis, de fide Chriſtiana publicè tractare conetur in poſterum, &c. Nam & iniuriam facit iudicio Reuerendiſſimæ

Synodi, ſi quis, ſemel iudicata, ac rectè diſpoſita, reuoluere, & publicè diſputare contenderit. Et contemptoribus huius legis pœna non deerit.] Vt autem Hæretici cuiuſcumque generis comprimantur, edicunt ibidē. §. Sancimus. Quò ad libros verò hæreticè, & ſuſpicioſè conſcriptos incendendos, & eos vel legere, vel habere ſuſtinentes vltimo ſupplicio afficiendos, edicunt ibidem. Hæreticorum, & Conciones, & conuenticula funditùs interdicuntur ibi. §. Nullus.

4 Exſtat denique, vt cetera prætereamus, illud Theodoſij, & Valentiniani AA. Edictum, de Hæreticorum nuncupatione, ibidem. tit. 5. de Hæreticis. §. Damnato. dignum quod hodie in Germania, Polonia, Anglia, Scotia, & ſimilibus prouincijs hæreſibus infectis, ſeruaretur: quò Gentes illæ, quæ olim fidem Catholicam glorioſè profitebantur, ſuorū nouorum Doctorum nomine ipſo (Euangelicorum relicta falſa nuncupatione) admoniti, intelligerent, ſe tales eſſe, qui Deo, qui Chriſto Domino deſerto, ad Lutheri, Buceri, Caluini, Zuinglij, Bezæ, &c. luxuriæ, & libidinis mancipia profugerunt. Edicunt ergo ſic Imperatores: [Damnato portentoſæ ſuperſtitionis Auctore Neſtorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus: nec Chriſtianorum appellatione abutantur. Sed quemadmodum Ariani, ab Ario, lege Diuæ memoriæ Conſtantini, ob ſimilitudinem impietatis, & Porphyriani, à Porphyrio nuncupantur, ſic vbique participes nefariæ ſectę Neſtorij (Lutheri, Caluini, &c.) Neſtoriani, (Lutherani, Caluiniſtæ, &c.) vocentur: vt cuius ſcelus ſunt in deſerendo Deum imitati, eius vocabulum iure videantur eſſe ſortiti.]

5 Eſt autem in hiſce Edictis id maximè ſuſpiciendum, quòd Imperatores in illis edicendis ab Epiſcopis inſtructi, & à ſacris Concilijs edocti, Epiſcoporum, & Conciliorum Canonibus ſuas has leges conformarunt. Immò Iuſtinianus, hanc eamdem clauſulam ſuis Edictis frequenter erat ſolitus attexere: [Sancimus,] inquit Conſtit. 5. & 6. [ſacras ſequentes regulas: ne quis bigamus Sacerdos ordinetur.] & Conſtit. 131. [Sancimus, vt ſancti Eccleſiaſtici Canones, qui à ſanctis quattuor Concilijs expoſiti, & confirmati ſunt, vicem legum obtineant. Prædictorum enim ſanctorum Conciliorum decreta, perinde vt ſacras Scripturas ſuſcipimus, & Canones, vt leges cuſtodimus. Ac propterea ſancimus, vt ſecundùm eorum diffinitiones, ſanctiſſimus veteris Romæ Papa primus ſit omnium Sacerdotum, &c.] & Conſtitut. 109. [Veterumque Patrum, inquit, decretis inhærendo, Hæreticos illi dixerunt, & nos dicimus, qui cumq; diuerſarum Sectarum ſunt, Eutychiani, Acephali, Manichæi, &c. & quicumque membrum ſanctæ Dei Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ non ſunt; in qua & omnes ſanctiſſimi totius orbis habitati Patriarchæ, & omnes ſub ijs conſtituti religioſiſſimi Epiſcopi, vno ore Apoſtolorum fidem, & traditionem prædicant.]

6 Et cùm ſummus Pontifex Agapetus, Anthimum Conſtantinopolitanum

tanum Patriarcham, propter hæreſis reatum, ab Eccleſia expuliſſet: [Hanc,] inquit Iuſtinianus Conſtit. 14. [ſententiam, tametſi per ſe ſatis valentem, multò tamen adhuc valētiorem reddit Maieſtas Imperatoris, quæ Regia hac vrbe ipſum expellit.] Ob quam verò rationem, adeò ſtudiosè ſanctiones Eccleſiaſticas legibus cōfirmet Ciuilibus, & vt ipſe ait ibidem, quæ ſummum Sacerdotium decreuit, ea etiam Maieſtas Imperatoria corroboret, optamus, à Principibus Chriſtianis maximè conſiderari. [Si enim,] Conſtit. 127. inquit ille, [leges Ciuiles, quarum poteſtatem fidei noſtræ Deus concredidit, per omnia firmas, & ſtabiles conſeruari, ad ſubditorum ſecuritatem, ſtudemus, quantò plus ſtudij debemus, circa ſacrarum regularum, & Diuinarum legum obſeruationem, ponere: quæ pro ſalute animarum noſtrarum definitæ, & conſtitutæ ſunt?]

7 Quibus addendum eſt, præfatos Imperatores, ex præiudicata hac ſententiā, & Sacerdotij, & Imperij forè ſemper limites diſcernendos; quò ad Sacerdotio, & Imperio debitam à ſubditis obedientiam; item &, nullum eſſe ſuis abſolutum numeris, & Chriſtianum in ciuilibus obſequium, quod in fide non eſſet Catholica fundatum; quoties Chriſtianum hominem, ad munus aliquod publicum gerendum, efferebant, eum continuò ad fidei Catholicæ perpetuum cultum, ſub Iuriſiurandi forma hac, coarctabant. [Teſtor ego,] ex Nouel. Conſtit. 8ò. [iurando omnipotentem Deum, & vnigenitum Filium eius IESVM Chriſtum, & Spiritum ſanctum, ac glorioſam Dei Genitricem, & perpetuò Virginem Mariam, & quattuor Euangelia, quæ hiſce manibus teneo, & ſanctos Archāgelos, Michaelem, & Gabrielem: quòd occaſione conceſſi mihi officij, puram conſcientiam, & genuinum præſtiturus ſum ſeruitium, &c. & quòd cum ſanctiſſima Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia communionem habeo: neque ei vllā vnquām in re, aut modo aduerſabor: neque (quantum in me erit) alicui alij permittam. &c. Quòd ſi hoc non obſeruauero, omnibus incommodis ero expoſitus, tam hîc, quam in futuro ſeculo, in horrendo iudicio Magni Domini Dei, & Seruatoris noſtri IESV: habeboq; partem cum Iuda, & lepram Giezi, & tremorem Cain: vltra hoc, quòd etiam, pœnis lege Imperatorum comprehenſis, ero obnoxius.]

8 Hoc modò in primitiua illa, & puriſſima Eccleſia optimi Imperatores de ſua, quanta quanta erat, Imperatorum potentia, & crediderūt, & intellexerunt, & ſenſerunt: hoc ſuis rebus geſtis, & actionibus docuerunt: hoc exemplo glorioſo, poſteritati Chriſtianæ, vniuerſiſque ſecularibus Principibus conſecrarunt.

9 Regum Catholicorum Hiſpaniarum, de Hierarchia, & Politia Eccleſiaſtica conſtans iudicium Orthodoxum hic addere, per ſingulorum enumerationem, ſuperuacaneum, ſicuti prolixum eſſet opus; cùm eorum, & totius prouinciæ, & ſpatioſiſſimæ illius Monarchiæ Acta, Scripta, Dicta, nihil ſint aliud, quàm conſequā, & continens quædam Catholicæ,

& Apoſtolicæ fidei profeſſio: Ordinis autem Eccleſiaſtici eiuſque Romani ſummi Pontificis veneratio. Nihil patriæ indulgemus affectui: conſulat Lector leges Hiſpaniarum Fundamentales, agentes de Hierarchia, & Politię, in Eccleſia, inſtitutione: quas ſupra 3. Part. 2. reſponſ. ad 2. Argum. principale commemorauimus: & videbit: (quod & exteri iam Doctores Iuriſprudentes prudentiſſimè adnotarunt,) nullibi forſan clariùs, aut maiori cum pietate, apud Scriptores, de Ordinis Eccleſiaſtici auctoritate, & functionibus diſputari.

10 Quòd ſi antiquiorum Regum Hiſpaniarum, &, inter eos, plurium etiam Sanctorum, res geſtæ, pro vniuerſa prouincia, à Saracenorum infidelitate, à Iudæorum perfidia, ab Hæreticorum expurganda fraude, non ſufficerent, ad illorum, ac ſuorum fidelium ſubditorum perpetuam Catholicam confeſſionem fidei commendandam: Ecce præſentis Catholici noſtri Regis Philippi III. cui Deus Opt. Max. quaſi à ſe Optimo, & Maximo conſtituto Regi, Neſtoreos concedat annos, factum mirandum, cuius ſola conſideratio, inſtantis ſeculi, per orbem vniuerſum, mortales in admirationem ingentem rapit: futura forſan, quantumcumque certis, fidiſque hiſtorijs conſignetur, ad, de illius veritate, (tantum enim, ac tale eſt,) dubitandum incitabit. Cùm enim ab vltima prouinciæ totius è manibus Saracenorum recuperatione, per Reges Catholicos Clar. & Sanctæ Memor. Ferdinandum, & Eliſabetham, de anno 1492. facta, in regni Granatæ expugnatione, plurimum fuerit, per omnes, tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares Magiſtratus, laboratum; vt à Saracenis, ſeu Mauris, (*Moriſcos*, appellant Indigetes,) qui in ſedibus antiquis, Baptiſmi ſacri lauacro ſuſcepto, permanſerunt, ſuperſtitionis Mahometicæ rubigo detergeretur: & vt ſectam ſuorum parentum impuram abnegarent: neque innumeris, ſicuti varijs, & alijs efficacibus medicinis curata, infanda illius gentis, nomine tenus Chriſtianæ, Babylon fuerit, deſideratæ ab vniuerſa prouincia, ſanitati reſtituta: tamdem, tamdem, hoc anno M. DC. X. quaſi noua quadam creatione, poſt ſexdecim à Chriſto Domino nato ſecula annorũ, ſequentis in primo denario, Omnipotens Deus Hiſpanis quaſi cælum nouum, nouamq; terram recreauit.

11 Hoc enim anno M. DC. X. octingentis nonaginta octo, vel, vt alij ſupputant, nongentis nonaginta ſex, ab occupata per ipſos Saracenos Hiſpania, ne vſurpatio indecora, cum prouinciæ dedecore, ad mille annos, ſicut æternitatis vnam diem, accederet, iuſtiſſimis titulis, (quos modò, ex præiudicata facietium, Regis Catholici, ſuorumq; grauiſſimorum Conſiliorum, ſententia ſupponimus, eoſque Doctores Theologi, & Iuriſprudentes, ac Hiſtoriographi propediem publicabunt:) concluſum eſt, vt gens infidelis, & barbara, non patrijs, ſed vſurpatis ſedibus pelleretur: ſicuti expulſa eſt.

12 Ab exitu forſan Iſrael de Ægypto, & domus Iacob de populo barbaro:

baro: cuius ad ſexcenta hominum millia, ex iis, qui iuxta Scripturæ ſacræ morem, computabantur, numerus aſcendebat, vſque ad præſens æui, tantam, ac tam numeroſam gentis, ſeu coloniæ expulſionem, ſeu deductionem haud credimus inueniendam: cùm ferè horum Saracenorum numerus ad totidem accedat capitum millia, quot inter præfatos Iſrael fuere filios numerata. Quos omnes, ſuis etiam opibus, ac pecunijs onuſtos, (ingens, in gẽtem adhuc leſę Maieſtatis obnoxiam crimine, liberalitas, ac Chriſtiana, & Hiſpana Charitas!) pro fidei Catholicæ conſeruanda puritate, pro religionis Orthodoxæ augenda maieſtate, pro Maiorum ſuorum Regũ à D. Recaredo, à Gregorio Magno ſatis cõmendato, vſq; ad Philippũ II. parentem, ęmulanda pietate, tam facilè, & hilariter Rex Catholicus Philippus III. ab Hiſpania, & ſuis omnibus Regnis expulit, quàm facilè, & hilariter Rex quicumque infidelis eos in ſuarum ditionum ſedibus collocaſſet.

13 Erit tamen, vt ſperamus, quando, ſine quando, qui Rex noſter Catholicus, ſeparans pretioſum à vili, ex Ieremiæ cap. 15. quaſi os Omnipotentis Dei eſt; coronam aliam immarceſcibilem ſibi in cælis, ex Petri Apoſtoli 1. c. 1. & 6. conſeruatam percipiat: ipſo Petro, ex Chriſti Domini præcepto, pro quorum fide Catholica, & Hierarchiæ, & Politiæ auctoritate tuendis, augendis, & proſperandis laborat, illius pretioſo, ſicuti Deo amantiſſimo capiti eam imponente: & experientia felici cognoſcet, quem afferat fructum Regibus Chriſtianis, eos, ſuaque Regna, Regi Regum Chriſto Domino, ac Regno ipſius ſponſæ dilectiſſimæ Eccleſiæ famulari.

De Inſtitutione Imperij, & aliorum Regnorum, per Eccleſiam, ſequentibus temporibus. Cap. XLI. §. 1.

Ex præiactis verò Chriſtianis fundamentis, & ex illo præcipuè inter Chriſtianos millies repetendo, ſcilicet: [Salus animarum ſuprema lex eſto:] effluxit illa in plurimis regionibus praxis: vt populi non niſi Eccleſiaſtica auctoritate, Principes, & Reges, ſibi voluerint præficere. Quamuis enim, vt ſupra latè propoſitum fuit, Regia Maieſtas non à fide Chriſtiana, ſed à natura ſuam duxerit originem; omneſque legitimæ hominum ſocietates eam habeant vim à natura ipſis inſitam, vt ad commune, & tuendum, & promouendum bonum, & publica arcenda detrimenta, Magiſtratus ſibi poſſint adſciſcere pro ſua voluntate: poſt Romani tamen Imperij inclinationem, quod Saracenorum potentia, ſic fuit confractum, vt ducentis poſt Mahometum annis, vel corruiſſe viſum ſit, vel ad ſummas ſaltem anguſtias, quòd ad Occidentem attinet, fuerit redactum, Regna, & Im-

peria, quæ inter Chriſtianos emerſere, pleraque non tam populorum ea erigentium voluntate, quàm Eccleſiaſtica poteſtate, populis tamen idipſum volentibus,& vt fieret efflagitantibus,ſunt inſtituta.

2 Etſi enim publicæ rei commoditas populari prudentia,& acumine diſcerni poterat; atque naturali ſagacitate, rerum adiuncta neceſſaria experientia, prouideri, vtrum Regnum, vel alter cuiuſque generis Principatus futurus eſſet ſalubrior; tamen, quia ijdem Chriſtiani videbant, ſuam regionem membrum eſſe particulare vniuerſi corporis Reipublicæ Chriſtianæ, cuius communi bono priùs, quàm priuato ſui ſtatus erat conſulendum; idcircò regem poſtulabant ab Eccleſia, & eius ſupremo Paſtore,quem ex Auguſtino,contra Epiſt.Pelagian.lib.1.cap.1. Chriſtus ipſe totius Eccleſiæ,quaſi in ſublimi arce ſpeculatorem poſuit: quò ille matura animaduerteret cum Eccleſia conſideratione, quemadmodum cum illius vniuerſo bono, bonum, & vtile illius particularis prouinciæ conueniret.

3 Anno à Chriſto nato octingenteſimo, referentibus Paulo AEmilio, libr.3. Auentin.in Annal.libr.4.Paul.Diac. Rer.Rom.lib.23.Regin.lib. 2.anno 801.Zonara, Cedreno, Adon.Crant.Othon.Scoto, & alijs Hiſtoriographis, & Platina in Leone III.& Innocent.cap.Venerabilem. de elect. iã in Hiſpania; & Inſulis maris Mediterranei nimis Saracenorum exercuerant opes; & potentia: immò bonam etiam partem Galliarum occuparant. Per Italiam verò omnia effusè Longobardi populabantur: afflictiſque prouincijs Latinis miſerabilem in modum, nullam opem Imperatores præſtabant Græci: partim, quoniam in hereſim erant lapſi; partim, quia Reipublicæ, ſtupiditate animi præpediti, omnem quaſi curam à ſe abiecerant. Tunc Italiæ,Galliæ,& Germaniæ Chriſtiani,communi quodam deſiderio, ac voto, diuidendum ab Orientali, Occidentale Imperium cenſuerunt: & nouo Imperatori Occidentale ſceptrum committendum; ac in Leonem III. ſummum ea ætate Pontificem, reigerendæ curam vltimam reiecerunt. Tranſlationis huius Græci Imperij ad Latinos fundamẽta, Philippico excommunicato, olim iecerat Gregorius II. Leo autem expendit maturè, quaſi Pontifex prudentiſſimus, Chriſtianorum miras difficultates præſentes; vidit Imperij Græci onus imbecillis in feminæ, neque Cęſareo ſanguine ortæ, humeris reſediſſe: quæ ad Europam contra Barbaros defendendam, haud ſufficientem haberet facultatem. Conſiderauit inſignem Francorum pietatem, & in bello gerendo mirabilem fortitudinem: perſpexit præclaras victorias, contra Saracenos, Germanos, Saxones, Bauaros, Hungaros, & Longobardos, ipſis à Deo datas fuiſſe. Et tandem communi prudentiſſimorum Romæ, Italiæq; Senatorum conſilio, in eam acceſſit ſententiam: Italiam numquam fore quietam, niſi Carolus vrbis Romæ Conſul, & Tribunus perpetuus creatus, præſens in Italia operã daret, ne quid illa

detri-

detrimenti caperet, & ſua auctoritate Reipublicæ ſtatum componere

4 Carolo igitur Romam aduenienti dictus Pontifex diadema Imp ratorium, ſolemni ritu impoſuit, ingenti aſſenſu Procerum, qui in Vrl conuenerant: populo vniuerſo fauſtis vocibus acclamante: Carolo A guſto, à Deo coronato, Magno, & Pacifico Imperatori Romanorum vita,& victoria. Quin & idem Pontifex, Pipinum Caroli filium inunxi ac decreto,& conſenſione communi, Italiæ Regem pronunciauit. Tan huius rei geſtæ nemo bonus hucuſque extitit improbator: neque ad n ſtram vſque ætatem quiſquam, præter communem hoſtem Turcam, ei fauentes quoſdam Lutheranos, dubitauit, quin, hoc tamquam pleniſſ mo iure, Carolus Imperij habenas tenuiſſet. Immò ipſa Imperatr Græcorum tunc, & paulò poſt Nicephorus Imperator, miſſis protini in Italiam Legatis, cum Carolo fœdus, & pacem ſtatuerunt, Imperiu certis terminis ſeparantes: quam diuiſionem Michael Curopalates; alij, qui in Græcorum ſucceſſerunt Imperio, comprobarunt;

5 Quamuis autem deinceps Caroli poſteris hæc Imperialis dignita Eccleſiaſtico decreto, facta eſt perpetua: ea tamen fuit conditio adiect vt nec ſinè Pontificis aſſenſu honor ille tribueretur, & penes eumdem Pontificem remaneret libera iudicandi facultas, an is, qui ſucceſſione ſanguinis proximus erat, ingenio item,ac prudentia,valebat munus Ii peratorium exercere. Defixerunt oculos attentè ſummus Pontifex, Eccleſiaſticus, ac Chriſtianus vniuersè Senatus in hac Imperij, ſeu nou inſtitutione, ſeu potius reſtitutione, in Catholicæ doctrinæ æternam & immobilem veritatem, à Deo Opt. Max. profectam:& ſimul pondera runt vetuſtiſſimorum Patrum perpetuam, de Imperialis dominatus fin bus, prædicationem, ipſorumque Imperatorum Conſtantini, Theodoſij Martiani, Iuſtiniani, &c. quorum gloria fuit in orbe Chriſtiano clari ſima, profeſſionem, & conſuetudinem; & qua ratione, ſub illo Diuin Principum cum Epiſcopis, & cum ſummo Pontifice Romano nexu, E cleſia Chriſti ad plurimorū fuiſſet aucta ſalutem, Reſpublica Chriſtian ſeditionibus caruerit, moreſque hominum ſingulorum, magis ad pietà tem extitiſſent compoſiti: vnaque aduerterunt, quantopere illa contra ria Conſtantij, Iuliani, Valentis,& ſimilium peruerſitas, omni hominu exoſa generi, fructus prædictis contrarios attuliſſet. Quam ob cauſſan Imperatores illos ſibi in poſterum fore præfixerunt, qui Eccleſiam Ve nerarentur, armis tutarētur,& ſuis,& ſubditorum moribus exornaren

6 Debuit quidem in hac Imperij, vel creatione, vel recreatione, hō minum illa tanta ſocietas, quò vitæ Ciuilis conſuleret inuicē direction cum Philoſophis, & vetuſtis Legumlatoribus, ad naturalem Reipublic ſuæ finem, qui in externa iuſtitia, & morum probitate poſitus eſt, tant molis erigere opus: Imperij, videlicet, ſcindendo partes, & nouum Oc cidenti Imperatorem creando; & non deberet, conſiderando, ſe eſſe ho

minum Chriſtianorum ſocietatem, (ad ſupernaturalem finem æternæ vitę, ad quem ſola fides Chriſtiana ducit, attendendo:) hanc cōditionem futuris ſuis adijcere Imperatoribus, vt nihil à fide Catholica admitterent diſſentaneum, & vt circa vtriuſque finis aſſequutionem, ſupremi ſemper Pontificis ſententia ſpectaretur? Hinc illa apud ſequentes Pontifices conſuetudo retenta fuit, vt ipſi Romanum inungerent Imperatorem, eique manu ſua Auguſtæ Maieſtatis traderent inſignia: vt Stephanus Pontifex dedit Ludouico Pio, eius etiam filio Lothario, Italiæ Rege, ſocio in Imperio patris declarato. Cuius filio Ludouico, poſtea Eugenius II. quia eum Imperio gerendo præuidebat ineptum, patre licèt ſummis id contendente precibus, Imperij coronam denegauit. Habentur hæc omnia apud Haymonium, lib. 3. c. 111. & lib. 5. cap. 28. & Platinam, in Paſchali I. & Eugenio II.

7 Perſeuerauit ergo Imperium hoc modo ad aliquot annos in Caroli poſteritate. Sed vt eſt Imperiorum continua viciſſitudo, in varios Principatus diuulſa Germania, Gallia, & Italia, Carolique poſteris à maiorum pietate, & fortitudine degenerantibus, cùm propter multitudinem Tyrannorum, qui vndique emergebant, res & in Italia, & in Germania valdè turbarentur, de Imperio rurſus inſtaurando cœperūt Chriſtiani Proceres cogitare. Erat ea tempeſtate magnum Othonis nomen, in Germania, & propter religionis Catholicæ venerationem, & propter bellicam fortitudinē, qui ex Italia Saracenos, illiſque adhærentes profligans Græcos, Eccleſiæque Romanæ pace, & tranquillitate reſtituta, primus Germanorum Principum, à Ioanne ſummo Pontifice Imperiali corona fuit donatus. Quamuis enim Othonis maiores Conradus, & Henricus magni Principes, egregium nomen, famæque celebritatem, rebus præclarè geſtis fuiſſent adepti; tamē poſt Imperium à iuſta ſobole, & agnatione Caroli Magni ablatum, primus hic Otho iuſtus, legitimuſque Imperator numeratur: eò quòd prædicti eius maiores Pontificis auctoritate, benedictione, & conſecratione caruerunt. Hæc omnia latè proſequitur Genebrardus in Chronico. poſt antiquiores Hiſtoriographos Bapt. AEgnatium, Arnulphum, Lambertum, Schaſnaburg. Sigebertum, & Paulum AEmilium, & Platinam.

8 Neque exiſtimet aliquis, hanc Othonis Imperatoris Germani Pontificia auctoritate creationem, vel reliquos Chriſtianos Principes malè habuiſſe, aut ipſos Francos, quorum maximè intererat, cum Pontifice expoſtulaſſe; quaſi iniuria illis fuiſſet illata, quòd à Caroli Magni progenie, ad Othonis ſtirpem, ſuprema illa Imperij Maieſtas transferretur. Immò Othoni feſtos, celebreſque dies agenti, quòd Nicephorus Græcorum Auguſtus, Theophaniam filiam ſuo filio per Oratores deſpondebat, totius Latini nominis Proceres, ipſeque Francus Rex, cum Galliæ Principibus, Græci ipſi etiam affuerunt, publica gratulatione iudicio

Ponti-

Pontificis deſerentes, illudque ſumma ratione nixum, communi teſtimonio comprobantes.

9 Ceterùm, quia procliuis erat Reipublicæ Chriſtianæ lapſus in calamitates priſtinas, niſi certus iniretur ordo, eos deinceps ab Imperio excludendi, qui tales eſſent, quales Caroli illi poſteri, ex quo priores illæ miſeriæ dimanarāt: Gregorius V. ſapientiſſimus Pontifex, vt deinceps certa, & ſtabilis eſſet Imperatoris deligendi ratio, qui & Chriſtiana cumprimis polleret Religione, & proximo loco virtutibus in Imperatore requiſitis coruſcaret: cum Chriſtianorum Principum, & Eccleſiæ aſſenſu, legem eam promulgauit, qua Germanorum nobilitati (qui eo tempore erant de Chriſtiana Republica, ſicuti olim Franci, præclarè promeriti:) Imperialem dignitatem perpetuam aſſignauit. Durat hæc lex in hodiernam vſque diem: qua tribus Archiepiſcopis, Moguntino, Treuirenſi, Colonienſi, & totidem ſecularibus Germaniæ Principibus, Saxoniæ Duci, Palatino Comiti, & Brandeburgenſi Marchioni, & (ſi quando horum in diuerſis eligendis Imperatoribus ſuffragia eſſent paria) Duci Bohemiæ electio attribuitur: ita nimirùm, vt quem electores illi deſignarent, is diceretur Cæſar, & electus: & cùm à Romano Pontifice confirmatus eſſet, & coronatus, tunc Imperator Auguſtus haberetur. De quo poſt Platinam in Gregorio V. & Onufr. Panuin. in Chronic. Genebrardus in Chronolog. de anno 995. eſt vidēdus, & maximè dictum cap. Venerabilem. de elect.

10 Per eadem tempora Hungaria fidem Chriſti ſuſcepit, ſingulari diligentia, ac ſtudio Stephani Principis, quem Hungarorum communis beneuolentia, & cōſenſio Regia Maieſtate dignum iudicauit. Ipſe tamen optimus Princeps, & ob eximiam pietatem, ac religionem, poſt mortem ab Eccleſia in Sanctorum adſcriptus Catalogum, oblatam renuit accipere dignitatem, priuſquàm conſultus per Oratores ſummus Pontifex Romanus, Apoſtolicæ Sedis decreto, eum illi honorem aſſignauit. Auctores Cromer. de rebus Polon. lib. 3. Genebrard. anno 984.

11 Ceperat bello Rogerius Sicilię Comes Pontificē Romanū Innocentium II. cum ſuis Cardinalibus: miraque modeſtia vſus, eos protinùs liberarat: quam ob cauſſam, facilè multa quæ optabat, à Pontifice obtinuit; regni tamen Siculi, & Regis titulum, quem maximis præmijs, & pollicitationibus impetrare contendebat, ab illo numquam potuit obtinere. Succeſſit illi hæres Guillelmus, qui magnam Apuliæ, Calabriæq; partem armis occupauerat, qui ab Hadriano IV. vtriuſque regni, & Neapolitani, & Siculi titulos aſſequutus fuit: quantumuis Imperatoris Conſtantinopolitani Legatus ad Pontificem Beneuentum veniens, huius Regiæ titulo Maieſtatis intercederet. Refert Platina in Hadriano IV.

12 Alfonſus ſimiliter Portugalliæ Dux, cùm poſt deuictos quinque ſimul Saracenorum Reges, eorumque innumeras copias profligatas, Rex

à vniuerſo exercitu ſalutaretur, per plures annos ſequentes, in Principatu glorioſis degens progreſſibus, numquam ſe Regem nominari fuit paſſus: donec ab Alexandro III. fuit Regiũ & nomen, & diadema conſecutus. Refert Innocentius III. in quadam epiſt. ad Regem Portugalliæ Sanctium. & Genebrard. in Chronol. & fuſiùs Roderic. Toletan. Hiſtor. Hiſpan. lib. 2. cap. 26.

13 Hiberni, opera miniſtrorum, quos miſit Sum. Pontifex, ad fidem Chriſti conuerſi, ſe, ſuaque omnia in Romanæ Eccleſiæ ditionem, & poteſtatem tradiderunt: nullum alium, præter Pontificem Romanum, Hiberniæ Principem recognoſcere volentes: & quos ille, ſuo nomine, Inſulam gubernare deligebat. Vltimò ab Hadriano IV. poſtularunt anno 1156. vt Henricus II. Anglorum Rex totius Hiberniæ haberet dominiũ: quod Pontifex ipſe Anglus illi conceſſit, ea conditione, vt illud, beneficio Eccleſiæ Romanæ donatum, profiteretur: immò alijs multis, quas Angliæ Reges ſeruare noluerunt. De qua re habentur teſtimonia Hiſtoricorum, Guillelmi Neobrigenſis, lib. 3. cap. 9. Polydori Virgilij, lib. 13. Nicolai Sanderi, de Schiſmate Anglicano. ad annum 1542. & Genebrardi. Denique exſtant de hoc Apoſtolicæ litteræ Ioannis. XXII. datæ ad Regem Eduardum II.

14 Ab alijs exemplis adducendis ex Croatia, Dalmatia, & Bulgaria, de Regio per Pontifices erecto nomine, & munere, conſultò, quia ab alijs multis adducta ſunt, ſuperſedemus.

De Imperatorum, & Regum per Eccleſiam, eiuſque ſummos Pontifices, deſtitutione. Cap. XLII. §. 1.

SAEPIVS in ſuperioribus à nobis aſſertum fuit, ipſas Reſpublicas à natura edoctas, ad Reges, ſeu Magiſtratus, quocumque cenſeantur nomine, præficiendos ſufficere: neque aliqua Chriſtiana lege, aut Diuina, vel (vt exiſtimamus) humana, eſſe adſtrictas, ad ſummorum Pontificum ſequendam voluntatem, in Rege, Duce, vel quocumque ſibi Principe adoptando; modò tamen eorum priuata electio, in Reipublicæ, & Religionis Catholicæ detrimentum non vergeret. Sic olim Hiſpania à Saracenis oppreſſa, Pelagium Regẽ conſtituit, qui, felicibus auſpicijs, eius recuperationem inchoauit. Sic Aragonij, & Nauarrenſes, Garciam Regem elegerunt: de quibus Ioan. Vaſæus in Chron. Hiſpan. cap. 17. & alij eiuſdem prouinciæ Hiſtoriographi. Sic Otho III. Imperator, referente Guagin. rer. Polon. Tom. 1. in Boleſlao. Principem Poloniæ tunc Imperio Germanico ſubiectum, ab obedientia exemptum Imperatorum, ad Regiam extulit dignitatem. Refert ſimiliter Aeneas Silu. Hiſt. Bohem. cap. 21. Vratiſlaum eo tempore Bohemiæ Ducem

ab Henrico Imperatore Moguntiæ in Comitijs Imperialibus Regē fuiſſe declaratum; quem Pragæ, Treuirorum Archiepiſcopus, coram ſuis Prouincialibus regem inunxit, & regalibus inſignibus adornauit. Immò quin alij Duces, ſeu Principes ſimilibus modis, honoribus amplificati fuerint talibus, haud valde controuerſum eſt.

2 Attamen vt omnes illi, modo quocumque honores aſſequantur illos, ſi Chriſtiani ſint, quin Eccleſiæ, eiuſque ſummo Pontifici ſubſint, ita vt, ſi delinquant contra Reipublicæ Chriſtianæ generale bonum, poſſint, iuxta Euangelij, & regularum Eccleſiaſticarum præſcriptionem, corrigi, tam eſt certum, quàm eſt certum, tales Reges eſſe Chriſtianos, eſſe oues Chriſtiani gregis, eſſe filios Eccleſiæ, eſſe in Eccleſia Chriſti baptizatos, eſſe Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubditos, eiſque præeſſe in Eccleſia Catholica Epiſcopum, ſummum Pontificem Romanum, qui pro eorum animabus, Chriſto earum ſupremo Paſtori, & Epiſcopo, omniumq́; ſummo Iudici ſit rationem redditurus. Eſt enim hoc non humani, ſed Diuini iuris; non mutationi ſubiectum, ſed ſtabile, ac æternū: nō in cuiuſcumque vel Regis, vel gentis libera poſitum voluntate: ſed eſt præceptū expreſsè à Chriſto Domino, eiuſque ſanctis Apoſtolis commendatum. De qua materia S.Thom. & eius Interpretes 2.2.q.12.Art.2. ſunt videndi.

3 Huius Dogmatis, huius rei praxis, fuit in orbe Chriſtiano ab antiquis eius ſeculis tam illuſtris, quàm demonſtrat exemplum adductum de Imperio Græcis erepto, & Francis in perſona Magni Caroli contributo. Haud enim Pontifex Romanus Imperium inſtituerat Conſtantinopolitanum: ſed poſtquam in Conſtantino I. Chriſtianum effectum eſt, illius poſteros ſiue ſucceſſione, ſiue electione, ſiue aliàs Imperatores, vt legitimos Eccleſia tota venerabatur. Cùm verò Philippicus, Leo Iſaurus, Conſtantinus Copronymus, eiuſque filius Leo in hęreſes varias incidiſſent, ſtatumque Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis inſigniter turbaſſent: poſtquam moniti, & correcti à ſummis Pontificibus, & præcipuè Cōſtantino VI. Gregorio II. & Gregorio III. ab hæreſi, & à ſuis flagitijs alijs non deſtiterunt, Chriſtiani Occidentales, de Imperatore alio ſibi deligendo, cogitarunt. Tunc Leo III. vt dicebamus, Romanus Pontifex, Imperium à Græcis iuſtiſſimè auulſum, apud Francos perpetuò adminiſtrandum collocauit.

4 Zacharias ſummus Pontifex, Francorum Regem Childericum, eò quòd ad priuatas libidines intentus, regni curam abieciſſet, Gallicano populo petente, nobilitate adiuuante, Eccleſia Chriſtiana comprobante, & tamdē Zacharia ipſo ſummo Pontifice decernente, à Regali faſtigio fuit ſubmotus. Auctores ſunt Paul. Diac. de Geſt. Longob. lib. 6. cap. 5. Regin. Scotus, & poſt eos, & alios plures, Paulus Aemilius. De quo cap. Alius. 15. quæſt. 6.

5 Cùm Sanctius II. Portugalliæ Rex, peſſimè regnum adminiſtraret,

bona pars nobilitatis, & Cleri, fratrem eius Alfonſum Comitem Bononienſem, Vicarium, ſeu Coadiutorem, (vt ſic dicamus) Regem elegit; quam electionem Innocentius IV. ſummus Pontifex confirmauit. De quo Odoardus Nonius in Hiſt. Reg. Portugall. & cap. Gradni. de ſupplen. neglig. Prӕl. in 6.

6 Boleſlaum Poloniӕ Regem, ob infamem libidinem, & nimiam crudelitatem, & impiè occiſum Staniſlaum Epiſcopum Cracouieñ. Gregorius VII. Pont. Rom. regno priuauit; immò, & prouinciӕ ius conferendi Regalis Coronӕ abſtulit: in qua per ducentos annos ſequentes, vſque ad Primiſlaum II. nullus Princeps Regio fuit nomine decoratus. Referunt Cromer. de reb. Polon. lib. 4. Crant. Vandal. lib. 3. cap. 13. & 14. & Munſter. Coſmograph. lib. 4.

7 Ioannes Angliӕ Rex, propter indigna, & nimis atrocia Eccleſiarum ſpolia, atque ſacrilegia, per Innocentium III. Pontificem, & excommunicatus, & regali in ſubditos iure priuatus fuit; licet vltimò Pōtifici ſe ſubmiſerit. Auctor Polydorus lib. 15. Hiſt. Angliӕ.

8 Imperatores Ludouicus IV. Otho item IV. & Henricus III. à ſuorum temporum Pontificibus Alexandro III. Ioanne XXII. Clemente VI. Innocentio III. & Gregorio VII. Imperio fuere exauctorati. Sunt in his referendis rebus geſtis Hiſtoriographi frequentes: & videndi Turrecrem. in cap. Alius. num. 5. & 6. 15. q. 6. Ioan. Quintin. Hed. in cap. Nouit. num. 127. cum duob. ſequen. de Iudic. Paul. Griſald. in Deciſ. fidei Cathol. & Apoſtol. in verb. Papa. num. 25.

9 Vnica tamen Friderici II. Hiſtoria docet manifeſtè, quӕ ſit Pontificum in Imperatores, & Principes ſeculares auctoritas, & quӕ fuerit Chriſtiani Orbis de ea fides. Habetur res geſta apud Palmeriū in Chronico. & cap. Ad Apoſtolicӕ. de ſent. & re iud. Excommunicauerat Fridericum iam Honorius III. & deinde Gregorius IX. cùmque adhuc vi retineret Imperium, atque in Germania, & Italia, multi propterea cruentiſſimi ſuborirentur tumultus, Innocentius IV. ſuccedens, in Concilio Lugdunenſi Fridericum, miſsis ad eum, orbis Chriſtiani nomine, legatis, ad pacem ipſi ſatis proficuam inuitauit. Contempſit Fridericus omnis pacificationis formam, & hӕreſis ſuſpicione, ac ſacrilegiorum admiſsione, vſurpatione etiam Eccleſiaſticorum iurium, omni condonationi ſibi faciendӕ aditum intercluſit. Ergo ob hos, & ob alios eius nefandos exceſſus, [Nos, cum patribus noſtris (inquit Innocentius Pontifex,) & ſancto Concilio, poſt diligentem deliberationem, ea auctoritate, quā Chriſtus IESVS in B. Petri perſona Pontificibus tradidit, memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regnis, omniq́ue honore, & dignitate reddidit tam indignum, omni honore, ac dignitate priuatum à Domino oſtendimus, denunciamus, & ſimul ſententiando priuamus; omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur adſtricti, ab huiuſmodi iuramento abſol-

uentes: auctoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de incepꝰ ei tamquam Imperatori, vel Regi pareat. Decernendo, quoſlibet, qui ei deinceps, velut Imperatori, vel Regi, conſilium auxiliumue præſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere.] Hæc Pontifex ſupremus.

10 Quibus rebus per Pontificem, & ſacrum Concilium tam ſanctè, quàm fortiter geſtis, nullus fuit in orbe Chriſtiano Princeps, nulla fuit in eo Reſpublica, quæ Pontificis ſententiam improbarit: præter ipſius Friderici milites, & Duces quoſdam aſſeclas coniuratos. Electores tum Principes Henricum Lantgrauium ei ſucceſſorem dederunt; ipſoque vita functo, Guillelmum Comitem Hollandiæ. Galliæ Rex Ludouicus ſanctus iudicium ſummi Pontificis approbauit: & denique ipſe Fridericus ab exercitu Pontificis, copijs multò minoribus, quàm erant illius copiæ, profligatus, fugiens in Apuliam, morte violenta à filio ſpurio Manfredo de medio ſublatus fuit. Auctor Nauclerus Gener. 42. & alij multi.

11 Quinimmò eſt animaduerſione dignũ, ipſos Imperatores Græcos, inter hos Patris, & filij, & cum Romanis Pontificibus, tumultus, referente Platina in Alexandro 111. & Nauclero Gener. 39. Legatos ad Pontificem miſiſſe, qui ei pollicerentur, & magnas copias contra Fridericum, & mentem omnium Græcorum cum Eccleſia Romana conuenientem, vt Occidentalis, & Orientalis eadem fieret: ſi pateretur, Imperium Romanum antea diuiſum, in vnum corpus redintegrari. Verumtamen id facere renuit Pontifex, maxima grauitate, & animi conſtantia, non tam quid ſibi in præſens, quàm quid in poſteritatem, & vniuersè rebus Chriſtianis vtile futurum eſſet, conſiderans; ac tamdẽ iteratæ legationi Græcorum reſpondens, ſe nolle in vnum coniungere, quod olim haud de induſtria ſui Maiores, ſed grauiſſimis cauſſis intercedentibus, diſiunxiſſent. Redierunt ergo Legati, re infecta, Conſtantinopolim; ita tamen, vt certum argumentum relinquerent, eam fuiſſe hac tempeſtate Eccleſiæ Græcæ fidem certam, ac perſuaſionem conſtantem, quòd Pontifex Romanus iuſtis de cauſſis, ea, quam à Chriſto deriuatam habebat, poteſtate, Imperium Occidentis, & Orientis, vel diſiunctum colligare, vel colligatum potuerit diſiungere: eademque ratione, duo Imperia in vnum contrahere, quæ maiores eius, vnius facta partitione, ſeparatarant.

12 Neque ſilentio prætereundum eſt, omnibus Pontificibus, qui vel in Imperio transferendo, vel Regibus, & Imperatoribus dictis excommunicandis, deponendis, mutandis, adeò infracto animo laborarunt, nihil vmquã Rempublicam Chriſtianam per plura præcedentia ſecula vidiſſe ſanctius, nihil prudentius, nihil religioſius: vt omnes, affectibus carentes, eorum, & ſequentium temporum Hiſtoriographi conteſtantur. Sicuti enim in veteri Teſtamento, illis Prophetis, Pontificibuſque, qui, in prædictorum ſummorum Pontificum figura, contra ſuorum temporum

ſyrannicos,vel impios Reges eadem fecerunt,nihil fuit tunc magis Diuinum,& beneficum: vt conſtat in Samuele,Saulem,propter peccatum admiſſum,regno priuante,Dauide in eius locum ſuffecto: 1.Reg.cap.15. & 16. in Elia Diuino ſpiritu, non modo in Iſrael, ſed & in Syria Reges deponente,& alios creante.3.Reg.cap.19. in Pontifice Regem Oziam, eò quòd Sacerdotis officium vſurpaſſet, eijciente,& ſententia lata eum, vti leproſum Vrbe,& regni adminiſtratione priuante.2.Paralip.cap.26. in Ioiada Pontifice Athaliam regnum tyrannide occupantem, occidi præcipiente: 2. Paralip. cap. 23. ſic præfatis ſummis Pontificibus nihil fuit diuinius,nihil beneficentius:vt,ſi per ſingulos oporteret diſcurrere, rebus eorum ſanctè geſtis,facilè nobis eſſet declarare.

13 Exſtat tamdem,vltimis hiſce temporibus, inſigne exemplum Pontificiæ auctoritatis: dum Diplomate ſuo Pontifex Alexander VI. orbis noui incolas Regibus Catholicis Caſtellæ conceſſit,contulit,aſsignauit. De quo qualiter fuerit intelligendum,Doctores plures Theologi, & Iuriſprudentes ſapienter diſputarunt;ad quos Lectorem remittimus.

14 Sunt hæc quidem maxima ſupremæ auctoritatis, ac Pontificiæ iuriſdictionis exempla: quibus addere poſſemus innumera alia,in rebus Principum ſecularium grauiſsimis, vel iudicandis, vel diſponendis: à quibus referendis, quia Hiſtorias, & iura Canonica euoluentibus,ſunt paſsim obuia, conſulta ſuperſedemus ratione, cùm minora facilè ex maioribus colligantur.

15 Vbi pro huius de Eccleſiæ,eiuſque ſupremi Pontificis poteſtatis, confirmatione,optamus maximè notari:numquam noſtram eſſe mentem aſſerere, Pontifices ſupremos habere poteſtatem,Reges, ſeu Principes Chriſtianos exauctorandi,ſuiſque Imperijs,& ſolijs deturbandi,volũtate antecedente: ita vt liberum ſit Papæ,hunc vel illum Regem, ſeu Principem,Dominio priuare.Abſit hoc ab Eccleſiæ, & Chriſti Euangelij regulis:quæ ſemper docuerunt, Chriſtum non eripere mortalia, qui Regna dat cæleſtia.Ergo ad voluntatem conſequentem Pontificis, eſt illa iuriſdictio,& poteſtas alligata;quando,ſcilicet,præcedente Regum,ſeu Principum ſecularium culpa, de qua punienda Eccleſiaſticæ diſponunt, & Euangelicæ leges, & Eccleſiæ conſenſionem voluntate Pontificis ſubſequente,iuxta menſuram delicti,plagarum ab eo modus, etiam vſque ad regnorum,Imperij,vel cuiuſcumque Principatus priuationẽ applicatur.

16 Vnde Nauarrus relect.ſuper c. Nouit. de Iudicijs. notab.3. num. 99.& 100.ſic formaliter ſcripſit. [Vigeſimo primo colligitur ratio,quare Papa deponere poteſt Reges, adeò negligentes in regendis regnis ſuis:vt ob id populus Dei ſubditus illis, retrahatur à conſequenda vita æterna;dum delicta ipſius non caſtigantur,boni ſcandalizantur, ſiue offenduntur,vnicuique ſuum ius non redditur:eſt enim illa,quòd talis depoſitio,eſt neceſſaria in eo regno, ad tollenda impedimenta vitæ æter-

næ

næ conſequendæ : quo ſenſu ſimili , & germano accipi poteſt illud cap. Alius. 15. q. 6. Colligitur etiam ratio, quare Papam, quando cum auctoritate ipſius populus audet deponere Regem, potiùs deceret, deponentibus conſentire, quàm deponere : quòd Gloſſa ſolemnis in dicto c. Alius. ſenſit : quia tunc non eſt neceſſaria depoſitio: ſed conſenſus in depoſitionem, iuxta eorum opinionem, qui putant, regna non eſſe inducta propter Reges: ſed Reges propter regna. Et ideo regna eſſe Regibus ſuis potiora, immò, & ſuperiora, caſibus illis , quibus Reges poteſtate ſibi conceſſa abuterentur, ad eorum deſtructionem, vel ad finem contrarium illius , ad quem regna illa ſe, ipſis Regibus conceſſerunt, vel cõcedere debuerunt.] Hucuſque Nauarr. Qui, extra hæreſes, ſchiſmata , & ſimiles caſus , de quibus cap. ſequenti dicemus, eſt intelligendus loqui: in illis enim non opus eſt populorum conſenſu , ad Regum depoſitionem: ſed etiam ſine illo ſummus Pontifex , vt caput Eccleſiæ , & eius legum, & Euangelicæ doctrinæ exſequutor, & conſeruator, & fidei confirmator, Reges Hæreticos propria deponere poteſt auctoritate . De quo , propter malitioſam Hæreticorum doctrinam, qua Regum animos vanè inquietant, quaſi Eccleſiaſtica poteſtas eorum ſit Coronis inſidioſa , adhuc infra nonnulla addemus .

17 Perſiſtat ergo firmum, apud quoſcumque de fide Catholica benemerentes, totis ferè trecentis annis, vſque ad Conſtantini magni ætatē, Chriſtianam fidem abſque Regum auxilio , cura , aut induſtria floruiſſe: pluresque gentes nihilominùs illam acceptaſſe : quo tempore in Eccleſia perfecta ſemper exſtitit Politia. Tempeſtate ſequenti etiam, non ſemper Reges, ad ſtudium Orthodoxæ Religionis propagandæ, animum adiecerunt; ſed vbi id factum eſt, floruit feliciùs Religio Catholica; vt temporibus Conſtantini Magni , Theodoſij Magni, Iuſtiniani I. & Caroli Magni: vt de Imperatore etiam Emmanuele refert Nicephorus, in Præfatione ſuæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ , & de Imperatore Alexio tradit Euthymius, in Præfatione ſuæ Panopliæ . At vbi id factum non eſt , adhuc erat populorum fides, erant leges Eccleſiaſticæ, erant Dogmata Catholica rata, erant Canones ſtabiliti, Sanctiones conſtantes, diſciplinæ conſeruatio, per excommunicationes, degradationes , & pœnarum aſſignationes, quibus lupi ab ouili Chriſti arcebantur , eijciebantur latrones, caſtigabantur delinquentes, prœmio , & pœna Reipublicæ Chriſtianæ moles continebatur: auctoritate ſanè iudicio, miniſterio, cura, & regimine Sacerdotum, & Paſtorum, quibus fuerāt hæc omnia à Chriſto in Euangelio demandata . In hac denique Eccleſiæ Politia Principum ſecularium poteſtas, arma, leges ei, vt cetera omnia, neceſſum eſt deſeruire . Ipſa autē, & ſine ipſis integra iam ſæpe ſtetit, & cum ipſis nūc integra ſtat, & adhuc ſi iterum eſſet ſine ipſis, cum ſuis proprijs Apoſtolis Euangeliſtis, Prophetis , Paſtoribus & Doctoribus erit olim perpetuò permanſura .

De ſpeciali Eccleſiæ poteſtate, circa Regum Chriſtianorum abdicationem. Cap. XLIII. §. 1.

EST adeò grauis hæc materia; vt opus ſit eam vberiùs explicare. Habemus ergo certiſſimum, in Eccleſia eſſe à Chriſto Domino relictam facultatem, eiq; conceſſum ius integrum, Reges Chriſtianos exauctorandi: ſi id illorum in Chriſtianam diſciplinam, culpæ, vt dictum eſt, & ampliùs adhuc explicabitur, mereantur. Non comparamus modò Eccleſiæ, ac Chriſtianorum ius ad Ethnicorum Principum iura, & præfecturam; nihil de obedientia, & ſubiectione à fidelibus, qui ſunt illorum ditionũ membra, illis debita diſputamus: cùm ſufficiant, quæ ſupra 3. Parte Argum. 3. principali dicta ſunt, ad intelligendum, quod ius habeat Eccleſia in regionibus, ſeu locis Ethnicorum conuerſandi; & quo pacto, ſcandalo vitando, ab omnibus ſit Chriſtianis in medio prauæ Ethnicorum nationis, laborandum.

2 Hoc ſolùm aduertere neceſſarium eſſe exiſtimamus; neque Ethnicos Principes, neque Turcam, & Sophum, & ceteras Mahometanæ Sectæ addictas ſublimes Poteſtates, haud eos Chriſtianos, qui ad eas Reſpublicas, quibus præſident, tamquam illarum membra pertinent, ſiue Clerici, ſiue Laici ſint, habere ſimpliciter ſubditos ex iure naturæ: neque aliquis SS. Patrum, explicando Chriſtianam doctrinam, hoc vmquam ſenſit: neque id Doctores Theologi Scholaſtici, aut Iuris vtriuſque periti docuerunt. Eſt enim naturæ ius inuiolabile, quod Euangelica nedum lex non ſuſtulit, verùm, & perfecit: neque Chriſtus Dominus, qui de lege veteri in tabulis deſcripta lapideis, Matth. cap. 5. dixit, [Non veni ſoluere legem; ſed adimplere:] legem naturalem hominum innatam mentibus, lege Euangelica diſſoluiſſet.

3 Alias damnandi omninò fuiſſent Armenij illi antiqui Chriſtiani, qui referente Euſebio lib. 9. cap. 6. & 7. armis ſe contra Maximinum ſuum Imperatorem defenderunt, & vt pace Chriſtiana fruerentur, eius exercitum magna cum clade, & ignominia profligarunt. Damnandus eſſet etiam Conſtantinus Magnus Imperator, qui ex Nicephoro, lib. 7. c. 28. ea potiſſimùm ratione, contra Maxentium, arma mouit, vt afflictæ per eum Chriſtianæ religioni ſuccurreret. Eſſet inſuper incuſandus, tamquam iuris naturalis violator, Atticus Conſtantinop. Epiſcopus, qui Perſas Chriſtianos, à rege ſuo infideli profugientes, & auxilium à Chriſtiano Sacerdote ſuppliciter implorantes, non ſolùm eos, quibus potuit, opibus ſubleuauit; ſed etiam Theodoſium ad eorum ſuſcipiendam defenſionem, bellumq́ue propterea cum Perſarum Rege gerendum, incitauit. Quo tamdem magna cum Perſarum ſtrage, victo, & regni guberna-

culis priuato, quietam deinceps in Perſide Chriſtiani vitam tranſege runt. Eſt Hiſtoriç huius Auctor, Nicephorus lib. 14. c. 21. Hi tamen om nes, & ſubditi Chriſtiani Ethnicorum, & illorum fautores Principes tam Eccleſiaſtici, quàm Laici, propter has res geſtas, miris in Eccleſia laudibus commendantur.

4 Prætermittimus fuſiùs explicare, aliã eſſe rationẽ in Turca, Sopho & quibuſcumque Principibus Saracenis, Paganis, ſeu Ethnicis, terras quæ olim Chriſtianorum fuere, occupantibus: nam cum ijs, quaſi cum vſurpatoribus, ac iniquis detentoribus, ex lege Diuina, Naturali, Ca nonica, & Ciuili agendum eſt. Ac tamdem nolumus differere modò de iure, quod habent Chriſtiani, bellum infidelibus inferendi: quæ quæ ſtio à S. Thoma. 2. 2. q. 10. Art. 8. ad 3. fuit hiſce verbis reſoluta.

5 Infidelium quidam ſunt, qui numquã ſuſceperunt fidem, ſicut Gen tiles, & Iudæi: & tales, nullo modo ſunt ad fidem compellendi: vt ipſi credant: quia credere, voluntatis eſt: ſunt tamen cõpellendi à fidelibus ſi adſit facultas, vt fidem non impediant: vel blaſphemijs, vel malis per ſuaſionibus, vel etiam apertis perſequutionibus. Et propter hoc fideles Chriſti, frequenter contra infideles bellum mouent: non quidem vt eo ad credendum cogant: quia ſi eos etiam viciſſent, & captiuos haberent in eorum libertate relinquerent, an credere vellent: ſed propter hoc, v eos compellant, ne fidem Chriſti impediant. Alij verò ſunt infideles qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut Hæretici, & quandoque Apoſtatæ: & tales ſunt, etiam corporaliter compellendi vt impleant quod promiſerunt, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt.] Hactenus Angelicus Doctor.

6 Super quam auream doctrinam, Card. Caiet. Commentar. margi nalibus, ſic ſcripſit: [Conſidera diligenter cauſſam iuſtam belli contra infideles, & compulſionis eorum: ne, ſcilicet, fidem IESV Chriſti impe diant aliquo trium modorum: vel blaſphemijs, putà, dicendo mala de Chriſto IESV, aut Sanctis eius: vel perſuaſionibus, inducendo noſtros ad infidelitatem: vel perſequutionibus, ſiue in communi, vt quottidie vi demus, Turcas inuadere Chriſtiani nominis gentes: vel in particulari ſi Chriſtianos, aut prædicatores fidei occidant. Et fabrica ſuper illam quoniam ad impedimẽta fidei ſpectat, quòd non ſufferunt in terris ſui prædicationem publicam fidei: quòd præmiant abnegantes Chriſtum & accedentes ad eorum fidem, & alia huiuſmodi. Ex hac quippè radic multæ quæſtiones ſoluuntur.] Hactenus argentea Caietani doctrina. Ecce, Catholice Lector, nihil deeſt, niſi in Catholicis Principibus ani morum conſenſio, vt Chriſto IESV auſpice, Hæreticorum, & Saraceno rum potentia conteratur.

7 Quibus præmiſſis, ad propoſitionem initio Capitis aſſertam, deue nientes, de iure, quod legitimum habet Eccleſia, Reges Chriſtianos, ab

dicans

dicandi; & comparando Ciuilem eorum facultatem, ad Eccleſiæ facultatem, cui coniuncta, & ſubordinata eſt; nihil ab initio naſcentis Eccleſiæ apud eam eſt notius, ſi materiam, & obiectum ſui regiminis conſideremus: quàm Reges, Chriſtianoſq; Principes, poſſe ab ea ad Euangelicæ legis obſeruantiam compelli: & reſiſtentes, poſſe ab Eccleſia in ordinem cogi: ac vltimò, Principatu iuſtiſſimè denudari. Hoc cùm dicimus, haud intendimus, quod manifeſta calumnia, nos dicere, obijciunt Hæretici: penes Romanum Pontificem eſſe, vt Principes ſuo arbitratu, throno mouere, ditionum, ac Regnorum illorum iura immutare, abrogare leges, ac tamdem in eos, vt in Epiſcopos, & reliquos Eccleſiaſticos Ordinis homines, plenam, & directam poſſit iuriſdictionem exercere.

8 Animaduertite, Chriſtiani Principes, nihil aliud nos velle, aut aſſerere, quàm id, quod vult, & aſſerit Chriſti IESV Euangelium, cuius ſummi Paſtoris oues eſtis, ſicuti, & ceteri Chriſtiani veſtri ſubditi. Ex Euangelio ergo Chriſti, hoc ad Petrum Eccleſiæ Pontificem, ſuumque Vicarium, hoc ad Romanos Pontifices illius ſucceſſores ſpectat, cū Chriſti ipſius gerant vices: vt videant, ne quid Chriſto, ne quid eius Eccleſiæ, ac religioni iniuriæ fiat: ne quid vel populi, ac regni, vel Regum ipſorū ſalutem impediat; cuiuſmodi ſunt hæreſis, ſchiſma, periurium, apoſtaſia, & ſimilia quæ ſinè graui iniuria Chriſti, & Eccleſiæ detrimento, in Principibus eſſe nequeunt. Tunc enim Eccleſiæ, eiuſque ſummo Pontifici licet, vt cùm leniter admonuiſſe nihil profuerit, cùm cenſuram ſacram contemni ſciuerit, cùm periculum graue, ex tali regimine, Eccleſiæ intellexerit imminere, deponiq́ue talem Principem, vtile, commodum, ac neceſſarium eſſe agnouerit; tum populos obedientiæ, ac cuiuſque iuramenti vinculo eximat, idq́ue curet, vt Principi alteri commodiori paſcendus grex Chriſti redemptus ſanguine committatur.

9 Hoc verò ius Eccleſiæ, eiuſq́ue ſummo Pontifici, propterea in ſolos Chriſtianos Principes conceſſum eſt, quòd ſicuti Ethnici Principes nullo ſe iure Eccleſię ſubiecerunt, (vnde Deus ſolus de illis, vt qui foris ſint, ex Apoſtolo 1. ad Corinth. cap. 5. iudicabit:) ſic ei Reges, ac Principes Chriſtiani ſe, ſuaq;, id eſt, vniuerſum ſuum imperiū ſubmiſerunt. Sicuti enim illi, qui ciuitati alicui adſcribuntur, & incorporantur; neceſſe eſt, vt ſe, ſuaq; omnia ſubijciant Magiſtratui eiuſdem ciuitatis: ſic & Reges, dum Eccleſiæ albo fuere adſcripti, ſe, ſua Regna, ſuas Coronas ſubiecerunt Eccleſiæ, vt ipſa ſuarum animarum, & omnium ſuarum ditionum ſubditorum curam ſuſciperet: quò regnum illud maius cęleſte, ac perpetuum, tam Reges, quàm ab ipſis recti ceteri poſſiderent. Hinc de iure, nō aliter Chriſtianis imperādi, Principi cuiquam competit, quàm ſi Chriſto Regi Regum, eiuſq; ſponſæ Eccleſiæ, obedientiam & promittat, & obſeruet.

10 Et ne ad geſta in antiquo populo, cum Regibus exlegibus, ac Dei ſummi præcepta Diuina ſpernentibus, diuertamus: quæ in libris Regum

& Pa-

& Paralip.paſſim occurrunt : cum Principibus agimus Chriſtianis, ad eos ex Chriſtiana loquamur diſciplina. Prædixerat certè Iſaias de noui populi Chriſtiani integro ſtatu, cap.49. [Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te: & puluerem pedum tuorum lingent: & ſcies, quia ego Dominus.] & rurſus.cap.60. [Gens enim,& regnũ,quod nõ ſeruierit tibi, peribit.] Pſal.2.ſcriptũ eſt: [Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos. &c.] & Pſal.75. [Adorabunt eum omnes Reges: omnes Gentes ſeruient ei.]

11 Hæc omnia, quæ tam magnificam, tam Auguſtam Eccleſiæ perſonabant maieſtatem, quæ quaſi perterrefacere poterant Reges terræ, ne Eccleſiæ vnirentur cœtui, ſuorum timentes Imperiorum conciſioni, ac ſuæ à ſuis ditionibus abdicationi: Chriſtus Dominus, cui data fuit à Patre æterno omnis poteſtas in cælo,& in terra, nedum rebus, verùmetiam verbis ipſis adeò leniuit, vt miram tanta Eccleſiæ potentia ſuauitatem ſpiraret, ſuauem pacis, quietíque imperij fragrantiam redoleret. Eccleſiæ Prælatos appellauit Chriſtus, Matth. c.5.ſal terræ,lucem mundi, ciuitatem ſuper montem poſitam : & quando Petrum Eccleſiæ vniuerſæ, ſicuti eius legitimum ſucceſſorem Romanum Pontificem,pręfecit: primò Matth.cap.16. eum petram,id eſt,ſolidum Eccleſiæ fundamentum iecit: deinde, ianitorem cæli effecit: & tamdem Ioan.cap. 20.eum Paſtorem conſtituit. [Tu es Petrus, dixit, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meã.&c. Et tibi dabo claues regni cælorum,&c. Paſce agnos meos: Paſce oues meas.] Ergo ſi Principes, Chriſtiani ſunt, ſuper Petrum oportet ædificati conſiſtant: ſi cælum appetunt, per Petrum eſt illis aperiendum. Ergo oues ſunt; nam præter oues,ſeu agnos, & Paſtores in Eccleſia nihil eſt. Ergo à Petro per paſcua conuenientia ſunt ducendi.

12 Si Eccleſiam non audierit,] docuit Chriſtus Matth. c.18. [ſit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus.] Ergo Reges,& Principes, Eccleſiam eiuſque ſummum Pontificem non audientes, excommunicari poſſunt: & à cœtu piorum arceri. Vlteriùs, Ioannes docuit, 2.Epiſt. [Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic Patrem, & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert, nolite recipere eum in domum: neque, Aue, ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus eius malignis.] Docuit Paulus, ſcribens ad Tit.c.3. [Hæreticum hominem, poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita.] Et ad Roman.cap.16. [Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.] Et 1.ad Corinth.cap.5. [Nunc autem ſcripſi vobis: non commiſceri, ſi is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiẽs, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum eiuſmodi nec cibum ſumere.] Quod Pauli dictum, qualiter ſit intelligendum, de Chriſtiano

no-

nominatim excommunicato, ſupra ex SS. Patribus explicuimus.
13 Idem Paulus ſcribens ad Galat. cap. 1. ſic ait: [Sed licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, Anathema ſit: ſicut prædiximus, & nunc iterùm dico. Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, Anathema ſit.] Et ad Theſſalonic. 2. cap. 3. [Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti: vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulāte inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.] Et infra: [Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate: & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.]
14. Haud diuertimus nunc ad iura Canonica, & poſitiua, hoc idem luculentiſſimè conſtituentia; de quibus infra: ſed præcisè, & formaliter, & ſtrictiſſimè, ex hoc Chriſti IESV Euangelio, poſtulamus à Principibus Chriſtianis, & eorum quibuſcumq; Conſiliarijs, quo modo hæc doctrina poſſet ad praxim in Eccleſia reduci, niſi in ea, & eius Præfectis, & præcipuè ſummo Pontifice reſideret poteſtas, abſoluendi vaſſallos ab obedientia Regū, & Principū, qui ſeſe ijs delictis contaminarent, ſupra relatis, & quibus ex antiquo Eccleſiaſticæ ordine diſciplinæ, aliud, quàm depoſitionis Principis, congruum nequit remedium adhiberi?
15 Præterea ſic docuit Apoſtolus ad Roman. capit. 13. ſicuti ſuperiùs Part. 2. latè declaratum eſt: [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. &c.] Hoc autem non intelligitur, vt quiſque Chriſtianus cuicumq; poteſtatem habēti ſubdatur; aliàs & à Gallis Anglis, & ab Anglis Gallis, & ſimili confuſione, omnibus Principibus, ab omnibus eſſet Chriſtianis obediendum. Cùm ergo nulla ſit Poteſtas ſecularis vniuerſa, vel locorum, vel perſonarum, oportet, vt Paulus id velit ſolùm docere, quemque in ſuo genere, ſui generis Poteſtati, ex lege Chriſtiana, eſſe obtemperaturum. Cùm ergo ſummus Pontifex Romanus, vniuerſæ ſit Eccleſię Poteſtas ſublimior ſpiritualis à Chriſto Domino cōſtitutus, neceſſū eſt, omnes Chriſtianos Principes, ex vi Paulini, dixerimus meliùs, Diuini præcepti, illi obedire, eumq́ue tamquam Patrem, ac mentis Diuinæ Interpretem, & Euangelicæ legis explicatorem venerari.
16 Scripſit adhuc idem Paulus, ad Hebræos. cap. 12. [Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.] Quem locum, de Præſidibus eſſe intelligendum ſpiritualibus, ſupra probauimus: qui ſunt Curiones animarum; cùm ſeculares Principes, ex doctrina Petri Apoſtoli, corporibus tantùm attendant cuſtodiendis. Ergo cùm ſummus Pontifex, pro muneris excellentia, de omnium Chriſtianorum animabus, quatenus ab illius exercitio pendent, ſit Deo rationem redditurus; oportet, vt Principum Chriſtianorum curandis intendat animabus, etiam vſque ad illorum ab Eccleſia ſeparationem, & vaſſallorum ab illorum obedientia ſubtractionē:

ſi opus

ſi opus fuerit:vt illorũ ſpiritus, quò omnia Prælatorum Eccleſiaſticorũ acta debent collimare, in die Domini ſalui fiant.

17 Iam verò Principes ſeculares Chriſtiani, Eccleſiæ ſunt membra, quæ communione quadam, quaſi nexu, & vinculo colligata ſunt. Certum eſt autem, multorum vnionem haud poſſe conſiſtere, niſi ſit vnus Princeps: aliàs ſi quoduis per ſe, non ſolùm luxatum, verùm & abſciſſum, ac ſeparatum pro arbitrio ſuo, huius myſtici corporis membrum feratur, Eccleſiæ, quæ regnum Chriſti eſt, vnitas ſolueretur. Attamen ex Chriſti promiſſione, Matth.cap. vlt. dicentis: [Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi:] certum habemus, hoc regnum duraturum perpetuò, etiam in cæleſti Ieruſalem continuandum; addente Paulo. 1. ad Corinth.c.15. [Oportet autem illum regnare,] agit de Chriſto regnante, in hoc, videlicet, ſtatu, ante mortis extremam vaſtationem, quam ſequetur regnum Eccleſiæ triumphantis: [donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.] Cùm ergo Eccleſia, non Babylon ciuitas, ſed regnum ſit Chriſti: cuius ciues in vnum coëunt, & in quod aſcendunt tribus tribus Domini, ex Pſalm. 120. ad nomini eius confitendum; ſit etiam iudicij ſolium; oportuit, vt iudicem haberet vnum ſupremum, qui Chriſtianum quemcumque, etiam Principem, non habentem veſtem nuptialem, poſſet à communi Chriſtianorum conuiuio, etiam per obedientiæ ſuorum ſubditorum vinculi ſolutionem, ſeparare.

18 Deinde, etiamſi in hoc Eccleſiæ regno, vnus Chriſtus Dominus illius inſtitutor, & auctor, dominari debeat: cui poteſtas in cælo, & in terra fuit ab æterno Patre, per mortem, & reſurrectionem eiuſdem contributa: recedens tamen in regionem longinquam, ex Luc.c.19. & Mat. cap.25. Petrum, & eius ſucceſſorem Romanum Pontificem, ſibi Vicariũ ſubſtituit: vt vnio, & communitas vniuersè in orbe Chriſtiano ſeruaretur: ſicuti in ſuperioribus, ex loco Matth.cap.16. [Tu es Petrus, &c. Et tibi dabo claues, &c.] & ex loco Luc.c. 22. [Confirma fratres tuos, &c.] & ex loco Ioan.c.21. [Paſce oues meas:] eſt ſufficientiſſimè demonſtratũ. Quibus eſt addendum, quò plus prætenditur, & probatur à Catholicis Doctoribus, regnum hoc Chriſti Domini, Eccleſiæ etiam ſuæ, eiuſq; ſummo Pontifici communicatum, eſſe ſpirituale, non carnale: cæleſte, non terreſtre; æternum, non temporale: Diuinum, non humanum: eò probari fortiùs, illud, ad Reges humanos, & terreſtres in ordinem cogendos, ſi id illorum exigant demerita, ampliſſimam habere poteſtatem.

19 Horum eſt perſpicua ratio: nam quia talis poteſtas non eſt ſupra humanum, ſed Diuinum regnum, à Deo omninò eſt: à Chriſto Domino immediatè, qui Diuinorum eſt Auctor, eſt Eccleſiæ, eiuſque ſummo Paſtori, ac Principi conceſſa: neque aliquis hominum, vel illam ſibi poteſt arrogare, vel illam ab hominibus exſpectare: vel alteri homini tribuere. Hinc ouibus omnibus, etiam Regibus, incumbit neceſſitas, Eccle-

ſiæ, ac in ea Chriſti Vicario obtemperandi; quia eorum regnum temporale, Chriſti ſpirituali, & æterno debet, iuxta legis Euangelicæ regulas, inſeruire.

20 Præterea, ſicuti Deus vnus eſt, & Deus & homo vnus eſt Chriſtus, ſic eius Eccleſia vna eſt, fides vna eſt, Baptiſma vnum eſt, lex Euangelica vna eſt; oportuit ergo, vt vnum haberet Ducem, ac Principem, qui Principes omnes Chriſtianos, prouincijs diſſitos, legibus ciuilibus differentes, potentia pares, ſibi inuicem non ſubiectos, ad communem Eccleſiæ vtilitatem vniret; ſub legis Chriſtianæ obſeruantia concordaret; obedientia æqualiter vni ſubditos efficeret; ac ab hac harmonia diſciplinæ Chriſtianæ diſcordantes, vt concentus perſeueraret Chriſtianus, etiam per obedientiæ ſuorum ſubditorum ſubtractionem, à totius connexione corporis Eccleſiaſtici remoueret. Neque inde colligendum eſt, Principes ſeculares ab Eccleſia, eiuſque ſummo Pontifice ſuo iure priuari: quia vltrò, nullaque vi adacti, Eccleſiæ ſe dediderunt: & quia hoc eius Imperium in animas eſt, & ſuper peccata, quatenùs Deum offendunt, & quatenùs Eccleſiaſticam congregationem, ac Chriſtianam perturbant pietatem.

21 Ac tamdem meminiſſe iuuabit 3. Principij huius Tractatus, immò ſuperioris in eo totius diſcurſus: ex quo habemus certum, quatenùs Poteſtas ciuilis, ac ſecularis, terrena ſit, & ab hominibus accepta terrenis, ſubditos habens terrenos, & finem ſibi præfigens terrenum: id eſt, mundanam pacem, Reipublicæq; Politicæ temporalis quietem, & media illis conſona: id eſt, leges, ac ciuiles virtutes, ſeu Politicas facultates. Attamen Chriſti, eius Eccleſiæ, eius ſummi Pontificis Vicarij poteſtas, ſpiritualis eſt, ac cæleſtis; ſubditi Diuini ſunt, hoc eſt, filij Dei: hanc enim poteſtatem dedit Chriſtianis ſuus Auctor, vt filij Dei fiant, nominentur, & ſint: ex Ioanne, in Euangel. c. 1. & 1. Epiſt. cap. 3. finis denique eſt cæleſtis: vita, ſcilicet, æterna, cuius adipiſcendæ media, lex Diuina, ac virtutes ſunt infuſę, nullis humanis rationibus acquiſitæ. Vnde hæc poteſtas nedum priorem illam Ciuilem non tollit, ſed non valentē per ſe ſubſiſtere, ob naturæ lapſæ corruptionē, Principum quãdoq; tyrannidē, ſubditorum rebellionē, ac frequentia exterorū bella; illam perficit; homines, ad ſuis parendùm Principibus, accendendo; Principes, ad ſuis cum charitate imperando ſubditis illuminando; ex quo illa Reipublicæ Chriſtianæ per ſuas conſurgit partes tranquillitas, quæ illam infidelibus reddunt terribilem, vt caſtrorum aciem ordinatam, ac ipſis inferorum liminibus formidandam.

22 Hac mira poteſtate muniti ſummi Eccleſiæ Pontifices, Reges, ac Principes, de quibus iam diximus depoſuere: ſed & tam ipſi, quàm alij inferiores Epiſcopi, Imperatores, & Reges à communione fidelium ſepararunt. S. Felix II. excommunicauit tamdem Conſtantium Impera-

torem:

torem : Innocentius I. Arcadium : Anaſtaſius I. Anaſtaſium : Gelaſius I, eumdem: Hadrianus I. Deſiderium Longobardorum Regem:Gregorius II. Leonem III. Imperatorem: Nicolaus I. vtrumque, & Orientalem, & Occidentalem AA. Gregorius VII. Henricum Imperatorem: Alexander III. Fridericum Ahenobarbum : Ambroſius denique Archiepiſcopus Mediolanen. Theodoſium Imperatorem Anathematis mucrone percuſſit : vt ab vltimis Romanorum Pontificum ſimilibus geſtis rebus referendis ſileamus. Si autem Lector deſiderat mira de hac Eccleſiæ,eiuſq; ſupremi Pontificis poteſtate legere , conſulat Euſebium libr. 10.Hiſtor. Eccleſ.cap.2.& lib.2.cap.2.Hiſtor.Tripart.& lib.7.Gregor. Nazianzen. in Apologetico. Chryſoſtomum lib.3. de Sacerdotio. Ambroſium lib.de Dignitate Sacerdotali.& Epiſt.33.Vet.edit.Auguſtinum Epiſt.48.50.& 166.Nicolaum P.M.Epiſtolis ad Michaelem Imperatorem.Gregoriũ I. Epiſtol.ad Gennadium. Gregorium VII.in Regiſt.lib.4.Epiſt.2.&lib.6. Epiſt.47.Sed pro omnibus oramus legi S.Ignatium,Epiſt.9.ad Philadelphien.& Epiſt.10.ad Smyrnenſes.

Vt comparetur circa Regum,&c. poteſtatem,& miniſterium doctrina Catholicorum, & Hæreticorum, horum aliqua placita, & acta narrantur. Cap. XLIV. §. 1.

APOSTOLVS Iudas in ſua Canon. iam ipſius naſcentis Eccleſiæ exordijs docuit,qualis eſſet Hæreticorum mens,dum de eis dixit:[Similiter & hi,carnem quidem maculant,dominationem autẽ ſpernunt,maieſtatem autem blaſphemant.] Scripſit Auguſtinus contra Creſconium Grammaticum. & ex eius lib.3.cap.51. habemus hoc Hæretici illius aſſertum : [Dedit Deus homini liberum arbitrium,Magiſtratus igitur non eſt,in impios animaduertere.] Guido de Vualdenſibus Hæreticis, & Antoninus. 4.Part.tit.11.c.7.§.2. de eiſdem referunt; nullum eos omninò iudicium ſanguinis, aut cuiuſcumque corporalis ſupplicij ferre : abutentes illa Chriſti doctrina : [Nolite iudicare.] Luc. cap. 6. Affirmabant Begardi, eos qui ſunt in gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis;non eſſe ſubiectos humanæ obedientiæ, neque ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligari : ex eo loco Pauli, 2.ad Corinth.c.3. perperam intellecto:[Vbi autem ſpiritus Domini,ibi libertas.] contra quos habetur. Clement.5.Extra. de Hæreticis.cap.4. & de his referunt Aluar. Pelag.de Planctu Eccleſiæ.lib.2.art.52. Antoninus vbi ſupra.§.4. Ioannes Vuicleuus in Articulis damnatis in Conc. Conſtantien. nullum admittit eſſe dominum ciuilem, dum eſt in mortali peccato. O ſemen Chanaan ?

2 Et hæc quidem ſunt antiquiora: at Martinus Lutherus,qui primus

præcedenti ſeculo mutationem doctrinæ Catholicæ,& Apoſtolicæ inſtituit: libr. de Seculari poteſtate. inter Chriſtianos nullam poſſe ſuperioritatem eſſe,docuit:ſed æqualiter vnum alteri ſubijci. Ac deinceps, pluribus in Principes ſeculares vſus inuectiuis, exemplum præiuit Thomæ Muntzero,ſeu Monetario,& Philippo Melancthoni, & Anabaptiſtis, ac Libertinis , & Pukardicis Hæreticis ,dicendi, ſcribendi, & agendi, etiam armorum vi,contra Principes ſeculares ea , quæ dicto ſeculo Germaniã, & alias prouincias tunc Chriſtianas,peregrinis,& ſanguinolẽtis ſeditionibus grauiſſimè afflixerunt, & magnam earum partem à communione fidei auitæ,& Orthodoxæ ſegregarunt.

3 Præfata gliſcente doctrina Diabolica,inter plura,ſequẽtia ex pijs, & grauibus deſcripſimus Auctoribus. Anno 1560. habitum fuit Geneuæ conſilium,de Francorum Rege,Regina vxore,Regina matre,eius liberis, Proceribus, & Catholicis Magiſtratibus, ad certam diem , per inſidias trucidandis: Theodoro Beza Principe, Ioanne Caluino Auctore, Ottomano ſubſignante, Epiſamio ſuadente; omnibus Galliæ prædonibus, & Ianiſtis conſcijs.Huius conſilij, & conſpirationis inuenta eſt,& typis excuſſa Epiſtola Caluini ad Viretũ Lauſannę,ſicut habet Boleſcus c.21. vitę Caluini:& refert Genebrardus in Chron.740.

4 Launeus lib.2. Apologiæ. ſcribit, miniſtros Euangelicos , Baſileæ conſilium habuiſſe , vt Turca,contra Pontificem, & Reges accerſeretur. Refert idẽ Genebrardus in Chron. 757. Prodijt olim exhortatio quædã ad Regis Galliæ Conſiliarios,cuius Auctorem, Bezam fuiſſe, exiſtimãt. Inter alia prætexit, docere ſe velle, quo pacto obuiam poſſit iri ſeditionibus,ob Religionem,ſuſcitatis: ſublatis,ſcilicet, è medio Principibus, qui ſuæ factionis non eſſent: promittitque futurum, vt exſiſtant aliqui Scæuolæ, qui, ſe putent ſacrificium exhibere Deo, ſi vnius, aut alterius Principis nece, qui contrarium ſuaſerit, ſocijs ſuis parentauerint. Profert deinde Minardi caſum , qui cùm, (vt fuiſſe dicitur vir,magno quodam Catholicę fidei tuendę zelo præditus,) contra ſectatores quoſdam Caluini , duriorem in Conſilio ſententiam protuliſſet: egreſſus inde , ſtatim fuit ex inſidijs à quodam proditore trucidatus.

5 Non diſſimile quidam, Iuliano Imperatori, idem ſcribit, accidiſſe: quaſi conferre cum Chriſto Caluinum, cum Iuliano Apoſtata Regem ſuum vellet. Similiter & Regi Galliarum Sigisberto,ac propemodum tale quid,etiam contigiſſe Regi Macedonum Alexandro. Ac, ne videatur abſq; Scripturis rem agere, quò magis incitet homines ad eiuſmodi parricidia deſignanda,& ſimul Magiſtratui terrorem incutiat,ne ſuæ ſententiæ contradicere, deque Hæreticis ſupplicium ſumere audeat,exemplum etiam Petri Apoſtoli producit, quòd is manum armis admouerit, ad reſiſtendum Iudaici Magiſtratus Miniſtris, qui ad capiendum ipſius Præceptorem venerant. Affert etiam Aſſaſſinorum , ſiue Beduinorum

exem-

exemplum, qui propoſita ſibi ſpe,voluptatis Paradiſi à ſe conſequendæ, ſolemni voto ſpondebant, ſe in Principes omnes ſæuituros,qui ſectæ ipſorum aduerſarentur. Deinde Colam quemdam Mantuanum litterarum Mediolani profeſſorem, qui prædicabat, eos, & in hac, & in futura vita fore Beatiſsimos, quorum manibus aliqua tyrannis opprimeretur.

6 Sanctius in reſponſione Bezam,& Bezitas appellans,ſic habet: Vos non niſi per diſcordias regna veſtra propagatis,& aliena occupatis. Veſtramque doctrinam promoueri pridem declaraſtis,ex inſigni,enſe,quem libris veſtris Geneuæ impreſsis initio appinxiſtis,cum iſto Elogio: Non veni pacem mittere, ſed gladium. Et iacta fuiſſe in Gallia,per bellicas ſtrages,Religionis tuæ in campis Druidum fundamenta gloriaris.

7 Meminit quoque Alanus Copus,in 1. ſuo Dialogo,Angli cuiuſdam ſeditioſiſsimi, qui vt ſubditos in Principem irritaret, & armaret,locum illum Petri: [Regem honorificate:]ſic interpretatur, vt ex eo vellet ſtatuere,quemlibet in ſua Republica Regem, & Caput Eccleſiæ eſſe, & haberi poſſe. O infanda Hæreticorum ambitio!

8 Georgius Buchananus Iacobi Angliæ nunc, & Scotiæ Regis præceptor,& Poeta,libellum edidit ſeditioſiſſimum, in quo docet,quo modo Reges imperare populis ſuis debeant: & quatenùs illis obedire viciſſim ſubditi teneantur: quæue eſſe cauſſæ poſſint, vt Reges, & Principes Catholici, Orthodoxi à ſubditis ſuis loco ſuo moueantur, deijciantur,in carceres compingantur,& mactentur: & quales in eorum loco reponantur.Cui reſpōdit doctiſſimè Vinzeius Abbas,apud Scotos eruditiſſimus. Stephanus etiam Iunius Brutus Celta libellum edidit,quem inſcripſit, Vindiciæ contra Tyrannos.ſiue, de Principis in populum,populique in Principem legitima poteſtate.impreſſum anno 1580.in quo vnum agit,vt in Regiam auctoritatem ſubditos irritet; Principum autem poteſtatem certis cancellis, & legibus circumſcribat: extra quas, ſi quo caſu ſeſe efferat,liberum eſſe vult ſubditis,Principem ſuum omni dignitate, & auctoritate ſpoliare.

9 Caluinus ſcribit in cap. 6.Danielis ſic: [Abdicant ſe poteſtate terreni Principes,dum inſurgunt contra Deum:immò indigni ſunt, qui cenſeantur in hominum numero. Potiùs ergo conſpuere oportet,in illorum capita,quàm illis parere:vbi ſic proteruiunt, vt velint ſpoliare Deum iure ſuo.]Idem in c.4.eiuſdem Prophetæ.[Hodie,inquit,Monarchæ ſemper in ſuis litteris hoc obtendunt, ſe eſſe Reges, & Duces, & Comites, Dei gratia:ſed quàm multi falsò nomen Dei prætexunt in hunc finem vt ſibi afferant ſummum imperium. Quid enim valet ſæpè in Regum, & Principum titulis Dei gratia,nempe ne agnoſcant ſuperiorem,quemadmodum dicūt. Intereà libenter Deum,cuius clypeo ſe protegunt,calcarent pedibus:tantum abeſt,vt ſeriò reputent, ſe habere eius beneficio, vt regnent. Merus igitur fucus eſt, quod dicunt,ſe Dei gratia pollere do-

mina-

minatione; quod cùm ita ſit, facilè hinc iudicium ferri poteſt, quàm ſuperbè contemnant Deum profani Reges, etiamſi non abijciant eius nomen fallaciter: quemadmodum iſti nebulones, qui palàm Deum ſubſannant, & ita profanant nomen gratiæ.] Et iterùm.

10 Hodie, (ne repetamus veteres hiſtorias:) vt Reges ferè omnes fatui ſunt, & bruti, ita etiam ſunt quaſi equi, & aſini brutorum animalium. Quò igitur quiſque audacior, atque proteruior, eò plus auctoritatis conſequitur in aulis. Meritò nobis deflenda eſt hæc Regum ſocordia, qui ſuperbè contemnunt Dei dona in optimis quibuſque, qui poſſent præeſſe in maximam vtilitatem populi: & interim habent in delicijs homines ſtupidos, & ſui ſimiles, & non efferũt, niſi ſuos lenones, & ſcurras, & homines nihili, quos Deus ignominia notauit.]

11 Miniſtri Eccleſiæ Gallicanæ prętenſæ reformatæ, multos, per vniuerſum regnum, ſeditioſiſſimos libellos partim Latinos, partim Gallicos conſcripſerunt, & euulgarunt: vt homines contra legitimam poteſtatẽ incenderent. Exſtat etiã confeſſio generalis, quam regi ſuo Carolo IX. Hugonoti obtulerunt in Gallia: in ea Articulus 39. talis habetur. [Affirmamus parendum eſſe legibus, & ſtatutis: ſoluenda tributa, & reliqua onera perferenda: ſubiectionis denique iugum voluntariè tolerandum, etiamſi infideles fuerint Magiſtratus: dummodo Dei ſummum imperium, integrum, & illibatum maneat.]

12 Habita eſt Synodus Euangelicorum Bernæ, anno 1572. in ea decretũ eſt Canon. 3. [Vt in ſingulis ciuitatibus omnes iurent, ſe ſuoſq; poſteros, ea, quæ ſequũtur capita rata, & inuiolata ſeruaturos.] & Canon. 4. [Donec placuerit Domino, in cuius manu ſunt corda Regum, mutare cor Tyrannis Gallicanis, & ſtatum regni in meliorem ordinem conſtituere: aut exſuſcitare Principem aliquem vicinum, quem cognoſcamus, (per virtutem ſuam, & notas inſignes,) eſſe liberatorem huius calamitoſi populi interim ſingulæ ciuitates ſingulis ánnis eligent ſibi Prætorem, qui illos regat tam in bello, quàm in pace.] Id effeceru nt Hugonoti Lugduni, nouo inſtituto Senatu, ne quicquam Chriſtianiſſimo Rege Carolo IX. reclamãte. & Canon. 5. [Illi adiungetur Conſiliũ 24. prudentium, qui ex nobilibus, & ignobilibus eligentur promiſcuè;] & Canon. 6. [Eligetur prætereà Conſilium 72. quorum in rebus grauioribus, vbi de morte, vel vita agitur, in primis requiretur conſenſus.]

13 Sed eiuſdem Synodi Canon. vltimus longè digniſſimus eſt, cuius verba Chriſtiani Principes alta mente reponant, de illorum enim pelle agitur. [Habeant, ait, Duces, & Prçfecti omnes hoc Axioma inſtar indubitati, & certiſſimi cuiuſdam Oraculi: numquam, vt fidant ijs, (Regi, & Regijs) qui toties, tamque inſigniter, fidem violarunt, quietemque, & pacem publicam: nec vmquam arma deponant, quamdiu viderint eos perſequi doctrinam ſalutis, aut eiuſdem doctrinæ diſcipulos. Quòd ſi aga-

tur

Digitized by Google

tur aliquando de pacificando, primum omnium illud conſtituatur, quod gloriæ Dei promouendæ conuenerit. Deinde diligentiſſimè caueatur ſecuritati Eccleſiarum, ne deinceps exponantur immiſericordiæ luporum, & tygrium: & ſi Deo placuerit, mollire corda Tyrannorum, eoſque mutare, tum, bona cum voluntate, omnes ſe ſubmittant ijs, quos Deus nobis dedit Principes naturales, quibus omne obſequium præſtabunt: ſin verò malum ſit inſanabile, & Diuinæ voluntatis ſit, eos exterminare, tum, ſi Domino placuerit, aliquem Principem Chriſtianum ſuſcitare, ad peccata iſtorum vlciſcenda, & populum ſuum liberandum, ei ſe Principi ſubiectos tradant, tamquàm alteri Cyro diuinitùs ad eos miſſo. Intereà his regulis ſe gubernent, quas nos illis tamquam leges præſcripſimus. &c.]

14 Zuinglius quoque Martis, & Bellonæ Sacerdos lib. 4. Epiſtolarum. fol. 186. [Romanum, inquit, Imperium, immò quodcumque Imperium, vbi ſinceram Religionem opprimere cœperit, ſi nos illud negligenter patimur, non minus contemptæ Religionis rei erimus, quàm ipſi oppreſſores. Exemplum eſt Ieremiæ 15. vbi exterminationem comminatur Deus Iſraeli, quòd Manaſſen permiſiſſent impunè eſſe peſſimū.] Et alibi paulò manifeſtiùs. [Quando Rex perfidè, & extra regulam Chriſti egerit, poteſt cum Deo deponi: cùm autem in manifeſtè impios, & delinquentes nō animaduertit, extra regulā Chriſti ambulat: magis verò cùm ſceleratos prouehit, & innoxios prægrauat: &c. Dum hæc, inquam, facit, præter regulam Chriſti facit. Quòd autē deponi ab officio poſſit, Saulis exemplum manifeſtè docet 1. Regum cap. 15. & 16. Quia dum flagitioſi Principes, & Reges loco non mouentur, totus populus à Deo punitur; vt patet Ieremię 15. In ſumma, ſi Iudæi Regem ſuum non ita impunè conſceleratum eſſe permiſiſſent, à Deo non tam grauiter fuiſſent puniti: nec filij Iſrael, ſi exauctoraſſent Manaſſen. Oportet, oculum offendentem effodere, & abijcere: ſic de manu, & pede. &c.]

15 Meminit Cochleus, Iacobi cuiuſdam Kautij, Euangelici Miniſtri, qui docebat, omnem poteſtatem, ac regimen Principum, ex vero Diabolo, non ex Deo eſſe: & his præterea verbis contra Ludouicū Palat. Rheni, & Electorem vſum fuiſſe memorat: [Non expelles me, inquit, Non permittam me à te expelli. Immò ſi velis me expellere, non permiſſurus ſum ego: etiamſi mille capita propter hoc perire debeant. At dicis, me nihil aliud, niſi quod ad ſeditionem, Poteſtatumque oppreſſionem, tendat, prædicaſſe, ac docuiſſe: ob id nimirùm, quòd dico tibi, regimen, ac poteſtatem tuam eſſe contra verbum Dei: & non ex Deo, ſed ex viuo Diabolo eſſe. Non igitur expelles me hinc, niſi priùs hæc regio tota, ac regna inſuper aliquot propterea deuaſtentur. Dico tibi, quia huc à Deo deſtinatus ſum, ad te docendum.]

16 Eamdem ferè ſeditionis, & rebellionis cantilenam cecinit in Polonia, Chriſti, Principiſque ſui perduellis Stankarus, cùm in Præfatione

ſuo-

ſuorum Canonum,& Reformationis in Regno inſtitutę,ſic ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem loquitur.[Quòd ſi Maieſtas tua,hæc Sacroſanctum, & neceſſarium Reformationis officium neglexerit, Nobiles tui,qui, & ipſi gladium geſtant auctoritate Diuina, tenebuntur,& debebunt,Sathanæ,& eius Religioni valedicere, atque Chriſto , & verbo eius ſe totos conſecrare . Immò quilibet à Deo mandatum habet , vt inuito etiam toto mundo , (in cauſſa Religionis loquor) doctrinam filij Dei amplectatur:atteſtante voce illa cælitùs delata : Hunc audite . Vnde Apoſtoli dixerunt Principibus Sacerdotum . Obedire Deo magis oportet,quàm hominibus. Eſt enim Chriſtus Rex Regum, & Dominus dominantium:Reges autem,& Principes,& Magiſtratus,Locumtenentes eius. Quòd ſi ſupremus Rex,nempe Chriſtus, præcipit populis ſuis , vt Euangelium audiant,Idololatriam abijciant,& purum cultum amplectantur: Contrà,Reges hæc prohibent: nonne ſupremo Magiſtratui, nempe Chriſto,parendum eſt magis, quàm Locumtenentibus, qui in ſupremum Regem ſuum ſunt rebelles? Maximè .]

17 · Lepidum quoque eſt illud exemplum,quod Heſſuſius Magdeburgi accidiſſe ſcribit, inter ipſos Sathanæ verbi miniſtros.Fungebatur Heſſuſius Superintendentis munere , multaque in Senatum ſeditioſa verba pro Concione,more ſuo, vomuit . Rem eam quidam ex verbi Miniſtris probabant,quidam improbabant. Coactus eſt Senatus, Heſſuſium abdicare, ne tumultus fieret in populo.Eo abdicato, Capellanus ad D.Iacobi,nulla præmiſſa priuata admonitione , miniſtros omnes Heſſuſio contradicentes , & cum illis Senatum ciuitatis, pro concione excommunicauit, Diaboloque tradidit . Aderat tum præſens concionantis Capellani Paſtor, qui fulmen excommunicationis vibratum audiens , admodum , vt habet Heſſuſius, commotus eſt, pleniſque faucibus,voce quantum potuit intenta,clamauit: Mentiris,mentiris, ſceleſte,nebulo, fur: defendes te in domo Senatoria. Quin, & cultro euaginato ad ſuggeſtum properauit, vt Capellanum ſuum Bartholum è cathedra deturbaret : verùm ciues quidam eum tenuerunt,& è templo duxerũt.in lib.German.quem, Neceſſariam admonitionem, inſcripſit,contra Senatum Magdeburgeñ.

Quædam peculiaria de regnis Angliæ,& Scotiæ,circa prædicta, adducuntur . *Cap.* XLV. §. 1.

IN præfatione libri,quem Geneuæ edidit Goodmannus præcipuus Anglicanus apud Geneuen.Eccleſiæ miniſter : Quemadmodum ſuperioribus Magiſtratibus obediendum ſit.&c.his verbis prouocantur ſubditi ad ſeditionem,& rebellionem contra Principes. [Quamdiù,inquit,Principes,& Magiſtratus, etiãſi coram Deo impij ſint,ſceleſti , & reprobi , exteriùs

tamen curant, Dei leges cuſtodiri, & obſeruari ab alijs, tamdiù debemus illis obedientiam: ſin verò audacter, & ipſi leges Dei transgrediantur, & alijs id ipſum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem, & obedientiam, quam aliàs ſubditi eis præſtare tenebantur: neque deinceps habendi ſunt pro Magiſtratibus: ſed puniendi tamquam priuati homines.

2 Ioannes Knoxius, primarius Patriarcha Euangelicorum in Scotia, edidit Geneuę libellum, quem vocant: Appellatio ad Nobilitatē, & populum Scotorum. in eo plena ſunt omnia ſeditioſiſſimorum conſiliorum contra Catholicos: ſed præcipuè in Mariam, Angliæ tunc Reginam, Catholiciſſimam, acerrimè ſubditos incendit, his verbis: [Illud audacter affirmauerim, debuiſſe Nobiles, Rectores, Iudices, populumque Anglicanum, non modo reſiſtere, & repugnare Mariæ Iezabeli, quam vocant, Reginam ſuam, verumetiam, de ea, & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis ſupplicium ſumere, vt primùm apertè cœperunt Chriſti Euangelium ſupprimere.]

3 Scribit Auctor Reſponſionis ad perſequutores Anglos, pro Catholicis. quòd cùm rebelles ſubditi, in Regem, & Reginam Scotiæ, nefaria arma caperent, Miniſtri Euangelici totius ſeditionis præcipui auctores, & fautores exſtiterunt. Et initiò, contra Regem in ciuitate Sterlingi cōſilio, poſtea, & in acie gladijs, & bombardis armati, cū Comitibus Anguriæ, & Marræ ſteterunt, turbatoque patriæ ſuæ ſtatu, pelli ſuæ metuentes in Angliam profugerunt: vbi in ſummo adhuc otio, & ſecuritate viuunt. Talis fuit Patricius Gallouarus, in vrbe ſancti Ioan. Miniſter, Andreas Polardus Subdiaconus Glaſcuenſis, Iacobus Carmihel miniſter Haddinctoniæ, Andreas Harus Rector Renfroenſis, Andreas Meluinus Theologiæ profeſſor.

4 Talium Miniſtrorum, & aliorum iſtius farinæ hominum, adeò fuerunt ſeditioſa, & inquieta ingenia, & conſilia, vt Regnum illud Scotiæ neceſſe habuerit in publicis Comitijs trium Ordinum leges ſancire, quibus Miniſtrorum inſolentia reprimeretur: & Epiſcopi quiſque ſui iuriſdictioni, & auctoritati ſubijceretur: quæ tamen cùm in foro Aedimburgenſi per Fæcialem Regium promulgabantur, auſi ſunt illi ipſi Miniſtri, Regis, & Comitiorum auctoritati ſeſe opponere. Iacobus enim Lauſonius, Robertus Pontus, & Gualtherus Bacaquellus multis, & contumelioſis verbis leges latas proſciderunt, contra eas proteſtati ſunt, & audaciam præterea ſuam, ſeditioſiſſimoſque conatus à Georgio Notario in Acta publica referri voluerunt.

5 In alijs prætereà Regni eiuſdem Comitijs inſolentiſſimè efflagitarunt, vt ipſi quoque in Regium Conſilium, Parlamentum vocant, admitterentur: tamquam Epiſcopis ſuis, & Superintendentibus pares: cùm Epiſcopi Diuina lege reliquis Paſtoribus, & Miniſtris non præſtent, ſed

eiuſdem ſint omnes, & auctoritatis, & poteſtatis, quicumque ad verbi miniſterium acceſſerunt. Quam eorum præſumptionem, vt frangeret omnium ſupremus Superintendens, qui ſe Archiepiſcopum ſancti Andreæ vocat, multa conatus eſt: & in Angliam prætereà profectus, vt illius Eccleſiæ Sectarios de hac quæſtione cōſuleret, neque tamē adhuc quicquam profecit. Inter eos autem articulos, quos pro ſua auctoritate, & poteſtate, defendendos, ordo ille Sathanæ Miniſtrorum edidit, quàm pleni ſint ſeditionis ſpiritu, quàm cædibus, & ſeditionibus delectentur, oſtenderunt. Aiunt enim, poſſe Regem à ſuis Miniſtris excommunicari, immò, & à Regali ſolio deijci. Idque etiam in altero Superintendente Roberto Montgomeron, quem Archiepiſcopum Glaſcoenſem vocant, re ipſa exſequuti ſunt. Nam à ſede ſua toto biennio, vi, & armis excluſerunt, publicè excommunicarunt, ob hoc ſolùm, quòd non illorum auctoritate, & approbatione, ſed Regis ſolius poteſtate, & denunciatione, illorum Archiepiſcopus fuerit conſtitutus.

6 Quamobrem etiam Ninianus Vinzetus, Abbas Scotus, teſtatur in ſuo Flagello, quòd illius Regni Miniſtri ſeditionum Architecti, tam in Scholis, quàm in Cathedris, nullam quæſtionem ſæpius, & vehementiùs agitent, quàm hanc, Deo ne magis, an Principibus obedire oporteat? Citat etiam hæc illorum verba, è vulgari quodam libello Latina facta. Vtrùm ſubditi debeant, ſuo Principi obedientiam præſtare: quando quicquam contra mandatum Dei præcipit,] hoc eſt: Vtrùm Deo, an Cæſari, ſiue Regi, in rebus fidei, & Religionis magis obediendum ſit: deliberatum eſt oſtendere: non ad excitandos vllos in populo tumultus, ſed ad homines ab errore liberandos. &c.] Et addunt.

7 Videtur quidem quaſi non eſſet neceſſe, præſentem quæſtionem tractare: ſiquidem expreſſum Dei verbum habemus, Deo nos obedire magis oportere, quàm hominibus. Attamen mundus hic improbus, & ſceleratus, ita affectus eſt: vt cùm doctrinæ huius mentio fit, ſtatim anſam arripiat calumniandi: quaſi homines hac doctrina contra legitimum Magiſtratum, & Poteſtatem à Deo conſtitutam, turbandam, & euertendam incitentur. Operæpretium, vt in hac quæſtione, verus inueſtigetur ſcopus, & intentio, vt limites æquitatis non tranſiliantur: neve minus, neve nimiùm agatur: neque ſub libertate Euangelica pacis turbatores, & manifeſtos hoſtes Reipub. neque rursùs ſub obedientia erga Reges, & Magiſtratum inobedientiam contra Deum quæramus: ſed Chriſtianè, & modeſtè, ſecundùm doctrinam Chriſti, dentur Deo, quæ Dei ſunt: & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.] & paulò poſt.

8 Quattuor propoſitiones aſſerunt, quaſi in Regum capita quattuor diſpoſitas Machinas. 1. [Neque ſolus partus, neque ſanguinis propinquitas, eſt qua efficitur, vt Rex legitimè imperet populo, Chriſtum IESVM, æternamque eius veritatem profitenti: ſed & in eius electione, quem or-

dinem inſtituit Deus in inferiorum iudicum electione, obſeruari oportet. 2. Nullus manifeſtus Idololatra neque notorius Sanctorũ Dei præceptorum tranſgreſſor, promoueri debet ad quoduis publicum regimen, honorem, ſeu dignitatem, in quodcumque Regnũ, Prouinciam, aut Ciuitatem, quæ ſe Chriſto IESV, Sacroſanctoque eius Euangelio ſubdiderit. 3. Neque poteſt iuſiurandum, votum, ſeu promiſſio conſtringere quemquam populum, vt Tyrannis obediat, eoſque in Deum, & agnitam eius veritatem tueatur. 4. Sed ſi vel incircumſpectè promouerint quemlibet manifeſtè impium, vel ignoranter delegerint talem, qui poſt, indignum ſe prodat auctoritate in Dei populum, (quales ſunt omnes Idololatræ, crudeleſve perſequutores,) æquiſſimè poſſent ijdem deponere, & caſtigare etiam eum, quem inconſultè ante nominauerant, & delegerant.]

9 Rectè itaque in eodẽ libro, ait Ninianus, [Miniſtros iſtos, non Miniſtros, ſed iudices, ſed vindices, ſed rerum dominos, ſed Reges Regum, & Dominos dominantium eſſe velle; ob eam poteſtatem, & auctoritatem, quam ſibi luciferico faſtu arrogant, non ſolùm in omnia ſacra, ſed in Reges, & Principes: quos ponendos, amouendos, obtruncãdos, cenſent: ſi non iuxta verbum Dei dominentur. Vtrùm autem iuxta illud, an contra illud ſtet, penès ſe eſſe volunt iudicandi, decernendique facultatem.] Libet adhùc ipſorum verba proſequi.

10 Quemadmodum, aiunt, vaſſallus, cùm ſe Principi ſuo opponit, vel Regnum eius affectat, hac ipſa noxa ius amittit, & extremam incurrit pœnam: ita quoque Reges, & Principes quando iuriſdictionem Diuinam violant, & ſuper animas, & conſcientias hominum, dominium arripiunt, ius ſuum amittunt, & in iram Dei incidunt, & indignationem. Quando enim Princeps quiſpiam tacitus, ſecum cogitat, vt eſt in Iſaia 14. capite. Aſcendam in cælum, & ſolium meum ſuper ſidera collocabo: & ſimilis ero Altiſſimo: Huic reſpondet Deus: Ego contra te inſurgam, teque euellam, & exſtirpabo cum omnibus poſteris tuis: immò ad inferos te deturbabo, & ſceptro ferreo te comminuam.] Nec his contentus addit.

11 Et quando Pharao dicit Exodi 5. & 8. Quis eſt Dominus Deus qui mihi mandat, vt dimittam populum ſuum, vt ipſi ſeruiant? Non noui dominum. Tum denique venit Dominus Deus, & præcipitat eum in mare Rubrum: vt ſe agnoſcere eum doceat: ſcriptum eſt enim; Qui me glorificat, hunc, & ego glorificabo: qui verò me ſpernit, ſpretus eſto. Ex quibus omnibus ait, non ſolùm Principes, & Poteſtates diſcere debent, quouſque potentia illorum præcipuè in rebus Dei, & conſcientiæ ſeſe extendat, ſed etiam ſubditi quouſque ipſi Principibus obedientiam præſtare debẽt: nimirùm non vltrà, quàm quouſque nihil fit contra verbum Dei: alioqui qui Deo hoc præcipiente pro ſe, illud verò pro perſona Cæſaris, illud quod Cæſaris eſt, poſtponendum erit illi, quod iubet Deus pro ſe, ne ſeruus præponatur Domino, vaſſallus ſuo Principi. Et licèt hac in parte

accuſetur quis,crimine læſa Maieſtatis,ipſemet tamen intelligit,multò maius crimen læſæ Maieſtatis Diuinæ eſſe,quàm humanæ.] Plura huiuſmodi poteramus inde, his ſcriptis addere , hæc ad præſens ſufficiant: & ad ſpecialiora de regno Scotiæ referenda deſcendamus .

Peculiaria adhuc alia Acta , in regno Scotiæ : ex libello Proditionis Scoticæ . Cap. XLVI. §. 1.

INTELLECTVM eſt à multis,quòd anno ſuperiore Comites de Mora , & de Arguilles,cum nonnullis Scotiæ Nobilibus, & Optimatibus, à Sereniſſ. ſua Regina, ſpecie Religionis, denuò defecerunt . Cumque res eò tamdem recidiſſet,vt vtrimque arma ſumpta eſsēt:perduelles,vel indigniſſimi ſceleris conſcientia debilitati, vel ſuis,& ſuorum viribus,atque animis diffidentes,in Angliã profugerunt.Poſtea illi gratia, & deprecatione Reginæ Anglicanæ vſi, de reditu in Scotiam cogitarunt : & hoc ſæpius impetrare ſunt adnixi,vt poſtquàm de ſua culpa,& maleficio confeſſi eſſent, patriæ,fortunis,honoribus in integrum denique reſtituerentur. Sed Sereniſſ.Scotiæ Regina toties ab illis deluſa , eorum verbis, & pollicitis fidem ampliùs habere noluit : ſtatuitque (prout meriti videbantur) de trium Regni ordinum conſenſu, ac conſilio,pœnas recidiuæ perduellionis repoſcere. Hoc cùm illi animaduertiſſent , Regis animum tentare, ac permouere cœperunt:&,(vt homines facilè ambitionis impotenti cupiditate obcæcantur ,) cum eo pacificationis aliquot conditiones,& tamquam συνάλλαγμα quoddam ,clam Regina inierunt .

2 Erant autem mutui fœderis leges huiuſmodi:Quòd Rex præteritæ rebellionis culpam illis condonaret;bonis, & muneribus eoſdem redderet:antiquam, & Catholicam Religionem ipſe omninò abijceret; eaque toto Regno exſtincta, Caluiniſmum inuehendum curaret: viciſsimque illi ſe eſſe facturos,ac præſtituros pollicerentur,vt Rex,(ſi Reginam ſine liberis decedere contingeret)iam inde non Regni hæres,& ſucceſſor modò diceretur, ſed etiam ad eius familiam , ius ſucceſsionis, repulſo Reginæ genere deuolueretur .

3 His pactionibus ita vtrinque conſtitutis; cùm interim Regina iſtarum rerum neſcia, trium Ordinum conuentus , ad initium Martij ſuperioris coëgiſſet , Rex ſummam beneuolentiam, & voluntatem vxori ſuæ oſtendebat , omnemq; in Religione antiqua , quoad fieri poſſet, reſtauranda,perduellibuſq; puniendis,operam,& conſtantiam ſpondebat. Primùm in Comitijs negotium Religionis tractatum eſt : & communi voce , ac conſenſione omnium Ordinum,exercitium antiquę pietatis paſſim Epiſcopis,& Eccleſiæ Paſtoribus conceſſum. Deinde perduellium

cauſſa

cauſſa publicè agenda, & diſceptanda ſequebatur. Sed pridiè quàm id fieri debebat, id eſt, 10. die Martij, hoc Tragico, atrocique facinore, tota tractatio interrupta eſt. Aedimburgi Rex, & Regina Scotiæ vnà cœnabant, multis ex nobilitate, & ex Aulico comitatu primarijs viris, (vt in Regijs Principum, honoris gratia fieri ſolet) circumſtantibus, ſub horam ſeptimam domini de Luneñ. & de Lindſan. & Comes de Morton, qui paulò ante à Regina bonis, & famæ fuerat reſtitutus, ac præterea Cancellariatus munere cohoneſtatus, alijque complures armati in cœnaculum irruperunt. Primò impetu in oculis Regis, & Reginę quemdam Secretarium, nomine Dauidem, hominem propè quinquagenarium, ſexaginta vulneribus confoderunt. Eũ vel ideò inuiſum, præter ceteros, habebant, quòd in Religione antiqua, & Reginæ ſeruitio, ac obſeruãtia, conſtantiſſimè toto defectionum tempore permanſiſſet, ſummaque prudentia, & vſu rerum Scoticarum, quo valebat plurimùm, perditis factionibus obſtitiſſet.

4 Hac cæde perpetrata, omnibus, qui aderant, territis, Reginæ dira, & atrociora quæque minitantur: quodque longè indigniùs fuit, conuiciando, pulſando, grauidam, metuque penè conſternatam, in cubiculum tamquàm in carcerem detrudunt: & octoginta milites cubiculi foribus apponunt; qui famulos, & famulas aditu ad Reginam prohiberent.

5 Trium noctium, & duorum dierũ ſpatio, Regina ita arctè concluſa, & aſſeruata, cùm interim Comites de Mora, & de Arguilles, alijque transfugæ ex Anglia in vrbem appuliſſent perduelles, de toto factionis, & machinationis ſuæ negotio cum Rege ſeriò colloqui, & agere cœperunt: apertèq; denunciare, Reginam cõfeſtim de medio eſſe tollendam, & adulterij cauſſam comminiſcendam, huicque parricidio velando prætexendam: Catholicos omnes, aut ſimiliter interficiendos, aut aliquot interfectis, reliquos regno profligandos: Miſſam abolendam, & Euangelicam doctrinam (ſic enim lubet illis appellare Caluiniſmum) diligentiſſimè, ſeueriſſimèque confirmandam. Quæ cùm perfecta eſſent, tum demùm ſe illum pro Rege admiſſuros, & omnem illi poteſtatem, ac auctoritatem conceſſuros recipiebant: eamq; ſpem, vt firmiùs illi inijcerẽt, quędã Edicta, ſub eius ſolo nomine ſanciri, & palàm per vrbis compita promulgari voluerunt.

6 Enimuerò Rex, ſiue proditionis crudelitate obſtupefactus, ſiue quòd eò audacię perduelles numquam fuiſſe progreſſuros exiſtimarat, vel etiã quòd idem periculum ſibi ab iſtis impendere proſpiceret: longè ſatiùs videri reſpondit, antequam quid aduersùs Reginam tentaretur, vt capita religionis probanda, & ſubſcribenda ei proponerentur. Itaque per duellium nomine eam prouinciam ſuſcepit, vt Reginam accederet, ab eaq; partim minis, partim precibus, aſſenſum extorqueret. Rex in cubiculum vxoris ingreſſus, flens, de ſua culpa ingenuè confiteri, & identidẽ

veniam

veniam ſui peccati, quod grauiſſimum eſſe non inficiabatur, velut ſupplex implorare cœpit: poſteaq; totam conſpirationem aperire. Ac inter cetera, hoc perduellibus conſtitutum fuiſſe, dixit, vt Tametio Balfour, & dominis de Flamy, & Leuiſton ceruices amputarentur, multi ex Primoribus cæderentur, & ex nobiliſſimis Reginæ puellis, nonnullæ in profluentem proijcerentur. Tùm verò Rex, etiamſi ab illis, & Regni obtinendi, & beneuolentiæ cum Regina Anglicana conciliandæ, ſummorumq; auxiliorum ſpe lactaretur, tamen ſe intelligere affirmauit, quòd tamdem ſua opinione, eorumdem perfidia, non ſolùm deijceretur, verùm etiam in ſimile capitis ſui periculum cum Regina vxore veniret. Sed iam ſe cogitare, quemadmodum illas inſidias, quæ ſibi, & vxori ſtruuntur, effugiat.

7 Regina vbi coniurationis myſteria cognouit, maritum ſuum hortari, & rogare cœpit, vt ad ſocios rediret, ſeq; eò facilè adductam renunciaret, vt eorum poſtulatis omnibus ſubſcriberet: ſed tamen quò hęc decreta maioris in poſterum momenti, & auctoritatis eſſent, neve per vim, & minas ab ea, quæ velut in cuſtodia teneretur, expreſſa, & extorta putarentur, iiſdem Reginam aliquantulum laxandam, & milites dimittendos ſuaderet. Rex ad perduelles, qui reſponſum cupidiùs exſpectabant, illicò reuerſus, docuit, ſe propenſum Reginæ animum, & ad omnia quæ peterent, vltrò concedenda, facilè comperiſſe: ſed tamen ſe conſulere, vt illa paulò laxiùs, & liberiùs ad vnā dumtaxat noctē haberetur.

8 Ea de re inter illos diù, multumq; deliberatum eſt: cùm alij, non eſſe Reginæ occidendæ amittendam occaſionem, cenſerent: alij, ſi id fieret, populi arma, & motus pertimeſcerent: alij, priùs omninò Reginæ conſenſum exprimendum, ſuaderent. Quare tandem Regi permiſſum eſt, vt ipſe, remotis militibus, ſuæ vxoris cuſtodiam vnius noctis ſpatio in ſe reciperet: idq; propterea eſt ab illis indultum, quòd Reginam ita deplorata, & afflicta valetudine eſſe audiebant, vt vix eam noctem integram eſſet tranſmiſſura.

9 Sepoſitis ergo perduellium ſatellitibus, & ſub mediam noctem aliquot ex Reginæ præſidiarijs cuſtodibus intromiſſis, Rex, Reginam extra caſtrum Aedimburgi ſecum vnà cum tribus Nobilibus eduxit: cumque equos aſcendiſſent, reliqua nocte ita eorum curſum concitarunt, vt ſub auroram, ad munitiſſimam Dombarij arcem peruaderent.

10 Hac ratione Sereniſſ. Scotiæ Regina perduellium cruentas manus, præſentiſſimumq; mortis diſcrimen declinauit. Poſtridie cùm id perduelles cognouiſſent; ſuam omnes imprudentiam grauiter culpaſſe, feruntur; quòd ſe vnius mulieris promiſſis, & verbis deludendos eſſe, non præſenſiſſent. Et intereà rei benè gerendæ eam occaſionem amiſiſſent, quæ numquam ſeſe oblatura eſſet. At nihilominùs quantos maximos poſſunt, ſuæ factionis hominum greges, collegere, vt, & Regi, cui iam

ſe quo-

ſe quoque infeſtos eſſe oſtendebant, & Reginæ, ſi quid moliretur, obſiſterent, ſuamq; conſpirationem corroborarent.

11 Sed notandum eſt, eo ipſo die, quo Regina in cuſtodiam coniecta eſt, aliquot clariſſimos, & fideliſſimos eius Serenit. Clientes, & in ijs Comites de Boduel, Hontlaij, & Athel, per feneſtras euaſiſſe, breuiq; tempore, ad dominam, & Reginam ſuam liberandam, ferè nouem hominum millia confeciſſe: quorum auxilio perduelles ipſos in Angliam eiecerũt, & Reginam Ædimburgum reuocarunt: vbi de aliquot ciuibus conſpirationis huiuſce ſocijs ſumpta ſupplicia fuere.

12 Hoc exemplo, (ſiquidem benè, feliciterq; cum illis agatur, qui alieno periculo, & infortunio cautiores fiunt:) hoc, inquam, exemplo, quod vſque adeò portentoſum poſteris videbitur, vt vix ea immanitate homines inuentos fuiſſe, (niſi ad temporũ noſtrorum crudeliſſima queq; ſpectacula reſpiciunt:) ſint vmquam credituri: Reges, & Principes admoneantur, vt inſidias, & machinationes, quæ religionis velo teguntur, tamdem aliquando denudent: meminerintq; quid à viginti annis Caluiniſmus mali, & detrimenti orbi Chriſtiano importauit. Fas ſanè huiuſmodi Scholæ homines eſſe putant, quiduis in Reges, & Principes ſuos machinari: de eorum iure, ac auctoritate in dies aliquid cõuellere: ac, dummodo Euangelium (ſpecioſus nimirùm, & popularis prætextus) obtendatur, tecta, & occulta ſua eſſe conſilia, & maleficia, neque à quoquam redargui poſſe, ſibi perſuadent.

13 Senſim ſeſe primò inſinuantes, & quaſi irrepentes, vnam conſcientiæ libertatem ſibi dari poſtulant. At vbi inualuerunt, vireſque creſcendo acceperunt, non eamdem ipſam vitæ, & religionis libertatem ſolùm, ſed & vitam, & dignitatem Regibus, & Principibus ſuis eripere conantur: vti nuper admodum quidam Caluiniani furoris patronus, publicè edito ſcripto orbi legendnm propoſuit; Regum videlicet, mortibus, Euangelio aditum faciendum fuiſſe.]

14 Attamẽ huius narrationis accedat hæc Parentheſis, ex Genebrardo: vt, quo pacto cum ipſo Rege ſe geſſerint perduelles iſti, Lectorem hic nõ lateat. [Igitur cùm priùs Regem, vt vidimus, corrupiſſent, ac per eum tamen fruſtrati eſſent: ipſum quoq; ſummoperè tunc exoſi, quòd contra promiſſum ipſis factum, & omnia Regina indicauerit, & Catholicam fidẽ ſequeretur: ad Iacobum ſe conuerterunt Reginæ fratrem, nothum, qui ab ipſa nuper fuerat in honore conſtitutus: tamquam fidelis ei futurus, & ſanguinis coniunctione, & tanti honoris, beneficiorumq; acceſſione. Ille verò ſpe regnandi, ad illorum partes facilè adducitur. Itaq; non diù poſt, paulò ante Quadrageſimam, anni 1567. cùm iam omnia magis cõciliata viderentur; inter Bachanalia illius tempeſtatis, vocati ſunt ad conuiuium à quibuſdam confœderatis Nobilibus, & Rex, & Regina, quæ infantulum Principem nondum bimum, ſimul videbatur allatura.

15 Illa verò ſiue, quòd perfidis hominibus aſſueta, nonnihil tale ſu-
ſpicaretur: ſiue, quòd valetudinis ratione,curaq́; infantis Principis,aut
alia quauis cauſſa, auocaretur, ſubitò ab illo conuiuio abſtinuit: atque
aliò ſe interim remotiùs contulit.

16 Eadem nocte confœderati,puluere tormentario, domum ipſam,&
cubiculum,in quo Rex erat dormiturus,euertendum curauerunt. Itaq;
cum exacto conuiuio, Rex dormitum abijſſet, ſoluſq; iam cum famulo
cubiculario verſaretur, ſiue quòd priùs è feneſtra deſilierit, tale quid
præſentiens, ſiue quod ſimul cum ædibus in aera ſublatus fuerit,in hor-
tum proximum elapſus, atque ibi à confœderatis comprehenſus, qui
omnia vigilantiſſimè cuſtodiebant,inter ipſorum manus ſuffocatus eſt.]
Proſequamur ex præfato libello Proditionis,&c.

17 Cuius quidem ſceleratæ cupiditatis immanitatem,non ita multò
poſt ijdem, poſt effracta ſemel mentis, ac conſcientiæ repagula, Scoti
perduelles in Reginam ſuam denuò exercuerunt. Quam poſt mariti
noui Regis obitum captam, Angliæ Reginæ tradunt,non ſolùm propter
hæreditarium quoddam odium inimicę, ſed etiam ob diuerſum Religio-
nis ſtudium infenſiſsimæ.

18 Omnem porrò iſtius captiuitatis perſequutionem, ærumnarum
progreſſum, quas optima Regina per nouemdecim annos pertulit, &
mortis crudeliſſimæ hiſtoriam,quam ſuſtinuit, deſcripſit Nicolaus San-
derus lib. 3. de Schiſmate Anglicano. ex quo hæc pauca excerpſimus, &
citantur in concertatione Eccleſiæ Anglicanæ.

19 Maria Stuarta Scotorũ Regina, cùm multa, vt dictum eſt,fanda,
& infanda ab Euangelicis ſubditis ſuis pertuliſſet: Eliſabethæ Angliæ
Reginæ blandis litteris, nuncijs, muneribus, in Angliam inuitata,pro-
miſſoq; militum præſidio, quò in Regnum reſtitueretur, adducta, fide
publica accepta, in Angliam profecta eſt.

20 Sed non ita multò poſt ingreſſum, traditur nobiliſsimo Comiti
Sallofuenſi ſeruanda: apud quem, propter conſtantem Catholicæ fidei
confeſsionem,duriùs ſemper tractata fuit.Sed maximè poſtremis diebus
alijs cuſtodibus difficilioribus tradita,varijs,& indignis modis agitata,
ac calumnijs indigniſsimis impetita,vitam parum iucundam ad multos
annos duxit.

21 Quæ, cùm Princeps fuerit, nec legibus, Regibuſque Anglicanis
obnoxia:tamẽ(quòd Principibus exteris, Regumq; omnium Oratoribus
permittitur) vt auito more Deum coleret, Sacerdotemq; haberet, qui
ſacrum faceret, & Sacramenta adminiſtraret,nullo modo conceſſum eſt:
quare magis, quàm exſilio, aut carcere, aut calumnijs aduerſariorum
affligebatur. Vbi & illud permirum, ac planè barbarum extitit:quòd
Regina cùm fuerit, & omnium mortalium Eliſabethæ ſanguine con-
iunctiſſima, atque ab illa in Angliam,ita vt cõmemorauimus,inuitata,

num-

numquam tamen, licèt id obnixiſsimè ſæpè poſtulaſſet, vel in colloquiũ, vel in conſpectũ ipſius venire, his decem & nouem annis fuerit permiſſa.

22 Nec mirum ſanè hoc videri debet, ſi vel Eliſabethæ crudele ingenium, & conſilium iam ſuſceptum, ſiue Leceſtrij, & ſociorum, in peſtilentiſſimis ſtabiliendis, ac propagandis hæreſibus obſtinatum animum, ſiue immane odium, quo ſanctiſsimam Reginam, ob fidei Catholicæ conſtantiam, proſequuti ſunt, attendas. Nam illa, de ſolio ſuo confirmando, vitaque tuenda, (quam iuſtis ex cauſsis in magno diſcrimine arbitrabatur verſari) ſollicita, ob barbaram Reginæ Scotiæ tractationem, crudelemque Scotiæ, & perturbationem, & deuaſtationem: tum ob ſeditiones, & tumultus ſubditorum, contra potentiſsimos Reges Hiſpaniarum, & Galliarum, ſuo, ac Oratorum ſuorum conſilijs, excitatos, id vnicè expediuit, vt Regina Scotiæ, quam vinculis iam haberet conſtrictam, quacumq; tamdem ratione, è medio tolleretur: exiſtimans miſera, ſe tunc futuram ſecuram, ſi illam ſepultam cerneret, quam ſibi aliquando ſucceſſuram, ope, & auxilio Chriſtianorum Principum timebat. Leceſtrius etiam, Cęcilius, & reliqua turba orbis perturbatorum, cùm optimam Principem ad perfidas ſuas partes pertrahere, aut animũ planè Heroicum, hæreſeos veneno inficere non poſſent, tum demum in apertam rabiem conuerſi, & optimam Reginam Scotiæ à cõſpectu Eliſabethę arcere, & crudeliſsimæ neci dare ſtatuerunt.

23 Quod vt in ſpeciem iuſtius præſtarent, viri ad fraudes nati, miras excogitarunt coniurationes, in Principem ſuam, à Sereniſſ. Regina Scotiæ, eiuſq; amicis ſuſceptas: quòd, ſcilicet, decreuiſſent, Eliſabetham de ſolio ſuo deturbare: Catholicam Religionem, relicto crudeli Caluiniſmo, in Inſulam reuocare; & id genus alia, quæ aliter quàm vanis quibuſdam litteris, more Caluiniano fictis, & excogitatis, probari non poterant: quæ tamen Leceſtrio, eiuſq; ſocijs (quibus nec conſcientia eſt, nec religio, per ſummum ſcelus, Principes trucidare, eorumq; ditiones per tyrannidem inuadere) iuſtæ ſatis videbantur.

24 Ergo Catholica, ac Sereniſſima Maria Scotię Regina, in arce Northamptonię Fotheringamo, die 8. Febr. iuxta veterem annorum ſupputationem, impiæ Eliſabethę, ſeu Iezabelis Anglię aſſertę Reginæ imperio, ſecuri percuſſa eſt: ætatis ſuæ anno 44. à nece Regis ſui mariti, 20.

25 Ecce, Lector prudens, per quam vaſſallorum verſùs ſuos Reges Scotos obedientiam legitimam, ac ſolemnem ſubiectionem, Reformata religio, quam (ſi dijs placet, immò quia dijs talium gentium placet) Rex Anglię, & Scotię vocat, in ſuã Scotiã Diuino planè miraculo introducta eſt: vt ipſe aſſerit. Miraculo? immò abſq; miraculo: ea enim Ariſtoteles non nouit, nouit tamen ἑνὸς ἀῤῥήτου δοθέντος, πολλὰ συμβαίνει. Eo enim admiſſo abſurdo, vt ſubditi contra Reges ſuos legitimos, & naturales, iuſtos, pacificos, Catholicos rebellauerint, eoſq; nedum coëgerint in

ordinem, verùmetiam vnius ambitioſi nothi,& alterius crudelis fœminæ aſſertæ Principis efficacitate, ac proditione,trucidauerint, nihil eſt mirum populum Scotiæ fuiſſe miſerè diſsipatum.

26 Ecce qua præeunte in Regno Scotię cum vtroq; parēte rerum Cataſtrophe, communem, & quæ ad ius, dignitatemq́; pertineat omnium, non modo Regum, ſed aliorum etiam quibuſcumque ſuprema eſt à Deo rerum Ciuilium demandata poteſtas, cauſſam agit Angliæ Rex; eos vt expergiſciſcantur exhortatus,dū tempus eſt:neque ſinant ſomno diuturniori,incidi in ſingulis, ad ruinā vniuerſorum, auctoritatis ſuæ neruos. Quaſi noui Gregorij Apoſtolus inſonuerit auribus. [Tu verò vigila;opus fac Euāgeliſtę.]vel quaſi de ipſo ſolo Gręcus decātauerit Poeta: Ilia.β.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

27 Supplicamus ergo conſiderari, quæ nam ex ijs Conſequutionibus ab Ariſtotele fuiſſet quaſi legitima admiſſa? in lib.prioris Analyſeos. Eccleſiaſtica vigente in Scotia diſciplina, ac fide Catholica conſeruata, Pontifice Romano,pro Chriſti Domini Vicario, ſicuti reuerà eſt, habito, ſubditi Scoti ſuorum erant Regùm dicto obedientes: Reges in alta pace degebant: ac pro patribus Regibus,Reges filij ſub eadem vitæ tranquillitate naſcebantur: Contra: Hæretica Caluiniſtica,&c. in Scotia introducta apoſtaſia, fide Catholica violata, Pontificis Romani auctoritate negata, ſubditi Scoti à ſuorum ſe Regum obedientia ſubduxerunt: Reges, inteſtinis eorum agitati motibus, non ſolùm in pace, ſed neque in bello viuere permiſsi ſunt, ſed ſuorum fuere vaſſallorum manibus, vel auxilio,conſilio, ope, & opera trucidati: ſucceſsiſſe verò in Regio Scotiæ ſolio,in trucidatorum ſuorum parentum locum,Iacobum VI. Diuino planè miraculo effectum eſt: cùm ſemel, iterùm, & tertiò,de ventre etiā matris Reginæ, fuerit ab Hæreticorum inſidijs, & manibus liberatus: Ergo: A ſupremi Pontificis Romani auctoritate,quam vt Eccleſię Caput in Reges Chriſtianos habet,& à Catholicis ſubditis,eſt à Regibus timēdum; vel, Ergo: A ſubditis Hæreticis, Caluiniſtis, &c. eſt à Regibus formidandum.

28 Sed tempus iam nos admonet,vt qualis ſit doctrina Eccleſiaſtica, ſubditis Regum,ac Principum iniuncta:circa obedientiam ipſis præſtandam, breuiter proferamus.

Catholicorum doctrina circa Regum miniſterium,& poteſtatem.
Cap. XLVII. §. 1.

HABENT Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, & eius ſummus Pontifex, & vniuerſè omnes Eccleſiaſtici Paſtores & Doctores Chriſtum Dominum Regem Regum,& Dominum do-

mi-

minantium, pro pace ſua propria: eum vt Deum pacis, & non diſſenſionis venerantur: vnde neque in rebus geſtis, neque in doctrinis, neque in dictis ab eis, vel à Catholicę fidei profeſſoribus verendū eſt, vt ex ea aliquid iniuſtū, contra Reges, Principes, ſeu ſeculares Poteſtates moliātur. Doctrinam Euangelicam, & Apoſtolicam de Regum, ac Principum miniſterijs, vbicumque reperiantur, honorandis, in ſuperioribus ſæpius commemorauimus. Interim videndū omninò, qua pietatè, ac grauitate ſimul cum animorum demiſſione, egerint Concilia, Pariſienſe habitum de anno 829. ſub Ludouico, & Lothario Imperatoribus, lib. 2. c. 2. 3. 4. & 5. & Moguntiacenſe de anno 888. celebratum. Et in illo Pariſienſi c. 2. commendatur Iſidori ſententia, ſupra integrè allata ex Grat. 23. q. 5. Principes. & innuitur ibi, ex natura legis Euangelicæ, ac intra Eccleſiā, Poteſtates haud fuiſſe neceſſarias: niſi, vt quod non præualet Sacerdos efficere, per doctrinæ ſermonem, Poteſtas hoc ſecularis, per diſciplinæ terrorem, exſequatur.

2. Exſtat in Concilio 4. Toletano c. 74. vel ex noua Edit. 75. inſignis doctrina, de Regibus debita ab omnibus ſubditis Eccleſiaſticis, ſiue Laicis veneratione, ac fidelitate: digna certè quę legatur ſemel, iterùm, & tertiò: ſicuti ſtatuto, decreto, & Anathemate, primò, ſecundò, & tertiò repetitis, Patres de prædictis obſeruandis conſtituerunt. Immò eo tempore, eaque occaſione Eccleſiaſtica tam graui lege, de tanti ponderis cauerunt negotio, cùm Rex Semithilana propriorum conſcius ſcelerum, indeq; ſibi metuens, ſeipſum regno priuauit, eiuſque poteſtatis faſcibus, vt Patres ibi loquuntur, exſuit.

3. Attamen ne creſcat hic Tractatus immensè, ſufficiat, citaſſe loca, quæ videant, quicumque de Chriſtiana meriti benè pietate, contra præfatos Hæreticos, qui dominationem ſpernentes, Dominationes à ſummi Pontificis, & Eccleſiæ obedientia ſeparantes, eis verbis ſolùm, ac in ſpeciem adulantur. Ergo viden. ex Græcis. Canon. Apoſtol. 84. Clemens Conſtit. Apoſt. lib. 4. c. 12. & lib. 7. c. 17. Dionyſ. Areopag. de Diuin. nom. cap. 12. Ignatius Epiſtol. ad Smyrnen. & Epiſt. ad Antiochenos. Iuſtinus Orat. ad Antoninum Pium. Theophilus Antiochen. lib. 1. ad Autolicum. & lib. 3. Irenæus. lib. 5. c. 24. Origenes lib. 9. in Epiſt. ad Rom. Euſeb. lib. 4. Hiſt. cap. 14. Baſilius in Moral. cap. 79. Didymus Alexandrinus in 1. Epiſt. Petri. Gregor. Nazianz. Orat. 17. ad ciues Nazianz. graui timore percuſſos. Epiphanius hæreſi 40. Gregorius Nyſſenus Orat. aduersùs eos, qui ægrè ferunt reprehenſiones. Ioan. Chryſoſtom. Homil. in Pſalm. 148. & ad c. 13. Epiſt. ad Rom. Hom. 23. Cyrillus Alexandrinus de Recta in Deum fide ad Theodoſium Imperatorem. Iſidorus Peluſiota libr. 2. Epiſt. 216. Theodoret. ad c. 13. ad Rom. Epiphanius Conſtantinopolitan. Epiſt. ad Hormiſdam P. M. Procopius Gazæus ad Exod. illud c. 12. Dijs non detrahes. Maximus Serm. 9. Ioan. Damaſcen. Orat. 1. de Imaginib.

Photius apud Oecumen. & ipſe Auctor ad cap. 13. Epiſt. ad Rom. Theophylactus, & Theodulus ibidem. Simeon Metaphraſtes de S. Melania. Euthymius ad Pſal. 148. & Præfatione in Panopliam. Demetrius Cydonius de Contemnenda morte. Ieremias Conſtant. Reſpon. 1. c. 16.

4 Ex Latinis Auctoribus videndi, Martialis Epiſtol. ad Tholoſanos. c. 8. Tertullianus ad Scapulam. c. 2. & in Apologet. c. 30. & 31. & de Idololatria. c. 15. Cyprian. de Baptiſmo Chriſti. &c. & lib. 3. Teſtimoniorũ ad Quirinum. c. 38. Ambroſius ad c. 5. Lucæ. Optatus Mileuit. lib. 3. Hieronym. ad c. 3. Epiſt. ad Titum. Auguſtinus Epiſt. 48. & 54. de Ciuit. Dei. lib. 5. c. 21. & in Expoſition. quarumdam Propoſitionum ex Epiſt. ad Roman. Propoſ. 72. & 74. & lib. 3. Confeſſ. c. 8. Innocentius I. Epiſtol. 2. ad Exuperium. cap. 3. Leo I. Epiſt. 82. Sedulius ad c. 13. ad Rom. & ibidem Primaſius, Haymo, Anſelmus, & Bruno Carthuſianus. Gregorius Magnus in lib. 1. Reg. c. 10. & lib. 4. Epiſt. 52. & lib. 7. Epiſt. 120. Iſidorus Hiſpalẽ. lib. 3. de Summo bono. c. 49. Concil. Toletan. 6. c. 13. & Concil. Tolet. 12. c. 1. Beda ad c. 12. Marc. Alcuinus Præfat. in lib. de S. Trinit. ad Carolum Magnum. Prædictum Concil. Pariſien. libr. 2. c. 8. Concil. Meldenſe c. 15. Remigius ad Pſalm. 88. Altercatio Eccleſ. & Synagog. c. 13. Radolph. Flauiacen. lib. 3. in Leuit. c. 4. Petrus Damian. Epiſt. ad Carolum. & Epiſtol. ad Henricum Regẽ. Radulphus Ardens Domin. 23. poſt Trinit. Iuo Carnoten. Epiſtol. 241. & 250. Hugo Victorinus de Sacram. fidei. libr. 2. Part. 2. c. 8. & 9. Bernardus Epiſtol. 170. Petrus Bleſen. Epiſt. 80. Ioannes Saliſberien. lib. 4. Polycratici, de Curialib. nugis. c. 2. & lib. 6. c. 24. Guillelmus Pariſien. lib. 1. de Sacramentis. Alex. Alenſis. 3. p. q. 137. memb. 3. Iacobus Vitriacus Domin. in Sexageſima. Albertus Magnus 2. Sentent. diſt. 44. Thom. Aquinas, ſeu Auctor Opuſcul. de Regimin. Princip. libr. 1. c. 8. & lib. 2. cap. 15. Bonauentura lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia. Par. 2. Iacobus Genuen. Domin. 23. poſt Trinit. Serm. 3. Durandus à S. Portiano 2. Sent. diſt. 44. q. 3. Petrus Bertrandus Tractatu de Origine, & vſu Iuriſdictionis. Thomas Argentinen. 2. Sent. d. 44. q. 1. Art. 4. Ioan. Gerſon. in Compendio Theologiæ. in expoſitione 5. Præcepti. & in Regulis moralibus. de Auaritia. Laurentius Iuſtinianus de Triumphali Chriſti agone. c. 12. Aeneas Syluius Libello de Aulicorum miſerijs. Dionyſ. Carthuſianus ad c. 22. Matth. & ad c. 13. Epiſt. ad Rom.

5 Hi omnes Patres, & Scriptores miro in præfatis locis conſenſu, Maieſtatem Regum, Principum, immò quorumcumq; imperantium extollunt: docent eis omnem eſſe honorem exhibendum, tributa pendenda, exſoluenda vectigalia: eis auxilio, conſilio, fauore ab omnibus adſtandũ eſſe ſubditis: vt quietam, & pacificã vitã, iuxta Pauli Apoſtoli vota, omnes in Republica agant; quorum Scriptorum, ac Patrũ dicendi ſtilus quantum diſtet à ſtilo loquendi, ac docendi præfatorum audacium, præſumptuoſorum, ac impiorũ Sectatiorum, facilè conſiderabit Lector, ma-

nua-

nualique praxi experietur, quænam verſetur differentia inter eos Scriptores,qui ad agendum de ſacra Regum , ac Principum Maieſtate in ſu perbo ſpiritus perduellis,iam ab ipſo ſecundo ſuæ creationis inſtante, atramento,atra mente,calamum intinxerunt,& eos,qui donorũ Spiritus ſancti participes,de eadem Regia Maieſtate diſputarunt .

6 Attamen quia dictũ eſt,in Eccleſia,eiuſque ſummo Pōtifice Romano reſidere poteſtatē, abdicādi Reges,& Principes Chriſtianos: cùm illud poſtulauerit Euangelij,ac Regularis Eccleſiæ diſciplina:vt quo modo ſit intelligendum,hanc Principū obedientiam, cum Eccleſiæ illa poteſtate, eiuſque exercitio conuenire, ſequenti Capite quædam communiora apponentur,vt ad peculiaria poſteà veniamus.

De Eccleſiaſtica diſciplina, circa conuerſationem cum Hæreticis, & Excommunicatis vitandam. Cap. XLVIII. §.1.

QVID in ſacra noua Pagina de hoc ſit diſpoſitũ,diximus cap. 43. §. 12.& 13. quòd ſi quæ Eccleſiaſtica deinceps docuerit diſciplina , de Hæreticis , ac Excommunicatis vitandis,cōſulamus, Apoſtolorũ Can.45.ſic decretũ eſt: [Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui cum Hæreticis,vel ſolùm comprecatus eſt,ſegregetur. Si autem illis,tamquam Clericis aliquid operari permiſerit,deponatur .] Quo loco notanda eſt Balſamonis expoſitio : [Comprecari, ait,eſt,ſimpliciter communicare , & in Hæreticorum preces mitiùs affectum eſſe : eos enim tamquam exſecrabiles habere, nec eis familiariter vti debemus.] Conciliũ 1.Nicæn. idē ſtatuit Can. 5. Antiochen.Can.2. Laodicen.Can.33.Eliber.Can.13. Arelat.2.Can.8.& in Epiſt.Sardicen. Concilij ad omnes Epiſcopos . vbi Patres complura Diuinæ ſcripturæ teſtimonia, quibus fidelium communio Excommunicatis interdicitur , adducunt.Et Toletanum 1.Canon. 12.& 15. Aquiſgran. Can. 75. Antiſiodoren.Can.38.& 39. Bracharen.1.cap.33.Pariſinum 1.cap. 7. Cæſaraugustan.cap.5.& Turonen.2.cap.9.Triburien.cap.11. quod Nicæni , & Antiocheni , & Callixti Pontificis decreti mentionem facit . Et Canon. 9. Concilij apud Palatium Vernis ſub Pipino Rege, ad annum Domini 755.celebrati . Denique de hoc videndus Gratianus tota Cauſſa 11. q. 3.vbi copioſa adducit teſtimonia,idem confirmantia .

2 Habentur etiam innumera ferè ſummorum Pontificum ſimilia Decreta. Quòd ſi antiquiſſima repetamus , Clemens Romanus ſucceſſor Petri 3.& ipſius vberibus,vt ait Origenes,ablactatus,ad fugiendam Hæreticorum communionem,fideles adhortatur,lib.6.Conſtit.Apoſt. Cap. 13. 18.& 27. Sequenti ſeculo Callixtus in Epiſt.ad Galliarum Epiſcopos , quam penè integram in ſuis Collectaneis habent Gratianus vbi ſupra,

pra,Polycarpus, Anſelmus, Burchardus,& Iuo. [Cum excommunicatis, inquit,nullus, nec in oratione,aut cibo,aut potu, aut oſculo communicet:nec,Aue,eis dicat: quia quicumque in his, vel alijs prohibitis ſcienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apoſtolorũ inſtitutionem, & ipſe ſimili excommunicationi ſubiacebit.] Fabianus mirabili electione,vt eſt Auctor Euſebius lib.6.cap.20.Callixti in eadem Petri ſede ſucceſſor,Epiſt.1.cuius pars eſt apud Gratianum,Capite,Sicut.11.q.3.idem docet, ex Apoſtolorum traditione. Gelaſius, qui fidei zelo, ac doctrinæ præſtantia in Eccleſia excelluit, legendus in Epiſt.ad Anaſtaſium Auguſtum.& Epiſt.ad Euphemianum.& ad Epiſcopos Dardaniæ.Similis Callixto Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem Imperatorem, hanc eamdem Apoſtolicam doctrinam tradit:quam refert Gratianus c.3. diſtinct.72.

3 Ex antiquis Patribus plura poſſent addi ſimilia documenta, ſed omninò audiendus eſt Tertullianus apud Latinos, libro de Præſcript. aduersùs Hæreticos. cap. enim 30. loquens de Martione, & oſtendens Eccleſiæ communione,ob hæreſim, priuatum fuiſſe: [In perpetuum, inquit,diſſidium relegatus eſt.]& lib.1.ad vxorem.cap.3.ab omni fraternitatis conſortio excommunicatos arcendos eſſe, dicit: confirmans id Apoſtoli doctrina 1.ad Corinth.cap.3.&cap.12.de Præſcription.&c. ſic habet:[Apud Hæreticos omnia extranea ſunt,& aduerſaria noſtræ veritati:ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam,ab inimico Domini ſui,ſperat?Quis miles ab infœderatis,ne dicam ab hoſtibus,donatiuum,& ſtipendiũ capiat: niſi planè deſertor,& tranſfuga, & rebellis? Nemo inde inſtrui poteſt, vnde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur,à quo contenebratur.]

4 Leo item Apoſtolico ſpiritu præditus, ita concionatur Serm. 28. de Paſſion. Domin. [Viperea Hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune ſit cum eis,qui Catholicæ aduerſantes fidei, ſolo ſunt nomine Chriſtiani.] Cyprianus lib.1.Epiſt. 3. propè finem ſic prædicat: [Declinent autem fortiter,& euitent dilectiſſimi fratres noſtri verba,& colloquia eorum, quorum ſermo, vt cancer ſerpit.] & item; [Nulla cum talibus commercia copulentur: nulla conuiuia, vel colloquia miſceantur: ſimuſquè ab eis tam ſeparati,quàm ſunt illi de Eccleſia profugi.]& rursùs:[Nulla ſocietas fidei,& perfidiæ poteſt eſſe:qui cũ Chriſto nõ eſt, qui aduerſarius Chriſti eſt,qui vnitatis,& pacis inimicus eſt,nobiſcũ non poteſt cohærere.]Habetur autẽ apud Athanaſium in vita Antonij,illum Magnum Abbatem, & inſignem Chriſti Eccleſiæ columnam, numquam Hæreticis amicabilia verba dixiſſe: diſcipulis verò etiam præcipere ſolitum, ne propè Hæreticos quidem accedendum: non ſecùs, ac propè eos accedere formidamus,qui peſte laborant. Eſt enim hæreſis peſtis in primis pernicioſa; adhæret verbis, adhæret libris, ſolis colloquijs inſpiratur.

5 Ex

5 Ex Græcis Patribus legendus eſt Gregorius Nazianzenus Orat. in funere patris;vbi Nonnam commendat,quòd,ne coacta quidem,domum Idololatrarum conſpicere ſuſtinuerit. Item,& Baſilius ipſe,ad quem eam Orationem habuit Nazianzenus, in Epiſt. ad Patrophilum. vbi ſcribit copioſè de eodem argumento.

6 Et omiſſis exemplis eorum Patrum, qui nimij, ac indiſcreti huius diſciplinæ zeli fuere ab Eccleſia notati: vt conſtat in Meletio, ab Euſebio aliàs commendato,lib.7.Hiſtor.Eccleſ.cap.vltimo,qui ſe ab Eccleſiæ communione ſeparauit:ex Epiphanio lib.2.tom.2.c.68.& cũ S.Petro Alexãdrino communicare noluit,eo nomine ſolùm, quòd is communionem eis dediſſet,qui in perſequutione Diocletiani ceciderant: Similiter in Lucifero Calaritano, vitæ innocentiſſimæ, & fidei integerrimæ Epiſcopo, vt ex Theodoreto,Socrate,& Sozomeno habetur,& eius præcipuè operibus elucet:denique qui fuit vir tantus, vt à Hieronymo in Dialog. etiã poſt Schiſma Beatus appelletur, & honorificis celebretur encomijs: qui tamẽ Schiſma,in Eccleſia fecit: quia Epiſcopos,qui Arimini ceciderant,poſt eorũ reſipiſcentiam,& dignam pœnitentiã communicaret.His, inquam, omiſſis, qui nimiùm emungentes Eccleſiaſticam diſciplinam, Schiſmatis ſanguinem elicuerunt,ſuppetunt exempla Athanaſij Alexandrini in Eccleſiaſticis Hiſtorijs notiſsimi, in Arianorum toleranda communione inexorabilis: Apollinaris, & Catholicorum, Montaniſtarum conuerſationem deuitantium: de quibus Euſeb. lib.3.Eccl.Hiſt. cap. 15. Origenis etiam Pauli Hæretici communione ſe ſubducentis: de quo idem Euſeb.lib.6.cap.3.

7 Hunc Eccleſiaſticum Canonem, vtpotè in Eccleſia antiquiſſimum, Dionyſius Alexandrinus,referente eodem Euſeb. lib.7.cap. 6. ab Heraclea Epiſcopo accepiſſe ſe ſcribit, nempe vt eos, (cùm eſſent accuſati, qui conſuetudine cuiuſpiam eorum, qui alienam, & diuerſam à fide doctrinã tuebantur,multùm vſi fuiſſent:) ab Eccleſia eijceret. Iuxta quem eumdẽ Canonẽ, Marcellus Ancyræ Epiſcopus Catholicus, neque Synodo Tyrenſi, neque Ieroſolymitanæ, neque conſecrationi magni templi à Conſtantino ædificati intereſſe voluit,ea ſola cauſſa,vt Arianorum Epiſcoporum vitaret communionem: vt teſtatur Sozomen. lib. 2. Hiſt.cap. 31. Narrat Athanaſius de ſuis Alexandrinis Catholicis, qui quidem optabant,ægrotare potiùs,& periclitari ſinè viſitatione, quàm,Arianorum manus ſuis capitibus imponi,ſuſtinere. Quorum plebeij quidam, (vt idem in Epiſt.ad Solitar.vitam agẽtes,ſcribit,)cùm ab Arianis verberibus compellerentur, vt eorum ſequerentur communionem; [Non communicamus(reſpondebant)cum Hæreticis:verberate,vt lubet: Deus ob iſta vos iudicabit.] Quibus addendũ eſt exemplum notandum, apud Pratum Spirituale,(qui liber eò quòd Sophronio dicatus ſit,eius nomine circumfertur,& præter antiquorũ Patrum commendationes, à ſextæ

Sy-

Synodi generalis à Patribus honorificè citatur,)c.177. de Monacho,qui in Euagrij cellula Hæretici habitare præſumens, paulò poſt,fune ſe ipſū ſuffocauit. Vltimoque referemus,quod primum,& mirandum,ac memoriæ perpetuò commendandum eſt,exemplum Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ : qui in balneum intrare,vbi ſe Cerinthus Hæreticus lauerat,recuſauit. Eccleſiaſticæ verò diſciplinæ conſeruatrix Hiſpania, de hac Excommunicatorum conuerſatione vitanda , lege etiam Regia 34. tit. 9. Part. 1.conſultiſſimè,ſicuti,& Catholicè cauit.

8 Ergo Euangelica lege,& Apoſtolorum doctrina,immò, & ea quam ex Concilijs,ex ſummis Pontificibus,ex Patribus,etiam quæ in iuris corpore habetur,conſiderata prudenter per Iuris prudentiſſimum, ac pijſſimum Epiſcopum Couarruuiam,ſuper cap. Alma mater.§. 1. num. 1. ſic ſcripſit:[Hinc deducitur, cōmunionem cum Excommunicatis, prohibitam eſſe iure Diuino legis Euangelicæ . Id patet ex dicto c.Matthæi 18. & ex alijs Pauli , ac Ioannis Apoſtolorum locis . Hanc opinionem tenet Coſmas in Pragmatica Sanction.tit. de Excōmunicat.&c.verbo.niſi. Felin. poſt alios in cap. Nulli.de ſent. excomm. & Theologi , qui noſtra ætate aduersùs Lutherum ſcripſere. Illud tamen eſt in hac re obſeruandum:lege Euangelica prohiberi communionem cum Excommunicatis in his, quæ ad Diuina pertinent : in alijs autem prohiberi lege humana . Etenim in Euangelio illa communicatio prohibetur , quæ verè, & propriè Chriſtianorum eſt,& ſpiritualia reſpicit: & ſic illa,quæ circa Diuina contingit,Auctore Thoma,in Addition. ad 3. Part.q.23.Art.3.Igitur communicatio in Diuinis,eſt cum excommunicato prohibita,lege Euāgelica,non in alijs:ſicuti adnotarunt Ioan. Maior. in 4. diſtinct. 18.q.4. & Driedo in lib.de Libert.Chriſtiana.pagina 137.Huc pertinent multa, quæ in præcitatis paulò antea locis,frequentiſſimè à viris ſanctitate, & doctrina celebratiſsimis traduntur]Hactenùs Couarruuias .

9 Diſtinctionem hanc de communicatione in Diuinis, vel in reliquis Ciuilibus.&c.admittunt,& ſequuntur Doctiſsimi Theologi, & Iuriſprudentes poſteriores: cui & nos accedimus;& miramur, Doctum aliàs , & Nobilem quemdam Hiſpanum,admiſſa diſtinctione hac, aſſerere,à dicto Epiſcopo falsò adduci pro ea approbāda D.Thom.eo loco allegato:cùm clara ſit littera hoc affirmans,tam in corpore Articuli,quàm ad 1.& 2. argum. immò potuiſſet etiam citari S. Thom. 2. 2. q.12. art.2. vt inde,ſi bene intelligatur , Couarruuiæ diſtinctio confirmetur . Hac doctrina præuia, quietantur animi tot Catholicorum , qui inter Hæreticos degunt,ab illorum oppreſsi tyrannide: intelligant enim cum Hæreticis in Diuinis nullo modo eſſe communicandum , neque in illorum hæreſis crimine,neque in contemptum Eccleſiæ . In reliquis,veluti Ciuili tractatu, & conuerſatione , & quæ ad Rempublicam pertinent cœtibus , ſeu congreſsibus adeundis,dummodo non ſint tales,qui ſint hæreſis,& eius con-

feſsionis,proteſtatiua ſigna,(tunc enim idem eſt,ac de prædictis Diuinis iudicium ferendum) agere,& conuenire cum Hæreticis haud iure Diuino Euangelico prohibentur:ſed Canonico poſitiuo.

10 Hic videtur ſimilis caſus expreſſus hoc confirmans, & doctrina clara Apoſtoli Pauli, 1.ad Corinth.cap. 5. [Scripſi vobis, inquit, in Epiſtola:Ne commiſceamini fornicarijs:non vtique fornicarijs huius mundi,aut auaris,aut rapacibus,aut Idolis ſeruientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exijſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri,ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator,aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus,aut ebrioſus,aut rapax:cum eiuſmodi,nec cibũ ſumere.] Vbi omiſſo,de qua Epiſtola faciat mentionem Apoſtolus: videtur enim aliam Corinthijs ſcripſiſſe,quæ perierit: quia hoc nihil ad ſenſum: ſententia Pauli hæc eſt: Non inhibui vobis conuerſari cum fornicarijs Gentilibus,ſed ſi quis fratrum, id eſt Chriſtianorum, huiuſmodi eſt, qui nominatur, & notatur in Eccleſia tali crimine,volo vos ab illo fugere. Alioquin ſi fugiendi vobis eſſent Gentiles fornicarij, &c. ab hoc mundo e eundum vobis eſſet, qui totus plenus eſt huiuſmodi hominum.

11 Triplex igitur hominum genus diſtinguitur ab Apoſtolo, Gentilium, Chriſtianorum excommunicatorum, & aliorum Chriſtianorum: quo caſu admiſſa in his communicatione ciuili cum Gentilibus, cum fratribus inordinatè, vt alibi dixit, ambulantibus,illis prohibet commiſceri:ſed quid ſi in Regno,Prouincia, vel Ciuitate, non ſint niſi Hæretici, qui exierunt ex nobis,& Catholici? Certè,ſi à Catholicis ab Hæreticis oppreſſis,eorum eſt vitanda ciuilis cõuerſatio: oportet,ex doctrina Apoſtoli,illos de illa Prouincia,Regno, vel Ciuitate exijſſe: quòd haud eſt Euangelica lege commendatum. Et ſuccedit regula generalis de vitandis excommunicatis, hac,inter ceteras,adiuncta exceptione,vtili, & neceſſario,exceptis caſibus: qui ambo coëunt tunc temporis: cùm ex parte Catholici adſtet neceſſitas, qui alio modo viuere in loco non poteſt: ex parte Hæretici exſpectetur vtilitas; qui forſan ſancta Catholici conuerſatione motus aliquando, totius immunditiæ matrem hæreſim abiurabit.Sed vt propriùs ad noſtrum accedamus intentum,de communione ſubditorum cum infideli Principe,ex D. Thoma quæſtionem hanc ſecuriùs diſſoluamus.

Vtrum Princeps,propter Apoſtaſiam à fide, amittat dominium in ſubditos: ita quod ei obedire non teneantur? ex 2.2.D. *Th.q.*12.*Art. ſecundus integer:cum expoſitione Card.*Caiet. *Cap. XLIX.* §.1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd Princeps propter Apoſtaſiam à fide,non amittat dominium in ſubditos: quin ei teneantur obedire. Dicit enim Ambroſius, & habetur, 11.q.4.

quòd Iulianus Imperator, quamuis eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites: quibus cùm dicebat, Producite aciem pro defenſione Reipubl. obediebant ei: Ergo propter Apoſtaſiam Principis ſubditi non abſoluuntur ab eius dominio.

2 Secundò præterea, Apoſtata à fide infidelis eſt: ſed infidelibus dominis inueniũtur aliqui ſancti viri fideliter ſeruiſſe, ſicut Ioſeph Pharaoni, & Daniel Nabuchodonoſor, & Mardocheus Aſſuero: Ergo propter Apoſtaſiã à fide, non eſt dimittendũ, quin Principi obediatur à ſubditis.

3 Tertiò præterea, Sicut per Apoſtaſiam à fide receditur à Deo, ita per quodlibet peccatum. Si ergo propter Apoſtaſiam à fide perderent Principes ius imperandi ſubditis fidelibus, pari ratione propter peccata alia hoc amitterent: Sed hoc patet eſſe falſum: Non ergo propter Apoſtaſiam à fide, eſt recedendum ab obedientia Principum.

4 Sed contra eſt, quod Greg. VII. dicit Nos ſanctorum prædeceſſorum ſtatuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut iuramenti Sacramento ſunt conſtricti, Apoſtolica auctoritate à Sacramento abſoluimus; & ne ſibi fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibemus, quouſque ad ſatisfactionem veniant: (habetur 25. q. 6. cap. Nos ſanctorum.) Sed Apoſtatæ à fide, ſunt excommunicati, ſicut & Hæretici: vt dicit Decretalis extra. de Hæreticis. Ad abolendam. (habetur lib. 5. tit. 7. cap. 9.) Ergo Principibus Apoſtantibus à fide non eſt obediendum.

5 Reſpondeo, dicendum, Quòd ſicut ſupradictum eſt, infidelitas ſecũdùm ſe ipſam non repugnat dominio: eò quòd dominium introductum eſt de Iure gentium, quod eſt ius humanum. Diſtinctio autem Fidelium, & Infidelium, eſt ſecundùm ius Diuinum: per quod non tollitur ius humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans, poteſt ſententialiter ius dominij amittere: ſicut etiam quandoque propter alias culpas. Ad Eccleſiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis, qui numquam fidem ſuſceperunt: ſecundùm illud Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 5. Quid mihi de his, qui foris ſunt iudicare? Sed infidelitatem illorum, qui fidem ſuſceperunt poteſt ſententialiter punire: & conuenienter in hoc puniuntur, quòd ſubditis fidelibus dominari non poſſint. Hoc enim vergere poſſet in magnam fidei corruptionem: quia, vt dictum eſt, homo Apoſtata prauo corde machinatur malum, & iurgia ſeminat, intendens homines ſeparare à fide. Et ideò quàm citò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus, propter Apoſtaſiam à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

6 Ad primum ergo dicendum, Quòd illo tempore Eccleſia in ſui nouitate nondum habebat poteſtatem, terrenos Principes compeſcendi: & ideò tolerauit, fideles Iuliano Apoſtatæ obedire in his, quæ nondum erant contra fidem: vt maius periculum fidei vitaretur.

7 Ad ſecundum dicendum, Quòd alia ratio eſt de infidelibus alijs,

qui

qui numquam fidem ſuſceperunt ; vt dictum eſt.

8 Ad tertium dicendum, Quòd Apoſtaſia à fide totaliter ſeparat hominem à Deo: vt dictum eſt ; quod non contingit in quibuſcumque alijs peccatis. Quo loco ſic habet Card. Caiet.

An neceſſe ſit, vt denunciatio excommunicationis praecedat, ad hoc, vt ſubditi ſint abſoluti à dominio excommunicati.

9 In eodē Art. circa illa verba, [Et ideò quàm citò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus, propter Apoſtaſiam à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio, & iuramento, &c.] Dubium duplex occurrit. Primum eſt, An exigatur denunciatio, ad hoc, quòd ſubditi abſoluti ſint à dominio, & iuramento?

An neceſſe ſit, vt declaretur Princeps priuatus dominio, ad hoc, vt ſubditi ſint abſoluti?

10 Secundò, ſuppoſito quòd ſic: An exigatur denunciatio talis pœnæ, ſcilicet, quòd eſt priuatus dominio, & iure fidelitatis: vel ſufficiat denunciatio cenſuræ, ſcilicet, quòd eſt excommunicatus? &c. Et eſt ratio Dubij vtriuſque ex littera, quia exprimitur denunciatio; & hoc quò ad primum; & denunciatio ſolius cenſuræ; & hoc quò ad ſecundum.

11 In oppoſitum autem eſt; quia aut ad obligationem pœnarum à iure perlatam ſententiam diffinitarum exigitur declaratio, aut non? Si non exigitur, ergo non eſt exſpectanda denunciatio: ſed quilibet, cui conſtat, Principem feciſſe aliquid, propter quod perſeuerat in excommunicatione, eſt abſolutus. &c. Si verò exigitur, ergo non ſufficit declaratio, quòd eſt excommunicatus: ſed exigitur declaratio, quòd incurrerit pœnas conſequentes.

12 Ad hoc Dubium, quamuis Canoniſtarum ſit, pro ſimplicium tamen inſtructione, & ne exſurgat ſcrupulus ſolicitans, & vexans conſcientias timoratas, dicitur: Quòd quia regulariter in pœnis, quæ non ſunt Eccleſiaſticarum cenſurarum, requiritur declaratio Iudicis, ad exſequutionem pœnarum: vt in cap. Cùm ſecundùm. de Hæreticis. in 6. habetur, & ſufficiat, vt ibidem dicitur, ſententia Iudicis ſuper crimine, ad exſequutionem: ideò indubiè tenendum eſt, & quòd exigitur declaratio, ſeu denunciatio Iudicis, & quòd ſufficit declaratio criminis, ſeu excommunicationis, cui coniuncta eſt à iure talis pœna. Tunc enim in ſuo principali, intelligitur declaratum acceſſorium.

13 Dixi autem regulariter, quia Panormit. in cap. Cùm non ab homine. extra. de Iudicijs. excipit caſum, quando factum eſt notorium, vt nulla ſit opus declaratione: & à Felino in cap. Rodulphus. de reſcrip. multa ad hoc firmandum afferuntur. Periculoſa tamen videtur mihi huiuſmodi exceptio: quia quamdiu notorium facti toleratur à Iudice, tolerandum quoque inſinuatur priuatis. Peruerſuſque ordo ſtatuitur, vt priuati teneantur facere, quod ſuperior timet attentare. Quod eueniret,

ſi Principe exſiſtente notoriè Hæretico, Eccleſia tacens vellet ſubditos illi non parere.

14 Accedit ad hæc, quod ſententia declaratoria non ſemper exigitur propter facti, aut iuris incertitudinem: alioquin quando eſſet euidentia facti abſque hoc quod eſſet notorium, non eſſet opus declaratione: quod eſt falſum. Sed exigitur propter auctoritatiuam manifeſtationem: vt quod auctoritas publica inchoauit Lege, auctoritas publica perficiat Iudice. Quo fit, vt alterum de duobus dicendum ſit, Poſt factum damnatum à iure, euidenter etiam conſtans: Aut iudicis ſententiam declaratiuam requiri: Aut notorietatem æquiparare ſententiæ declaratoriæ Iudicis. Quod quantum ad claritatem notitiæ, eſt verum; ſed quantum ad auctoritatem claritatis, neſcio eſſe, nec credo verum.

15 Puto tamen diſtinguendum inter poſſe, & debere; & quòd quando eſt ita notorium, quòd nulla poſſit tergiuerſatione excuſari, poſſit exſequutio fieri: non tamen teneantur ad exſequendum, quamdiu Iudex tolerat; vt ſic notorium facti ſortiatur effectum ſententiæ declaratoriæ, quantum ad manifeſtationem, & non quantum ad auctoritatem. Et in materia præſentis pœnæ diligenter aduerte, quòd oportet, perſeuerantiam cenſuræ eſſe notoriam: quia textus dicit, [Vſque ad ſatisfactionem, & quamdiù excommunicatus eſt.]

16 Hæc Card. Caiet. expoſitio, tam ſolidè, acutè, & prudenter D. Thomæ doctrinam interpretatur, quàm ſolidè, acutè, & prudenter ab Angelico Doctore, qui nouerat bene iura Canonica, fuit per omnia ſua membra Theologicè diſtributa, & explicata. Habemus ergo ex ſolutione D. Thom. ad. 1. diſtinctionem ſtatuum Eccleſiæ, & quid ratione cuiuſque ſtatus ſit ab illa tolerandum, vbi poteſtatem non habet ad Principes infideles compeſcendos. Quam doctrinam plures ſummi Pontifices Romani, vtpotè qui claues à Chriſto Domino nō ſolùm potentiæ, ſed & ſcientiæ habeant, rebus geſtis eſſe ſanctam, ſecurā, ac ſolidam oſtenderūt: Inter quos Ioannis P.M. & tamdem Martyris, tempore Theodorici Regis Ariani, hiſtoria eſt notanda. &c.

17 Doctrina Card. Caietani, dicimus iterùm, eſt tota aurea; & eſt quæ ſummorum Pontificum, & Eccleſiæ conſulit auctoritati: & clauium conſeruat energiam, & efficacitatem: quæ omninò ſunt verendæ, honorandæ, ſuſpiciendæ, & exſpectandæ: ne tumultus, illis contemptis, vel non exſpectatis, in populis alijs fiant: quibus haud facile iudicium de ſuorum Principum delictis eſt deferendum. Et qui Doctores hac procedunt via, Sedem Apoſtolicam tutiùs venerantur: docentes ab illius exſequutione iurium Canonicorum eſſe exſpectandum, quod alij minùs conſultè à populorum docent eſſe manibus præſumendum. Sed hæc omnia, cùm pluribus circumſtantijs, etiam moralibus, ſubiaceant, eam habent latitudinē, quæ haud facilè regulis ſpecialibus ſubijciuntur. Et Caietani

cen-

cenſura illa §.13.huius Cap.eſt notāda.Meminiſſe etiam erit operæpretium, doctrinæ illius à nobis aſſignatæ,de differentia Regulæ, & illius vſus:ſupra hac Part.cap.10.§.7.8.9.& 10.

18 Interim experientia didicimus,quoſdam ſummos Pontifices,quia tunc illud & temporis, & rerum geſtarum circumſtantiæ ſic exigebant, Principes quoſdam denunciaſſe ſententialiter excommunicatos, & ab eorum obedientiæ vinculo ſubditos exemiſſe: quoſdam alios, quia temporis,ac aliarū circumſtantiarum illud poſtulabat ratio,ab hac ſententiali abſtinuiſſe, & abſtinere denunciatione, ac vaſſallorum quaſi manumiſſione: quia lenioribus remedijs credebant, Principes Hæreticos aliàs ad mentem ſaniorem reducendos: inſuper attendentes, iuxta doctrinam D.Thom.hic ad 1.ſemper maius fidei periculum deuitandum.

19 Quo loco haud eſt ſilentio inuoluenda doctrina cæleſtis, ſancti illius Pontificis Gregorij VII. quam cū olim inchoatiuè, ex diſcretione præcipua,Regula S. P. N. Benedicti,Ordinis cuius fuerat Monachus, & ex Scriptis Paſtoralis Regulæ S.Gregorij Magni ſui Prædeceſſoris habuiſſet, vltima ſua perfectione eam hauſit,& expreſſit ex Spiritus ſancti, Romanis Pontificibus, ad Eccleſiæ regimen aſſiſtentis, magiſterio, & inſpiratione. Is ergo Pontifex lib.9. Epiſt.5. præcipiens cuidam ſuo Legato, vt reſtitueret Epiſcopos Normannos, quos aliàs depoſuerat, ne Regem Angliæ,qui in Sedē Apoſtolicam,præ ceteris Regibus,obſequentior erat, exaſperaret: & iubens, vt circa illius ſubditos mitiùs agat, ſic habet: [Rex Anglorum, licèt in quibuſdā non ita religiosè (ſicut optamus) ſe habeat: tamen in hoc, quod Eccleſias Dei non deſtruit, neque vendit:& pacem,iuſtitiamq; in ſubditis ſuis moderari procurat:& quia cōtra Apoſtolicam Sedē,rogatus à quibuſdam inimicis Crucis Chriſti, pactum inire,conſentire noluit: Presbyteros vxores, Laicos decimas, quas detinebant, etiam iuramento dimittere compulit: ceteris Regibus ſe ſatis probabiliorem,ac magis honorandum oſtendit. Vnde non indignum debet exiſtimari, poteſtatem illius mitiùs eſſe tractandam: atque reſpectu probitatis ipſius, ſubditorum, & eorum,quos diligit,negligentias ex parte fore portandas. Denique meminiſſe poteſt Dilectio Veſtra,qualiter & B.Leo Papa Neophytos, & B. Gregorius Venantium expatritium, quem ſuus Epiſcopus iniuſtè corripuerat, ſuſtinuit: & quemadmodū clementia Domini,Ioſaphat Regi Iuda,qui impio Achab auxilium præbens, iram Diuinam meruerat, indulſit.]

20 Hactenus ſummi Pontificis Gregorij propoſuimus doctrinam; ex qua colligere poſſunt Angliæ Reges,an deſtruere Eccleſias,aut vendere; contra Apoſtolicam Sedem,rogatu inimicorum Crucis Chriſti, pactum inire, ſtatus Eccleſiaſtici ſuccidiſſe cœlibatū; Laicis & decimas,& bona Eccleſiaſticorum contribuiſſe; ac tamdem Eccleſiæ Romanæ, & Chriſti IESV eius Sponſi ſcidiſſe veſtem, ſummis eius Pontificibus obedientia

negata,

negata, & ſibi ipſis eſſe Caput Eccleſiæ ſuæ Prouinciæ præſumpto: colligere, inquam poſſunt, an hæc omnia cum Regum ſuorum Maiorum, nedum qui ſanctorum Catalogo adſcripti ſunt; verùm, & cum illis, qui vt ait Gregorius, non ita religioſè in quibuſdam ſe habebant, aliqua valeant ſimilitudine cohærere. Sed adhuc pauca, quæ circa hoc ſeſe nobis dicenda offerunt, ex charitatis zelo, quo, ratione ſpeciali proprij Monachatus Benedictini, in gentem Anglicanam ducimur, in Capita peculiaria reſeruamus.

Hanc Eccleſiæ, & Pontificis Romani poteſtatem, in beneficium Regum, ac Principum Chriſtianorum cedere: declaratur. Cap. L. §. 1.

CONSIDERANDVM tamen eſt maximè, circa D.Thomæ, & Cardin. Caietan. adductam doctrinam, inter Eccleſiam, eiuſq; ſummum Pontificem Romanum, & Principes ſeculares Chriſtianos, hanc quaſi conſiſtere mutuam, ac reciprocam obligationem: vt ſicuti Principes Eccleſiæ, ſe ſuaq; ſubiecere ſceptra, in quos niſi per Baptiſmi ſuſceptionem, & in Chriſti Eccleſiæque filiorum adſcriptionem, nullum Eccleſia formaliter, & præcisè, & ſeclusis tribus illis prædictis cauſſis, de eis bello etiam impetendis, ex eodem S.Thom. ſupra relatis c. 43. §. 5. ius haberet: ſic Eccleſia Principes Chriſtianos à ſuorum vaſſallorum inobedientia, rebellionibus, ac iniurijs tueatur, ac defendat: neque patiatur omni ſuorum armorum ſpiritualium penu exprompto, contra dictos Principes Chriſtianos Chriſtianorum ſubditorum perduellionem roborari.

2 Elucent hic certè cæleſtis huius in terris Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ac Politiæ præconia; hic altiſſima, in hac ſtatus ſecularis ad Eccleſiaſticum ſubiectione, myſteria propalantur. Si enim Reipublicæ cuiuſcumque cum ſuo Rege, ſeu Principe conſtitutionem conſideremus; præmeditatis illis, quæ exſtitiſſe diximus cauſſas, homines ſub vno Duce, Principe, aut Rege conueniendi, ſtatim ſeſe offert hæc naturalis ratio: Principes ſuis ſubditis, ac illis ſubditos hac lege nedũ tacita, verùm expreſſiſſima cohærere: vt ſubditis, omni obediẽtia, ac ſubiectione ſuis præſtita Principibus, Principes omnem protectionem, ac defenſionem ſucceſſiuè impertiantur. Horum altero in altera deficiente parte, totum vt corruat obedientiæ, & imperij ædificium neceſſe eſt: quaſi fundamẽto altero, ex neceſſarijs ad illius molis integritatem, deſtitutum. Eſt enim hæc velut αὐτόχθων, indigenaq; lex Principatuum, eorumq; innata ſceptris, (ait Ariſtoteles 5.Polit.) vt ea ipſa, Rempublicam, ac Imperij ſui iura Princeps labefactans, publicis ſceleribus, ſubditorum oppreſſione,

tyrannicaq́; adminiſtratione, Corona mulctetur.

3 Romanis legibus tutor, qui in re pupillari graſſatur, officio ſuo abuſus, remoueri poteſt, accuſatione ſuſpecti: Princeps, qui populi tutor publicus eſt, ſi iniquè in officio verſetur, tutelari regimine poterit abdicari. Duodecim tabularum legibus, patronus clienti fraudem faciens, Sacer eſſe iubetur; id in Principe, vt teneat æquius eſt, quãto veriùs ille patroni totius populi gerit locum; & priuatę, vniuerſitatis totius cauſſa præſtat. Fœudiſtica prætereà lege conſtat, quibus cauſſis fœudum amittitur à vaſſallo, iiſdem, & à patrono amitti: quod cliẽtela fœudalis, pari vtrinque fide, & beneuolentia nitatur: dominuſque in omnibus vicem ſuo fœudali reddere debeat: ne ſi non reddat, malè fidus ex conſequio cenſeatur. Quòd ſi Claudij Imperatoris reſcripto, peræquè ius amittitur patronatus, liberto à patrono alimẽtis denegatis, vt libertus, iniuria facta patrono, in ſeruitutem reuocatur: certè hæc in Principe idẽ habere debent ius, quem iuramenti Sacramento, vt ei populum, ſic viciſſim populo relatio vna & eadem obligauit.

4 Igitur ſi Principum poteſtas, non qua Chriſtiani ſunt, ſed qua Ciuiles Ciuilibus præpoſiti hominum congregationibus conſideretur: quaſi inter patronos, & clientes, mutua inter ipſos, & ſubditos conſurgit obligatio: mutuum etiam Felloniæ crimen, vt ſubditi erga dominum, ſic & Domini erga ſubditum. Hinc perit ius domino contra ſubiectos, præter cum eis pacta, aliquid in eorum perniciem innouanti. Eſt enim certum in Principatus cuiuſq; erectione, nec populos creaſſe, aut recepiſſe Principes, niſi certis fundamentalibus conditionibus: quibus à Magiſtratu ſummo manifeſtè violatis, fit conſequens, illos ius eorum abdicandorum habere, qui habuerant creandorum.

5 Et quidem hæc omnia in communi, ac generali doctrina vera cùm ſint, quantumcumq; in particulari applicatione illius errare ſit facilè; ſi iam Reges, Chriſtianoſq; Principes, ſub Chriſti Euangelio, cum Ethnicis in lege naturæ conferamus, hoc ſolùm inter eos diſcriminis intercedit, quòd Chriſtiani ad iuſtè, pieq́; imperandum, multò ſunt quàm illi arctiùs obligati: ſicuti & eorum ſubditi Chriſtiani, ad illis modeſtè, ac patienter parendum, multò quàm Ethnici arctiùs obligantur. Illi à Republica, & ob publicum bonum creabantur; creantur & iſti. Illi legum erant cuſtodes, quibus ipſi etiam ſubdebantur; ſubduntur & iſti. Illi cõtempto bono publico, ad priuatum commodum omnia referẽtes, à Rebuſpublicis deponebantur, vt in Græca, & Romana, ex varijs cõſtat hiſtorijs; & apud Chriſtianos Reſpublicæ aliquando per varias prouincias, vt eſt notiſſimum, ſuos Principes depoſuerunt. Si qui ergo ſigillatim Regum voluerit percurrere iura, ratio, & natura communis omnium parens nihil Chriſtianis Regibus indulſit ſupra Ethnicos veteres Romanos, & Græcos ſingulare, ſi ſolam naturæ, & rationis legem intueamur,

& primam dignitatis Regiæ originem conſideremus.

6 At ſi ad Euangelicam legem oculos conuertamus: vbi tot ſunt præcepta diuinitùs edita, de Fide, Spe, Charitate, Iuſtitia; de vita beata, & inferorum ſupplicijs æternis; vbi Regia dignitas erroribus purgata Paganis, ad vnicam Chriſtianę diſciplinæ veritatem inſtituitur, & ad cęleſtem refertur beatitudinem; vbi nulla eſt alia in ea promiſſæ felicitatis adipiſcendæ via, niſi per Eccleſiam Catholicam; vndè Regia auctoritas in primis, debet Eccleſiæ bonum intendere, Eccleſiæ ſtatum tueri; Eccleſiæ Canones promulgare, Eccleſiæ aduerſarios expellere, Eccleſiæ ſeruandæ, propagandæ, amplificandæ omnibus modis ſtudere; quando tot ſunt vincula, obligationes, conditiones, pacta, iuramenta, de hac Eccleſia tuenda, eiuſque Catholica fide, ad extremum vitæ ſpiritum, etiam cum ſanguinis, nedum fortunarum omniū diſpendio, conſeruāda: clarum eſt, Chriſtianis Regibus tanto maiorem impoſitam eſſe iuſtè, pièq; regnandi neceſſitatē, quanto Chriſtianæ Religionis ſacra, vota, iuramēta, quantò Chriſtus Deus, vera fides diuinitùs infuſa, æterna exſpectata felicitas, magis conſcientias Regum Chriſtianorum deuinxerunt.

7 Tantæ in Regibus, & Principibus Chriſtianis versùs Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, Romanamq; Eccleſiam ſubiectioni, vt ex Eccleſiæ parte aliquod magnum reſponderet, quaſi præmium quoddam oculare, opus fuit: quò & Principes iam ipſius vniti communioni, ſuo Politico imperio ingentem fuiſſe auctoritatis, ac honoris factam acceſſionem cognoſcerent, & adhuc non vniti, ex Principum Chriſtianorum proſpera, ſui ſtatus Politici cū lege Euangelica, & Eccleſia, cōiunctione, ad fidem ſimiliter ſuſcipiendam, exemplo glorioſo, mouerentur. Ergo priuſquam Principum Chriſtianorum Regna, & Imperia Eccleſiæ, incorporarentur, erant Politica, principijs, medijs, finibuſq; continebantur, quæ naturali ab inclinatione, Gentium iure, communi hominum agendi ordine fundata, haud ſubditos arctiori ad Regna, & Principatus ſuis Regibus, ac Principibus aſſerendis, vinculo colligabant, quàm quo Politicè gubernata, inter imperantes, & parentes, Reipublicæ valeret perſiſtere diſciplina. Inferiora ſunt hæc, comparata ad Regnorum, ac Principatuum Euangelicæ legis acceptantium amplitudinem, & maieſtatē, ac illius conſeruationis directionem: tum enim ex Politicis hæc Imperia facta Chriſtiana, quicquid à natura, quicquid à Gentium iure, quicquid ab ſpeciali Nationis, Regni, vel Prouinciæ indole boni fuerunt adepta, ex noua illa ad Chriſti legē adiunctione, ijs incremētis earū omniū virtutum, ac facultatum, quæ ad ſui regiminis integritatē in eis erāt neceſſariæ, fuere aucta, vt quaſi altioris effecta ordinis, non iam Politica ſimpliciter, ſed Politica dicātur Chriſtiana, & quę priùs quaſi moles quędam erāt lapidea, vnctione Chriſtiani Chariſmatis delibuta, quaſi aula Chriſti, & domus Dei, glorioſis, ſicuti nouis titulis nuncupantur.

8 Pro-

8 Protegit igitur Eccleſia Principes, quos ſuſcepit Protectores: quos admiſit Defenſores, defendit: ſuos tuetur Tutores: nutrit Nutritios: Altores alit: quia quos populi, ac Ciuiles ſubditorum congreſſus, ſuæ priſtinæ libertatis memores, faciliùs vel fictis, vel veris acti rationibus, ac prætextibus, ſicuti inſtituerunt, forſan deſtituerent: vt ab Eccleſia, cuius iudicio, & Reges, & ſubditi ſe ſubmiſerunt, defenſos, ac protectos, veneratores Eccleſiæ, vel ſponte amant, vel verentur inuiti. Antiqua ex Ariſtotele docuit Philoſophia, eos Principes, maiori eſſe apud populos in veneratione, quos à dijs intellexerint amari: & Chriſtiana non docuiſſet lex, Chriſtianum Principem, Chriſti Eccleſiæ filium, quiq; eam, temporali qua pollet facultate, à Paganorum, ab Hæreticorum potentia, & iniurijs defendit, eſſe ſpeciali cultu à ſuis ſubditis proſequendum? Docet certè diſciplina Chriſtiana ſubditos, ad cum Principibus, etiam Politicè, agendum, eam vitæ conuerſationem, quæ eos reddit morigeros, obſequẽtes, tolerantes, quam ex communi Politicæ vitæ forma numquã expreſſiſſent: vnde Principes multò faciliùs, à tantis ſuorum munerum ſupportandis oneribus, ſubleuantur.

9 Ergo in regimine Chriſtiano, hęc ſuo ordine conſideranda veniunt. Primò, eſt ſtatus Politicus: qui, præcisè ſumptus, ijs ſubeſt regulis agẽdi inter Principes, & ſubditos, quas humana prudentia reperit: vt congregationes, ac hominum coitiones, iure Gentium, ſub vno capite, iuxta Reipublicę cuiuſq; gubernationem, vnitę, quietè, ac pacificè, & inter ſe, & cum proximis alijs quibuſcumq; Rebuſpublicis conuerſentur. Succedẽte verò, ſtatum Politicum Chriſtianæ annecti legi, ſicut noua illi obligatio, & noua itidem accreuit perfectio: vt non iam regulis Moralibus, & Politicis ſolùm, ab imperantibus, & parentibus conuerſetur: ſed ab illis, maior animorum propenſio, etiam in Politicis tractandis ſuis negotijs, ſit exſpectanda, ad horum obedientiæ præſtationem: rurſus hi ab illis, nedum iuſtitiæ vniuerſæ adminiſtrationem maiorem exſpectent, ſed &, quod Politica gubernandi non pertingebat ratio, ampliſſimam in ſubditos omnes, ſint exſpectaturi charitatem.

10 Vlteriùs, quò noſter tendit diſcurſus, nouis regulis, nouis legibus doctrinæ Chriſtianæ inſtitutus Politicus ſtatus, noua relatione inter imperantes, ac parentes agendum eſt: ſi de illorum oriatur difficultas gubernatione. Sic iam ab ipſis regnorum orſibus, ſub Euangelij Verbo, à Chriſtianis omnibus ſubditis intellectum fuit, cum Eccleſia, eiuſque ſummo Pontifice peragenda ſuorum Principum negotia, quæ illorum vel requirerent, vel mererentur abdicationem; neque iam eadem ſola libertate à populis deliberandum de re tanta eſſe, quà, non intercedẽte Chriſtiana lege, antiquitùs agebatur. Hinc, vt exemplis ſupra adductis, probatum eſt, Chriſtiana regna, quoties ſuorum Regum experta ſunt, in Politica etiam adminiſtratione, negligentiam, grauiter culpandam,

ſummorum Pontificum exſpectauere decreta, & conſenſionem: qui vt Chriſtiani populi, qua Chriſtianus eſt, Principes, Principes illos Chriſtianos in ordinem etiam cogerent, populiſq; Chriſtianis, qui, qua Politici ſolùm erant, hac prætermiſſa diligentia deliberare poſſent, quã erant Chriſtiani, per ſummum Pontificem, iuxta rei, ac negotij rationem, prouideretur.

11 Hoc non eſt certè, Euangelicam legem, Eccleſiam, & eius ſummũ Pontificem Romanum, iura Regum, ac Principum infringere, Coronas deprimere, Maieſtatem violare; eſt eorum conſeruare iura, ſublimare Coronas, ſacrare Maieſtatem: quod ſolùm Hæreticos malè habet: dolentes, ab eorum manibus, per Eccleſiam tum, eam eripi præſumptam potentiam, qua non erubeſcunt, vt vidit Lector, ſuorum ſe Regum, ac Principum, Reges, Principes, Iudices, ac vindices conſtituere: ſacra profanis miſcentes, muſcæ in agendo cum ſuis Principibus, circa Philoſophicas Politicas ſolùm viuendi regulas morientes, ac ſacrę Scripturę abutẽtes doctrinis, vnguenti Spiritus cæleſtis perdentes ſuauitatem. Singula quæq; in Eccleſia locum tenent, circa regimen etiam Regum, ac Principum Politicum, ſortita decenter: omnia in Hæreticorum Synagogà loco mouentur indecora ſorte, pro eodem regimine pertutbata. Videt Chriſtianorum quædam Reſpublica ſubditorum, ſui Principis eas res geſtas, circa eius regimen, quę Ethnicam, vel infidelem aliàs hominum cõgregationem, vel ad minus patientem animum, vel ad agentem duriùs cum ſuo Principe manum incitarent: pietate tamen imbuta Chriſtiana, quæ docet, non tantùm dominos modeſtos, ſed etiam diſcolos, eſſe ſufferẽdos, ſuſtinet, exſpectans in Principe pœnitentiam; quia, etſi in ea ſit iudicij ſoliũ, ſui tamen Capitis, & Auctoris memor, & imitatrix eſt, de quo dixit Iſaias c. 30. [Exſpectat Dominus, vt miſereatur veſtri; & ideò exaltabitur, parcens vobis.] Audit tamen ſolùm Hęreticorum ſubditorum turba quædam, ſuum Principem, eius non ferri impotenter affectibus, & omni proiecta modeſtia, contra eum rebellionem ſuſcitat: ac armatura illa fortium Diuinæ Scripturæ, clypeis in Dauidica, videlicet, turri aureis mille pendentibus, ſacris Axiomatibus millies in ferreos, ſuorum Seductorum Doctorum falſis dogmatibus, ac explicationibus tortuoſis, conuerſis; ferro etiam aliàs innoxium perſequuta.

12 Ecce, Lector Chriſtiane, quanta cum ſacræ Theologiæ præmeditatione diximus ſupra: inter regulam, & regulæ vſum, inſtrumentum, & inſtrumenti, ad agendum ex arte, applicationem, maximam differentiã adnotari. A Principibus iuſtitiam eſſe in Republica adminiſtrandam, Philoſophia docuit Ethnicorum naturalis: dicẽte Cicerone, in Paradox. eſſe [ius, & æquitatem vincula ciuitatis:] quibus remotis, regna magna eſſe latrocinia, aſſeruit Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei. cap. 4. Spiritus item ſanctus dixit, Sap. cap. 1. [Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terrã.]

Reli-

Religionem eſſe ab omnibus, ſed præcipuè à Principibus, colendam, etiã cùm vera incognita, vana Dæmonum detinebantur homines ſuperſtitione, eorum Philoſophi, ac Philologi docuerunt. Liu. lib. 5. [Omnia proſpera eueniunt colentibus deos: aduerſa ſpernentibus.] Horat.

Di, multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Vnde Lactan. lib. 5. Inſtit. cap. 8. dixit: [Ideò mala omnia rebus humanis quottidiè ingraueſcere, quia Deus mundi huius effector, & gubernator derelictus eſt: quia ſuſceptæ ſunt, cōtra quam fas eſt, impię religiones.] Quod idem proſequitur Spiritus ſanctus, vbi ſupra, docere, dicens Principibus, [Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant eum; apparet autē eis, qui fidem habent in illum.] Paulus ſic docuit: [Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.] & item, [Obedite Præpoſitis veſtris, &c.] Apoſtoli docuerunt, [Obedire oportere Deo, pluſquam hominibus.]

13 Hæc omnia, & ſimilia ſupra adducta, ſunt Axiomata vera, & doctrina certiſſima: ſunt inſtrumenta, quibus, motis ab Eccleſia Prælatis, Diuinis Architectis, ac eloquij myſtici Prudentibus, & præcipuè à ſupremis eorum, Pontificibus Romanis, ad Euangelicę, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas, ſuis loco, & tempore, & debitis alijs circumſtantijs, applicatis, illud in tractando negotio tam graui, quale eſt Regum, ac Principum abdicatio, iudicium in terra proferunt, quod Chriſti Domini in cælis ratihabitio conſequatur. Eadem verò inſtrumenta ab Hæreticis eloquij Diuini myſtici imprudentibus, ac ſacram Theologiam ignorantibus, tractata: vt qui ſinè Regibus, ac Principibus viuere vellent, contra Reges, & Principes ad libitum interpretantur; an ſint iuſti, vel iniuſti: an Reipublicæ proficui, vel noxij: an Dei cultores, vel contemptores: an veram, vel falſam fidem profiteantur: non ex ſacri Euangelij, ac antiquæ Chriſtianæ diſciplinæ fontibus haurientes, ſed ex ſuarum ciſternarum diſſipatarum lacubus, & turbidis, & turbatoribus: vt qui quietas, & ſilentes aquas Siloë Diuinæ Scripturæ, aquas ſapientię ſalutaris Catholicæ conuerſationis nequeunt continere. Sic Diuinis oraculis abutuntur Magi, ad Dæmonum inuocationes: ſic ſortes è ſacris litteris Euangeliorum, & Prophetarum petuntur: ſic per ludum, & iocum, impietate obſtetricante, ſacras ſententias ad Principum mores, & actiones, vel explicandas, vel inſectandas, & irridendas Hæretici, ac dominationis oſores, ſunt ſoliti accommodare. Vnde eſt neceſſum, intelligant Chriſtiani Reges, & Principes, in quantum, ac quale ſuorum regnorum, ac Principatuum bonum cedat, Eccleſię iudicio, & eius ſummi Pontificis deliberationi eſſe remiſſam illorum abdicationem: qui ea maturitate, prudentia, & ſanctitate in ea exſequenda procedit, quæ ex Sancto

Thoma. & Caietan. fuit cap. 49. demonſtrata.

14 Et,quia dum hæc ſcripta meditaremur,fuit nobis,horũ occaſione, propoſitum à quodam grauiſſimo, & doctiſſimo Paſtore & Doctore, quid ſentiremus de hiſce duabus Propoſitionibus,ſcilicet,Summus Pontifex Romanus eſt ſucceſſor Petri, & Vicarius Chriſti. &,Summus Pontifex Romanus poteſt deponere Reges Chriſtianos. in eodem ne eſſent veritatis gradu, & quã fide eſſent excipiendæ: Reſpondemus ſcripto, quod tunc verbo: Primam eſſe Theologicam quæſtionem; ſecundam potiùs eſſe Hæreticorum conquæſtionem. Primæ quæſtionis pars affirmans,eſt de fide:de qua in ſuperioribus actũ eſt copioſè.De ſecũda,in eo ſenſu, quo ab Hæreticis,Regum, ac Principum auribus inſtillatur,quaſi odioſa, & inuidioſa, ſcripſit Apoſtolus 2.ad Timoth.cap.1.[Stultas autem,& ſine diſciplina quæſtiones deuita: ſciens quia generant lites.] & vt docuit 1. ad ipſum c.1. [non præſtant ædificationem Dei, quæ eſt in fide.] & ad Tit.cap.1.[Stultas autem quæſtiones, &c. deuita: ſunt enim inutiles,& vanæ.]

15 Sit tamen quæſtio, & ſincero eſſet animo ab ipſis Hæreticis propoſita: inſtruxit nos iam Chriſtus Dominus, Matth.c.21.& 22.quæſtiones ſimiles, quæſtionibus alijs propoſitis diuertere, quæ eorumdem quærentium ſint tacitæ, vel reſponſiones, vel confuſiones. Et cùm diſputatum fuſiùs à nobis ſit,ac declaratum, quo ſenſu, hæc ſumma Eccleſiæ,Pontificiſq; ſupremi poteſtas,in deſtitutione Principum Chriſtianorũ ſit accipienda: rogamus ab his quærentibus, vel conquærentibus, An Chriſto ſit data à Patre omnis poteſtas in cælo,& in terra? An Chriſtus hanc poteſtatem communicauerit Eccleſiæ, & Apoſtolis? An Chriſtus inter eos vnum elegerit Petrum,cui tradidit claues regni cælorum? An Chriſtus prouiderit Eccleſiæ de vno Paſtore & Doctore, qui eam doceret, regeret, & gubernaret? An hic Paſtor & Doctor, fuerit Petrus Apoſtolus? An hoc munus fuerit illi iniunctum ratione perſonæ, an vt in ſuos etiam tranſmittendum ſucceſſores? An Romanam Petrus erexerit, & tenuerit Eccleſiam, eiuſq; fuerit peculiaris Epiſcopus? An eius ſint legitimi in eadem poteſtate ſucceſſores Romani Pontifices? An Eccleſia ſit Chriſti ouile, in quo nihil eſt aliud, quàm Chriſtus Paſtor æternus principalis, & ſummus Pontifex, Papa Romanus temporalis, & miniſterialis Paſtor, & ceteri omnes Chriſtiani, etiã Principes, oues? Quibus quæſtionibus,ex ſuperioribus,iuxta Euangelicam, & Apoſtolicam doctrinam, iuxta ſacrorum Conciliorum decreta, Pontificum ſtatuta, Patrum ſcripta, Doctorum teſtimonia, Eccleſiæ vniuerſæ conſenſionem, deciſis affirmanter: tum ad Quæſtionem, iuxta veritatem à nobis explicatam, non in Hæretico ſuperbo ſpiritu, ſuos Reges,& Principes ſubſannante, &,per armorum vim, è proprijs ſolijs expellente, ſed in ſpiritu Chriſtiano,hoc eſt mãſuetudinis,ac veræ Theologiæ poterit reſponderi;

16 Sit

16 Sit tamdem in communi huius negotij concluſio: Rempublicam quamcumque Chriſtianam, ſub Rege, vel Principe Chriſtiano agentem, haud poſſe iam, nec debere, Politicè ſolùm conſiderari, aut tractari: immò grauiſſimam ipſi irrogari iniuriam ab illis, qui Status, quam vocant, rationi præciſè innixi, de illius regimine agunt moderando; cùm reuerà videantur, redemptionis per Chriſtum Dominum factæ, inanem reddere effectum, euacuare Sacramentum, & ſeneſcentes iam Reſpublicas Chriſtianas, ad initia ſuæ retrahere infantiæ, ſub Ethnica, ac ſola naturalis rationis olim cognita diſciplina: quod numquam fiet, niſi apud eas Chriſtianorum Congregationes, de quibus prædixit Chriſtus Dominus, [Cùm venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra?]

17 In reliquis, Rex, & Princeps, cum ſuis ſubditis hac lege ſibi eſſe viuendum intelligat, vt nullam ab eis ſubiectionis relationem exſpectare debeat, cui in eo non reſpondeat protectionis ſuorum ſubditorum mutua relatio; quòd ſi, quæ amore, ab illis ſperanda ſunt, terrore, vel etiam medio iuriſiurandi velit efficere Sacramento, ſubdito iurante quācumque nouā legitimam obedientiam Ciuilis fidelitatis Principi, Princeps reciproca obligatione noua cōſtringitur, ſubditum ab omni iniuria defendendi: vt ne quid in Spirituali, ſiue Politica conuerſatione detrimēti patiatur. Quòd ſi in iuramenti propoſitione, Euangelicæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ violatio, vel contineatur, vel inſinuetur, à ſubdito ſuſcipi Chriſtiano non poteſt: qui, ex ſupradictis, iuri ſuæ conſeruationis naturalis non cedens, dū Principē ſibi, etiā præſtito iuramento, Politicè deligit, vt ſupra eſt probatū: multò minus poterit à iure ſuæ ſupernaturalis conſeruationis receſſiſſe. Vanè ergo laborant Hæretici Principes, à Catholicis poſtulantes fidelitatis, ac Ciuilis obedientiæ, ac ſubiectionis iuramentum: nam eſto, tam ſummi Pontificis, & Eccleſiæ, quàm ſuorum ſubditorum id ferret Catholica patientia, conſideratis temporis, ac rerum omnium neceſſarijs circumſtantijs, attamen eſt iuſtum, vt ſi, vltra Politica, in iuramento ſuſcipiendo à ſubditis, circa ſupernaturalia, & Euangelicam, ac Eccleſiaſticam diſciplinam prodat Dominum, perdat dominium.

De cæleſti protectione Regni Angliæ, & Regum eius reuerentia ad S. ſedem Apoſtolicam, & deuotione ad Monaſticum Ordinem S.P.N. Benedicti. Cap. LI. §. 1.

MATTHAEVS VVeſtmonaſterien. in ſuo, Flores Hiſtoriarum. agens de S. Ina Confeſſore Angliæ Rege, ſic ſcribit. [Anno 727. Ina Rex felix, & potens, Adelardo cognato ſuo regnum ſuum relinquens, Romam petijt: vt pro regno temporali commutaret æternum. Quò cùm perueniſſet, fecit in Ciuitate domum, conſenſu, & voluntate

Gregorij Papæ: quam, Scholam Anglorum, appellari fecit: ad quā Rege Angliæ, & genus Regium, cum Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, in doctrina, & fide Catholica erudiēdi, venirent: & ſic in fide ſtabili roborati, ad propria remearent. Fecit præterea iuxta domum præfatam, Eccleſiam, in honorem B. Virginis Mariæ fabricari; in qua, Anglis Romam aduenientibus, Diuina celebrarentur myſteria; & in qua poſſent, ſi quē ex illis Romæ mori contingeret, ſepeliri. Et hæc omnia, vt perpetuæ firmitatis robur obtinerent, ſtatutum eſt generali decreto, per totum regnum Occidentale Saxonum, in quo Ina regnabat, vt à ſingulis familijs denarius vnus, qui Anglicæ, *Romſcot*, appellatur, Beato Petro, & Eccleſiæ Romanæ mitteretur: vt Angli ibidem commorantes, vitale ſubſidium inde haberent.]

2 Continuator Bedæ, qui eſt Guillelmus Monachus Malmesburienſis, de Geſtis Anglorum, Continuationis lib. 2. cap. 4. ſic habet. [Anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Elfredus filius Ethelnulfi iunioris, qui vnctionem Regiam, & Coronam à Papa Leone Romæ olim ſuſceperat, regnum accepit.] Et paulò poſt.

3 Solebat ipſe poſtea in tempora feliciora reductus, caſus ſuos iucūda, hilariq́ue comitate familiaribus exponere: qualiterq́ue per Beati Cuthberti meritum, eos euaſerit. &c. Nam cùm quadam die in Inſula incluſus, ſolus domi eſſet, ſocijs per oram fluminis ad piſcandum diſperſis, corpus curis ægrum ſopori commiſit. Et ecce Cuthbertus Lindisfarnenſis quondam Epiſcopus,] ex ordine S. P. N. Benedicti Monaſterij Mailrorenſis aſſumptus [his dormientē alloquitur: Ego ſum Cuthbertus, ſi audiſti: miſit me Dominus, vt tibi proſpera annunciarē: quia enim Anglia iam dudum peccatorum pœnas enormiter luit, modò tamdem indigenarum Sanctorum meritis, ſuper eam miſericordiæ ſuæ oculo reſpicit. Tu quoque tam miſerabiliter regno extorris, glorioſè poſt paucum tempus, in ſolio reponeris: atque à Deo ſignum eximiū tibi dabo. Venient hodie piſcatores tui, magnam vim gradium piſcium corbibus euehentes: quod eò erit mirabiliùs, quia his diebus, gelante aqua, fluuius aſperatus, nihil tale ſperari permittit. Super hæc, hodie gelido rore ſtillans aer, omnem piſcantium artem deludit. Verùm tu fortunæ ſecundæ compos, Regaliter feceris, ſi adiutorem tuum Deum, & me eius nuncium competenti deuotione demerueris. Hæc dicens Sanctus, Regem ſoporatum ſolicitudinibus exſuit: matremq́ue prope cubantem, tenueſq́; ſomnos, propter curarum leuamen, ad durum cubile inuitantem, eiuſdē nuncij confortauit lætitia. Experrecti ambo, vnum, & idem ſe ſomniaſſe, frequenti verborum recurſu, iterabant: cùm piſcatores ingreſſi, tantam piſcium copiam exhibuere, vt, cuiuſuis magni exercitus ingluuiem poſſe exſaturare, videretur. &c.] Proſequens victoriam Elfredi de Danis partam, & in regnum reſtitutionem. &c. Meminerunt etiā huius Hiſtoriæ

Vincentius lib. 24. cap. 40. ex Helinando, & Vuilhelmus lib. 2. cap. 14. de Geſtis Anglorum. & Ranulphus lib. 6. cap. 20.

4 Idem eodem libro cap. 34. ſcribens de temporibus Regis Angliæ S. Eduardi confeſſoris, & eius patris Etheldridi Anglorum etiam Regis, qui in exſilium cum liberis eiectus erat à Suenone Danorum Rege: [Viderat, inquit, quondam ſomnij reuelatione, ſeculi huius felicitatem Birtuuoldus, Guiltonenſis Epiſcopus:] aſſumptus ex Monacho Benedictino Monaſterij Glaſconenſis: [Viderat, & annunciauerat. Nam dum tempore Regis Cnutonis, cæleſtibus apud Glaſtoniam lucubraret excubijs, ſubijſſetque illum cogitatio, quæ frequenter angebat, de Regia ſtirpe Anglorum penè deleta: hæc meditanti ſopor crepſit. Et ecce in ſuperna raptus, videt Apoſtolorum Principem Petrum, Eduardum, qui tunc in Normannia exſulabat, in Regem cõſecrare: cælibe deſignata vita; certo vigintiquattuor annorum numero computato. Eidemque conquerenti de poſteritate, reſpondere; Regnum Anglorum eſt Dei, poſt te prouidet Regem ad placitum ſuum. &c.] Idem refert Polydor. Virg. lib. 8.

5 Sedente Eduardo, Epiſcopo Exonienſe, certior factus eſt Henricus V. Angliæ Rex, Monaſticam in ſuo regno diſciplinam valde collapſam, & ab antiquis inſtitutis nimiùm deflexiſſe. Cui malo vt maturiùs obuiā iretur, acciuit Londinum maximam Abbatum, & Conuentualium, vt appellant, Priorum frequentiam: illi ſexageſimum, iſti trecenteſimum, & ampliorem numerum impleuerunt. Cui cùm Vueſtmonaſterij ſimul conueniſſent: adijt eos Rex, cum Eduardo Epiſcopo: quos cùm benignè, & ſubmiſsè Rex ſalutaſſet: concionem apud eos Eduardus habuit, quæ tota huc ſpectauit, vt omnes ingenij, induſtriæque ſuæ neruos, ad reſtauranda, & reparanda Monaſticæ diſciplinæ damna, ex diſſolutiore viuẽdi genere recentiùs illata, intenderent. Poſt quæ, & Rex eos paucis affatus, hortatus eos eſt, vt veterum Patrum Monaſticæ diſciplinæ cultorum veſtigijs accuratè inſiſterent, qui exactè diſciplinæ ſuæ præcepta, & exquiſitè obſeruarunt: quos propterea maiores ſui Reges mirificè ſuſpexere; & ſingulari obſeruantia coluere; & numeroſa Monachorum, maximis ſumptibus, Cœnobia condidere; ampliſque prouentibus, annuiſque redditibus ornarunt: Receſſum iam nimis eſſe, recentioribus temporibus, ab antiqua illa pietate, & Monaſticæ vitæ ſeueritate: quam ſi ſtrenuè, & impigrè æmularentur, pietatis, & orationum, à quibus vnicè pendebat, illorum præſidio ſeptum, nullum ſe, aiebat, hoſtem veriturum. Tradidit deinde ſcripto, quod potiſſimùm emendari poſtularet. Quibus illi emendandis, curam, vt tempus patiebatur, promiſere.]Hæc Nicolaus Harpsfeldus Anglus in Hiſtor. ſua Eccleſiaſtica Gentis Anglorum. Seculo. 15. cap. 23. fol. in Manuſcript. 754. vbi citat Thomam Vualſingamum. ad Annum 1421.

6 Hæc, inter plura alia, ſelecta viſum fuit, ſatis ad rem, hiſce ſcriptis

appo-

apponere exempla reuerentię,quam Reges,& reg num Anglię ad S.ſed Apoſtolicam, Romanam olim habuerunt: vtilitatis, quam,ex ſpecial cum ea communione,ſibi prouenturæ ſperarũt: maieſtatis æſtimatæ, Pō tificum Romanorum manibus,etiã cum longiſſimæ peregrinationis tæ dio,Regio diademate redimiri. Demonſtrant etiam perſpicuè,militan tis,ac triumphantis Eccleſiæ nedum communionem, verùm & ipſiſſim vnitatem, cum familiaria illa Sanctorum præfata colloquia, qui iam cæleſtem incolunt Ieruſalem, cum familiaribus Regibus terreſtris Ie ruſalem,Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ, ſint habita,ac quaſi cum ciuibu Sanctorum, & domeſticis Dei: quæ Schiſmaticis,& Hæreticis aliâs Re gibus denegantur.

7 Habemus etiam ex his, quod maximè conſiderari, ſupplicamus,al Angliæ Regibus, vniuerſoque regno: Regnum illud, ex Apoſtoli Petr aſſertione,Regnum eſſe Dei: & ad Dei placitum,de Rege,regno illi am pliſſimo prouideri.Habemus etiã,vbi humanum Regibus Anglię deeſſe funditùs videbatur auxilium, haud Diuinum,ne Regia ſtirps deficeret, defuiſſe:ac quaſi delicias,& Deum,& cæleſtes Indigetes reputaſſe,& eſſe &,vel inſomnis, cum Angliæ Regibus conuerſari. Habemus etiam ho θεῖον δῶρον, Reges Angliæ, βασιλικὰ ἀντιδῶρα, quòd Reges homines ad Regem Deum, ad donantem redonantes,comparare fas eſt, compen ſaſſe:dum Romæ,Scholam erexere externam, vbi Semen ſanctum Verb. Dei, Hæreticis non corrupti,aut commixti zizanijs, & Apoſtolicæ, Catholicæque conſeruaretur fidei, ac diſciplinæ:vt in Angliam tranſla- tum,in domeſtica illa Schola ſacra Religionis Monaſticæ D.P.N.Bene- dicti maximè inſitum,& cum manſuetudine, ac pietate,à numeroſo ill Monachorum Inſulæ exercitu ſuſceptũ, ad ſalutem animarum Anglica gentis creſceret,ac fructus faceret in Domino,quibus,& Anglia,& Sco tia, & Hibernia,omnes denique adiacentes, ab exteris etiam Nationi- bus,Sanctorum Inſulæ,vocarentur.

8 Vera ſcribimus, & vera reperientur, ſi conſulantur hiſtoriæ. E abſque cuiuſquam inuidia, cùm S. P. N. Benedictum, & eius Monacho Anglos,Scotos, Hibernos laudamus, ex præiudicata ſanctorum Patrun ſententia, Deum laudamus: ad cuius laudem,certum eſſe aſſerimus, om nes ferè Sanctorum Catalogo, per Eccleſiam,adſcriptos ex illis inſulis à primo in Angliam appulſu Auguſtini, & Ioannis, & aliorum ſupradi ctorum Apoſtolorum, quos ex ordine Benedictino illuc S. Gregoriu miſit,(de quo poſt antiquiores ſcribit Polydorus Virg.lib.4.)fuiſſe, vel Monachos Benedictinos,vel Reges Angliæ, Monachos etiam eiuſdem Ordinis,vel à Monachis ipſis educatos in ea Catholicæ fidei doctrina,i morum ſanctitate,quæ eos ciues Sanctorum,cum Eccleſiæ publica,ſicu Apoſtolica manifeſtatione, fecerunt. Vnde habemus vltimò, quo zel ſancto Eduardus V.curauit, vt Monaſtica diſciplina,Angliæ tunc pr

lapſa,

lapſa, ad priſtinum ſplendorem reſtitueretur, vt qui ſibi facilè perſuaderet, omnia proſperè, & Regijs conſilijs, & Inſulæ incolis ſucceſſura; ſi Religione S. P. N. Benedicti florente, quaſi aliam Iacobo demonſtratam cælitùs haberent ſcalam, Monachorum cum Cæleſtibus, & increato, & creatis ſpiritibus conuerſationem, per quam orationum ſanctarum virgula aſcendens fumi, ad humana Anglorum Regum, & Regni totius poſtulata, cæleſtem miſericordiam deriuaret.

9 Neque præterire ſilentio iuſtum eſſet, in regno Scotiæ, (quod referente Hectore Boëthio lib. 5. auctore Donaldo Rege, ad Chriſtianam fuit fidem conuerſum, Anno ſalutis ducenteſimo tertio, neque ab ea poſt vllis perſequutionibus, vſque ad ſcribentis tempora, potuit dimoueri:) eum percrebuiſſe morem, vt exorto bello, ac Regijs inſtructis copijs, noua, ſicuti fortiſſima, militum phalange exercitus augeretur: nam Monachi Benedictini in grandi cum Rege exibant numero, orando contra inimicos pugnaturi: ſicut apparet in bello inter Edilfredum Northanymbrorum, & Ean Scotorum Regem, in quo centum & viginti Monachi orantes, trucidati leguntur: apud Bedam lib. 2. cap. 2. Similibus enim præcipuis ſanctarum orationum copijs pugnarunt, Iſraelitæ contra Amalechitas Exod. cap. 17. contra Philiſthæos 1. Reg. cap. 7. contra Arad Regem. Num cap. 21. Ioſaphat Rex, contra Mohabitas, & Aſa contra Aethiopes, Iſraelitæ ipſi, & Iuditha contra Holophernem, Machabæi contra tot hoſtes, Conſtantinus Magnus contra Maxentium, Theodoſius contra Eugenium tyrannum, & Arbogaſtem, & alij multi tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares Chriſtiani, ſalutem à Deo præcipuè, ſuis collabentibus, ſeu bello, ac inimicorum perſequutionibus, afflictis Rebuſpublicis impetrarunt.

De rebus in Anglia temporibus vltimis geſtis: Et Paræneſis ad Regem eius Iacobum, & eius Regna. Cap. LII. §. 1.

ET hæc quidem ſic olim, ſiue in bello, ſiue in pace, ab Angliæ, & Scotiæ Regibus gerebantur. Vltimis tamen hiſce temporibus quid? Deducunt, teſtor Aeterni Patris, quam miſit in mundum, Charitatem, oculi mei lacrymarum fontem, quarum litura, litteræ atramento deſignatæ delentur: quaſi hoc ipſum ſcriptum confundatur, confuſurum ſe Angliæ, & Scotiæ regna: cùm iſthec commemoratio, exprobratio ſit immemorum Chriſti IESV, eiuſq; Sanctorum tanti antiqui beneficij. Conſiderando dolemus, & dolendo conſideramus pro his, qui ſpirituali, ac temporali morte, iam à Schiſmate per Henricum VIII. Regem olim Chriſtianiſſimum, & doctiſſimum Theologum, inducto, mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati, An-

glia fortiſſima Inſula. Inclyti tui ſuper montes tuos interfecti ſunt: Quomodo ceciderunt fortes, Catholici tot Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, & Monachi Benedictini, & Carthuſiani, tot Eccleſiaſtici, tot alij religioſi viri, tot ſeculares Chriſtianiſſimi, & auitæ fidei Catholicæ tenaciſſimi! ficto etiam in multis ex illis perduellionis crimine capite fuere diminuti, ſecuri percuſſi, ſtrangulati, in fruſta conciſi, flammis, ferroq; paſti, exquiſitiſſimiſque tormentis de medio ſublati: quibus reuerà ea ſola culpa fuit, (etiam quo tempore ſui imperij, impia Eliſabetha, perſequutionem Anglicanam & fouit, & crudeliter auxit,) non cum Rege Henrico poſteà Hæreticè deſipuiſſe, ſicuti prius cum illo Catholicè ſapiebant.

2 Et hi quidem temporali vita, pro Chriſto, eiuſque fidei Catholicæ confeſſione, contempta, æternam ſunt conſequuti; tunc incipientes ſine fine viuere, quando finientes, viuere deſierunt. At illi deflendi ſunt, quaſi miſeri, qui præſentem, ac terrenam vitam Catholicis adimentes, ſe ipſos æternis Manium mortibus deſtinarunt. Occiſi illi in terra, cælo ſunt orti: occidentes hi, inferorum deſinunt in occaſu. Illis mortuis, eorum vita cum Chriſto in Deo, iuxta Pauli doctrinam, abſcondita fuit, cùm Chriſtus apparuerit, ſimul cum illo in gloria appàritura: his viuentibus, ipſa vita, cùm æternam ſubierint pœnam, præ oculis, conſcientiæ propriæ confuſionis onere grauis, adſtans perpetuò, quaſi perpetuò diſparebit. Illi mortui ſunt, vt meliorem inuenirent reſurrectionem: hi moriuntur, vt non reſurgant in iudicio, tamquam impij, hoc eſt, à mala reſurrectione inueniantur.

3 Præterita, tamen, & facta præterlabentes, ad præſentia, & futura vertentes animum, & ſermonem, ſcire auemus ab Angliæ, & Scotiæ, Sublimiori Poteſtate, quæ ſe, Dei Vicarium eſſe, affirmat, quas vices Dei gerit, dum Prædeceſſorum Regum Hæreticorum veſtigia inſequens, Catholicę Dei fidei, haud ſinit liberè per regna Angliç, Scotię, & Hiberniæ, profeſſionem ſpatiari? Et quidem, ſi de nomine agendum eſt, ſcimus à D. Bernardo, nihil tunc ab Hæreticis in hac materia æquiuocationibus verente, ſcriptum eſſe lib. de Pracept. & diſpenſ. [Siue Deus, ſiue homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò proſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum. &c. Quicquid vice Dei præcipit homo, quod tamen non ſit certum diſplicere Deo, haud ſecùs omninò accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus. Quid enim intereſt, vtrùm per ſe, vel ſuos miniſtros, homines, vel Angelos, hominibus innoteſcat ſuum beneplacitum Deus?] Eccleſiaſtico tamen iam, & Chriſtiano loquendi more, Vicarius Dei, complexus eſt terminus, ſummo Pontifice, ac Prælato cuicumque Eccleſiaſtico, conceptè attributus, de quibus canit tam piè, quàm grauiter Mater Eccleſia, agendo cum Chriſto ſuo Capite, in Apoſtolorum ſolemnijs, ab Hæreticis reprobatis: [Di-

gnum

gnum eſt,te Domine ſuppliciter exorare: vt gregem tuum Paſtor æterne non deſeras: ſed per Beatos Apoſtolos tuos,continua protectione cuſto dias. Vt iiſdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contuliſti, præeſſe Paſtores.] Sed eſto, quæcumque Sublimior Poteſtas, quæ congruentiùs ab Apoſtolo Paulo, Miniſter Dei, appellatur, ex lib. Sapientiæ, Reges vocante, Regni Dei Miniſtros,vicem Dei gerat in ſui dominatus exercitio: eſto, quod retulimus, Petrum Apoſtolum edixiſſe Regnum Angliæ, eſſe Dei,& ad eius placitum de Rege illi prouiſum eſſe Regno: an inde in ſuperbiam efferetur Rex Angliæ, Eccleſiæ, eiuſque ſummi Pontificis Romani contemnens iura, violans diſciplinam, tradu cens Maieſtatem?

4 Ad hæc,meminiſſe oportet,doctrinæ D. Auguſtini de Regum poteſtate,ſupra adductæ cap. 19. §. 13. ex qua illud ad Regis Angliæ intentum vltimò colligi poteſt, Deum videlicet, qui in illa Prouincia dedit S.Sigebertum V.Regem Anglorum Orientalium, S. Alfredum, ſiue Ealfridum Northumbriæ Regem XIII. etiam doctiſſimum, S. Inam Saxonũ Occidentalium Regem XI. S. Ceoluulfum Northumbriæ Regem XVII. omnes etiam Monachos Benedictinos, & S. Eduardum Angliæ Regem Confeſſorem,ipſe quoque dedit Regem Henricum II. Epiſcoporum oppreſſorem,Henricum VIII. & Eliſabetham eius filiam Angliæ ruinas, & fidei Catholicæ perſequutores, ſuis occultis, haud tamen iniuſtis iudicijs. Ipſe denique poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum,parentum ſuorum Henrici Stuardi, & Mariæ Stuardæ Scotiæ Regum, quæ ſupra deſcripſimus,dedit nunc Iacobum VI. illis Inſulis Regem: vel,vt conuertatur,vt inquit Auguſtinus,vel,vt per eum Catholici exerceantur.

5 Quòd ſi præfatus Rex,in animum inducit ſuum, ſe Catholicam Religionem in regnis illis exſtirpaturum, incaſſum laborat: neque quod eo potentiores Cõſtantius, & Iulianus AA.efficere nequiuerũt,ipſe,quãtumcumq; conetur,efficiet. Conuentu Mediolanenſi à Conſtantio Imperatore Ariano indicto,ante omnia poſtulatũ eſt, vt Catholici, Athanaſij damnationi ſubſcriberent,& communionem cum Arianis inirent. Euſebius Vercellarum, Paulinus Treuirorum, Hilarius Pictauorum, & Lucifer Caralis Sardiniæ,Epiſcopi, qui conſtantes in fidei Nicænæ defenſione manebant,à Conſtantio iuſſi,vt poſtulata perficerent, haud quaquã ſe facturos,dixerunt,quòd ab Eccleſiaſticis alienum legibus foret. Quibus Conſtantius: Atqui mea mandata pro lege habenda ſunt, inquit: aut obtemperate igitur, aut in exſilium ite. Tum illi: Atqui regnum tuum non eſt, ſed Dei,qui tradidit: vide autem etiam atque etiam, ne, qui dedit,eripiat: atque extremi iudicij memor, caue,ne morem Eccleſiaſticum ſoluas, atque Imperium in Eccleſiaſticas conſtitutiones inducas. Quibus verbis Conſtantius exacerbatus,ipſos plura dicere inhibuit, atque in exſilium exire præcepit: illi verò læti,quòd veritatem non pro-

didiſſent; puluere excuſſo, atque oculis in Deum conuerſis abierunt. Refert poſt alios, Sigon. lib. 6. Imper. Occidental.

6 Iulianus Imperator Apoſtata, referente Theodoreto, legem tulit, Ne Chriſtiani Grammaticam, aliaſque artes liberales vel docerent, vel diſcerent. Nam noſtris ipſorum, inquiebat, pennis percellimur: vt eſt in Prouerbio: ſiquidem, noſtrorum ſcriptorum præſidijs muniti, bellum contra nos ſuſcipiunt. Chriſtianos etiam aula ſua, militiaque expulit; inter quos fuerunt Iouinianus, Valentinianus, & Valens, qui poſt ipſum imperarũt. Odio prætereà Chriſtianorũ permiſit Iudæis Salomonij tẽpli reædificationẽ; quam cùm illi magno animorum ardore aggrederentur, horrendi flammarum globi è fundamentis erumpentes, exuſtis aliquoties operantibus, locum illum fecere inacceſſum. Acciderunt & alia prodigia, quibus Iudæi ab opere cœpto ſunt repulſi, atque deterriti. Referunt Ammian. lib. 23. Socrat. 3. & Theodoret.

7 Adſtiterunt ecce Reges, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominũ, & aduersùs Chriſtum eius.] & [qui habitat in cęlis] irriſit eos. Nunc autem adſtans denuò aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius ſummum Pontificem Romanum, eiuſque notiſſimam, ac teſtatiſſimam in vniuerſa Eccleſia poteſtatem, quid ſperat Iacobus Angliç Rex? vel Caluiniſmi profeſſionem, mandatis Regijs, & ſuis propoſitis iuramentis, à Catholicis extorquere, vel illius non Iudaicę, ſed Turcicæ ferè fidei, & doctrinæ erigere, ac ſuſtinere molem, Spiritu ſancto, qui illarum Inſularum curam gerit peculiarem, renitente? Vicit Conſtantium Chriſti Diuinitas, ac cum Patre conſubſtantialitas: vincet & Iacobum. Vicit Iulianum Chriſti Humanitas, cum eadem Diuinitate in vna ſubſiſtens perſona: [Viciſti Galilęe:] dicente blaſphemo, & impio Apoſtata: vincet & Iacobum. Et cùm, neque graſſante Anglicana perſequutione contra Catholicos, tempore Henrici VIII. neque eadem immaniſſimè aucta, tempore Eliſabethę, effectum fuerit, vt vna Religio S. P. N. Benedicti penitùs in Anglia defecerit: cùm hucuſque Semen ſanctum Monaſticę diſciplinę, ex Monachis illorum temporum fuerit conſeruatum, cui in dies cum Regis, & regnorum illorum & honore, & ſpirituali fit acceſſio vtilitate, minus multò effici poterit, vt Catholicæ fidei profeſſores vnquam deficiant, qui ex omnium ſtatuum fidelibus aggregantur.

8 Quòd ſi miramini Monachorum conſtantiam Ordinis Benedictini, in curando per Angliam, Semen, Sanctis tot ſuis fratribus, qui videbantur iam deceſſiſſe ſine liberis inſtituti ſui ſpiritualibus, ſuſcitare, memineritis ex Beda, dum agit de S. Laurentio Archiepiſcopo Cantuarienſi, vno ex Monachis primis Angliæ Apoſtolis: illum, acerbiſſimis etiam plagis priùs acceptis Petri Apoſtoli manibus, nocte quadam, quia deſperans de cõuerſione Regis ſucceſſoris Edilberchi, qui primus in Anglia Chriſto nomen dederat, de Inſulà deſerenda cogitarat, ab eo in man-

datis habuiſſe: ne, in medio luporum oues poſitas, abſque paſtore relinqueret;ſed ad quiduis,ſuo exemplo,pro illis ſe perferendum animaret. Apoſtolicum ergo Petri præceptum, ad Laurentium ſuum fratrem factum,ad ſe,omnes Monachi Benedictini,factum eſſe intelligunt. Sapientibus, illud dictum Petri ſat eſt: vt per mille mortes, mille,ſi oporteat, martyria,neque fidem Catholicam in Anglia prodant, neque illius protectionem deſerant,neque ſpem, Monaſtici ibi recuperandi ſplendoris, amittant.

9 Quid prodere? quid deſerere? quid amittere? Immò conſtitutum, & certum habent,edocti ab Apoſtolo Paulo, 2.ad Corinth.cap.6. nemini dantes vllam offenſionem, vt eorum miniſterium non vituperetur: in omnibus, de Omnipotentis Dei ſperantes auxilio, & quòd in ſe erit,exhibere ſeipſos,ſicut Dei miniſtros,in multa patiẽtia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs,in plagis, in carceribus,&c. in Charitate non ficta, in verbo veritatis, &c. per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt ſeductores,& veraces, ſicut qui ignoti, & cogniti, quaſi morientes, & ecce viuentes,&c. ſicut egentes, multos autem locupletantes: ac tamdem, (cùm ad imitationem eiuſdem Apoſtoli, non quærant, Angli, veſtra; ſed vos.) tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

10 Vos igitur alloquitur Monaſtica S.P.N. Benedicti Religio, fortiſſimi Angli, per os indigni aliàs eiuſdẽ Monachi,dignis tamen Apoſtoli Pauli verbis, quæ in Chriſtianorum animis,& aculeos relinquerent, & altiſſimè defigerentur: [Os noſtrum patet ad vos,ò Angli: cor noſtrum dilatatum eſt. Non anguſtiamini in nobis; anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. Chriſtiani eſtis, eamdem,oportet, habeatis nobiſcum remunerationem: tamquam filijs dico: Dilatamini & vos. Nolite iugum ducere cum Caluiniſtis, vel quibuſcumq; Hæreticis. Filioli mei, quos iterùm parturio, donec Chriſtus formetur in vobis:non vt confundam vos,hæc ſcribo: ſed vt filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto IESV, per Euangelium,ego vos genui. De cetero ergo rogamus vos, & obſecramus in Domino IESV, vt quemadmodum accepiſtis à nobis,quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo,ſic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis, per Dominum IESVM.]

11 Quòd ſi præcepta, quæ Chriſtianè, & Catholicè viuendi tradidere Monachi ſancti Apoſtoli Angliæ,& Regibus,& vaſſallis eſſent nobis modò per ſingula repetenda, & è regione,ea,quæ modò à Rege Angliæ, & Hæreticis alijs ſuis ſubditis geruntur,eſſent cum illis comparanda,longum eſſet negotium, & actum videremur agere, oſtendendo, in quibus à Catholica deuiant diſciplina. Breuiter tamen rogamus à Rege An-

gliæ conſiderari, quid habeat commune cum fide Catholica,& doctrina Eccleſiaſtica, à ſuis maioribus recepta cum ipſa Euangelij vera luce,inter alia, negare tranſſubſtantiationem in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, Miſſam abrogare priuatam, vſum inhibere ſacrarum imaginum, interceſſionem Sanctorum,& Indulgentiarum concesſionem, nouitia, & nupera vocare, ac eſſe Antichriſtum ſummum Pontificem commentari. Hi ſunt effectus Reformatæ religionis, quam, Diuino planè miraculo,aſſerit in ſuam Scotiam introductam?ſunt certè effectus deformatæ religionis, & in Turcicum Alcoranum conuerſæ, quæ ſpecioſas alias prouincias Chriſtianas Angliam,Scotiam,Hiberniam, Germaniā vtramque, Poloniam, & alias plures Lutheraniſmo primùm, & Caluiniſmo deinde infectas,ex parte maxima deformarunt. Quando enim, referente Beda lib.1.& 2.de Geſt.Anglorum,S.Auguſtinus Monachus,& ſui ſocij à D.Gregorio miſsi, Anglos cum Rege Edelbertho, ad fidem conuerterunt Chriſtianam, Crucem pro vexillo ferebant argenteam, & imaginem Domini in tabula depictam: vt qui non ignorabant, ex ipſa Ariſtotelis Philoſophia naturali, eumdem eſſe motum in imaginem, & in rē,cuius eſt imago; & certum ſit,Eccleſiam Catholicam, iam auditis, perſpectis, ac cum Spiritu ſancto communicatis omnibus Iconomachorum, ac ſuorum Parentum Iudæorum rationibus, ſæpiùs ſacrarum vſum imaginum approbaſſe.

12 Eamdem eſſe Eccleſiam hodiè Romanam, quę erat, quo tempore Eleutherius P. M. SS. Damianum,& Fugatium ad conuertendos ad fidē miſit Britannos,& Gregorius item I. P.M.Monachos ſupradictos,ad conuertendos deſtinauit Anglos, nemo negabit: eoſdem eſſe officio, ac munere hodie Pontifices Romanos, qui erant Eleutherius, & Gregorius, quis infícias ibit? At neque Britanni, neque Angli, Antichriſti opera, & induſtria, fatebuntur, ſe Chriſti fidem, ac religionem ſuſcepiſſe. Quid ergo habet hodie nouum ſacra Scriptura,quid Nouatores in ea myſterij à ſeculis abſconditi repererunt,per quod, Vicarius Chriſti Domini ſummus Pontifex Romanus, Antichriſtus,ab Hęreticis adeò procaciter nuncupetur? Ad ſummum Pontificem Romanum Bonifacium IV. venit S.Mellitus,vnus ex primis Angliæ Apoſtolis,Londinenſis Epiſcopus,referente Beda lib.1.de Geſt.Angl.cap.29.& 30.& lib.2.cap.3.de neceſſarijs quibuſdam Eccleſiæ Anglorum,cum Chriſti Domini Vicario tractaturus. Et cùm idem P.M. cogeret Synodum Epiſcoporum Italiæ, de vita,& quiete Monachorū ordinaturus,Mellitus inter eos aſſedit, Anno octauo Phocæ Imperatoris, vt quæcumq; erant regulariter decreta, ſua quoque auctoritate ſubſcribens, confirmaret,ac Britanniam rediens,ſecum Anglorum Eccleſiæ mandanda,atque obſeruanda deferret. Neque tamen tamquam ad Antichriſtum venit, neque Antichriſti ordines ad ſuos detulit obſeruandos.

13 San-

13 S. Theodorus Monachus à Vitaliano Papa Romano Auctore eodem Beda libr. 3. & 4. Hiſtor. Eccleſ. Anglicanæ. Septimus Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia deſtinatus, Inſulam, in omni Eccleſiaſtica mirum in modum exornauit diſciplina; neque tamen, ait Beda, ex quo Britanniam peruenerunt Angli, feliciora fuere tempora: dum fortiſſimos, Chriſtianoſq; habentes Reges, cunctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota, ad nuper audita cæleſtis regni gaudia, penderent. Neque interim Reges, aut Regnum Angliæ, ab Antichriſto, Pontifice, ſcilicet, Romano, ſe tam ſanctum habuiſſe Archiepiſcopum, aut eius doctrinam Eccleſiaſticam per Inſulam publicatam, Roma allatam, vt ab Antichriſto ſibi communicatam, quęrebantur.

Reſpondetur Hæreticorum tacita obiectioni & continuatur Paræneſis ad Regem Angliæ, &c. Cap. LIII. §. 1.

DICENT forſan Hęretici, qui Regi ſuggeſſere hæc de Antichriſto, ad Pontificem Romanum, applicatam doctrinam: dicetq; cum eis eorum aſſecla Rex: Haud ſe eſſe tam ſtupidos, qui intelligant, vel Ioannem Euangeliſtam, vel Apoſtolum Paulum, agere ad litteram de Pontifice Romano: neque priores Hæreticos, qui hac vſi ſunt, dicēdi *παρρησίᾳ*, verè autem, blaſphemia, hominem illum verum, & realem, qui ab Apoſtolis illis deſignatur, eſſe Papam intellexiſſe: ſed tam ſe, quàm illos, de Antichriſto Tropico intelligere: quaſi Pōtifici Romano, veri futuri Antichriſti mores velint aſſimilari. Et hac quidem via, antiquus eſt in Hæreticis mos, Catholicorum in Eccleſia, à ſupremo Paſtore, vſque ad infimam ouem, carpere mores, taxare defectus, vitia declamare. Quibus piiſſimè, ſicuti doctiſſimè reſpondit, inter alios, Sanct. Mem. Cardin. Hoſius S. Concilij Tridentini Præſes, tam lib. de Legitim. Iudicib. quàm in Iudicio, & cenſura, Miniſtr. Tigurin. &c. de Dogmate contra adorandam Trinitatem. Et quidem, ſi reſponſio ad ſimilia Hæreticorum lamenta breuis eſſet petēda ab Eraſmo, (qui vtinam haud ſe tam beneuolum, ac mitem in Lutherum præſtitiſſet, quique multum, ac diu inter illius diſcipulos verſatus, haud valdè viſus fuit nonnullis, ab illorum diſſidere doctrina,) is Epiſtol. in Pſeudoeuangelicos, ſic habet: [Vos ſtrenuè clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Epiſcoporum, in tyrannidem Romani Pontificis, in garrulitatem Sophiſtarum, in preces, ieiunia, & Miſſas; nec iſta purgari vultis, ſed tolli: nec omninò quicquam in receptis placet: ſed zizaniam euellitis cum tritico: aut, vt melius dicam, triticum euellitis pro zizania. Circumſpice populum iſtum Euangelicum, & obſerua: num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt hi, quos deteſtamini?] Plura alia ſimilia habet hic Auctor ibi, & varijs locis alijs: qui, ſerò ſapuit, ſe deſipuiſſe, ſcribendo,

bendo, quæ vt ipſe fatetur, ſi quis Deus illi prædixiſſet, exoriturum tale ſeculum, vel non ſcripſiſſet, vel ſcripſiſſet aliter.

2 Hac tamen omiſſa friuola ſatis excuſatione, cùm nullum numen abſit, ſi ſit prudentia; & multò minus in Catholico Doctore, qui haud vmquam ea eſt doctrinæ, ſiue ſcribendo, ſiue loquendo, ſparſurus ſemina, ex quibus Hæretici meſſe valeant cumulari fecunda: ad ea, quæ ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt diuinitùs, [vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.] ex Paulo ad Roman. c. 15. ſtilū vertentes, ab orbe condito, ſemper in Eccleſia boni malis permixti fuerunt. Neque nato ipſo Chriſto, qui tantam, ac tam grandem iuſtitiam orbi attulit, vitia eſſe deſierunt: etiam inter eius Apoſtolicæ Scholæ profeſſores. In cælum oportet conſcendat, qui vult locum, vbi nulli reperiantur mali: quamquam & ex cælo Angeli ceciderunt. In terra omnes declinauimus, ſimul inutiles facti ſumus; non eſt qui faciat bonum; non eſt vſque ad vnum: dixit Regius Vates ante hos bis mille annos: & fuit multò ante verum, quàm dictum eſſet; & eſt nunc verius, quàm vellemus.

3 At ſi de ſtatus Eccleſiaſtici Prælatis agendū ſit, ſunt inter eos multi, ac multi boni, ac ſuis Euangelicè ſatisfaciunt muneribus: neque ſi ab hoc adhuc deficiunt, inſectandi ſunt, vel contemnendi: quamuis enim non habeant ſpiritum, quo ipſi ſancti ſint, habent tamen ſpiritum, quo ſanctos alios faciant, ſiue Sacramenta miniſtrando, ſiue prædicando verbum Dei, ſiue alias functiones Eccleſiaſticas exercendo. Cùm enim Euangelium, & Sacramenta efficacia ſint, propter promiſſionem Dei, nō propter miniſtri perſonam; Euangelij, & Sacramentorum energiam noluit Chriſtus, ex miniſtrorum dignitate dependere. Neque enim Euangelium, eſt illorum, ſed Chriſti dicentis: [Qui vos audit, me audit:] nec illorum eſt opus, ſaluos facere auditores, & Credentes: ſed Dei eſt opus, hoc mirabili artificio, æternam ſibi Eccleſiam colligentis.

4 Docuit autem Auguſtinus, ſcribens contra Parmenianū, lib. 3. c. 1. in diſciplina Chriſtiana, quid primùm Credentibus propoſitum eſſe debeat, dicens inter alia: [Cùm omnis pia ratio, & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis, maximè debeat intueri: quod Apoſtolus, ſufferendo inuicem, præcipit cuſtodiri; & quo non cuſtodito, medicinæ vindicta non tantùm ſuperflua, ſed etiam pernicioſa, & propterea iam nec medicina eſſe conuincitur: illi filij mali, qui non odio iniquitatum alienarum, ſed ſtudio contentionum ſuarum, infirmas plebes, iactantia ſui nominis irretitas, vel totas trahere, vel certè diuidere affectant: ſuperbia tumidi, pertinacia veſani, calumnijs inſidioſi, ſeditionibus turbulenti. Ne luce veritatis carere oſtendantur, vmbram rigidæ ſeueritatis obtendunt; & quæ in Scripturis ſanctis, ſalua dilectionis ſinceritate, & cuſtodita pacis vnitate, ad corrigenda fraterna vitia, moderatiori curatione fieri pręcepta ſunt, ad ſacrilegium Schiſ-

matis,& ad occaſionem præciſionis vſurpant.]

5 Deinde,cũ cõſilia ſeparationis, & inania,& pernicioſa,& ſacrilega eſſe dixiſſet:quia, & inopia,& ſuperbia fiunt,& plus perturbãt infirmos bonos,quàm corrigunt animoſos malos,Cypriani proponit exemplum, qui quamuis peſſimos Coëpiſcoporum ſuorum deſcripſiſſet mores: quòd cùm & ornamento eſſe ceteris deberent,& exemplo,Diuina procuratione contempta,procuratores rerum ſecularium fiebant, derelicta Cathedra,plebe deſerta,per alienas Prouincias oberrantes,negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupabantur,eſurientibus in Eccleſia fratribus, habere largiter argentum volebant: fundos, inſidioſis fraudibus,rapiebant: vſuris multiplicantibus, fœnus augebant: tales cùm eos deſcripſiſſet, non ſe tamen ſeparabat ab illis: verùm hæc illorum peccata deflebat: ac Diuinæ cenſuræ,iudicioque permittebat.Quin & in Epiſtola quadam, cùm illa Pauli verba produxiſſet: [In magna domo, non ſolùm vaſa ſunt aurea,& argentea:ſed & lignea,& fictilia.Et quædam quidem honorata,quædam verò inhonorata:]Nos operam demus,inquit,&,quantum poſſumus,laboremus:vt vas aureum, vel argenteum ſimus. Ceterùm fictilia vaſa confringere, Domino ſoli conceſſum eſt: cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt maior Domino ſuo ſeruus: nec quiſquam ſibi, quod ſoli filio Patri tribuit,vendicare poteſt: vt putet, aut ad aream ventilandam,& purgandam, palam ferre ſe iam poſſe: aut à frumento, vniuerſa zizania,humano iudicio,ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor prauus aſſumit. Et dum ſibi ſemper quidam plus, quàm mitis iuſtitia depoſcit, ſumunt,de Eccleſia pereunt:& dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati,veritatis lumen amittunt.]

6 Hic docet Cyprianus,perire de Eccleſia,lumẽq; veritatis amittere, qui ſibi, ſuperba quadam obſtinatione, plus aſſumunt, quàm depoſcit mitis iuſtitia: &, quod ſoli Filio tributum eſt à Patre, ſibi vendicant: vt à tritico zizania ſuo iudicio ſegregent. Quamobrem optimum eſt hac in re conſilium Auguſtini, vt miſericorditer corripiat homo, quod poteſt: quod autẽ non poteſt, patienter ferat: & cum dilectione gemat, atque lugeat,dum,aut Deus deſuper emendet, & corrigat: aut vſque ad meſſem differat eradicare zizaniam, & paleam ventilare. Vt tamen ſecuri de ſalute ſua,bonæ ſpei Chriſtiani,inter deſperatos,quos corripere non valent,in vnitate verſentur, auferant malum à ſe ipſis: id eſt, vt in ipſis non inueniatur,quod in moribus aliorum eis diſplicet.Diuinum eſt hoc ſancti Patris Auguſtini conſilium: à nobis ipſis malum, vt auferamus: quandoquidem ab Eccleſia,vniuerſa mala tollere non poſſumus. Veniet ſuo tempore,qui,& zizania eradicabit, & paleam ventilabit.

7 Neſcimus tamen,(immò ſcimus, conſiderata naturæ lapſæ conditione, niſi ſummo ſtudio conemur, Chriſti IESV Euangelicis eam docu-

mentis reformare,)quomodo proniores ſumus ad malum ex alijs,quàm ex nobiſipſis auferendũ: cùm qui ferre nõ poſſunt mala,quibus laborat Eccleſia,multò ipſi ſint grauiora ſoliti deſignare. Fuit quidem,vt ſuperiùs diximus,Hæreticorum quorumdam placitum,ſeu delirium,Piccardorum videlicet, ſiue fratrum VValdenſium, quòd nullus eſt Dominus Ciuilis,nullus eſt Prælatus,nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali: ſed eam doctrinam, tamquam ſeditioſam,quamuis à Ioanne VVicleffo approbatam, non ſolùm Eccleſia Catholica in Synodo Conſtantienſi congregata, verùm & ipſi noſtri temporis Hæretici alij condemnarunt: ſic enim ea de re ſcribit, qui primus fuit,memoria noſtra, hæreſeωn Architectus: [Hæc ideò,inquit,commemoro,ne Piccardi noſtri vicini Hæretici,infelix populus, qui fœtore Romano gaudet, ſicut Phariſæus ſuper Publicanum: non autem compatitur: ne, inquam, illi nos crederent neſcire vitia,& labes noſtras, & immenſum aduersùs noſtram miſeriam ſuperbirent:ſi nos iſta tacere,& approbare videremur.Scimus, heu,noſtram cauſſam, & dolemus: non autem ſicut Hæretici fugimus,& ſemiuiuum tranſimus: tamquam alienis peccatis pollui timeamus. Quo furioſo timore illi ſic timent: vt non pudeat gloriari, ſeſe ideò fugere, ne polluantur:tanta eſt charitas. Nos verò quò miſeriùs laborat Eccleſia,eò fideliùs aſsiſtimus,& accurrimus,flendo, orando, monendo, obſecrando. Sic enim charitas iubet,alterum alterius onera portare. Non ſicut Hæreticorũ charitas facit,quæ ſolùm commoda quærit alterius,vt potiùs portetur,& nihil moleſti ſuſtineat à peccatis aliorũ. O blaſphematores Dei,& proditores Chriſti! Si Chriſtus feciſſet,ſicut vos facitis, quis vnquam ſaluatus eſſet?] Hæc,de Piccardis,Lutheri fuit ſententia: quos vocat Hæreticos,vocat infelicem populum, vocat blaſphematores Dei,& proditores Chriſti.Neque tamen deſunt intereà meretrices, quæ ſub his quoque lignis frondoſis proſternantur.

8 Sed audiat Rex Angliæ eumdem, hac ipſa de re loquentem in alio quodam libro:[Quòd Romana Eccleſia,à Deo ſit,præ alijs omnibus,honorata,non eſt dubium.Ibi enim ſancti Petrus, & Paulus, quadraginta ſex Romani Pontifices, ac tot centena millia Martyrum,ſanguinem ſuũ fuderunt:infernum,& mortem vicerunt:vt vel palpari queat, quàm ſingularem habeat ad eam Eccleſiam reſpectum Deus. Quòd ſi nunc, proh dolor!res habet Romæ,vt expediret habere meliùs: attamen neque hæc, neque alia cauſſa vlla tàm grandis eſt, nec eſſe poteſt; vt ab Eccleſia illa ſeparatio,aut diſceſsio vlla fieri debeat.Immò quò peius res ibi habet,tantò magis accurrendum, & adhærendum eſt. Per ſeparationem enim,& contemptum,non fit meliùs. Nec dimittendus eſt Deus, propter diabolum:nec vitandi reliqui boni,propter turbam prauam:immò propter nullum peccatum,aut malum,quodcumque excogitari, aut nominari poteſt, debet reſcindi charitas, nec ſpiritualis vnitas diuidi. Charitas

ritas enim omnia poteſt,& vnitati nihil nimium graue eſt. Modica enim charitas,& vnitas eſt,quæ ſinit ſe,propter aliena peccata diuidi.]

9 Nec diuerſum à Luthero ſenſit Ioannes quoque Caluinus, cùm ſcribit c. 8. Symbol. Sect. 10. [Horrendæ ſunt illæ deſcriptiones,quibus Iſaias,Ieremias,Ioel, Habacuc, & alij,Eccleſiæ Ieroſolymitanæ morbos deplorant: in plebe, in Magiſtratibus,omnia vſque adeò corrupta erãt, vt clamet Iſaias: A vertice capitis vſque ad calcem pedis,nihil eſſe illic ſanum. Religio partim contempta, partim contaminata. In moribus partim referuntur furta,rapinæ, cædes,& ſimilia ſcelera. Neque tamen propterea,aut nouas ſibi Eccleſias erigebant, aut noua altaria exſtruebant Prophetæ, in quibus ſeparata ſacrificia haberent: ſed qualeſcumque eſſent homines,quia tamen reputabant,Dominum apud eos verbum ſuum depoſuiſſe,& cæremonias inſtituiſſe,quibus illic colebatur, in medio impiorũ cœtu,puras manus ad Deũ extendebãt. Certè ſi putaſſent, aliquid inde ſe cõtagionis cõtrahere;cẽties potiùs mortui fuiſſent,quàm paſſi fuiſsẽt illuc ſe pertrahi. Nihil ergo eos retinebat, quominùs diſceſſionẽ facerent;quàm ſeruandæ vnitatis ſtudium. Quòd ſi religio ſanctis Prophetis fuit, ob plurima, & maxima ſcelera non vnius, aut alterius hominis,ſed propemodum totius populi,ſe ab Eccleſia alienare:nimiùm nobis arrogamus,ſi protinùs audemus,ab Eccleſiæ communione deficere: vbi non omnium mores, vel noſtro iudicio, vel Chriſtianæ etiam profeſſioni ſatisfaciunt. Iam Chriſti, & Apoſtolorum ſeculum quale fuit? neque tamen impedire potuit deſperata illa Phariſæorum impietas, &, quæ tum paſſim regnabat,diſſoluta viuendi licentia, quin iiſdem ſacris cum populo vterentur,& in vnũ cum reliquis templum, ad publica religionis exercitia,conuenirent. Vnde id? niſi quia ſciebant, malorum ſocietate minimè pollui, qui pura conſcientia, iiſdem ſacris communicarent. Si quem parum mouent Prophetæ,& Apoſtoli, ille ſaltem Chriſti auctoritati acquieſcat:] Hactenùs Caluinus.

10 Fuere quidẽ hæc ab vtroque valde piè, valde verè,ac circũſpectè ſcripta:ſed intereà tamẽ vtrumq; Prophetæ, Apoſtoli, & Chriſtus parũ mouerũt: impiiſſimè enim factum eſt ab vtroque,quòd ſe ipſos tamdem tam ſancta, tamque ſalubria monentes non audierunt: & ab Eccleſia Catholica, per ſummum ſacrilegium, diſceſſionem facientes, aliis, vt idem facerent exemplum, & auctores præiuere. Quæ res quantas orbi Chriſtiano calamitates attulerit, quantas ediderit ſtrages,lingua noſtra,immò nullo humano ſermone ſatis poterit explicari. Quid autem eo eſſe poteſt in hac controuerſia verius, quàm, quod ſcribit Lutherus? [Nullam eſſe poſſe tam grandem cauſſam,vt,propter eam, ab Eccleſia Romana ſeparationem,aut diſceſſionem facere liceat.] Et quid vbi neq; parua eſt cauſſa? Quid ad vos Rex Angliæ, de Romanæ Curiæ Cardinalium dignitate? Quid de ſummi Pontificis electione? Extremo cùm ſitis

orb e diſsiti Britanni, nihil miramur, grandi harum rerum ignoratione teneri: quæ viſa, ingentem in veſtris animis reuerentiam ad Romanam Curiam, & eius Eccleſiaſticam amplitudinem, generarent: conſideranti-bus, immò manuali praxi experientibus, ſummam, (quæ certè ſumma eſt,) Pontificiæ Curiæ Maieſtatem, ſuper admiranda ſummi Pontificis humilitate fundari, ſuper incredibili Cardinaliũ requieſcere comitate.

11 Quia tamen ad finem noſtri Tractatus properamus: neque ſcribere animus eſt Apologias, hæc pauca, quæ charitas Chriſti vrgens nos, à noſtro extorſit calamo, obſecramus, vt Regio animo excipiatis, ac memineritis dictum, & doctum à Platone, *ἀκίνητα μὴ κινεῖν*. Quæ ergo Eccleſiaſtica Romana efficienda, circa ſuum regimen, præſcripſit diſciplina, magno illi conſtitere: ſudauit, & alſit Curia vniuerſa, pluribus, maximiſque edocta experientijs, priuſquàm ad illum agendi ordinem, & ſplendorem, quo res omnes in ea adminiſtrantur, attingeret: modò non eſt inquietandus à Principibus Chriſtianis: ſed potiùs in ſui decoris perſeuerantia confouendus.

12 Deinde cùm, de requie Enoch, & Eliæ, vos videmus diſſerere, haud obliuiſci poſſumus Thaletis Mileſij, de quo fertur, dum noctu cælum contemplaretur, in ſcrobem incidiſſe, quod ridens ancilla, *δίκαια ταθεῖν, ἔφη, ὅ ς τὰ παρὰ ποσὶν ἀγνοῶν, τὰ ἐν οὐρανῷ ἰσκόπει*, intima ea, quæ Romæ cuicumque ſunt peruia, ac cognita extero, ignoratis: altiſſima, & nobis extima inquiritis: in quibus quæſtionibus, vel ipſis ſacris Doctoribus, qui ſpiritu Intellectus à Deo fuere donati, tuta dubitatio; quo genere philoſophari, & cautè indocti poſſunt, & docti glorioſè. Hoc vnum certiſſimè ſcimus, plus eſſe Enoch, & Eliam, de veſtro, quàm vos, de illorum Paradiſo ſolicitos. Neque enim, vt ex Eraſmi *ἀμφιβίου*, hauſiſtis illis ſcriptis, (de quibus ipſe faſſus eſt, ſi Aſtrologicam conſuluiſſet pietatem, vel numquam, vel aliter ab eo fuiſſe ſcribenda,) quæ in cælis in æterno Sãctorum animarum receptaculo, in æternam eſt felicitatem collocata, Virgo Theotocos, eſt vmquam à terrenis gaudijs, vlla terrenarum rerũ cura, aut ſolicitudine auocanda: vt, ſcilicet, ab aliqua, ſiue Angelica, Apoſtatica facultate, ſiue humana intercedente iniuria, à Pãtris, & Filij, & Spiritus ſancti poſſit dimoueri glorioſo conſpectu; quod, & ceteris Sanctis cæleſtibus Indigetibus, cum illa commune eſt. Hoc tamen non ſolùm non vetat, & eam, & eos, noſtra curare, vt contra veſtra verba, verba hæc protulerit Cyprianus, libr. de Mortal. Serm. 4. [Magnus illic nos charorum numerus exſpectat: parentum, fratrum, filiorum, frequẽs nos, & copioſa turba deſiderat: iam de ſua immortalitate ſecura, & adhùc de noſtra ſalute ſolicita.] Sic S. Cuthbertus olim, vt legiſtis, Deo fruens, afflicti Regis Angliæ curabat gemitus, & ſuſpiria; ſic Petrus Apoſtolus alterius Regis, ſine cura, poſteritatem procurabat.

13 Curant ergo Sancti perpetua quiete fruentes de nobis, ſine cura;

ſine

ſine ſolicitudine, ſoliciti ſunt; neque, cùm ex doctrina lib. Iob, ad aliquem Sanctorum conuertimur, illius nos precibus commendantes, eum à cæleſtibus gaudijs, vel auocamus, vel impedimus: neque eſt in illa ſuæ felicitatis æternitate momentum, in quo tot ſancti Reges Britanniæ, & Scotiæ prædeceſſores veſtri, quaſi qui in Verbo ea, quæ ad Angliæ, & Scotiæ ſtatum pertinent, vt propriora, propriùs ac clariùs intuentur, non nouas ad Deum preces fundant: vt vobis eam inſpiret mentem, qua ipſos, veluti amicos Dei, & ab Regis Regum ſecretis, adeatis, humiliter eos deprecantes, vt quam, charitate propria, pro vobis orandi Deum, prouinciam ſuſceperunt, propẽſiore eam ſuſcipiant beneuolentia, à veſtrijs pijs precibus incitati.

14 Ergo hac præuia Eccleſiaſtica, ac Chriſtiana doctrina, vera narramus, Enoch, ſcilicet, & Eliam, qui ſiue in Paradiſo terreſtri primò creato, ſiue in aliquo refrigerij loco, quem illis Deus, Paradiſum, ac requiẽ deſtinarit, ea praſtantes charitate, quæ cum Deo vniens, omnes mortales vellet, eodem amoris nexu cum eo vniri, & pro regnis, & pro Regibus Angliæ, & Scotię Deo Omnipotenti ſupplicare ſolicitè, ea ſolicitudinis differentia, quòd vos Theoricè, de illorum diſputatis manſionibus, otij multum, curæ plus, quaſi in ijs, quæ vt ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐ πρὸς ἡμᾶς, vt dicebat Socrates, inſumatis, vtilitatis nihil inde percipientes: illi Practicè, vobis commodi ſint multum, ſi noſtris acquieſcatis monitis, allaturi.

15 Forſan, vel contemnetis, vel irridebitis hæc; neque ad vos accedere patiemini: at nos ſcimus, charitati inuiam nullam eſſe viam: ridete igitur, qui tranſubſtantiationem totius ſubſtantiæ panis, & vini, in totum corpus, & totum Chriſti Domini ſanguinem, in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento negatis, quam Patres trecentum duodeuiginti in ſacro Concilio 1. Nicæno, & Patres in Epheſino. 1. (de re loquimur, non de nomine) cõfeſſi ſunt: (quę Concilia vos ſuſcipere fatemini) ridete, inquam, veſtros Anglos, Henrici Regis auſpicijs, (referente Aenea Syluio, lib. 3. Cõm. in Panor.) in Gallia ab hoſte circumuentos, nullas pacis conditiones admittente, mutua peccatorum confeſsione luſtratos, pauxillum terræ in memoriam SS. Sacramenti, in quo Chriſtus ipſe Dominus verè, & realiter ſumitur, deuoraſſe; cùm inſignem de ſuperbo hoſte victoriam reportarunt. Quòd ſi hæc ridetis, rideatis oportet, ſub Matthia Hungariæ Rege, Stephani Batori Tranſyluaniæ Præfecti, ductu, Milites cum hoſte congreſſuros, myſticam terram, pro Euchariſtiæ Sacramento, ſumpſiſſe. Auctore Bonfinio, libr. 6. Decad. 4. Rideatis inſuper Andronicum ſeniorem Imperatorem, decumbentem, cùm ad reſtinguendum feruorem ſanguinis, frigida, pro more, vſus eſſet: eaque occaſione, ſpiritus etiam deficere cerneret, & propter intempeſtam noctem, neminem reperiret, qui ſibi Diuina myſteria impertiretur, ſurrexiſſe, & gra-

tias egiſſe Deo; atque pro ſalute animæ ſuæ, cum multis lacrymis deprecatum, ſacram Dei genitricis imaginem, (qui irridetis etiam imagines) quam in ſinu geſtabat, loco Diuinorum myſteriorum in os inſeruiſſe: cumq; in lecto conſediſſet, ſtatim priuſquam diluxiſſet, ingenti, ex hac diligentia, recreatione conſolatum, exſpiraſſe. Auctor eſt Gregoras lib.9. Scimus ſcriptum eſſe ab Auguſtino, de ſimilibus caſibus: [Crede, & manducaſti:] ſed hoc ferebat tanta deuotio.

16 Quòd ſi ſemel Chriſtianorum Patrum noſtrorum bene geſta irridenda ſunt, quæ debuiſſemus potiùs, & venerari, & imitari, irridete etiam, apud veſtros Anglos, referente Balæo, Centur.2.cap.32. de Anno nongenteſimo quinquageſimo, cœpiſſe Sanctorũ corpora è terris eleuari, & certis cæremonijs, ac religione ſingulari in capſas aureas reponi. Et Archiepiſcopus Cantuarienſis Odo, Vuilfridi, & Andoëni Monachorum noſtrorum, ac Beatorum Epiſcoporum corpora Cantuariam transferri fecit. Hæc omnia ſi irrideantur, & vniuerſa Eccleſiæ inſtitutio, & Rerumpublicarum conſtitutio, & mundi vniuerſi per Chriſtum facta reſtitutio, quia humano, vel non capitur, vel menſuratur ingenio, irrideatur: & omnia tamdem, quæ Caluini non redoleant bimeſtres, vel trimeſtres, vel annuas Inſtitutiones, riſui habeantur, quaſi inſipientia: nam interim Diuina Sapiētia ſuis ſtans promiſſis, in Gentium eſt interitu talium, cùm tempus acceperit, irriſura.

17 Interim igitur dum Scholã Anglicam à S. Ina Rege prædeceſſore veſtro Romæ collapſam reædificatis; in qua Regum filij, ac multi futuri in Anglia Epiſcopi, & Sacerdotes, Eccleſiaſtica inſtituantur, iuxta menſes priſtinos diſciplina, ſecundùm dies, quibus Deus ſingulariſſima protectione veſtrorum Maiorum Regum merita, ac ſua dona coronans, cuſtodiebat eos: Quando ſplendebat lucerna eius ſuper capita eorum, & ad lumen illius ambulabant in tenebris: Sicut fuit in diebus adoleſcentiæ conuerſionis Angliæ gentis, quando Deus erat ſecretò in tabernaculis eius: Quando erat Omnipotens cum Regibus, & in circuitu eorum, abſque vlla formidine, pueri eorum: Quando lauabant butyro innocentiæ pedes ſuos, & Romanæ Eccleſiæ petra fundebat illis riuos olei, Paſtorum & Doctorum, ad eorum, & totius gentis conſummationē: Quando Principes exteri ad tantæ Diuinæ beneficentię manifeſtationē, ceſſabant loqui, & digitum imponebant ori ſuo: Vocem ſuam cohibebāt Regum hoſtium duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat: Auris per orbem audiens, beatificabat eos, & oculus videns, teſtimonium reddebat eis: Eò quòd fidem Catholicam, Apoſtolicam, Romanam inuiolatam conſeruarent, ac ſummis Pontificibus in omnibus, quòd Reges decet, ſe deuotos exhiberent. Interim igitur dum hæc cum Rege B. Iob cap. 29. habeant dicti Reges communia; ſicuti ſui habuerunt Maiores, præſentis ſtatus abiecta conuerſatione, fide Catholica, quæ exſulat, in-

Pro-

Prouincias illas publicè reſtituta, omni abiurata hæreſi, atque à ſummo Pontifice benedictione percepta; obſecramus vos, Rex Sereniſſime, in Domino IESV Nazareno, Rege eius nomini confitentiũ, vt ex præiudicato Angliæ more, & exemplo, quod vobis præ oculis exponemus, facinus glorioſum, ac Rege docto dignum efficere aggrediamini.

18 Sed adhùc priuſquàm nos exponendum hoc Regium opus aggrediamur: vobis in memoriam reducimus, quando de Anno 1554. Philippus II. Rex Catholicus Ætern. Memor. in Angliam venit, Mariam Reginam optimam in matrimonium ducturus, ſecum ex Hiſpania adduxiſſe viros quoſdam, & religione, & doctrina inſignes, quales quidem viri omni veneratione digniſſimi, non minorem ſanè decorem Regio afferunt Comitatui, quàm vllus adſtantium ſtipatorum, Magnatumve, ſeu Megiſtanum Illuſtriſsimorum ſplendor; arma namq; cælata Minerua, ſeu Minerua armata, eas res conficiunt in orbe, quas inermis prudentia, vel imprudens haud vmquam potentia confeciſſent. Fuere inter hos Doctores F. Petrus de Soto, ex Dominicana Religione, vir & grauitate, & ſanctitate celebris, qui Tridenti in Concilio defunctus eſt, & Fr. Alfonſus de Caſtro, ex Ordine S. Franciſci, cuius pietas, & doctrina ex libris ſuis, & præcipuè quos aduersùs Hæreticos edidit notæ ſunt, quique contra eos pugnans Bruxellis obijt: tum etiam Fr. Ioannes de Villagarcia, etiam Dominicanus, vir omni eruditione, ac facundia incomparabilis: qui omnes & ſanctitatis, & eruditionis ſingularis gratiſsimam apud bonos omnes ſui memoriam reliquerunt. Ex his Pater Ioan. de Villagarcia aliquot annis Oxonij ſacras Litteras, magno ſtudio, ac labore perlegit, diſputationes exercuit, veraq; Theologiæ quaſi fundamenta quædam reſtituit. Qui cùm toto illo tempore, his ſtudijs Orthodoxæ doctrinæ tradendæ, hæreſumq; confutandarum operã dediſſet, permultoſq; haberet in illa Academia diſcipulos, quos ille vnicè diligebat, quaſi ſpem alteram Angliæ, in priſtinum Catholicæ fidei ſtatum, per eorum doctrinam, & prædicationem, reſtituendæ; ad poſtremum, cùm defuncta iam pijſsima Regina Maria, animaduerteret, quò ſe Religionis ſtatus inclinaret, nullam prætermiſit occaſionem, (quantum in ipſo fuit homine extero) Hæreticorum, Inſulam doctrinis falſis, & peregrinis à vera fide abducentium, conatibus obuiandi.

19 Ab eo tempore, numquam vel Oxonij, vel alibi in illis Inſulis ſacra doctrina, Orthodoxa diſciplina, ac Theologica ſapientia floruit, immò ipſa Philoſophia naturalis, illius Ancilla, ad Dominæ caſum cecidit: vnde nihil eſt mirum, Regem Angliæ, arguta effugia, & Sophiſticas appellare diſtinctiunculas, eam doctrinam, qua ſacri Doctores feliciora, quàm ſint noſtra, ex Græcia, ac Latio Ethnicorum Philoſophorum ingenia, ad fidei Catholicæ, ac Theologiæ ſacræ adoranda adyta perduxere. Nec ideò illis regnis homines defuere, & ſanctitate, & ſcientia il-

luſtres, qui quantumuis patrijs ſedibus, propter Chriſti fidē extorres, & monitis, & libris, tam proprio, quàm Latino idiomate, ſcriptis, fratres ſuos Catholicos in fide ſolidarent, Hæreticos ad fidem reducerēt. Exſtitere, inter alios, grauiſsimi, ac ſapientiſsimi Theologiæ, & Iuriſprudentiæ Doctores commendandi Thomas Hardingus, Nicolaus Sanderus. Thomas Heskynus, Alanus Copus, Ioannes Raſtellus, Thomas Dormarus, Ioannes Martialis, Georgius Bullogus, Edmundus Campianus, Thomas Stapletonus, Vinzetus Abbas, D. Gregorius Sayrus, Monachus Caſsinen. & Piæ Mem. clariſsimi, ac doctiſsimi Cardinales Reginaldus Polus, & Alanus. Sed quid? Horum libri poſtremis his annis in Anglia interdicti ſunt: idque grauiſsimis Edictis, mulctiſque magnis additis: tantaque ſeueritate id ab illis hoc tempore obſeruatur, vt nullum fere angulum non perſcrutatum relinquant. At qui viri? quàm egregij? Euangelij ſui, videlicet, non Chriſti Domini Euangelij defenſores. Et qui priùs Catholicos, non aliquot, ſed omnes, ad ſcribendum, coram populo frequentiſsimo, ſumma vocis contentione, vultu, & audaci, & confidenti, ſæpius prouocabant; iidem nunc non permittunt, vel vllum Catholicorum librum in vulgari lingua à populo legi: & quod veritate non valent efficere, populi abutentes ignorantia conſequuntur.

20 Atqui olim æquum putabant, vt ſui libri, ſaltem vulgo permitterentur, Catholicoſque maximè inſimulabant iniuſtitiæ, quòd & Hæreticos libros, & ipſos Auctores ſimul paſsim comburebant. Quod ſi iniquum vmquam, aut iniuſtum in alijs fuit, quod certè non fuit, cur ipſi nunc id ipſum quod reuerà iniquum eſt, committunt? Sed ſcopum intentum, vt pertingamus, prætermittimus multa, quæ commemorari poterant, quæ cùm in Catholicis iniquiſsima eſſe calumniarentur, eadem tamen cùm ipſi faciunt, probant maximè: talis enim eſt apud illos legis naturalis commentatio. Illis bellum gerere contra quemlibet licet; de medio quoque tollere, per inſidias quos velint, etiam viros Principes: Catholicis nec iuſtiſsima arma ſuſcipere in Sectarios fas erit, immò vix contra oppugnatorem Turcam, ſe ſuoſque defendere. Illi non debere ſe, aiebant antea, ad fidem vlla ratione cogi: nunc ipſi quoſuis trahunt ad inaudita quædam, & perabſurda præſtanda iuramenta contra fidem, ac S. ſedem Apoſtolicam, fidelitatis Ciuilis inſignita in fronte, ſed quibus interiùs ipſius fidei Catholicæ ædificium quatiatur. Ergo ſic vobis imponi ſinetis Reges, & Principes Angliæ, & Scotiæ ab his ſeductoribus Sectarijs? eorum, dicetis, eſſe Reformatam religionem, qui Punica, ſeu Turcica fide, quam in Principes, & vniuersè in omnes homines ſeruant, noui Euangelij conſtituendi initia, & ſucceſſus, à ſeditione, conſpiratione, Principum Parentum veſtrorum oppugnatione, circumuentione, profugatione, calumnia, ac tamdem crudeli occiſione ſunt auſpicati? Caue Rex; nec dicas, tibi non prædictum:

Non

Non alios tali ſperabis ab arbore fructus.

21 Neque ſumus obliti, nobis opponi poſſe, Catholicos aliquot, (quod facere nõ debuiſſent) conſpirationis in Regẽ Angliæ extitiſſe Auctores, hiſce vltimis annis: nam aliud eſt, quod homines proprijs affectibus indulgentes præſtant, aliud quod ex præſcripto alicuius inſtitutionis: neque de ſtatu, propter ſtãtes, ſed de ſtantibus, propter ſtatum, iudicandum eſt. Catholica diſciplina non docet, Reges, aut Principes, ſubditorum manibus è medio tollendos: tumultus cõtinet, cõſpirationes vetat, inhibet ſeditiones, modeſtis, & diſcolis Dominis, præcipit, ab omnibus Chriſtianis obtemperari. Hic eſt ſtatus; Hunc, vel illum Chriſtianũ, ſuæ fidei, & obligationis oblitum, in ſuum Principem conſpirare, ad ſtantes pertinet: nec magis inde licet, contra ſtatum arguere, quàm licet, vniuerſam Dei Omnipotentis hominibus impoſitam legem traducere, quòd tot homines exleges, à Protoplaſto Adamo, illam contemnant, innumeris flagitijs deſignatis.

22 Hinc miramur, Regem aliàs, ex attentatis, & præſumptis quorũdam Imperatorum geſtis, contra ſummorum Pontificum Romanorum auctoritatem, collegiſſe argumentum, ad eam vel deprimendam, vel abnegandam: cùm ſimili conſequutione, poſſet, contra Regis, vel Principis cuiuſq; Edicta iuſta, immò contra Regis Regum ſacra mandata, arguere ex eo, quòd procaces aliqui ea prætereant ſubditi, ſceleratiuè homines tranſgrediantur. Et quid eſt opus aliundè conſequentias inueſtigare? hac enim arguendi forma probata, ſic licet colligere: Subditi, & vaſſalli Regum Scotiæ Henrici Stuarti, & Mariæ Stuartæ, contra eos rebellarunt: Ergo non erant legitimi Scotiæ Reges. Et vlteriùs, Ergo Iacobus eorum filius, non eſt legitimus Scotiæ Rex. Valeant ergo hæ collectiones, à lege, vel Principibus violatis, ad legis, vel Principum infringendam Maieſtatem.

23 Igitur cùm Chriſtiana inſtitutio ſuos hortetur profeſſores, ad ſummam obedientiam Principibus exhibendam: ad quid verò Hæreticorum incitet doctrina, oſtenderimus ſupra; quid ſcripſerit de hoc Eraſmus in Epiſtola illa ad Pſeudoeuangelicos, non pigeat audire: [Numquam eorũ Eccleſias, inquit, ſum ingreſſus; ſed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo ſpiritu afflatos, vultibus omnium, iracundiam, ac ferociam miram præ ſe ferentibus.] Apud hos ergo, & concionatores, & auditores, conſpirationes in Principes & inſpirantur, & perficiuntur; ſi apud Catholicos, aliquis ſimili reperiatur implicitus culpa, deſperationi forſan, conceptę ex iniuſtis geſtis Principis, (quamq;, ſicuti ſcit Princeps, ex lib. 2. Reg. cap. 2. eſſe periculoſam, ſcire debebat Catholicus, eſſe modeſtia Chriſtiana refrenandam:) adſcribendum eſt: neque inde, totus eſt ſtatus Catholicus ſubſannãdus. Et pro vno hoc exemplo, ſuccedant plura Catholicorum, qui Reges Angliæ venerantes, ab eis iniuſtè occiſi ſunt.

Quid ſit Regi Angliæ faciendum, pro exſtirpatione hæreſeon ab illis Inſulis: & concluditur Paræneſis ad eum. Cap. LIV. §. 1.

ET vt ad Thema, à nobis Regi Sereniſſimo proponendum, accedamus: meminiſſe oportet, Polydor. Virgil. libr. 26. Angliæ Hiſtor. ſic ſcripſiſſe: [Tantùm apud Anglos ordini tribuitur, vt Sacerdoti, vel de Maieſtate damnato, aliijsve ſontibus, qui reliquis initiati ſunt Ordinibus, vita concedatur: ijs etiam, qui legere ſciunt, præter Maieſtatis crimen, damnatis, vita conceditur, carceribus incluſis. Quòd ſi caſu euaſerint, ne ſpes vlla vitæ ampliùs ſit, in palma manus ſiniſtræ, ſub pollice inuritur homicidis M. littera: quia Anglicè *Murdre*, homicidium dicitur: furibus verò T. quòd fur T*heſbt*, vocatur. Qui ſic Stigmatiæ effecti, ſi in peccato rurſus inuenti fuerint, tùm meritas illicò dant pœnas. Cuius inſtituti Auctor fuit Henricus VII. in Conſilio. Anno regni 2.] Tantùm apud Anglos Sacerdotali conceſſum ordini! Tanti Eccleſiaſtici ſtatus venerata maieſtas! Tanti. Et ſcientes ſolùm legere, & Alphabetarij, qui tam longè diſtant, vt inter Eccleſiaſticos cenſeantur, eo, Regibus, & genti Anglorum viſi ſunt, in honore habendi, vt Eccleſiaſticos in ſpe, Eccleſiaſticorum in re, eadem, vel ſimilia priuilegia tuerentur. Et quid hiſce vltimis temporibus factũ eſt cum doctiſſimis, & ſanctiſſimis viris? Aliquid in ſuperioribus delibauimus; & credimus, haud vrgendo rem, ſed tacendo, plus nos eſſe dicturos: cùm negligentiùs, & impropriùs lingua depingenda, ſub velo ſilentij ſint penitiùs explicanda.

2 Diximus ergo, ex præiudicato Anglorum Gentis facto, quod Regi facinus Regium aggrediendum forè cenſeremus. Eſto enim, Principibus, (vniuersè loquamur,) nolẽtibus ſuorum ſubditorum, & domeſticorum, vti miniſterijs quibuſq;: vel quia, ex Chriſti Domini doctrina: [Propheta nemo acceptus eſt in patria ſua:] nam hominum eſt, facile eos, quos domeſticè agnoſcunt, contemnere: vel quia, etiam imaginatione comprehenſæ, ſæpiùs illis ſuffragentur eorum culpæ, in quibus culpas optaſſent, veriùs reperiri: vel quia, quibus domeſticę vileſcunt, oportet, vt, vel ex India, deſideratæ merces accerſantur; vel vltimò, quia id ſic ferat rei, & temporis ratio, & neceſſitas: ſaltem ad noſtrum propoſitum, vt cęterorũ nullum hic concurrat, hoc habemus exemplum rei ſequentis geſtæ in Anglia: referente Sigonio lib. 12. Imperij Occidentalis.

3 Agricola Seueriani filius, Britanniam Pelagiana hæreſi maculauit. Britanni, cùm neque peruerſam doctrinam, qua gratia Chriſti peruertebatur, ſuſcipere vellent; neque fallacias contrariæ opinionis refutare verbis valerent: auxilium à Gallicanis Epiſcopis poſtularunt. Illi Germanum Antiſiodorenſem, & Lupum Trecaſſinum Epiſcopos, ad id mu-

neris

neris delegerunt. Qui, teſte Beda, iuſſis eorum obedientes, continuò iter ingreſsi ſunt, atque ad portum profecti, traijciendi cauſſa, oram ſoluerunt. Dum autem curſum proſperè tenent, ecce derepentè, ſummã cæli, mariſq; tranquillitatem, ſæua adeò ventorum, vndarumq; tempeſtas inuoluit, vt parum abeſſet, quin nauis obrueretur. Tum S. Germanus, à ceteris metu trepidantibus, excitatus, Chriſti nomen implorat, atque aſpergine aquę accepto, in nomine S. Trinitatis, ventos, fluctuſq; perfurentes compeſcuit: quo facto, ſecundo rurſus aſpirante vento, reliquum nauigationis confectum eſt. Sacerdotes, benigno incolarum occurſu excepti, ſtatim populum illum, opinione, prædicatione, ac virtutibus impleuerunt. Cùm immundos ſpiritus ex obſeſsis corporibus pellerent, ipſos audierunt, apertè concitatam à ſe tempeſtatem, & illa conflata pericula, confitentes. Cùm autem pleriq; ciuium, rectæ aſſenſi doctrinæ fuiſſent: tamdem, qui in pertinacia manſerant, benè culti, ac comitati proceſſere in medium. Et cùm, ad inſignis colloquij ſpectaculum, omnis ætatis, ſexus, graduſq; homines confluxiſſent, à Sacerdotibus copiam diſputandi obtinuerunt. demum autem, cùm nuda, & inania verba loquuti, ac certis ſubinde Diuinæ Scripturæ teſtimonijs conuicti, reſpondere non poſſent, ſe erraſſe confeſſi ſunt. Ita Concilium, ingenti populi clamore dimiſſum.]

4 Neque ſegniùs Scotica Gens (cum vtraque enim eſt nobis ſermo,) vtilitatem ab exteris, quando, & rei occaſio, & præſens illud poſtularet commoditas, procurauit. Sic enim ſcribit Hect. Boet. lib. 2. de Rebus eorum geſtis. [Hiſpani duo Philoſophi Athenas profecturi, vi tempeſtatis in Scotorum littus eiecti, & ad Regem Ioſinã ducti, hoſpitalitatis ergò, ſolum Scoticum, maiores diuitias intra ſua viſcera, quàm in ſuperficie, continere edocuerunt, & ad metalla inquirenda animos addidere: quin etiam, vt, ferarum abdicato cultu, (quem à maioribus ſuis, Aegypto oriundis, acceperant,) vnum Deum cæli colerent, non paucis perſuaſerunt.] Felices, ac veri Philoſophi, verę ſapientiæ amici, qui vanitatem forſan plurium ſcientiarum, vt diſcipuli, Athenis edocendi, veritatem vnius Dei, vt Magiſtri, Gentem Scoticam docuerunt.

5 Ecce Britannia, ecce Scotia Prouinciæ, à Gallis, ab Hiſpanis haurire non erubuerunt inſtitutionem, ac pietatem, circa gratiæ Chriſti IESV efficacitatem, ac vnius Dei cultum; quæ hodie quantum egeant Catholicæ, Apoſtolicæq; veræ, audiendæ, ac percipiendæ fidei, conſiderent Rex, & ſua Regna, cùm Caluini profiteantur doctrinam: hoc eſt, non vnam hæreſim Pelagianam, ſed eam, in qua omnes veteres hæreſes, ſimul penè ab inferis ſuſcitantur: in compendium antiqui Protohæreticorum omnes errores reducuntur: ac quicquid vel illi dixerunt, vel errando plus dicerent, vel poſteriores, ac futuri, ſunt Hæretici, contra veram Catholicam fidem, Orthodoxamq; prolaturi doctrinam, id omne Cal-

uini Inſtitutiones, vel in meſſe produnt, vel in ſemine præſtant. Neque enim opus eſt, aliundè Chriſtianiſmi per partes quærere abolitionem: cùm eam ſimultaneam, vnius Caluini ſcripta, vna Synopſi valeant demonſtrare. Qua præmiſſa veritate, Regium erit opus, ac ſuis dignum Maioribus, ſi Rex Britanniæ, & Scotiæ, & ſua Parlamenta, & Regna, à Summo Pontifice Romano poſtulent, Eccleſiæ, cui præſidet, communioni reſtitui; & ſibi Doctores Catholicos, ac Orthodoxos Prędicatores mitti ex Italia, Gallia, Hiſpania, & vbicumq; Apoſtolica viget diſciplina; qui ſimul cum pluribus Catholicis Doctoribus, & Prædicatoribus, quos habent illæ Prouinciæ, vel extorres ſedibus proprijs, propter fidem, vel occultè ibidem commorantes, tantam Chriſtianorum multitudinem, cum ſuis falſis prophetis, ad Matris Eccleſiæ gremium reducant, vera luce Euangelij, poſt tot, ac tantas tenebras, pro maiori parte Schiſmaticis, & Hæreticis illis Inſulis, reſtituta.

6 Hoc poſtulatum, Rex Sereniſſime, eſt tam iuſtum, quàm eſt certum, ex Caluini perdita vita, nefarijs conatibus, & ſanguinarijs in leges, & Reges ſuſceptis conſilijs, Regnorum, ac Rerumpublicarum plurium termiſeranda excidia ſucceſſiſſe. Non Rex, non Lex, non Reſpublica, non Principatus, vbicumq; Caluinus fuit exceptus, vel eius fuit auſcultata doctrina, immanem vim, Tartareaſq; hominis furias euadere potuerunt: quo minùs ima ſummis, in vtraq; Republica, & Spirituali, & Politica, verteret: quo effectum eſt, vt florentiſſimæ aliàs prouinciæ, ſanguinarijs Caluini conſilijs, ſint vſque ad proteruiam, (quod in ſacrificijs olim dicebatur,) deuaſtatæ. Eſto ergo, & Turcæ communi inimico eſſet propoſitum, Doctorem quemdam, ſimilia, in pluribus ex ſuis ditionibus, occaſione explicationis ſui Alcorani, perpetraſſe: & poſt illius ſepultos Manes, ad eius diſcipulos, eiuſdem doctrinæ hæredes, eumdem ſimul ſpiritum, quaſi cum ea legatum inſociabile deriuatum; an Turca hoc denegaret, vt cum antiquis Alcorani Enarratoribus ſentiretur, ac eorum diſcipuli audirentur, & doctrina illa noua expellertur, quæ ea in ſua Republica excidia, eas vaſtationes, & diſcordias, ea diſſidia generaſſet?

7 Quod ergo Barbara Poteſtas efficeret, à Rege fieri, exculto diſciplinis humanioribus, poſtulamus; ne, doctrinam Caluini in illis receptam regnis, Caluinoturciſticam iam à doctiſſimis Theologis æſtimatā, ipſum Mahomethi Alcoranum potiùs æſtimemus, belli iure, non rationum pondere contutatum. Et quidem, ſi cum Caluino, lege præfata Henrici VII. Angliæ Regis, fuiſſet actum, quem è carceribus Galliæ Stigmatiam, (ſiue vt Cicero loquitur, Stigmaticum,) exteræ ſuſcepere Nationes, non ad illius credenda dogmata, ſed ad flammis ſemel eradenda ſtigmata, excipere debuiſſent: ne doctrina Chriſti, ſuper cuius dorſum fabricauerunt peccatores, propter delicta aliena, doctrina Caluini ſuper cuius dorſum fabricauerunt iuſti, propter ſcelera propria, tam impiè fuiſſet

con-

conſpurcata. Sed hoc,eſt orſa reſpicere, quæ tamquam facta, fieri nequeunt infecta:cùm,qui inſtant,optemus,finibus medicari. Portét ergo, Rex Sereniſsime,& Regna fortiſsima, in ſuis animis ſtigmata Caluini, Caluiniſtæ, Caluiniſtæ pacifici, Caluiniſtæ cauſſarij,Caluiniſtæ liberi, Caluinopapiſtæ: vos portate, cum Apoſtolo Paulo, in corporibus veſtris,immò & in animis ſtigmata Domini IESV: vt nemo ex illis vobis vlteriùs moleſtus ſit. Filij Sanctorum eſtis, nolite in impietate hæreſis perdurare. Filij eſtis eorum,qui olim Catholici,ambulabant in luce,vt filij illorum luminis ambulate. Abijcite opera tenebrarum,& induimini arma lucis:neque,vt ex Tertulliano vidiſtis,à quibus eſtis ſemel contenebrati,ſperetis, vos eſſe in poſterum illuſtrandos.

8 Et quid, Rex Sereniſſime? hanc ne laudem velletis, ab Henrico Friderico filio Principe,vobis eſſe præreptam:vt per illum glorioſè, ad Eccleſiæ Catholicæ,Apoſtolicæ, Romanæ vnionem,fiat omnium veſtrarum ditionum reconciliatio,quod per vos glorioſiùs præſtari poteſt?Pater eſtis, ille filius: non filij parentibus, ſed parentes filijs εἰς ἄυριον τίθῦσι, Theſauros, videlicet, eſt à natura inſitum, corrogare. Et quod nam ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ illuſtrius Principi, futuro Regi,relinqueris,quàm Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ fidei profeſſionem? Audite Regem, facientẽ Principem, ſucceſſurum ſibi Regem,Regio dono ditiſſimum, immò ditiorem ditiſſimis Regibus,Dei veri,fidei certæ,doctrinæ ſolidæ, ſemitas declinantibus. [Audi,fili mi,diſciplinam patris tui:] Prouerb.cap.1.[& ne dimittas legem matris tuæ:vt addatur gratia capiti tuo,& torques collo tuo. Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas. Si dixerint, Veni nobiſcum: inſidiemur ſanguini,abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra:deglutiamus eum ſicut infernus viuentem;& integrum,quaſi deſcendentem in lacum.Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus,implebimus domos noſtras ſpolijs.Sortem mitte nobiſcum,marſupium vnum ſit omnium noſtrum. Fili mi,ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt,& feſtinant,vt effundant ſanguinem.]Habebat certè quaſi prę oculis ſapiens Rex,quicquid cõtra Reges,& regna,inſipientes, & fraudulenti Hæretici, & Caluiniſtæ maximè, hiſce vltimis temporibus,in Prouincijs, ad quas eorũ peruaſit contagio,effecerunt, & per ſingula,quę explicare eſſet longum,eorum impiè res obitas præfabatur.

9 Si autẽ hæc longiora videntur Monita, ecce aliud breuius Tob.c.4. ad filiũ:[Omnibus autẽ diebus vitæ tuæ,in mente habeto Deum:& caue, ne aliquando peccato conſentias,& prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.] Tandem ſi breuiſſimè ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ Principis vultis auribus inſtillare, ecce Regis extremũ illud, de re totius hominis,ad imaginem, & ſimilitudinem Dei effigiati, iudicium: ecce finitio, infinitam quaſi hominis cogitationem,faſtum ſuperbum,ac illam paulò

minus ab Angelis, ſeu à Deo, ex Hebræo, circumſcribens imminutam maieſtatem; [Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.] Timere autem Deum, & mandata eius obſeruare, & Caluiniſticam, à Dæmone in mundo ſparſam, venerari doctrinam, tunc coibunt, quando.

Frigida conſtabunt calidis, humentia ſiccis.

10 Hæc ſunt Monita, Philoſophica, hæ ſunt Politicæ Notationes, hæc Regia Mandata, quæ viuentem vos deceat, præeuntē exemplo, ab Eccleſia, & eius ſummo Pontifice, ſchiſmatis, hæreſis, ac totius præteritæ in veſtris Regnis ab vnione Catholicorum ſecretionis, labis purgatione obtenta, filio Principi exſequēda donare. Nā de Regio munere, quod ex magiſterio Apoſtatæ Buchanani hauſiſtis, ſiue Græcis, ſiue Latinis exaratum notis, cum in Catholica diſciplina nothum ſit, & ab excucullato profectū Minorita, haud erit Henricus Fridericus, tam mētis impos, qui non intelligat, Principes, ac Reges maiores, ab impijs haud eſſe minoribus benedicendos, vel inſtruendos. Erit certè, quod ſperamus, cordatus ac quadratus vir, & quod veſtra (quod vtinam non contingat) mentis non effecerit obſtinatio, illius bonæ indolis efficiet, cum Dei gratia, facilitas: & legens ex Euangelio Chriſti Matth. cap. 10. [Inimici hominis domeſtici eius:] de veſtro ΒΑΣΙΛΙΚΩ ΔΩΡΩ, eo perpetuis deuoto flammis, illud pronunciabit antiquum, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, & fidem, quæ ex Apoſtolo Paulo, eſt donum Dei, ab Eccleſia Catholica, Romana exquiret: per calcatum Iacobum patrem, per calcatam Annam matrem; (niſi etiam reſipuerit,) ex D. Hieronymi conſilio, ad eum viuendi contendet ſtatum, qui eum, ex vnione cum Deo, ex cōmunione cum Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, reddat ſecurum, & de rebellibus quibuſque ſubditis, & de inuidis quibuſque inimicis, & de ſceleratis, & audacibus Hæreticis ſe triumphaturum in terris, & in cælis æterna gloria, Caluino, & eius ſequacibus vidētibus, & iraſcētibus, coronandū.

11 Sed iam tempus eſt, vt quæ nos ad hæc ſcribendum impulit charitas, vela contrahat; &, ad finem Paræneſi imponendum, compellat: nam licèt ad agendum Monacho cum Rege Catholico parum, ad agendum cum Rege à verè Catholica fide alienum, & Monachiſmum negligēte, multū forſan ipſi, ſeu nimium iam negotij, ad noſtri præcedētis diſcurſus ſeriem, adiectum eſſe videbitur: & cui hæc pauca, ex domeſticis adducta rebus geſtis, non ſufficiunt, externarum appoſitio, erit ſuperuacanea iudicanda: Ergo Catholica Religio, de Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regibus, & Regnis antiquiſſimè benemerita, nouiſſimè ab ipſis tam impiè deformata, Monaſtica S. P. N. inſtitutio, olim à Regibus, & Regnis illis tam æſtimata, hodie tam miſerè conculcata, illa mater communis, hæc ſpecialis, tot pugionibus à vobis confoſſæ, conſiderantes ſe

ſi-

ſicuti in extremis tabulis Cæſar Bruto , ferè ex aſſe integro Catholicos honores,Monaſticamque gloriam Regibus Angliæ,Scotiæ,& Hiberniæ reliquiſſe , à quibus tam malè habeantur:illis iam oblitis , quorum res geſtæ contra eas,apud Deum in obliuione non ſunt ; prætermiſſa Henrici VIII. affectata,& Eduardi VI.quaſi infanti, & Eliſabethæ muliebri ignorantia , ad vos Regem doctum Iacobum V I. inter præſentium inflictorum vulnerum ſe conuertit dolorem , καὶ σὺ τέκνον! iterans,eo dicēdi Charactere, quo Reges à fidei Catholicæ profeſſione ſequeſtres, ea dictionis licet dulcedine nūcupare. *Proÿce tela manu,ſanguis meus:* iteratis inclamat vocibus,Iacobe , & ab Hæreticis ſupplantate,eorum te præbe,iuxta nomen tuum,ſupplantatorem . Quid ſupplantatorem? immò Doctorem. ea enim hoc negotium facilitate perficietur , vt ſicuti

Quicquid delirant Reges,plectuntur Achiui:

ſic quicquid boni agunt Reges, in ſubditos facillima tranſmittatur imitatione : vt,quorum ad exemplum,orbis totus , bene atteſtante Claudiano, componatur .

12 Tamdem,ſi Maiorum veſtrorum geſta,Rex,& gens Anglica,reuoluamus , ecce, referente Aemil. lib. 9. calcaria aurata Francorum in Curtracenſi prælio cæſorum Curtraci in templo, ad victoriæ perpetuam memoriam ſuſpendere:& de gloria ſolùm agebatur temporali:hoc eſt,quæ,tota perpetuitatis præſentis duratione percepta, momentum quaſi,ad æternitatem collata , erat temporis duratura . Et, de gloria animorum ſempiterna, dum agitur , à Caluino Gallo , appoſita vobis fuiſſe calcaria,ad efficiendum , vt templa ſanctiſſima, & apud vos antiquiſſima conflagrarent , quò calcarium Curtracenſium etiam perierit memoria , & ſimul omnis Catholicæ fidei , & diſciplinæ decor à vobis egreſſus fuerit,non curabitis ? Et qui Gallis,pedem terræ in veſtris non concederitis ditionibus , Gallo Magiſtro, cælum vobis diſpenſandum traditis,vt ab eo, per illius hæreſim, perpetuò excluſis,

Veſtris illuſerit aduena regnis ?

13 Haud ſic illuſiſſe potuit Regis Præceptor Georgius Buchananus Almæ Vniuerſitati,ac celeberrimæ Scholæ,quæ Salmanticæ, nobiliſſima mei ortus Ciuitate,floret;eoſq;totius Diuinæ,& Humanæ ſapientiæ fructus profert, qui non ſolùm Hiſpaniam,verùm & vniuerſum exſaturant orbē. Appulit illuc infelix Apoſtata, in Humana notus Poëſi,in Diuina nothus:florebant eo temporis in Schola, Magiſter Leo à Caſtro Grammaticus celebris,Philoſophus inſignis,Theologus Scholaſticus doctus, & Bibliorum ſacrorum Trilinguis puriſſimus Interpres, vt eius ſcripta in Cantica Canticorum, in Iſaiam , in duodecim Prophetas Minores , in Matthæum,& Apologeticū volumen pro Vulgata editione,(quorū aliqua nondum ſunt typis excuſſa,) manifeſtè demonſtrant; item, & Magiſter Ioannes Scribanus,Philologus illuſtris, Philoſophus clarus,Mathe-

maticus excellens,Theologus,ac Iuriſprudens modeſtus, ac totius antiquitatis,Hebraica,Græca,& Latina lingua,eminens indagator:item,& Magiſter Franciſcus Sanctius Brocenſis, Philoſophus, ac Philologus illuſtris,triũ linguarum notitia clariſſimus, Criticus oculatiſſimus: vt illius elucet ſcriptis varijs,circa humaniores diſciplinas:in quibus,tres omnes fuere Magiſtri mei colendiſſimi:(nam Philoſophiam, & S.Theologiam, in Monaſticis noſtri Ordinis Scholis, quas habemus Hiſpaniæ florẽtiſſimas,etiam Salmanticæ addidici,)ex dictis ergo Magiſtris,Ioannes Scribanus,cuius aſſueueram præcipuè diſciplinæ,vt qui in Collegio eiuſdẽ Vniuerſitatis Trilingui,nobis Collegis domi aderat inſtituendis, mihi retulit, ſe Buchananum pauca dicentem,quaſi ex vngue leonem, cognouiſſe: qui niſi curſu propero,à tantorum virorum, & ceterorum Magiſtrorum, ac Doctorum ſe ſubduxiſſet conſpectu,Hiſpaniæ purgatus,haud veneno Caluinianæ,quam profitebatur, doctrinæ,innocentem, Iacobi poſt Scotiæ Principis,infantiam temeraſſet.

14 Supplicamus ergo regi docto, & Scriptori, vt Scriptorem Eccleſiaſticum, eiuſque ſcripta, in bonam excipiat partem, animo legat Regio, eligat docto, diligat Chriſtiano, breuiſſimè vltimò ipſi proponentem,vt iterùm, & tertiò, & millies cõſideret; ſe aſſerere, quattuor priora venerari,& ſuſcipere Concilia Oecumenica;nã ſi hãc propoſitionem intimè notet, omnis,de fide inter eum, & S.ſedem Apoſtolicam, & Eccleſiã,quæſtio erit facilè,ſicut feliciter terminanda. Et huius conſequutionis ſentiat vim.Spiritus eſt Deus:Deus vnus eſt:ergo eius Spiritus vnus eſt: Hic vnus Deus, & eius Spiritus, Concilijs interfuit quattuor generalibus: ergo idem Spiritus & adſtitit ceteris Concilijs vniuerſis legitimis:nam ab illis prioribus generalibus Eccleſiæ Synodis,Spiritum hunc Chriſti Dei,ceteris Congregationibus ſimilibus, vel in vniuerſum, ab Eccleſia abfuiſſe,haud cohæret cum illius promiſſione,[Ego vobiſcũ ſum vſq; ad conſũmationẽ ſeculi:]& Eccleſiæ domus,fuiſſet quaſi Synagogæ domus, deſerta. Ergo hic vnus Deus, & eius Spiritus S. interfuit Tridentinæ Synodo celebrandæ: vt Eccleſia Catholica verè clamat, ſe fuiſſe ibi,in Spiritu ſancto legitimè congregatam.Ergo tenetur Rex, ſi, quattuor priora acceptare ſacra Concilia, certus eſſet, & S.Concilium Tridentinum,eiuſque definitiones acceptare. Quod ſi non acceptet,ergo quattuor Concilia generalia non acceptat. Conſtat, quia ex Philoſophia Ariſtotelis,ab ipſa natura ſacrata: [In ſimplicibus,error conſiſtit, in non apprehendendo totaliter.] Deus,ex præiactis,vnus eſt: Spiritus eius vnus eſt: qui negat Spiritum Dei adſtitiſſe Cõcilio Tridentino celebrando; & eum ab quattuor Cõciliorum celebrationibus,eſt conſequẽs, affirmet, abfuiſſe: Qui enim non credit Spiritum ſanctum, & interfuiſſe illis Cõcilijs,vt,alijs etiam legitimis ſimilibus, interfuturũ,& de facto, cum habita fuere,præſentem:& cum Patribus ibidem definientem,Spiri-

tum

tum ſanctum indiuiſibilem diuidit. Ergo,vel neque illi,neque prioribus Concilijs quattuor fidem habet, vel ceteris oportet habeat: quia, ex præiacta Philoſophica regula, qui Spiritus ſancti diuidit vnitatem, etiā ſeparat ſimplicitatem. Spiritus autem, qui ſimplex,& vnus non eſt, Spiritus ſanctus non eſt.

15 Sed quia dicet Rex: Se haud negare, Spiritum ſanctum Concilio aſſiſtere legitimè congregato:ſed id habendum, modo,& forma,[Vt loco indictum commodo, nec ſuſpecto conuentu. Chriſtiani omnes Principes, aut per ſe, aut per Legatos, poſſent adeſſe: & Eccleſiaſtici omnes, qui Chriſtianam Religionem profitentur, illiſq; veteribus, veræ, antiquæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei fundamentis adhæreſcunt, tutū acceſſum, ac commeatum haberent, &c.]Certè oportuiſſet,Regem addere aliquod exemplum Concilij, in Eccleſia hucuſq;,ſub hiſce forma, & modo, celebrati:in quo omnes Eccleſiaſtici conuenirent. Et dum diſceptaretur,qui eſſent,qui fundamentis Catholicæ fidei adhærerent:& cetera comuntur, & moliuntur,ſeculorū finis eſt:& Concilium, in valle Ioſaphat celebrabitur:quādo indutis immortalitatem,apparebit omnibus,qui veræ fidei adhæſerint fundamentis, vt poſſeſſione creditorum gaudeant:qui ab eis receſſerint, vt ſera pœnitentia,incipiant credere cum Angelis Apoſtaticis,& contremiſcere:ac,ex antecedentibus, & conſequentibus, illam formare æternò iterandam conſequutionem: [Ergo errauimus à via veritatis; & iuſtitiæ lumen non luxit nobis.&c.]

16 Concilia in Eccleſia,ad Epiſcopos, Prælatoſque eius pertinent: de quibus dixit Apoſtolus,[Et alios quidem dedit Apoſtolos, alios autē Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum.] Illi ergo ſunt in Concilio Conſummatores, ceteri omnes Chriſtiani,ſunt conſummandi:exſpectēt domi quaſi ſancti, quid Spiritui ſancto,& Paſtoribus,& Doctoribus Eccleſiæ viſum eſt,ab omnibus Chriſtianis,in rebus fidei credi,in morum neceſſaria diſciplina teneri,in Politica Eccleſiæ adminiſtratione,temporum conſideratis circumſtantijs, obſeruari. Principes Chriſtiani adeunt per ſe, vel per Legatos ſacra Concilia: vt audiant,quid loquatur in illis Spiritus ſanctus:vt ſupra ex Imperatorū vidimus confeſſione:&, vt quod Paſtores & Doctores Eccleſiæ ibi congregati nequeunt exſequi in ea per doctrinæ ſermonem, exſequantur illi per diſciplinæ terrorem:ex Iſidoro ſupra citato.Et tamdem quos S. Concilium Tridentinum, in Spiritu ſancto legitimè congregatum, (quod vbi ſuſceptum, & aſſeruatum eſt, miros fructus parit totius reformationis,Eccleſiaſticæ diſciplinæ,)non quietat,neq;quietabūt mille alia Concilia,ſuis imaginarijs formis, ac Ideis Platonicis,celebrata.

17 Summa rerum hæc eſt,Rex Sereniſſime.Hæretici hi veſtri Doctores,& ſuggeſtores, & omnes vniuersè tales,Vobis,ac Principibus omnibus potentiam,ſummo Pontifici Romano,ac Epiſcopis inuident auctori-

tatem. In Regno non eſt niſi vnus Rex: quilibet, Rex ille eſſe vellet: etiã legitimo, ac naturali abdicato Principe: in Eccleſia non eſt niſi vnus ſupremus Pontifex: in vna Diœceſi vnus Epiſopus: omnes Hæretici Miniſtri appetunt illum ſummum Pontificatum, ſeu Epiſcopatum: has dignitates Eccleſiaſticas, qui attingere nequiuerunt, cõfuderunt: alijs ſibi ſuperioritatibus, ac præfecturis erectis: ſuper quibus inter illos mirificè digladiatur. Hæc ambitio iam olim Eccleſiam turbauit non ſemel, & hodie conturbat: quam licèt radicitùs amputare in Eccleſia impoſſibile ſit, eſſet tamen magna ex parte facile, Chriſtianos omnes ad conſenſum in Religionem adduci: ſi Principes omnes Chriſtiani, ſacri Concilij Tridentini obſeruantiam generalem ſuis in dominijs indicerent: vt antiqua Eccleſiæ Hierarchia, & Politia reſtituta, Hæretica Babylon in tot diuiſa credendi linguas corrueret, & Chriſtianorum Terra labij vnius, vni Deo, vni Chriſto capiti inuiſibili inſeruiret, vni ſummo Pontifici, viſibili in ea capiti, ac Chriſti Vicario obtemperaret: quæ eſſent certa ſigna, nedum acceptationis quattuor priorum generalium Conciliorum, verùm, & totius & creditæ, & admiſſæ Euangelicæ maieſtatis. Hæc eſt via tuta conſeruandi Principes ſua Imperia: nam qui ab illis exſpectant fidem, qui eam Deo Principi æterno non ſeruant, ſuo malo diſcent, confidere in homine, propter brachium carneum, Domini brachio derelicto. Ieremia eos maledicente. c. 17.

18 Quæ omnia, ſi quaſi argutias, & ſophiſmata, Rex cum ſuis Doctoribus, iudicauerit: neque (quod, in ſpiritu contrito, & animo humiliato obſecramus Chriſti Domini, Dei, & hominis omnipotentem miſericordiam, & pro nobis verſum pretioſum ſanguinem, ne fiat.) Romanæ, hoc eſt Apoſtolicæ Eccleſiæ reconciliari voluerit: ſciat ſaltem, ſic de eius, & illorum regnorum rebus geſtis eam iuſtiſſimè clamaturam:

Perfidiæ cumulum lacrymis ego perluo ΠΙΣΤΙΣ,
Heu miſeri! ornatas dilacerata comas.
Scilicet hoc reſtabat adhuc: vt Principe docto
Vincerer, & cauſſa ſtet potiore dolus.

19 Attendite ergo, Rex Sereniſſime, ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis. [ex.] Iſai. c. 51. Attendite ad Henricum patrem veſtrum, & Mariam, quæ peperit vos. Huic Heroinæ, moueat Vos, Angliæ, vbi regnatis, mors crudeliter inflicta: & hæc ſit infligentibus, ſeu eorum poſteris pœnitentia: vt ad fidem Catholicam, vobiſcum veniant, profitendam: quò illud compleatur ex Iſaia, vbi ſupra: Vt conſoletur Dominus præfata Regna, & conſoletur omnes ruinas eorum: & ponat deſerta eorum, quaſi delicias. & ſolitudinem eorum, quaſi hortum Domini. Gaudium, & lætitia inueniantur in eis, & gratiarum actio, & vox laudis. Quod vtinam videat S. Mater Eccleſia: & omnes eius filij Catholici, congaudentes de fratrum noſtrorum, qui perierant, inuentio-

ne,

ne,cantemus : Exſultate Inſulæ ſanctæ, & omnes qui habitatis in eis: quia,FORTIOR EST FIDES, QVAM REPONIT POENITENTIA.

Quattuor documenta colliguntur ex prædictis de Regno Christi, & Eccleſiæ. Cap. LV. §. 1.

PRAEDICTA omnia,ante hoc quaſi Parergon, docent nos primò,maximè eſſe animaduertendum ab omnibus Chriſtianis,Dei ſuppoſita voluntate,qui ex Apoſtolo 1.ad Timoth. cap.2. [omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] & cuius [voluntas,] iuxtà eumdem 1.ad Theſſalon.cap.4. [eſt ſanctificatio noſtra;]quanam ratione hęc Dei voluntas ſit ab illis inueſtiganda. Neque poſt longam rei huius meditationem, aliud reperient: quàm in Euangelio regni, ſeu gratiæ, ſeu gloriæ Dei, eam eſſe ſitam, & per manum, & in manu Chriſti, & eius doctrinæ,per Eccleſiæ Prælatos, & ſummum Pontificem explicatæ, eſſe dirigendam: ſic aſſeuerante Iſaia cap.53. de Chriſto:[Si poſuerit pro peccato animã ſuam,videbit ſemen longæuum:& voluntas Dñi in manu eius dirigetur.]

2 Docent nos ſecundò,quo ſtrictiſſimo iure,Chriſti Domini in Cruce pendentis capiti fuerit ſuperpoſitus illuſtris ille titulus, à Magis Regibus anteà præmeditatus, immò publicè Ieroſolymis proclamatus, ex Matth.cap.2.Gentilis etiam Pilati & conſenſione,& iuſſu denuò inſcriptus, & noua,poſt Iudæorum contradictionem obſtinatã, approbatione firmatus; ſcilicet: [IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM;] nõ ſolùm tamquàm ex Dauidica familia Regia verus illius populi Rex, ſed verus Rex Regum,& Dominus Dominãtium per vniuerſum orbem, ex Apoſtol.Paulo, 1.ad Timoth.cap.6. & ex Ioan.in Apocalyp. cap.17. & 19. cùm in eius nomine,ex Apoſtolo ad Philippen.c.2.omne cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum genu eſſet flectendum. Chriſtus enim ex Ierem.cap.1.fuit conſtitutus Rex, ſuper Gentes, & regna; vt euelleret,deſtrueret, diſſiparet, ædificaret, & plantaret.

3 Docent nos tertiò, in hoc regno Eccleſiæ;rursùs rem ad proprium deueniſſe Dominum; dominium videlicet, quod Deus in homines ſemper habere,diximus,voluiſſe, & quo Gentiles, ante Chriſti aduentum in mundum,illum,quòd in ſe erat,ſuis ſpoliauerant vitijs: Iudæi autem Regem à Samuele poſtulando,Deum,quaſi à ſuo iuſtè prætenſo dominio abiecerant, ne ſuper illos regnaret: illud,inquam, dominium,Chriſto fuiſſe, ampliſſima à Patre ſuper omnes Gentes ſibi tradita poteſtate, conſtabilitum.

4 Vndè intelligitur, quantum, & quam ſublime myſterium includat Danielis illa Prophetia cap. 2. [In diebus autem regnorum illorum,

ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſsipabitur. Et regnum eius, alteri populo non tradetur.] Regnum enim hoc, nihil eſt aliud, quàm Imperium Chriſti Dei, & hominis; indè verò Daniel illud ſuſcitandum dixit; quia cùm Deus, vt in ſuperioribus demonſtratum fuit, voluiſſet, in homines per ſuas leges dominari, & à Populo Hebræo Regem hominem poſtulante, quaſi fuiſſet abiectus, ne ſuper illos regnaret, illius regnum fuerat quaſi ſopitum ſomno; hinc prædixit proprijſsimè Daniel, fore omninò ſuſcitandum. Dictum fuit autem, regnum in æternum non diſsipandum: quia Eccleſia, quæ eſt regnum Chriſti, numquàm deficiet; & ſicuti ipſe Rex Chriſtus ex Apoſtolo Paulo ad Roman. cap. 6 [reſurgens ex mortuis, iam non moritur:] ſed [ſedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis:] ad Hebr. cap. 1. ſic Eccleſia numquam deficiet: immò poſt ſeculorum finem, in cælo, cumulatiſsima ſubditorum gloria, Regis Chriſti regnum æternò eſt duraturum. Quamdiù autem peregrinamur à Domino, habet huius regni Chriſtus Vicarium ſummum Pontificem, qui iura illius, Eccleſiæ explicat vniuerſę: dicente ipſo Chriſto, Petro, & ſuis ſucceſſoribus: [Tibi dabo claues regni cælorum. Matth. c. 16. vt ſuperius fuit latiùs declaratum: &, [Paſce oues meas. &c.] vt ſupra.

5 Docent nos quartò, quanta conſideratione S. Bernard. lib. 4. de Conſiderat. cap. 4. tractans illa verba Chriſti ad Petrum, Ioann. c. 18. [Mitte gladium tuũ in vaginã: ſic docuerit:]Tuus ergo, & ipſe tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu, euaginandus: alioquin ſi nullo modo ad te pertinet: Ecce duo gladij hic. non reſpondiſſet Dominus: Satis eſt: ſed. Nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis, & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is militis manu; ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris.]

6 Quo Doctore præuio, illum locum Euangelicum ſic explicante, etiam Epiſt. 256. ad Eugenium Papam, eiuſque interpretationi, per ſpiritum intellectus cęlitus ſibi communicatæ, accedentibus Doct. Theologis, S. Thom. in 4. diſt. 45. q. vlt. in fine Henrico Gandauen. quodlib. 6. q. 23. Auguſtino de Anc. S. Antonino, Silueſtro, & alijs; item, & Doctoribus Iuriſprud. Innocent. cap. Licèt ex ſuſcepto. de for. compet. Panormit. ibidem, num. 8. & cap. Cauſſam. 2. qui filij ſint legitimi. num. 6. & cap. per venerabilem. eod. num. 15. & cap. Nouit. de iudic. num. 12. 13. & 16. quid vel impij Hæretici, vel parum ſobrij Auctores aliqui Catholici, doctrinam Gregorij IX. Epiſt. ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Bonifacij VIII. de hoc vtroque gladio optimè traditam in Extrauag. Vnam ſanctam. de maior. & obed. vel contemnunt, vel traducunt? Cùm Spiritus Chriſti, qui Eccleſiæ aſsiſtit regimini, & directioni, & eius Prælatorum ſummorum Pontificum, in docendis fidelibus, ſpecialiter mouet linguas, & ora tractat, &, in ad illos ſcribendis documentis temperat calamum; ſic Bonifacio ſummo Pontifici illam doctrinam

inſpi-

inſpirauerit: ſicuti nobis perſuademus, priùs illā D. Bernardo, Pontificales honores recuſanti gerere, ſuggeſsiſſe. Maximè cùm Hæreticorum in ſignis Hæreſiarcha Caluinus 4. lib. Inſtit. c. 11. §. 10. ſic de D. Bernardo, in illis de Conſid. libris loquente, fuerit loquutus: [Bernardus ita loquitur in illis libris, vt Veritas ipſa loqui videatur.]

7 Attamen pro legentium Catholicorum conſolatione, cùm doctrina illius Extrauagantis non ſit cuiuis facilè peruia, &, ad confirmandum quæ ſcribimus, ſit maximè neceſſaria: libet hic aliquam illius partem inſerere. Inquit igitur Pontifex.

8 Dicente Domino ipſi Petro: [Paſce oues meas;] meas, inquit, & generaliter, non ſingulariter has, vel illas: per quod, commiſiſſe ſibi intelligitur vniuerſas. Siue ergo Græci, ſiue alij, ſe, dicant, Petro, eiuſque ſucceſſoribus non eſſe cōmiſſos; fateantur neceſſe eſt, ſe de ouibus Chriſti non eſſe: dicente Domino in Ioanne; vnum ouile, & vnicum eſſe paſtorē. In hac, eiuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicèt, & temporalem, Euangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis: Ecce gladij duo hic, in Eccleſia ſcilicet, cùm Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus; nimis eſſe, ſed, ſatis. Certè, qui in poteſtate Petri temporalem gladiū eſſe negat, malè verbū attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis, ſcilicet, gladius, & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus; ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum: ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autē gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem, ſpirituali ſubijci poteſtati. Nam cùm dicat Apoſtolus: [Non eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt: non autem ordinatæ eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tamquàm inferior, reduceretur per aliud in ſuprema, &c.] Nam veritate teſtante, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatē inſtituere habet, & iudicare, ſi bona nō fuerit: ſi de Eccleſia, & Eccleſiaſtica poteſtate verificatur vaticinium Ieremiæ: [Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & Regna, &c.] Ergo ſi deuiat terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate ſpirituali: ſed ſi deuiat ſpiritualis, minor à ſuo ſuperiore: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari, teſtante Apoſtolo: [Spiritualis homo iudicat omnia: ipſe autem à nemine iudicatur.] Eſt autem hæc auctoritas, etſi data ſit homini, vt exerceatur per hominem, non humana, ſed potiùs Diuina, ore Diuino Petro data, ſibiq; ſucceſſoribuſq; ſuis, in ipſo Chriſto, quē confeſſus fuit, petra firmata, dicente Domino, Petro: [Quodcūque ligaueris, &c.] Quicumq; igitur huic poteſtati, à Deo ſic ordinatæ, reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: niſi duo, ſicut Manichæus, fingat eſſe principia: quod falſum, & hæreticum iudicamus: quia teſtāte Moyſe: [Non in principijs, ſed in principio, cælū Deus creauit, & terram.] Porrò ſubeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ

de-

declaramus, dicimus, diffinimus, & pronunciamus omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.] Hucuſq; Pontifex.

9 Cuius Pontificiæ Deciſionis veritatem prioribus ſeculis Hugo de S. Victore adſtruxerat, Auctor tantæ auctoritatis D. Bernardi tempore, vt, Auguſtini lingua, ab ipſis Doctoribus vocaretur. Is igitur 2. libr. de Sacram. part. 2. c. 4. ſic ſcripſit: [Quanto autem vita ſpiritualis dignior eſt, quàm terrena, & ſpiritus quàm corpus, tanto ſpiritualis poteſtas, terrenam, ſiue ſecularem poteſtatem honore, ac dignitate pręcedit. Nam ſpiritualis poteſtas, terrenam poteſtatem inſtituere habet, & iudicare, ſi bona non fuerit: ipſa verò, à Deo primò inſtituta eſt: & cùm deuiat, à ſolo Deo iudicari poteſt.] Quem fuit ſequutus, illum citans, Alex. Alenſ. 3. p. q. 48. memb. 1. art. 3.

10 Sed dictæ Deciſionis fundamentum ſi altiùs eruamus, omnes Philoſophos, & Theologos, inueniemus, Doctores explicantes, ſcientias inuicē ſubalternari: ſi vnius ſcientiæ finis, alterius ſubordinetur fini. Vnde ſimili ratione eſt conſequens, has geminas in Eccleſia poteſtates, haud duo corpora conſtituere ſeparata, & diſtincta: ſed vnicum, & ſolum, immò ſolidum corpus: cùm debita inter eas ſubordinatione, ſeu ſubalternatione; cum vtriuſq; eodem fine, qui eſt, vt per vtramque, diuerſis medijs, differentibus modis, animorum, hoc corpus myſticum efficientiū, hominum ſaluti in omnibus ſit conſultum. Quæ videtur expreſſa mens Diuini Spiritus, per Iſaiam Prophetam, ſic loquentis, cap. 28. [Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularē, pretioſum, in fundamento fundatum.] Quem lapidem, cùm Chriſtus, Matth. c. 21. de ſe ipſo, explicuerit, fuiſſe prædictum, dum dixit: [Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.] Pſalm. 117. etiam citato; Paulus Apoſtolus Chriſti ſectator, Chriſtum eſſe docuit, 1. ad Corinth. cap. 10. dicens: [Petra autem erat Chriſtus.] Super quam, voluit ipſe, Eccleſiam ſuam in perſona Petri ædificari, Matth. capit. 16. dicens: [Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā.] eo modo, quo à nobis iam ſuperiùs explicatum fuit. Hoc idem vnicum dominium, exercitijs ſubordinatis diſtinctum, innuiſſe etiam videtur idem Spiritus cæleſtis, dum ſic Ierem. capit. 30. promiſit: [Non dominabuntur ei ampliùs alieni. Sed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.] Quod & Daniel. cap. 7. repeti videtur, dum ſcribitur: [Regnum, & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum Altiſſimi: cuius regnum ſempiternum eſt: & omnes Reges ſeruient ei, & obedient.]

11 In quam ſententiam, quàm facilè coëant omnes Doctores Theologi, de Auctoritate, & Poteſtate Pontificis ſcribentes, videbit Lector, ſi illorum Tractatus, qui præ manibus ſunt paſſim, mediocri euoluat diligentia.

Quin-

Quintum documentum ſequens ex dictis proponitur. *Cap. LVI. §. 1.*

DOCENT nos quintò prædicta, quàm profunda Theologia, S. Thomas hanc definierit Eccleſiæ poteſtatem 2. Sent. d. 44. vltimis illius lineis, ſic argumentum & proponens, & ſoluens: [Poteſtas, inquit, ſpiritualis, eſt altior ſeculari: Si ergo maiori poteſtati magis eſt obediendum, Prælatus ſpiritualis ſemper abſoluere poterit à præceptò ſecularis poteſtatis: quod eſt falſum.] & ſic reſpondet: [Ad quartum dicendum, quòd poteſtas ſpiritualis & ſecularis, vtraque deducitur à poteſtate Diuina: & ideò intantùm ſecularis poteſtas, eſt ſub ſpirituali, in quantum eſt ei à Deo ſuppoſita: ſcilicet, in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent: & ideò in his, magis eſt obediendum poteſtati ſpirituali, quàm ſeculari; in his autem, quæ ad bonum ciuile pertinent, eſt magis obediēdum poteſtati ſeculari: ſecundùm illud Matth. c. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo: niſi forſan poteſtati ſpirituali, etiam ſecularis poteſtas coniungatur: ſicut in Papa, qui vtriuſq; poteſtatis apicem tenet, ſcilicet ſpiritualis, & temporalis.]

2 Quæ vltima verba, ſunt valdè notanda: dum apex vtriuſque poteſtatis, Papæ tribuitur. Quem locum Ferrarienſ. 4. contra Gentes. c. 76. ſic explicat. Ex doctrina S. Thomæ 2. Sent. d. vltima: [Papæ præ omnibus obediendum eſt: & in his, quæ ad ſalutem animæ pertinent, & in his, quæ ad bonum pertinent ciuile.] Et ſubiungit: [Similiter, vt docet idem met S. Thomas, poteſt, ratione huius ſupremæ poteſtatis, vnumquēq; ratione delicti punire, & tallias, atque gabellas, pro Reipublicę Chriſtianę conſeruatione, imponere: ſicut Rex in ſuo regno.] Et deinde dicit etiam S. Thomas, ſuper Epiſtol. 2. ad Corinth. c. 11. Lect. 2. [Quòd pro neceſſitate vnius patriæ, poteſt ſuſcipere ſubſidium ab alijs partibus mundi: quia Eccleſia eſt vnum corpus.] De quo videndus idem S. Thom. vel Auctor Opuſc. 20. de Reg. Prin. lib. 3. c. 10. & 19.

3 Hanc etiam doctrinam S. Thom. priùs tradiderat Alexander Alen. p. 3. q. 40. membr. 2. dicens: [Collatione facta poteſtatis ſpiritualis ad ſecularem, poteſtas ſpiritualis, eſt ſuper ſecularem: ſicut anima ſuper corpus. Vnde Ieremiæ primo dicitur: Ecce conſtitui te hodie ſuper Gētes, & regna, &c.] Et ſequitur Henric. Gandauen. Quodlibet. 6. q. 23. ſic dicens: [In Eccleſia militante, ſub Deo Chriſtus eſt Hierarcha primus; poſt Chriſtum, Petrus; cui ambas claues tradidit, & duos gladios commiſit. Vnde Papa habet vtrumq; gladium; ſpiritualem, & temporalem in auctoritate quadam prima; & ſuperiore.]

4 Quod ipſum, fuſiùs eſt adhuc à nobis declarandum. Nam licèt po-

teſtas Eccleſiaſtica,quę in ſummo Pontifice potiſſimum,& in alijs Eccleſiæ Prælatis ſucceſſiuę reſidet, & poteſtas Politica, quæ in Imperatore, Regibus, & alijs quibuſcumq; Politicis ſita eſt Principibus, non modò duæ ſint, ac diſtinctæ finibus, & officijs; ſed etiam ſeparatæ interdum inueniantur: (aliquando enim Eccleſia nullos habuit Politicos Principes Chriſtianos: & nunc etiam multi ſunt Principes, ac Reges extra Eccleſiam) tamen quando Principes ſunt Chriſtiani, & in Eccleſiæ Catholicæ membris, ac filijs numerantur, duæ illæ poteſtates ita coniunguntur, ac conueniunt inter ſe, vt vnam Rempublicam, vnum Regnum, vnam Familiam, immò & vnum Corpus efficiant. [Vnum] inquit Apoſtolus, ad Rom. capit. 12. [ſumus Corpus in Chriſto: ſinguli autem, alter alterius membra.] Quo in corpore myſtico Eccleſiæ, eſt poteſtas Eccleſiaſtica, veluti animus; & Politica, veluti corpus: vt optimè docet Gregorius Nazianzenus, in Oratione ad populum timore perculſum, & Imperatorem iraſcentem.

5 Eſſe verò hoc extrà controuerſiam, id eſt argumento, quòd Eccleſiaſtica, etiam Ciuilis, poteſtas, ſpiritualis, ac cæleſtis ſit, vel formaliter, vel ſaltem origine: Politica autem ſit humana, & terrena; rursùs, vt ex tertio Fundamento Tractatus huius conſtat etiam, illius finis, æterna ſit beatitudo; huius autem, pax, & tranquillitas temporalis: illa animos, & corda potiſsimùm regat, iſta in corporibus vim ſuam habeat: illa legibus Diuinis, & cæleſtibus Oraculis, iſta iure Ciuili, ac Gentium vtatur: illa denique Auctorem immediatum habeat Deum, iſta per ius Gentium, ac populorum, ad quoſcumque Principes deriuetur.

6 Quemadmodum igitur ſeiuncta ſunt animi, & corporis munera: & ſeparata etiam inueniuntur in Angelis, qui mole carent corporea, & belluis, quæ rationis ſunt expertes: & tamen in homine, quia vnam hypoſtaſim efficiunt, vnius hominis rationis compotis, ita conueniunt, ac coniunguntur, vt animus præſit, corpus ſubijciatur; ſpiritus intus alat, & regat, caro exteriùs obſequatur; & poſſit animus, iure ſuo, carnem ieiunijs, vigilijs, alijſque coërcere laboribus, ne impediat ſpiritus functiones: vel etiam, ſi opus ſit, ad finem ipſius ſpiritus, poſſit carni imperare, vt ſe, ac ſua exponat omnia, etiam cum detrimento vitæ, quod ſanctos Martyres legimus effeciſſe; quæ omnia Apoſtolus Paulus in vno, & eodem homine, quaſi duo eſſent, interior, ſcilicet, vnus, alter exterior, Diuinè ſecreuit ſæpiùs; pari ratione in Eccleſia Chriſti, ſiquidem vnum corpus myſticum eſt, tantam, oportet, eſſe coniunctionem Eccleſiaſticæ, ac Politicæ poteſtatis, tantum inter eas ordinem, & vnius ad alteram intercedere ſubiectionem; vt in ijs, quæ modo quocumque ad æternam ſalutem pertinent adipiſcendam, Eccleſiaſtica poteſtas Politicam dirigat, eique, iuxta ſuperiùs dicta, & explicata, imperet: & ſi opus ſit, inhibeat, & coërceat, ne proprij finis aſſequutionem impediat: etiam cum detrimēto

(ſi

(ſi tale eo caſu dicendũ eſt,) propriæ poteſtatis: vt eo modo, iuxtà Gregorij ſententiam, libr. 2. Epiſt. 61. [terreſtre regnum, cęleſti & manſuro in ſecula famuletur.]

7 Hoc ipſum pijſſimè, & doctiſſimè Innocent. cap. Solitæ. de maior. & obed. hiſce aureis verbis declarauit. [Ad firmamentum cæli, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ, fecit duo luminaria magna: id eſt, duas inſtituit Dignitates: quæ ſunt, Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas; ſed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus, maior eſt: quæ verò carnalibus, minor: vt quanta eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur. &c.] Cui ſimilitudini inhærens Soto in 4. d. 25. q. 1. art. 1. ab vnione, quã Luna cũ luce habet Solis, ſic colligit: [Nã ſic Rex tẽporalia regere debet: vt ſpirituali religioni ſubſeruiat.]

8 Hic omnis diſcurſus, & præfata doctrina S. Thomæ, & Alenſis huic innititur fundamento: quia omnia, quæ ſummus Pontifex agit, ad verã fidei Catholicę obſeruationem, quæ ſine operibus eſt mortua, diriguntur. Cumq; ad Pontificem ea omnia ſpectent, quæ ſpectant ad Euangelium, & ſupernaturalem conuerſationem; & ſic eius muneris ſit, Chriſtianum populum, oues ſibi commiſſas, per vtilia agendo paſcua, ad fidẽ dirigere fructuoſam, ſeu [operationis Dei,] vt loquitur Paulus ad Coloſſ. cap. 2. ex operibus naſcentem: ideò ad tanti negotij exſequutionem, oportuit, eſſe vtroque dicto gladio communitum. Eſt tamen inter Chriſtum Dominum, & Pontificem, eius in terris Vicarium, hæc apprimè notanda differentia: nam donum excellentiæ conceſſum Chriſto, vtendi abſolutè gladio temporali abſque vlla limitatione, propter vnionem humanæ naturæ cũ perſona Diuina, vnde habuit abſolutè & poſſe, & velle; hoc, inquam, donum, non fuit à Chriſto Pontifici communicatũ: eſt enim homo purus, & illius incapax; ſed tantùm fuit illi conceſſum poſſe, cum inſtructione tamen, & limitatione vſus illius: quo ſi abuteretur, non defectui gladij, penes ipſum exſiſtentis, ſed Diuini præcepti tranſgreſſioni, eſſet imputandum.

9 Impertiuit ergo Dominus Petro, & ſuis conſequenter ſucceſſoribus Romanis Pontificibus illum gladium ſpiritualem, ac eam poteſtatem ſuper omnes oues Chriſtiani ouilis: gladium autem temporalem abſolutè non contulit: neque poteſtatem temporalem directam ſuper Regna, & Principatus; ſed illa ſpiritualis, ea ratione fit directa in tẽporalibus, & ſecundus inde reſultat gladius; vt Regna, & Imperia, & quoſcumque Principatus mundi, ſi id gloria Chriſti, & vtilitas Eccleſiæ poſtulent, mutare, transferre, & à poſſidentibus poſſit alienare. Hinc, vt ſcripſimus ſuprà, ab Oriente in Occidentem, Apoſtolica Romana Poteſtas Imperium tranſtulit: depoſuit Imperatores, & Reges: & iuſtis de cauſſis, excommunicationis vinculis innodauit.

10 Neque opus fuit, vt Chriſtus Dominus in Petrum, & eius ſucceſſo-

res,omnem,quam habebat à Patre,poteſtatem,transferret, vt functiones prædictas valeant exercere. Habuit enim Chriſtus poteſtatem ſuper omnes Angelos, ſuper Beatos,& damnatos: quam eius Vicarij in terra non habent: quia ad excellentiam, de qua iam diximus,pertinet: eam tamen ſufficit habeant auctoritatem ſpiritualem, quæ continetur illis verbis Chriſti,explicatis iam,[Data eſt mihi omnis poteſtas,&c. euntes ergo,&c. docentes eos, ſeruare omnia, quæcumq; mandaui vobis. &c.] quæ poteſtas,videlicet,neceſſaria eſt,ad Chriſtiani orbis molem ſartam & tectam ſeruandam:etiam cum Regum,& Principum Chriſtianorum, ſi id Euangelij regulæ poſtulent, Politico aliàs temporali detrimento; quod haud cenſendum eſt, niſi æternum commodum: cùm [nihil proſit homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, (Chriſto ipſo docente) animæ verò ſuæ detrimentum faciat.]Marc.c.8.& Luc.c.9.

11 Ceterum quod habet ſummus Pontifex bonorum,ac ditionum tēporalium, id ſibi donatum fuit, vel à Conſtantino Imperatore, vel ab alijs Principibus, vel à liberis Ciuitatibus:vel habet legitimis titulis, ſicuti quicumque Principes ſeculares,hos, vel illos poſſident alios ſimiles Principatus:in quibus vſum gladij habet, ſicuti & ceteri,temporalē: quem per ſuos Miniſtros, propter ſuæ altiſsimæ vnctionis decorem, eſt ſolitus exercere. Dicebamus enim ſupra, hanc geminam poteſtatem poſſe in vna eademque perſona concurrere: vt conſtat in Melchiſedech Rege & Sacerdote, in Heli, in Samuele, in Machabęis, in Moyſe, in Regibus etiam AEgypti,qui ſimul erant Sacerdotes, vt Mercurius Triſmegiſtus oſtendit. Druydæ etiam erant Sacerdotes apud Gallos,& ad illos cauſſæ temporales deferebantur cognoſcendæ. Immò Principes quoque dicebantur Sacerdotes:teſte Hieronymo Epiſt.126.ad Euagriū.quod ex 2.Reg.c.8.deſumpſit, dicente Hiſtoriographo: [Porrò filij Dauid erant Sacerdotes.]

12 Hæc autem poteſtas tēporalis collata eſt ſummo Pontifici,& alijs Epiſcopis, ac Eccleſiaſticis Prælatis, à populis, ſeu à Principibus,&c. vt meliùs,iuſtiùs,ac trāquilliùs,quàm ſub ſecularibus ſolùm Principibus, eæ ditiones gubernarentur:cùm deceat eos, quaſi cæleſtibus plus aſſuetos conuerſationibus, maiori ſapientia, prudentia,& clementia præditos eſſe; non quia non habeant eumdem vſum gladij, quem ceteri temporales Principes:ſed quia edocti ſpeciali Chriſti IESV Euangelica doctrina,debeant, animum dominandi, aut malè tractandi ſubditos, non habere. Et ſicuti ſupra,examinantes cauſſas diuitiarum Eccleſiæ,earumq; legitimum vſum,explicabamus, vnam ex potioribus extitiſſe,ſic & cenſemus, collatam fuiſſe poteſtatem illam temporalem ſummo Pontifici Romano, & ceteris multis per orbem Chriſtianum Epiſcopis,ac Eccleſiaſticis Prælatis:vt meliùs,ac faciliùs poſſent,ſuam ſpiritualem Hierarchiam, ac Politicam poteſtatē adminiſtrare: &,vt in maiori eſſent apud

popu-

populũ veneratione,& vt magis benefici,& hoſpitales in pauperes monſtrarentur. Vbi admiranda Chriſti IESV elucet ſapientia: qui Apoſtolos pauperes, ſine pera, baculo,& calceamentis, mundi ſcientijs deſtitutos, in mundum vniuerſum, eum conuerſuros, deſtinauit: vt humilitate,& paupertate, & infirmitate mundum vinceret, & humanis viribus fides non eſſet adſcribenda. Temporis verò progreſſu, ac fide in Chriſtianorum pectoribus fundata, voluit, Prælatos, ſapientes eſſe, eloquentes, diuitijs,& facultatibus cõſpicuos: vt tenaciùs hęreret fides,& minus ab illa recederent apoſtatantes:& hoc, propter metum etiam gladij, ac temporalis poteſtatis, quę Miniſtris adſtans Chriſti, Chriſtianos, ad Euangelij pręſcriptum non ambulantes, vel pœna valeat deterrere.

Per Parergon, ex Iure Canonico, & eius Prudentibus, de poteſtate Pontificis dicta ſuperiùs comprobantur. Cap. LVII. §. 1.

HINC Iuris Canonici Doctores (& ſit quaſi Parergon, ad illos enim hic fuit nobis neceſſariò confugiendum, vt res hęc faciliùs intelligatur) dixerunt, in ſummo Põtifice vtrumque gladium coniungi, ſpiritualem actu & habitu, temporalem habitu: ſed actum illius, ligatum in vagina, ea ratione, remanere, quia Pontifex, niſi in quibuſdam grauiſſimis caſibus, illum nequit exſerere. Docet verò Abb. Panorm. cap. Licet ex ſuſcepto. de for. competent. hanc habitualem in Papa exſiſtere poteſtatem: ſed cap. Cauſſam quæ. extra. qui filij ſint legimi. addit, illam reduci ad actum in arduis, & maximis difficultatibus, generantibus ſcandalum in Chriſtianitate; in quibus, inquit, Papa potuit, etiam inter laicos, huiuſmodi maioritatis ratione, ſe intromittere, & exercere iſtam poteſtatem, ſibi à Deo attributam; vt optimè patet in cap. Pro humani. de homic. in 6. & in Clement. Paſtoralis. de Sent.& re iud. Cui veritati Decius, aliàs Pontificiæ infenſior auctoritati, vt ex Cõſil. ſuo 151. conſtat, adſtipulatur in capit. Nouit. à num. 54. vſque ad 63. de Iudic.

2 Qui autem ſint ij caſus, docet optimè Turrecrem. in capit. Cùm ad verum. & de hoc omninò videndi Soc. in c. Licèt ex ſuſcepto. de for. compet. Imol. Anan. Barbat.& Felin. Et quia hi caſus rarò contingunt, illam Papæ poteſtatem, ſeu iuriſdictionem temporalem, Canones ſacri, caſualem, appellauerunt. notab. tex. c. Per venerabilem. in verb. rationibus. qui filij ſint legitimi. cuius ſunt ſequentia verba.

3 Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam facimus requiſiti, cauſſam tam ex veteri, quàm ex nouo Teſtamẽto trahentes: quòd non ſolùm in Eccleſiæ patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem; verùmetiam in alijs regionibus, certis cauſſis inſpectis, tem-

Digitized by Google

poralem iuriſdictionē caſualiter exercemus: non quòd alieno iuri præiudicare velimus: ſed quia,ſicut in Deuteronomio continetur, Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem:cauſſam,& cauſſam:leprā,& lepram:& iudicum intrà portas verba videris variari; venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore:qui iudicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus: ſequeriſq; eorum ſententiam. Qui autem ſuperbierit,nolens obedire Sacerdotis imperio,qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur. Sanè cùm, Deuteronomium,Lex ſecunda, interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur,in nouo Teſtamento debeat obſeruari. Locus enim,quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur. Cùm enim Petrus vrbem fugiens, exiuiſſet: volens eum Dominus ad locum, quem elegerat,reuocare; interrogatus ab eo: Domine quo vadis? reſpondit,Venio Romam iterùm crucifigi: quod, intelligens, pro ſe dictum, ad locum ipſum protinùs eſt reuerſus. Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis fratres noſtri,qui nobis iure Leuitico, in exſequutione Sacerdotalis officij coadiutores exſiſtunt.Is verò ſuper eos Sacerdos,ſiue Iudex exſiſtit, cui Dominus,inquit, Petrus: Quodcumque ligaueris ſuper terram,erit ligatum, & in cęlis: eius Vicarius, qui eſt Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, conſtitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Tria quippè diſtinguit iudicia: Primum, inter ſanguinem, & ſanguinem: per quod criminale intelligitur: Vltimum,inter lepram,& lepram: per quod Eccleſiaſticum,& criminale notatur: Medium, inter cauſſam, & cauſſam: quod ad vtrumque refertur, tā Eccleſiaſticum, quàm Ciuile. In quibus cùm aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, ad iudicium eſt Sedis Apoſtolicæ recurrendum; cuius ſententiam, qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur: id eſt,per excommunicationis ſententiam, velut mortuus,à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam,vt plenitudinem poteſtatis exponeret,ad Corinthios ſcribens, ait: Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſecularia?]

4 Hæc Innocentius III. numquam ſatis laudatus, ſiue pietatem,ſiue doctrinam viri conſideremus: ſuper quem textum,eſt aduertenda Gloſſa, quæ innuit plura notanda loca, mirè hanc materiam illuſtrantia; ſuppoſita ea radicali,ac fundamētali à nobis explicata doctrina,de hac Eccleſiaſtica iuriſdictione,de iure Diuino à Chriſto Domino cōſtituta. Quatenùs verò hæc colligūtur à Canonū ſacrorū Interpretibus, ex Eccleſiaſtici,ſeu poſitiui Iuris fontibus,ad eos Lectorē remittimus: qui etiā habet ſupra plures caſus deſcriptos, in quibus ſummi Pontifices Romani, ſua illa habituali vtentes iuriſdictione, temporalia notanda iudicia, cum Eccleſiæ & conſenſu, & applauſu iuſtiſſimè exercuere.

Tria

Tria alia documenta ſequentia ex dictis proponuntur. *Cap.* LVIII. §. 1.

DOCENT nos ſextò prædicta,poteſtatem Eccleſiæ, & eius ſummi Pontificis,non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus,eſſe ampliſſimam : & non ſolùm in his eſſe indirectum illius dominium,ſed eſſe directiſſimum: quatenùs ad ſpiritualia dirigũtur. Quæ doctrina nihil debet turbare Principes ſeculares;neq; enim dicimus,aut aſſerimus,Papã ab illis, vel velle, vel poſſe ſimpliciter ad libitum auferre Regna,& Principatus, quos Chriſtus illis non eripuit, neque vult,vt à ſuo Vicario illis eripiãtur : longè ſumus ab hoc ſenſu: ſed id ſentimus cum D. Gregorio lib. 2. Epiſt. 61. [terrenum Regnum cæleſti famulari :] immò cum Apoſtolo ad Rom. cap. 11. [vnum nos omnes corpus eſſe in Chriſto.]

2 Quo ſuppoſito, dicere,quòd ſummus Pontifex habet directum dominium in temporalibus, prout ad cæleſtia,& æterna diriguntur: eſt dicere,Chriſti IESV, & eius redemptionis gratiam, & Euangelij regnum, & gloriam, primas debere omninò tenere partes in mundo : & omnes omnium hominum ſtatus,legi gratiæ,& Euangelicæ,eſſe ſubditos:neque illius curſum,progreſſum,& exercitium, poſſe à quoquam hominum retardari,impediri,vel inhiberi, quin habeat ſummum Pontificem Chriſti Vicarium directum vltorem;quin habeat Chriſtum ipſum, cuius eſt regnum Eccleſia,& qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium promptum ſui Vicarij Papæ defenſorem;dicentem,non ſicuti olim dixit Deus ad Samuelem 1. Reg. cap. 8. [Audi vocem populi huius, non enim te abiecerunt,ſed me,ne regnem ſuper eos:]ſed:Ne audias vocem cuiuſque hominis Euangelicæ legis curſum, & vſum retardantis : non enim te abijcient homines aliqui, aut ſpernent, ſed me, ne regnem ſuper eos: Luc. cap. 11. Et tamen velint nolint, ego conſtitutus ſum Rex ſuper eos: Pſalm. 2. & ſum omninò regnaturus; [Paſce oues meas.]In quo ſenſu, optimè docuit Auguſtinus Triumphus,in Proœmio lib. de Poteſt. Eccleſ. dum dixit,[Error eſt,pertinaci mente non credere,ſummum Pontificem ſuper ſpiritualia,& temporalia habere primatum.]

3 Docent nos ſeptimò, quòd omnes homines, omnes Prouinciæ, omnes Principes,Reges,Duces, omnes denique imperantes,& obſequentes, quando recepere, vel recipiunt Chriſti fidem, & ſacrum Baptiſma, vel expreſſa, vel ſaltem tacita conditione promiſerunt, & promittunt Chriſto, & Eccleſiæ, obedientiam, & illi ſuam defenſionem,vt perſeueret Euangelium in ſuis ditionibus,præſtituros:ita vt,niſi id fecerint,puniri poſſint, etiam regni amiſſione:neque eſſet vnquàm admittendus ad Eccleſiam Princeps,qui non haberet,ſaltẽ virtualiter,& in præparatione

animum perdendi & vitam, &,ſi Rex eſſet, ipſum regnum,ad dictum effectum: dicente Chriſto Luc. cap. 26. [Si quis venit ad me,& non odit patrem ſuum,& matrem, & vxorem,& filios,& fratres; adhuc autem,& animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.] Et rurſus eodem cap. [Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:] quæ loca ad hoc propoſitum optimè explicat Auguſtinus Epiſt. 5. ad Marcellinum: vt is non poſſit Chriſti eſſe diſcipulus, qui non eſt paratus,carere potiùs vxore, liberis, parentibus, opibus, honoribus,& ipſa etiam vita, quàm vt Chriſtum offendat.

4 Vbi omninò miramur ſecularium Principum,vel timorem, vel tumorem: quibus,vel timent hanc Eccleſiæ, & ſui ſummi Pontificis auctoritatem,& poteſtatem,illorum inſidiari poteſtati:cùm nihil diligentiùs curent Eccleſia,& ſummus Pontifex,quàm ſubditos, ad omnem Principibus obedientiam,& ſubiectionem præſtandam, exhortari,incitare, & compellere:vel adeò tument, vt non meminerint, ſe eſſe Miniſtros Dei, non Deos, & hominum rectores, non erectores; vnde ad Creatoris Dei nutum, & voluntatem,in lege Euangelica ab ipſo explicatam, non ad illorum placita,ea neglecta, ſunt regna, & eorum omnis res publica gubernanda.

5 Si enim Imperij Romani, ſub Gentili ritu,gloria vigente, Pontificis Maximi tanti fuit æſtimata maieſtas,excellentia,& facultas;de quibus Feneſtella de Sacerdot. Roman. cap. 6. & 8. Pomponius Lætus eod. Tract.cap.10.Panuinus lib.4.Faſtorum c.de Pont.Maximo.vt ſua interceſſione,ſub illius,non religionis,ſed ſuperſtitionis, prætextu, Imperatorum in multis valeret obſtare conatibus: vnde viſum fuit,Imperatoriam intereſſe potētiam, & maieſtatem:vt Imperatores ſimul etiam Pontifices Maximi crearentur: ſi augurum Romanorum adeò grande illud erat ius in Imperijs, in Poteſtatibus, in Comitijs, in Concilijs, in inſtitutis, &c.de quo latè Cicero 2.lib.de Legib.quid mirum eſt,ſub ritu Chriſtiano Principibus ſecularibus conuerſantibus,Euangelicam legem, Chriſtumque eius Auctorem,& ſummum Pontificem illius Vicarium, & legis Interpretem,poſſe, & debere illorum actiones dirigere, vt ad Euangelici verbi,& eius gladij aciem,eorum temporalis gladius acuatur?

6 Dolemus quædam,& rogamus pro remedio Chriſtum ſummum Sacerdotem,& ſummum Regem ſupplicari ab omnibus Fidelibus, vt inter Principes Eccleſiaſticos, & ſeculares iam ſtatuat circa iuriſdictionum ſuarũ exercitium,perpetuam pacem;cùm ad Chriſtianæ legis profectum, inter vtroſque, vtrorumque iuribus inconfuſis, de humilitate, vt Euangelij doctrina vtriſque præſideret, eſſet frequentiùs decertandum. Vnde ſi Deus nobis aliquando ab importunis, & improprijs occupationibus otia fecerit, in noſtris Chriſtianis Politicis dicemus, qualiter hæc,quæ de immunitate, & iuriſdictione Eccleſiaſtica diſputamus, apud ſecula-

res

res Principes integro, & voluntario a d eam reſpectu, valeant emolliri.

7 Docent nos octauò, vt ad locum Petri Apoſtoli, cap. 14. ſupra propoſiti, vnde ortus eſt longus hic diſcurſus, redeamus: Eccleſiæ poteſtatē, ſummique eius Pontificis, eſſe immediatè à Deo: Principes verò ſeculares, non illam habere ab ipſo immediatè; ſed à populis, & Rebuſpublicis: ideoque congruè à D. Petro, Humanas creaturas nuncupari: nullamque illis à Principe ſupremo Eccleſiaſtico iniuriam fieri: ſi eos admoneat, illiſque imperet, vt Politica ſua poteſtate rectè vtantur, legibus, & pœnis impios coërceant, ac blaſphemos; fidem Catholicam protegant: aduersùs infideles Eccleſiam oppugnantes arma ſuſcipiant: Iura Eccleſiaſtica agnoſcant, & reuereantur: ac denique, tam quò ad bona, quàm quò ad perſonas, forum Eccleſiaſticum exterius, Diuina ordinatione conſtitutum, tueantur.

D. *Petri cap.* 14. *ſupra adducta doctrina vltimò explicatur.* *Cap.* LIX. §. 1.

DVM Petrus Apoſtolus omnes fideles fuit exhortatus, vt ſubiecti eſſent omni humanæ creaturæ, ideſt, Principibus ſecularibus, & eorum miniſtris, ab hominibus, non à Deo, immediatè conſtitutis; vt eſt latiſſimè explicatum: protinùs addidit: [propter Deum,] quod verbum ſic explicat Gloſſa: [In quantum eius imago relucet in ea,] ſcilicet, in humana dicta creatura, ſeu in Magiſtratibus ab hominibus creatis. Addit Gloſſ. [& potiſsimè ſuperioribus, perſonam Dei repræſentantibus.] Quod Gloſſæ dictum viam nobis aperit, ad declarandum illud aſſertum Pauli Apoſtoli ad Rom. cap. 13. [Non eſt Poteſtas niſi à Deo;] non ſolùm non eſſe his, quæ diximus, contrarium: immò adductam à nobis ſententiæ D. Petri explicationem, per Paulum vberiùs explicari.

2 Ergo Tertullianus in Apologetico ſic loquitur: [Inde eſt Imperator, vnde & homo antequàm Imperator. Inde poteſtas illi, vnde & ſpiritus:] alludens, ſcilicet, ad dictum locum Apoſtoli ad Roman. cap. 13. & paulò poſt ſubdit: [Nos iudicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui Gentibus illos præfecit.] Irenæus lib. 5. aduersùs Hæreſ. Valent. cap. 24. ſic habet, [Ad vtilitatem Gentilium, terrenum regnum poſitum eſt à Deo: cuius enim iuſſu homines naſcuntur, huius iuſſu & Reges conſtituuntur, apti ijs, qui in illo tempore ab ipſis regnantur.] Et rursùs, mentitum fuiſſe Dæmonem, aſſerit, qui ſibi Imperia partiendi ius, atque auctoritatem arrogauerit: quippe id eſſe Diuinæ prouidentiæ eximium, & ſingulare munus.

3 Quæ dicta non obſtant ſuperiùs à nobis adductis. Et in primis, non negamus, Deum aliquando nominatim præſcripſiſſe antiquis tempori-

bus

bus aliquos, qui aliquibus præeſſent, & dominarentur: id tamen perrarò, & non niſi extraordinariæ tantùm mutationis, reique alicuius ingentis efficiendæ, vel perficiendæ cauſſa, nouimus accidiſſe. Adhùc tamen notauimus, numquàm eum, quem tali imperio Deus deſtinauerat, Regem anteà fuiſſe, quàm populi conſenſus acceſſiſſet: qui eum ſuper ſe Regem conſtitueret, & quaſi in Regni poſſeſſionem, externis etiam adhibitis cæremonijs, induceret. Sic Moyſen, quem Hebræi populi Ducem elegerat, ſigno mirabili, & theſſera illa populo repræſentatis, ſcilicet: [Qui eſt, miſit me ad vos:] Exod. cap. 3. Deo cor multitudinis mouente, in illius Ducatum eam effecit conſentire. Sic Saulem electum à Domino 1. Reg. c. 10. populi poſteà ſuffragijs Regem factum fuiſſe conſtat. Sic Dauidem, Saule adhuc regnante, vnctum, & electum, non tamen Regem, niſi ab illius obitu, & voluntaria ſuæ gentis in eum conſenſione, exſtitiſſe, ſcimus: vt ex 1. Reg. cap. 16. & 2. cap. 2. & 9. habetur. Sic licèt Elias Propheta 3. Reg. cap. 19. iuſſus fuiſſet, vngere Hazaelem, Regem ſuper Syriam, viuente adhuc, & rerum potiente Benadad; anno tamen poſt octauo circiter decimo, ipſo, mortifero decumbente morbo, Eliſæus item Propheta 4. Reg. cap. 8. ſub hoc verborum tenore eumdem Hazaelem affatus eſt: [Oſtendit mihi Dominus, te Regem Syriæ fore:] non dixit, fuiſſe: non, eſſe: ſed fore: quantumuis tot retrò annis eum Dominus & elegiſſet, & per Eliam vngi præcepiſſet.

4 Hæc omnia ei conſentaneæ rationi nituntur, quia ipſe Dominus vult, quos delegit Reges, offerre populis, non obtrudere; & hominum ſocietatem ſpontis ſuæ ductu, ſub vnius Imperium, & legitimam redigere ditionem: vt quem ſuopte nutu ſuper ſe conſtituit, ei non ſolùm amorem, beneuolentiam, conſilium, auxilium, & quicquid officij potis eſt, libenter deferat; verumetiam auctoritate Diuina, & iure Gentium, ſubiectam planè, & parendi neceſſitate ſciat, agnoſcatque, ſe eſſe conſtrictam.

5 Hinc eſt conſequens, non quaſi in re, ſed ſecundùm ſpem potiùs, Regem dici poſſe, quem Deus elegit, & deſignauit Imperio; donec à populo, aut populi totius nomine, & conſenſu, Proceribus, qui multitudinem repræſentant, Rex conſtituatur: vt olim Dauid 1. Reg. cap. 29. euenit: quem ob hanc ſpem, & regni promiſſionem, vocat Regem Athanaſius Epiſt. ad ſolit. vitam agentes; quo dicendi charactere, dominum dici aliquando eum, qui nondùm reuerà dominus eſt, Iuris Ciuilis Auctores tradiderunt. Paul. In l. In ſuis. ff. de lib. & poſth. Alciat. lib. 2. Parerg. cap. 15. Quapropter, vt deberi talibus regnum rectè quis dixerit; ita eoſdem interea eſſe, vel vocari Reges, niſi per anticipationem, ſpe regni ineundi, perperàm contendet: quod enim nobis debetur, id noſtrum non eſſe, Prudentes definierunt: Mutius, Vlpianus, Paulus, Scæuola l. 27. §. 2. l. 34. ff. de aur. & arg. leg. l. 28. §. 4. de lib. leg. l. 15. ff. de reb cred. Ex quo eodem rationis fonte dimanat, vt quiſquis, Dei permiſſu, viam ſibi ad

Im-

Imperium vi, & armis munierit : quantumuis moderatè, leniterq́ue ſubactis à ſe populis dominetur, Tyrannus & ſit, & habeatur, tantiſper dum mitigatis, & flexis in fauorem animis, Rex, communi Ordinum conſpiratione, atque conſenſu, declaretur.

6 Quod igitur Tertullianus, quod Irenæus ſuprà relati dixerunt quod vniuersè apud graues Auctores reperitur aſſertum, vel commun enunciatur ſermone, Regnum à Deo eſſe, Dei iuſſu Reges conſtitui, & Reges per Deum regnare, &, quæ ſunt id genus, ſumma beneficia I e largitione conſequi: id eò pertinet primò, vt intelligamus, Deum Regibus, ſiue inſtinctu, ſiue permiſſu Diuino, ab hominum ſocietatibus legitimè conſtitutis, eam auctoritatis prærogatiuam impertiri, quæ omnem populi poteſtatem ſuperet; & amplitudine, ac excellẽtia maieſtatis tanta ornare, vt Regis, quàm populi, celſius quoddam, atque auguſtius imperium conſpiciatur.

7 Hac itaq; ratione, à Deo conſtituti eſſe dicuntur; hanc ab ipſo habere poteſtatem, docet Paulus; quòd ipſe Deus, poteſtatis à multitudine in illos collatæ, ſummus & Auctor, & approbator ſit: vt quamuis eius potentiæ largitor videatur populus, qui Regem ſuper ſe conſtituit, & ſuum omne imperium, & poteſtatem in eum transfert; tamen id, donum, atque Dei beneficium frequentiùs, quàm populi, in ipſis ſacris Litteris nuncupetur. [Scidit Dominus regnũ Iſrael à te hodie;] dixit Samuel 1. Reg cap. 15. ad Saulem: [& tradidit illud proximo tuo, meliori te.] &, [Ego vnxi te,] ait Dominus ad Dauidem, per Nathan 2. Reg. cap. 12. [in Regem ſuper Iſrael: dediq́ue tibi domum Iſrael, & Iuda.] ſic 3. Reg. cap. 2 loquitur Salomon: [Viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid Patris mei:] ſic eod. lib. c. 12. dicit Deus: [Ecce ego ſcindã regnũ de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.] Et paulò poſt cap. 14. [Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſrael: & ſcidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi.] Et cap. 16. [Pro eo quod exaltaui te de puluere, & poſui te Ducem ſuper populum meum Iſrael.]

8 Secundò, Deus etiam conſtituere Regem dicitur, & ab eo omnem Regum poteſtatem eſſe, & dependere: ne quis forſan putaret, id eſſe multitudis proprium. Sic namque hæc duo, Regem à multitudine, & item, à Deo conſtitui, ſimul coniuncta, Deut. cap. 17. ſunt intelligenda. Sic Ahias Propheta. 2. Paralip. cap. 22. dixit: [Conſtituit ſibi Dominus Regem ſuper Iſrael, qui percutiet domum Ieroboam in hac die.] Id nimirùm hac dictione ſignificante; Deum ipſum, Regis conſtituendi, principem eſſe Auctorem; populum verò, eſſe etiam Auctorẽ, ſed cauſſam ſecũdam: vt quamuis pro immenſæ Maieſtatis ſuæ imperio, regnum in quemcumque, abſque vllis populi ſuffragijs, vlloue delectu, transferre poſſit: non ſecùs, ac Rex, Præſides, Prætores, Proreges cum imperio in ſingulas

regni prouincias mittere, vel mutare, Prouincialium neque rogata, neque exſpectata ſententia: tamen, quæ ſua eſt, in rebus humanis diſponendis, & dirigendis, benigna prouidentia, & prouida ſapientia, [attingens à fine vſque ad finẽ fortiter, & diſponens omnia ſuauiter:] Sapient. cap. 8. non niſi iſto Regis conſtituendi, vel accipiendi ordine ſeruato, ſummam illam in populos poteſtatem homini cuiquam velit demandare. Quemadmodum enim, à prima mundi origine, res à rebus, ſeu cauſſis ſecundis, certo, & perenni ordine oriri, ac procedere voluit: cùm per ſe potis eſſet, omnes rerum naturalium effectus, nulla intercedente alia cauſſa, procurare: ita Regem à populo, & per populum fieri, quem ipſe ſine populo facere poſſet, ad illuſtriorem gloriæ ſuæ magnificentiam, mirabili hoc diſpenſationis artificio, declarandam.

9 Tertiò, dicitur etiam Deus, Regem conſtituere, quòd potentiam dominationis inſtituto Regi delatam, ita confirmat, vt infringi à populo, aut infirmari ampliùs ad libitum nequeat: haud enim ſicut Reges creare, ita, & creatos abdicare, aut in ordinem cogere, populorum arbitrio libero commiſſum eſt. Vndè colligitur, quanta cum proprietate, quantumcumque Reges ab hominum ſint ſocietatibus conſtituti, ſuis titulis inſcribendis, hac non ſolùm grata, ſed & iuſta vtantur loquendi forma; (quicquid exlex, & exrex Caluinus irrideat;) videlicet, PHILIPPVS, DEI GRATIA, HISPANIARVM REX. &c.

10 Quibus adhuc planiùs intelligendis, vſitata, & trita illa apud Philoſophos inſeruiet doctrina, qua cauſſas diuidunt, in eas, à quibus effectus dependeant in fieri; vt ipſi loquuntur: & in eas, à quibus dependeant etiam in conſeruari. Itaque cauſſis nonnullis efficientia rerum eſt quædã, dum illæ fiunt, & producũtur tantum: alijs verò, rerum, quamdiu ſiunt, & manent, & producendarũ, & conſeruandarũ, vis ac poteſtas tribuitur. Sic templi, domuſue faber, aurei, argenteiuè vaſis aurifex, donec iſthæc fiunt, & coagmentantur, cauſſæ ſunt; quibus cõſummatis, & perfectis, artificum nihil egent opera, quibus ſine conſiſtunt, & ſuum eſſe retinent, etiam multoties illis nolentibus, ac inuitis: at corpus lucificum, gignendi ſimul, & cõſeruandi luminis in alio cauſſa eſt; vt Sol, luce cælo diffuſi, diem nobis producit, quamdiu per noſtrum hemiſphæriũ currit, ſubiectaſque terrarum plagas illuſtrat; & ſtatim atque abſcedit, effectu defectum, caſſum, atque orbatum lumine, corpus anteà illuſtratum, reddit. Ob quam harum cauſſarum differentiam, qui de illarum natura ex profeſſo tractant, has quidem cauſſas ſecundùm eſſe, meritò vocant; quia ſine ijs produci effectus, neque conſiſtere producti poſſunt: illas verò, cauſlas ſecundùm fieri, propria ratione nominant; quòd, ſcilicet, ad conſtituendum, non item ad conſeruandum, neceſſariæ ſint.

11 Cùm ergo hæc ita ſint, in priore cauſſarum genere populus, in poſteriore Deus omnipotens, quantum ad Regnum attinet, iure optimo

collo-

collocandus eſt; populi enim non vt in conſtituendo, ita in conſeruando Rege conſenſus, conatuſque eſt neceſſarius. Neque tamen negamus, populum ſuo Regi infenſum, regnum facilè conquaſſare, & totius Reipublicæ ſtatum turbare ſæpè, atque euertere ſolere. Neque inficiamur, ad Imperij diuturnitatem, valere plurimum, diligi, atque amari ab ijs, quibus imperatur: eſt enim ſatis ab antiquis Philoſophis, & Hiſtoricis decantatum: Optimum regnandi præſidium, ciuium eſſe beneuolentiam. Id verò quod aſſerimus eſt, diſſenſum, defectionem, atque rebellionem populi, nihil priſtini iuris Regi adimere: nec, quominùs Rex ſit, efficere poſſe: & quin, ſiue ciuilibus armis appetitus ſuccumbat Fortunæ, viſque Regno excludatur, retineat dominium, & ius regnandi in ſe collatum, quamuis metu, vel impotentia poſſeſſione cedat: ſiue compreſſa, atque edomita ſubditorum quoquo pacto temeritate, inuitis dominari perſeueret; & ſuo dominio, hoc eſt, regni in ſe collato, vtatur.

12 Et vt faciliùs rem expediamus totam, populus conſtituere Regẽ poteſt, ſceptro autem, & corona deſtituere, minimè: neque ſicuti conſenſu populi fit, ita contrario conſenſu deſinit eſſe Rex, qui legitimè ſemel regno præfectus eſt; quippe poſt acceptum, & inauguratum Regem, populo, quod ei amplius det iuris, nihil eſt reliqui; quoduè adimat, citrà iniuriam, nihil: ijs exceptis caſibus, de quibus diximus ſupra, vt ſi infidelis ſit, à pactis cum populo fundamentalibus exorbitet conditionibus, illiuſque detrimentum intendat: ſi verò Chriſtianus eſt, adhùc, ne ſit ab Euangelij, & Eccleſiæ regulis diſceſſurus.

13 Igitur quod Petrus Apoſtolus dixit, [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum;] & quod Apoſtolus Paulus docuit; [Non eſt poteſtas niſi à Deo:] hunc omninò facit ſenſum Catholicum: Principum ſecularium ſubditos, Regum vaſſallos, Principibus, & Regibus debere ſubijci: qui, quod Principatum, vel regnũ ſint adepti, Deo ſimul & populo, quod autem rerum potiti, Regali, vel principi in ſolio ſedeant, permaneantq;, ſoli Deo conſtitutori, & conſeruatori eſſe acceptũ referendũ.

14 Hoc autem in huius Capitis calce admonuiſſe Lectores volumus; malè Hæreticos ex his locis Apoſtolorũ Petri, & Pauli dictis colligere, ſubdi non debere homines Principibus, qui Deum non repræſentent iuſtitia, & bonitate, propter quam repræſentatam, iubet Petrus, illis Chriſtianos eſſe ſubiectos. O cæcorum hominum, & in ſacras Principum Chriſtianorum Coronas conſpirantium, delirium! Repræſentabant ne iuſtitia, & bonitate Deum Ethnici Imperatores, & Reges, quibus, Apoſtoli ſancti, obediri à Chriſtianis præcipiebant? O cæci Principes, qui ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλποντες, rebelles complectimini Hæreticos: qui poſtquàm Eccleſiaſticam proſtrauerunt immunitatẽ, veſtra induſtria, veſtras inuaſere iuriſdictiones ſeculares, ſicuti erunt in poſterum inuaſuri. Expergiſcimini tamdem, ac cauete, ne ſicut κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων,

ἢ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν: ſic vos noui cameli deſiderantes cornua, perdatis etiam aures: iuriſdictionem, videlicet, ſacram iniuſtè inuadentes, per iniuſtos etiam propriam amittatis.

15 Admonemus deinde, neque Catholicos, ſicuti alicubi legimus, nimium debere premere contrà Patres Græcos ſupra 2. Part. in Oppoſit. contrà 2. Concluſionem citatos, argumentum; reijcientes illorum expoſitionem loci Paulini ad Rom. cap. 13. [Non eſt poteſtas, niſi à Deo.] Vbi dicti Patres, Paulum, de ipſo Magiſtratuum munere, non de Magiſtratum gerentibus, docēt, intelligendum. Siuè enim ibi verbum [Poteſtas] Grecè ἐξουσία, accipiatur, pro ipſo imperandi officio; ſiue more Latinorum, ad quos ſcribebat Paulus, accipiatur, pro perſona ipſa imperium gerente, vti accipitur à Plinio lib. 24. cap. 4. Sueton. in Claud. cap. 23. Modeſt. l. 27. de pignor. Vlpian. l. 17. §. penult. de ædil. edict. Tertull. aduerſus Gent. Auguſtino Epiſt. 48. dicente, [Poteſtatem eſſe, aliquando inimicā veritati:] Vndè ipſe Paulus ſtatim, [Poteſtatem.] quaſi Synonymè, explicat per verbum, [miniſter,] dicens, [Dei enim miniſter eſt:] cui Poteſtati in concreto, & gladium portare attribuit, & tributa præſtari: quomodocumque tamdem intelligatur, tam Patrum Græcorum, quàm Latinorum is & eſt, & eſſe debet ſenſus, Principes, Reges, Imperatores, non eſſe à Deo immediatè conſtitutos: eorum tamen munus, & officium, eſſe à Deo immediatè ortum: ſed omninò Dei imaginem gerere, & propter Deum, à quo etiā habent poteſtatem, ipſis eſſe Chriſtianos ſubijciendos.

16 Hinc tamdem ſtringimus argumentum, contrà Propoſitionem illam Anonymi, quæ ex dictis, ſi à Cicerone, & Philoſophis antiquis eſſet iudicanda, dubio procul illam, vt falſiſſimam, ab Schola Philoſophiæ eliminarent; à Catholicis verò Doctoribus, & ab omnibus Chriſtianis eſt Hæretica reputāda: vti damnata cū ſuis Auctoribus Marſilio de Padua, Ioanne de Ianduno, & Vuicleffo, à Ioann. xxII. & in Concil. Conſtantienſi. Omneſq; debent docere, & doceri, in Eccleſia eſſe vnicam poteſtatē, & vnum gladiū ſimpliciter: ſcilicet, Legem Euangelij: ad cuius amuſſim leges omnes humanæ debent dirigi; deinde, ſub hac Euangelica lege, Chriſtianos homines, ſub duplici hac poteſtate, Eccleſiaſtica, videlicet, & ſeculari, contineri: ſed poteſtatem Eccleſiaſticā, eſſe ſimpliciter & immediatè à Deo: poteſtatem verò ſecularem, quò ad munus, & officium, eſſe immediatè à Deo, qui in cordibus populorū, & multitudinis immediatam ſui regiminis paſſiuam poteſtatem inſculpſit; cui & actiua poteſtas in genere, & relatiua debeat emanatione eadem reſpondere: Principes tamē, & Imperantes, actiuè illa poteſtate vtentes, haud à Deo eſſe immediatè conſtitutos.

17 Vltimò ſunt edocendi, quod memoria maximè ducimus commendandum; poteſtatem Eccleſiaſticā, ſimpliciter eſſe dicendam, Diuinā poteſtatē: ſecularem, potiùs eſſe dicendā, Humanam; & omninò, Poteſtatem

Ec-

Eccleſiaſticam,eſſe Poteſtatem poteſtantem,(vt in re neceſſaria terminis nouis vtamur)Poteſtatẽ autem ſecularem,eſſe Poteſtatem poteſtatam: ex quo illa dirigere, hæc dirigi; illa regere, hæc regi; illa ordinare, hæc ordinari; illa diſponere, hæc debet diſponi: quò vtriuſq; ſtatus ac ordinis,& ſecularis, & Eccleſiaſtici profeſſores à medijs nulla deuient ratione, quibus beato, ſicuti æterno fini, & copulentur, & perfruantur.

Quid colligebat ex notata Propoſitione Anonymus Auctor; & ad illud Reſponſio; per ſex Conſiderationes. Cap. LX. §. 1.

VNVM hoc præcipuè ex impugnata Propoſitione Anonymus colligebat; poſſe videlicet, Principẽ ſupremum ſecularem, legitimum ſui dominij Dominum, legem ferre de Eccleſiaſticis bonis, quæ ſubduntur ſuo dominio; & poſſe diſponere de bonis, quæ nondum in poteſtatem Eccleſiaſticorum peruenerunt; poſſe denique Eccleſiaſticas perſonas, in grauibus, & atrocibus caſibus punire, auctoritate ſibi à Deo immediatè data.

2 Blandus ſermo; ſubdola, & palpans Principibus ſecularibus non ſolùm ſcripta,ſed & inculcata adulatio:& quæ in eorum animis non Dei timorem generet, eiuſque Miniſtrorum ſacrorum amorem conciliet, vtriuſq; Ordinis Eccleſiaſtici, & Secularis pacem coagmentet, concordiam nutriat, firmet regimen: ſed quæ ordinem confundat, ſtatum euertat, odia quærat, diſcordias ſeminet, & turbet imperia. Et omiſſa longiori huius Hæreticæ aſſertionis cõfutatione,quę,ex ſuperiùs dictis, manet euidentiſſimè confutata; ad Principes ſeculares noſter modo dirigatur ſermo,qui Catholici,Catholicæ Eccleſiæ communis Matris ſunt filij.Et ſupponamus, eos,hac audita doctrina, aliquid boni ex ea elicere deſideraſſe: ſupponamus,eos exiſtimare,ſi hæc doctrina vera eſſet,pacẽ, commodum,& vtilitatem intereſſe ſuorum Regnorum, ſuarum Rerumpublicarum, quibus à Principibus, & Imperantibus eſt omninò conſulendum, vt ipſi eſſent ſupremi ad vtrumque ſtatum Legũlatores; præcedente antiquæ Reipublicæ Romanæ Conſtituto illo; [Salus populi ſuprema lex eſto.] Credimus certè,Catholicis, iuſtis,& prudentibus Principibus hunc omninò finem in ſuis gubernandis dominijs eſſe præfixum: vt Reſpublica pacatè degat, iuſtitia ſuum obtineat locum, vnicuique ſuum reddatur ius, & ſpeciali ratione curare, vt iniuriam fieri nemini, ſub prætextu præfatæ immunitatis Eccleſiaſticæ, permittatur.

3 Excellens finis ſanè, & dignus,qui Chriſtianis Legumlatoribus, in ſuis ferendis legibus præſtituatur; indignus tamen,immò impoſſibilis, qui exiſtimetur, illius Hæreticæ doctrinæ iniuſtis medijs, ac rationibus obtinendus. Pro quo argumento tractando, ſex ſeſe nobis offerunt bre-

uiter conſideranda : Primò, Quid ſanctum Concilium Tridentinum, poſt alia, circa hæc decreuerit. Secundò, Quid inde colligatur Principibus Chriſtianis ſecularibus faciendum. Tertiò, Vnde præcipuè Chriſtiani dicti Principes hauſerint hoc votum, commodi, & vtilis ſuarum Rerumpublicarum procurandi. Quartò, Qualiter, ſi ius, æquum, & fas conſulantur, id non per nouas ſuas, quòd ad Eccleſiaſti. a negotia ſpectat, ſed per antiquas Canonicas leges, & earum obſeruantiam, ſeu nouas ab Eccleſia editas, ſit exſequendum. Quintò, Per nouas ſuas leges, quæ Eccleſiam comprehendant, non ſolùm huius finis compotes non euaſuros, verumetiam, certo exemplo præeũte, omne commodum, vtile omne Reipublicæ ſecularis labefactandum. Et vltimò, Fini eorum, alium Eccleſiæ, & eius capitis ſummi Pontificis finem, parallela ratione, opponemus: vt inde aliquid in ſpecie, contra quoſdam ſpeciales Principes ſeculares inducamus.

PRIMA CONSIDERATIO.

4 PRIMO igitur omninò, ſicuti conſiderandum, ſic & deſcribendũ hic eſt, Decretum S. Concilij Tridentini. Seſſ. 22. cap. 11. de Reformat. quod ſic habet.

5 Si quem Clericorum, vel Laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantùm malorum omnium radix, cupiditas occupauerit, vt alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis Secularis, vel Regularis Beneficij, &c. aliorũq; pierũ locorũ iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent, per ſe, vel per alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur, is Anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum, quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, peruenerint, Eccleſiæ, eiuſq; adminiſtratori, ſiue Beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit.]

6 Diuinus ſermo, & omni acceptione dignus: & quem ſi Principes Chriſtiani non venerentur, excipiant, & obſeruent, vt Catholicæ Eccleſię filij, immò vt Chriſtiani quaſi eſſe deſinant neceſſum ſit. Quod tamen decretum, neque facto, neque lege eſſe violandum, contra lata ab eis, vt de iuſtiſſimis, ac Chriſtianiſſimis Principibus ſperandum eſt, qui ſacri Concilij decreta, etiam iuramento adhibito, ſuſceperunt. Valeant enim Principes, qui illud ibi non admiſere: donec valeant, & velint ei, alijs non ſomniatis Concilijs, obedire.

SE-

SECVNDA CONSIDERATIO.

7 SECVNDA iam Conſideratione eſt reuocandum in memoriã: lib. Ioſue. c.6. illius Ducis ſpeciali præcepto,fuiſſe ciuitatem Iericho,cum omnibus ſuis incolis , eorumque bonis,& rebus,Deuotam, Sacrã , & Anathema Deo factã.Rẽ geſtam hiſce verbis Hiſtoriographus deſcribit.[Sitq; ciuitas hæc Anathema,& omnia,quę in ea ſunt,Domino. Sola Raab meretrix viuat, cum vniuerſis, qui cum ea in domo ſunt; abſcondit enim nuncios,quos direximus. Vos autem cauete, ne de his,quę præcepta ſunt , quicquam contingatis , & ſitis præuaricationis rei , & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint,atque turbentur . Quicquid autem auri, & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri,Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius .] Cùm ergo , vt cap.7.refertur, Achan, ex ſpolijs occiſorum in dicta ciuitate Iericho,tuliſſet pallium coccineũ, & ducentos ſiclos argenti,virgamq;auream quinquaginta ſiclorum põdo, illaq; ſibi abſcondiſſet:de ingenti hoc in populo admiſſo peccato,ſic habetur ſequenti c.7.[Filij autem Iſrael præuaricati ſunt mandatum,& vſurpauerunt de Anathemate. Dixitq; Dominus ad Ioſue, &c. Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum: tuleruntq; de Anathemate, & furati ſunt, atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua .] En quanta ponderatione dictum eſt à Deo:[Peccauit Iſrael,] ac ſi dixiſſet :[Populus,præ ceteris hominibus,à me ornatus, auctus, & amplificatus: vnde ſuam dignitatem diligentiùs, puriùs, & ſanctiùs tueri, conſeruareque debuit;quippè Iſrael Semen ſanctum; quemq; ego præmonueram, [Sancti eritis mihi: quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter:] is tamen turpiùs, grauiùs, & impotentiùs illam polluit,& contaminauit, nõ vno tantùm crimine, ſed pluribus ſe ac fædiſſimis implicando .

8 Haud certè extra chorum ſaltamus, cum longa huius facti narratione: ad vos enim , Principes ſeculares Chriſtiani , Diuinus hic dirigitur ſermo , quoties Chriſtos Domini , Eccleſiaſticos Miniſtros tangere audetis: quoties in eius Prophetis,Sacerdotibus, ac Hierarchiæ,& Politiæ Eccleſiaſticæ ſacris perſonis aliquid , vel exſequendo , vel leges ferendo, eorum contempta, vel vſurpata Iuriſdictione, malignamini : & quoties de bonis Eccleſiæ, vel acquiſitis,vel acquirendis, facto vel edicto , exſequutione vel lege , vſu vel præcepto , actu vel ſtatuto ,aliquid molimini:& tamdem quoties contra iuriſdictionem Eccleſiaſticam, Diuina ordinatione conſtitutam, & contra bona temporalia Eccleſiaſtica, quæ Dominus Deus Omnipotens, cuius eſt terra , & plenitudo eius, ſibi voluit ſpeciali ratione deſeruire, præter id , quod Sanctionibus , & Canonibus ſacris , vſu & conſuetudine receptis, vobis conceſſum eſt, conamini præſumptuosè aliquid innouare .

9 Contra vos , (vniuersè loquimur) Chriſtiani Principes , prædictus

ſermo,

ſermo, memoriæ ſempiternæ in ſacris Codicibus aſſeruatus, declamabit; ſi ſtatum & ordinem Eccleſiaſticum, ſi eius negotia, ſiue ſpiritualia purè, ſiue Ciuilem fori exterioris iuſtitiæ adminiſtrationem, & bonorum Eccleſiæ, & acquiſitorum, & acquirendorum diſpoſitionem concernentia, poſt Conſilia ſacrilega, manu (dicere liceat) ſacrilegiori contrectetis. Tali enim caſu (quem optamus numquam ſuccedere) ſuccedente, cuicumque Chriſtiano Principi, cuicumque ſeculari Dominio legem Chriſti profitenti totidē verbis dicendum eſſet, (Chriſto Domino Euangelicæ legis Auctore loquente, per ſuum Vicarium ſummum Pontificem Romanum, Hierarchiæ, ſacræque Politiæ Eccleſiaſticæ caput, per Epiſcopos, Paſtores & Doctores, videlicet, ab ipſo Chriſto Reipublicæ Chriſtianæ contributos, [Peccauit] hic Chriſtianus Princeps; qui cùm Euã gelicæ legis imbutus ſit diſciplina, eamque, hæreditario quaſi iure, à ſuis habuerit maioribus, & primis Chriſtianis, qui illam excellenti plurium eorum Martyrio confirmatam, vel illuſtri omnium confeſſione ſtabilitam, per manus ſuis præſentibus ſucceſſoribus tradidere. [Peccauit] ille Princeps, quem ego cum ſuis Prędeceſſoribus, cum ſuo Dominio ſingulari foueram prouidentia, eximia extuleram cura; præcipua amplificaueram dignitate, inſigni conſeruaueram protectione.

10 Atque ſi graue eſt, peccaſſe Principem, ſeu Principes eorumque Senatus in ijs, quæ illis, vti Chriſtiani, & Catholici ſunt, ſingulariter erant obſeruanda; deliquiſſe eſt multò grauius: nam [præuaricatus eſt pactum meum:] cùm enim ego illis ſancta eſſe & iuriſdictiones, & bona Eccleſiarũ indicarem, & expreſsè cauerim in Concilio Tridentino, mihi ſacrata, & deuota eſſe; quod obſeruandũ aliàs erat ex vi plurium Canonũ præcedentium, & ex vi directionis meæ Euangelicę legis, quamquam in eo meus Spiritus id ſpecialiter non cauiſſet: tamen ibi exceptũ tentauit, & contaminauit pactum meum: id eſt, quod in Concilio illi pręceperam, & de quo obſeruando ipſe ſponte, & iureiurando adhibito, religioſam præſtiterat cautionem: [tuleruntque de Anathemate:] ſacra, ſcilicet perſonarum, & rerum immunitate: [& furati ſunt,] vel legiſlationem, vel vſum, vel diſpenſationem circa perſonas Eccleſiaſticas, & eorum bona, ſacra eorum immunitate poſthabita; [& mentiti ſunt,] ideſt, contra veritatem, & definitionem rei egere: [& abſconderunt inter vaſa ſua:] ea, videlicet, quæ per Eccleſiæ Miniſtros erant præſtanda, cum ſua profana Politia, & iuriſdictione miſcuere.

TERTIA CONSIDERATIO.

11 TERTIO deinde eſt conſiderandum, Imperia, Regna, Dominia, quæ ſub Chriſtiana militant diſciplina, hinc hauſiſſe præcipuè vnumquodque eorum ingens hoc ſuæ conſeruationis deſiderium, ſui commodi, & vtilis acquirendi, augendi, vel propagandi quaſi innatum

votum,

votum, quia Euangelicā legē profitentur. Catholicorum namque Principum Imperia, Regna, & Dominia, tanto altiùs & excellentiùs, tantò enixiùs & vehementiùs ſuæ incumbunt conſeruationi, quantò veram, & eminentem, quàm Gentium dominia, Religionem profitētes, non ſolùm medio, vtili, delectabili, & honeſto bono; videlicet, naturali, & naturæ viribus appetibili; ſuas leges, ſuas dirigunt actiones; ſed etiam bonum æternum, & quod omnem naturæ excedit facultatem, habentes pro cynoſura, & ad finem altiorem adſpirātes; proprijs ſecretis commodis, in id ciuium, in id Senatorum, in id Principum, & quarumcumq; Poteſtatum ſublimium collimant acta, vt in re nulla, Religio, quies, & libertas publica violentur.

12 Cui ſibi propoſito fini adipiſcendo, poſt tot annorum ſecula, à ſuis ad fidem Catholicam conuerſionis initijs, experientia ipſa luculentiſſimum teſtimoniū præbente, vident, hæc media inſeruiſſe, ſuo ordine; Summo Pontifici, & Eccleſiæ Romanæ attributa obedientia: Hæreticorum hominum vitatio: cùm Catholicis alijs Regnis, ſeu Dominijs inuicem confœderatio: Hoſtium Chriſtiani nominis, cùm id tulit occaſio, perſequutio: Ordinis ac ſtatus Eccleſiaſtici veneratio: Canonum tandem, & ſacrorum Conciliorum perpes obſeruantia: quæ omnia, vſque in præſentem diem, tantùm quodcumque Imperium, Regnum, Dominium glorioſum reddiderūt; quantum quoties, Principibus renitentibus, ab horum integra præſtatione in eis (quæ vel temporum, vel hominum infelix extitit cōditio, vt tempore Conſtantij, Iuliani, Valentis, Conſtantini V. & ſimilium Imperatorum) deuiatum eſt, illa & dedecori expoſuerunt, & ad ſummas reduxerunt anguſtias: donec omnia fuerunt ad ſtatum priſtinum reſtituta.

QVARTA CONSIDERATIO.

13 QVARTA ſit Conſideratio, qua optamus, & ſupplicamus, Principes Catholicos, eorumq; graues Conſiliarios, & Senatores, pios etiam, ac eruditos Theologos, & Iuriſprudentes Doctores, vbicūq; & quomodocumq; Eccleſiaſticæ immunitatis cauſſam tractātes, animo reputare; Maiores noſtros ſapientiſſimos Rerumpublicarum gubernatores, id in primis cauendum in eis admonuiſſe; ne vllius aut edicti, aut legis, aut conſuetudinis, aut diſciplinæ, aut moris, vel regiminis mutatio temerè tentaretur. Sic enim conſtituendum fore, prudenter perſpexerunt; vt ſicuti corpora, cùm à conſueto, & familiari victu, ad nouum, & inſolitum traducerentur, conturbata, in morbos inciderent graues: ita Reſpublica pernicioſis ſeditionum, factioſarumq; cupiditatum motibus eſſet laboratura; ſi vetuſtis ſuis legibus conuulſis, antiquis repudiatis inſtitutis, abrogata diuturni temporis viuendi conſuetudine, ſurſum in ea, ac deorſum omnia miſcerentur.

14 Non mouenda, ne moueris:] docuit Plato, docuerunt omnes, de Rerumpublicarum recta agentes gubernatione, antiqui Philoſophi, ac conſtantes Politici: vnde illa, apud Dionem, Mœcenatis ad Auguſtum, ſapiens, & elegans Oratio: qua Imperatorem monet, nullam forè in Republica peſtem capitaliorem, magiſq; auertendam, quàm vt veterem in ea formam peruerti, nouamq; introduci patiatur. Hinc illa Perſarum, Locrenſium, omnium ferè Gentium, immò Iuriſconſultorum & veterum, & recentiorum, immò omnium hominum rationis vſu conſtantium ſententia: quæque mille poſſet teſtimonijs confirmari, & quaſi vulgaria, non recenſemus: [In nouis rebus conſtituendis, euidentem, perſpectamq; vtilitatem eſſe oportere; antequàm ab eo iure, quod diù receptum ſit, recedendi deliberatio inſtituatur.]

15 Scripſit Maximus ad Valentinianum Auguſtum, & habetur Tom. 1. Concil. inter Syricij Papæ Epiſtolas: [Audiui enim, (nam fama non patitur occultari, præſertim quod agitur in populo) nouis Clemētiæ tuæ Edictis, Eccleſijs Catholicis vim illatam fuiſſe obſideri in Baſilicis Sacerdotes: mulctam eſſe propoſitam: pœnam capitis adiectam: & legem ſanctiſſimam, ſub nomine neſcio cuius legis, euerti. Hoc quàm graue ſit, poteris intueri: ſi Dei magnitudinem volueris cogitare. Erubeſco, ſi quam crediderit Serenitas tua, adſtruere vellem rationem, & Dei agere cauſſam. Quid enim ſi hoc ſolùm eſſet? ſi enim iam per tot ſecula coalita, & confirmata mutare, paruam ne excitare diſcordiam videreris? Ipſis humanis legibus, in hac mortalitate, habet noſtra reuerentiam conſuetudo: & in re iam vetuſta, atque vſitata aliquid nouū feciſſe, reprehenſio eſt. Italia omnis, atque Africa hoc Sacramento credunt; hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hiſpania, Roma ipſa venerabilis: cuius etiam in hac parte principatus eſt, quòd Deum, ſicut ſequi voluit, agnouit.]

16 Capræolus Epiſcopus Carthaginenſis ſcripſit ad ſacram Synodū Epheſinam OEcumenicam, inter alia: & habetur inter eius Acta. Tom. 2.c.9. [At verò, ſi quis ea, quæ iā olim dijudicata ſunt, denuò inquirere tentauerit, is ſanè aliud nihil facere cenſebitur, quàm de fide, quæ hactenùs valuit, apertè dubitare. Vnde ad poſteritatis exemplum, tum vt ea quoque, quæ iam olim pro Catholica fide definita, & conſtituta ſunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant; oportet, ea omnia inconcuſſa, immotaq; conſeruare, quæ ſuperioribus temporibus à ſanctis Patribus conſtituta ſunt. Porrò qui illa perpetuam ſtabilitatem retinere voluerit, quæ de Catholicæ fidei ratione ſtatuerit; is non propria auctoritate, ſed antiquorum Patrum iudicio, ſententiam ſuam corroborare debet; ita vt partim veterum, partim recentiorum ſanctionibus, & ſententijs placita ſua comprobans, vnam, eamdemq; Eccleſiæ veritaté, iam inde ab initio, ad præſentem vſque temporis articulum, ſimplici pu-

ritate,

ritate,inuictaq́; conſtantia, & auctoritate decurrentem, ſe docere, & tenere oſtendat.

17 Ergo,Catholici Principes, vt Eccleſiæ filij veſtras Reſpublicas gubernate, ex Diuini Euangelij præceptis;ex Apoſtolorum inſtitutis,& traditionibus;ex ſanctorum Patrum,ad legem Euangelicam, adhibitis explicationibus;ex ſacrorum Conciliorum decretis;ex ſummorum Pontificum,& Doctorum Canonibus; ex maiorum veſtrorum iuſtis legibus, & exemplis; ac tamdem,ex puro Chriſtianiſmo: in quo cõtinentur verę, ac ſolidæ Politicæ diſciplinæ. At quia nolumus,Philoſophorum, & Prudentium antiquorum,ſiue Legumlatorum, ſiue Senatorum,ſiue etiam Politicorum à veſtrarum Rerumpublicarum abeſſe regimine geſta, & Documenta; audite hoc vnum, Vos obſecramus,Valerio Max.lib.4.capit.1. referente.

18 P.Scipio, cùm Cenſor,de more notum carmen, ſcriba ex publicis tabulis præeunte, pronunciaret: ventumq́; eſſet illuc: Iupiter, auge Rempublicam: numquam ſic precari in animum induxit; monente multum ſcriba, atque exhortante,ſed ſic: Iupiter, conſerua Rempublicam. Satis eſſe auctam,dicens, modò conſeruaretur. Ac protinùs in publicis tabulis, ad hunc modum carmen emendari iuſſit:qua verborum verecundia deinceps Cenſores, in condendis luſtris vſi ſunt.]

19 Hinc,quæ vobis ſint concipienda vota, circa veſtrorum dominiorum ſtatum,animo præcogitate, Catholici Principes. Nam ſi eorum augmentum procuraueritis, & pro eo ſupplicaueritis; vel ſunt versùs Chriſtianorum aliorum Principum, vel versùs hoſtis communis Turcæ confinia, & ceterorum Infidelium amplianda. Non credimus,prudentes, iuſtos,& Catholicos homines eam ſubituram mentem, vt à prudentibus, iuſtis,& Catholicis ſimilibus Principibus exiſtiment, ſuarum ditionum vel minimam partem extorquendam. Si augeri debent veſtra dominia, Turcarum,& Infidelium infringendo potẽtiam, & ab eis iniquè poſſeſſa plura loca Chriſtianorum in veſtras ditiones redigendo: hoc numquam eſt optatus exitus conſequuturus; niſi ſupremum Pontificem Romanum, & Chriſtianos alios Principes,& adiutores,& propitios habeatis.Vnde eſt conſequens, ſummo Pontifici eſſe à vobis ſemper ſummam obedientiam, quæ Principes decet Chriſtianos, exhibendam.

20 Dixerimus nõ otioſè,Principatus,& Principes Chriſtianos ſupremo Pontifici adiutore egere, ad hoſtium communium conatus reprimendos; cùm præcedenti ſeculo experientijs oculatis, ac felicibus didicerint, quam ex deuotione, & reuerentia ad S.Sedem Apoſtolicam Romanam, vſuram fecerint Germani, Galli, Hiſpani, & Reſpublica Veneta: qui victorias inſignes,percuſſo cum ſummis Pontificibus fœdere, de Hęreticis,& Turca hoſtibus immanibus reportarunt. Conſiderent enim, oportet,Imperator,Reges,Principes,ſicuti eſt certũ,(vniuersè loquẽdo)

Eccleſiæ theſauros (quod ſupra dicebamus,) proſtare, particulare, ac promptum remedium in communibus Regni, & ditionis calamitatibus: ſic eſſe certiſſimum, Romanæ ſingularis Eccleſiæ theſauros, exſtare quoddam commune refugium ſingularibus cuiuſq; Chriſtiani, ac Catholici Regni, ſeu Principatus miſerijs; quos ſummi Pontifices liberaliter effundunt, rebus Chriſtianorum vbicumq; publicis, ab Hæreticorum, & Turcarum vaſtationibus, defendendis.

21 Si autem conſeruatio veſtrorum Dominiorum ſolùm, cũ Scipione, eſt à vobis expetenda; iiſdem eſt medijs procuranda, quibus per annos, & ſecula, ab origine eorum ad Euangelij lucem vocatione fuere conſeruata: fidei, videlicet, Catholicę conſeruatione; veri Chriſtianiſmi profeſſione; ſtatus Eccleſiaſtici reuerentia; Locorum piorum, & eorum bonorum, ſacrarumq; perſonarum immunitate; hoſtium Chriſtiani nominis perſequutione, Hæreticorum vitatione, & iuſta punitione; & cõfœderatione mutua Principum Chriſtianorum: quæ omnia tam ſunt vera, quàm verum, & antiquis experientijs vobis eſt compertum, eos omnes Magiſtros, Senatores, Politicos, qui olim quomodocumque Patres, & Maiores veſtros ab aliqua ex ijs vijs tenenda deterruerunt, eos dum beatos prædicabant, inſigniter decepiſſe.

QVINTA CONSIDERATIO.

22 QVINTA ſit Conſideratio; quantumcumq; Principes ſeculares ſibi perſuaderent, ſuorum Dominiorum vtile, & commodũ augendum, & amplificandum, per leges à ſe editas, Eccleſiaſtica ſpreta immunitate ſacra, id certè non obtinebunt: immò omnia in peius ruent, omnia corruent, id meliùs Reipublicæ regimen, ad quod adſpirarent, numquã eſſent adepturi, & funditùs bono conſueto, atque antiquo, quod contemnerent, priuarentur. Comperimus enim, id omni experientia in hominũ gubernatione demonſtrante, ſummo, non adeò mediũ opponi notum regimen, quàm conceptum meliùs: dum Reipublicæ meliori ſtatui eius Rectores inhiantes, imaginatione comprehenſum melius regimen & appetentes, & exſequentes, bonum felicibus experientijs cõprobatum elabi manibus prætermittunt. Sed eſto: hæc Philoſophia aliquando ſit fallax: fallaciæ ne arguetur Chriſtiana Theologia, quæ optimè docet, id quod ipſa bonum inchoauit, haud eſſe Gentilium Philoſophorum placitis perficiendum? Culmen enim ædificij, fundamento vt correſpondeat, eſt neceſſe. Chriſtianos autem, non ciues Platonicę, aut Gentilis alicuius Reipublicæ eſſe docuit Paulus: ſed, eſſe ciues ſanctorum, & domeſticos Dei; quaſi ædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV. ad Epheſ. cap. 2.

23 Chriſtiana ergo Regna, & Dominia, cum vtriuſq; fori Eccleſia-

ſtici,

ſtici, ac Secularis, iuxta Canonicas Sanctiones, diſcrimine, hucuſque proceſſerunt; hucuſq; gubernata ſunt: Eccleſiæ, Templa, Monaſteria, Loca pia Auguſtiſſima fuere liberè, ad ſanctam fundatorum mētem, ædificata: Eccleſiaſticæ perſonæ, ac Societates, nullo intercedente, bona temporalia habuerunt, poſſederunt, & acquiſiuerunt; quæ ab illis cum adeo ingenti totius Reipublicæ vtili, & commodo, in ſacros vſus, in pauperum ſubuentionem, in Miniſtrorum Eccleſiæ ſemper fuere ſuſtentationem diſtributa. Hanc Philoſophiam doctus Plato neſciuit; eam Ariſtoteles eloquens ignorauit. [Perdam] dixit Deus, referente Paulo 1. ad Corinth. cap. 1. ex Iſai. c. 29. &c. [ſapientiā ſapientium, & prudētiam prudentium reprobabo.] Ergo ſpiritum, quem à lege Chriſtiana mutuati ſunt Catholici Principes, cultui incūbendi Diuino, pauperibus ſubueniendi, Miniſtros Eccleſiaſticos ſuſtentandi, per media Eccleſiæ conſueta, eum viuum, eum ardentem cōſeruabit Platonis, vel omnium Philoſophorum Gentilium, ſeu præſumptuoſa Politicorum Rectorum doctrina? & non potiùs illum paulatim exſtinguet paulatim cōtrahet, vt ſemel tamdem ſit in Regno, vel Republica defecturus?

24 Cui addendum Conſiderationi exemplum ſuppetit adeò quadrans, adeò rem hanc ponens præ oculis, immò doctrinam totam in manibus ſculpens, vt nihil poſſit amplius deſiderari. Erat Imperator Iulianus Apoſtata, Philoſophus inſignis, Rhetor acutus, Orator eloquens, & ſacræ Euangelicæ legis myſterijs ſufficienter inſtructus: ita vt, ad ſtatus Eccleſiaſtici & primā tonſuram, & gradus quattuor etiā, eſſet admiſſus; quod beatis illis ſeculis maximo erat cū honore coniunctū: vt quibus rerum ſacrarum quæcumque obitio plurimi æſtimaretur. Decidit tamen miſer in Apoſtaſiam à Catholica fide: cuius impietatem, Imperij obtentis habenis, mille fraudibus, mille in Chriſtianos & apertis, & occultis technis cumulauit. Et tamen cùm in Chriſtianiſmi lacte ſpiritum dilectionis proximi combibiſſet, effectus Apoſtata, quam in eo mutuam charitatem fraternitatis Chriſtus plantauerat, Platonis, & aliorum Philoſophorum, ſub Gentilis ritus legibus, credidit audax, impius, ac toto cælo errans, humanè irrigatam, feliciùs optatos fructus producturam.

25 Refert ergo Hiſtoria Tripartita lib. 6. cap. 29. eum enixè curaſſe, apud Gentiles, (ad quorum ſuperſtitionem, quaſi canis ad vomitum, fuerat reuerſus) Xenodochia, & Loca pia inſtitui, & charitatem exerceri, aliaq; pietatis munia; quę apud Chriſtianos, nedum inuicem, verùm verſùs Iudæos, & Idololatras animaduerterat frequentari. Hinc ſcribens ad Arſaſium Pontificē falſum Idolorum, eumq; ad hoſpitalitatis officia Paganis promptè exhibenda hortatus, ſic eſt confeſſus. [Turpe namque eſt, vt Iudæos quidem non abijciant, ſed potiùs nutriant impij Galilæi, (ſic enim per contemptum Chriſtianos vocabat) & ſuos pariter, nec non etiam noſtros: noſtri verò noſtrorum ſolatio deſtituantur. [Pietatem

ergo,

ergo,& charitatem,beneficentiam,communionem,& liberalitatem, quã in Schola Chriſti impius Apoſtata didicerat, coniungere cum Ethnicis optauit legibus,Gentilibus affectauit ampliare inſtitutis, Politicis prætendit conſilijs adaptare, ramum viridem putri radici ſtuduit inſerere: & tamdem reprobus Philoſophus, quæ vt Chriſtianus & didicerat, & efficere incœperat, vt Ethnicus docere, & perficere procurauit. Hæc omnia tamen irrito voto, zelo caſſo, affectu impoti; neque enim illi datum fuit, ſicuti nulli hominum olim dabitur; vt quod Chriſtus incœpit,quod eius lex, eius inchoauit doctrina cæleſtis, humana vnquam,& Politica perficiat diſciplina.

26 Sciant ergo, & compertiſſimum habeant Sereniſſimi Principes omnes Catholici, doctrinam Chriſtianam conſtantiſſimo tenore,ſimpliciſſimo paſſu,ductu ſinceriſſimo,eam tenuiſſe viam,eam tenere,eam perpetuò tenturam,quò ad ſpiritualem,& temporalẽ vtilitatem,quò ad cæleſte, & terrenum commodum, Imperijs,Rebuſpublicis, Regnis, Dominijs, Prouincijs Catholicis procuranda; vt illuc vſque numquam benè inſtituta, inſtituat; & deſtituta, reſtituat; & reſtituta,conſeruet. Sciant, eſſe grauiſſimum errorem,aſſerere,Euangelicam legem Politicę obſtare diſciplinæ; etiamſi cum ſuis ſpecialibus capiatur conſilijs,Paupertatis, Obedientiæ,& Caſtitatis,etiam virgineæ,profeſſione: quæ,quicquid Doctores quidam Catholici renitantur,non ſolùm non obſtant ſimpliciter Politicis progreſſibus,verumetiam illos ampliſſimè exornãt.Sciant,ſacrorum Canonum obſeruationem, Eccleſiaſtici ſtatus immunitatem, ac libertatem,non ſolùm impedimento non eſſe,quominus Reſpublicæ,Regna,Prouinciæ,in quibus Chriſtus viuit, & regnat, in pace degant, floreant, augeantur, & amplificentur: verùm inſigniter felicibus earum auſpicijs deſeruire.

SEXTA CONSIDERATIO.

27 VLTIMA hac ſexta Conſideratione concludimus huius Capitis inſtitutam enarrationem;nobis firmiter perſuadẽdo,Chriſtianis Principibus hunc finem omninò eſſe, & fore propoſitum, quoties, etiam per errorem, aliquid ſtatuendo, vel edicendo,contra Eccleſiaſticam procederent immunitatem: vt,videlicet,Reſpublica pacatè degat, cum ceteris,quæ §.1.huius Capitis ſunt relata. Et abſtrahimus nunc ab huius effectus, ſeu prætextus veritate, & certitudine,quẽ ſunt ſoliti prętendere, laicæ quædam Poteſtates;crimina,videlicet,grauia,ſeu quæ ipſi nuncupant,atrocia,Eccleſiaſticorum hominum, haud rigoroſis nonnumquam pœnis ab Eccleſiaſticis Iudicibus puniri: & circa bona Eccleſiæ temporalia, vel acquiſita, vel acquirenda, ab eiſdem Eccleſiaſticis vel delinqui,vel exceſſus aliquos committi. Prætermittimus etiam notam doctrinam, à Theologis, & Iuriſprudentibus Doctoribus, immò, & ab

ipſis

ipſis laicis Poteſtatibus ſatis approbatam; cum Eccleſiaſticorum, ſcilicet, delictis, & criminibus mitiùs eſſe agendum; & circà bonorum temporalium adminiſtrationem, meliorem eſſe canem viuū leone mortuo: Eccleſ. cap. 9. ſecularesque perſonas, in ſuis bonis adminiſtrandis, quaſi leones eſſe mortuos: Eccleſiaſticas verò, in bonorum Eccleſiæ diſtributione, quaſi canes eſſe viuos reputandas. Fini ergo illi à dictis Principibus Catholicis concepto, finem alium à Summo Pontifice, & ab Eccleſia intentum, immò, & ab ipſis Principibus, & eorum Miniſtris intendendum, opponemus: & qua ratione ſe gerant & ſtatus Eccleſiaſticus, & Papa eius caput, in eo & inſequendo, & adipiſcendo, & qua ratione ſe gerant Principes Chriſtiani, in eis ſpecialiter dominijs, quæ Hæreticorum nō deſugiunt communionem, ſeu conuerſationē, inſpiciamus.

28 Finis igitur grandis, à Chriſto Domino operis ſuæ redemptionis, per crucis mortem, intentus; fuit, exhibere in conſpectu ſui æterni Patris [Eccleſiam ſpecioſam, non habentem maculam, neque rugam:] ex Apoſtolo ad Epheſ. cap. 5. Cui fini ſummus Pontifex, Eccleſiæ Prælati omnes, ſtatus ſecularis Principes cuncti, quilibet denique in dominijs Chriſtianis imperantes, debent ſuas integrè operas præſtare: vt Chriſtianæ hominum Societates, ex eodem Apoſtolo ad Tit. c. 2. [ſobriè, & iuſtè, & piè viuant in hoc ſeculo:] alterius præmia ſuo tempore recepturæ. Cùm verò, ſi de moribus ſit ſermo, homines, qua homines ſumus, circumdati ſimus infirmitatibus; quibus à legibus, in praxi & vſu, ſalutaris prouenit medicina, in quocumque ſtatu ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſeculari reſpectiuè, verſùs perſonas delinquentes, ſeu moribus ægras à Superioribus applicanda: huic certè vni rei maximè Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ac Politiæ, & ſummi Pontificis eius capitis, reliquorumque Paſtorum & Doctorum, oportet, labor, & cura deſudent; vt Hæretici in Imperio, Regno, Ducatu, Principatu, Republica, Dominatu quocumque Chriſtiano, & Catholico deuitentur. Cùm enim, ex eodem Apoſtolo 2. ad Timoth. cap. 2. [ſermo eorum, vt cancer ſerpat;] nulla eſt Prouincia, nullus eſt locus Catholicus, vbi fuerint conuerſati, quem non dederint peſſum, quem non confuderint, peruerterint, euerterint.

29 Quo ſuppoſito, attendant, obſecramus, omnes Chriſtiani Principes, in quorum Dominijs Hæretici degunt liberè, & promiſcui conuerſantur impunè, quid fieret, ſi ſummus Pontifex, ſi Eccleſia ſcrutaretur eorum Dominia in lucernis? ex Sophon. cap. 1. Quòd ſi in re tam graui, & quæ ad Reipublicæ certam ſalutem, ac perpetuam adeò ſpectat ſecuritatem, Eccleſiaſticus ſtatus, & ſummus Pontifex, ea ratione, ſeu moderatione ſe gerunt, quam ea Dominia experiuntur: ne nimis curioſè ſe ingerere rebus Politicis aliàs videātur: cùm tamē id ſuperiori ſphæra, quàm Politicum ſit regimen, contineretur; altiori certè, & ſecretiori conſilio rem hanc metientes: deberent proinde, ac debent dicti Principes, effectus

aptandos ad præſtitutum ſibi finem aſſequendum, qui multò eſt inferior hoc fine Eccleſiæ,& ſui ſupremi Paſtoris relato,candidiori linea,& faciliori regula dimetiri. Deberent,& debent,ſicuti quæ medicorum ſunt, ad medicos,vt ea promittit;quæ fabrorũ, ad fabros reijciunt tractãda:ſic, quæ iuriſdictionis,ac Politiæ Ciuilis Eccleſiaſticæ ſunt, quæ bonorum Eccleſiæ quamcumque diſpoſitionem, & legiſlationem attingunt,Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & Politiæ, ac eius ſummo Pontifici prorſus gerenda,& adminiſtranda reliquiſſe.

30 Neque velint,vel ignorantiam rei tantæ prætendere, vel ſic eam conſiderare,vt hominum in homines admiſſa facinora,quaſi Reipublicæ pernicioſa,paratiori iudicent pœna vindicanda : in Deum verò Apoſtaſiæ à fide Catholica admiſſum facinus, quaſi quid ſecretius,& quod ſtatum Politicum non inficiat, Deo caſtigandum remittant, qui ſuam cauſſam iudicet: dicentes interim illud Iſraelitici illius quondam Iudicis Heli, 1. Regum cap. 3. audientis ex ore Domini, quæ illum, & domum ſuam pœna maneret;eò quòd ſciens,filios ſuos Sacerdotes indigna agere,& ſua miniſteria in cõſpectu Deitatis gerere & procaciter,& fraudulenter, eos non corripuerit: ſic enim Samueli verba Domini exponenti arrogans Heli reſpondit : [Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.] Ac ſi diceret, iuxtà S.Ephrém Syri explicationem, Apologia ad fratrem quemdam,de Heli Sacerdote ; Ego filijs meis moleſtiam afferre non poſſum : ſi illum offendunt, ipſe de illis ſupplicium ſumat; cauſſa eſt ſua,illam agat,ideſt, *ſe la vegga di la*, id eſt, *allà ſe lo haya*.

31 Ergo ne Heli inſtar, dicant Deo præinſinuati Chriſtiani Principes de falſis fratribus Hæreticis, in eorum dominijs quietè degentibus, [Dominus eſt:quod bonum eſt in oculis ſuis faciat:]meminiſſe iuuabit, Heli Iudicem cap. 4. ſequenti,audito nuncio de belli aduerſo ſucceſſu, arca Dei capta, & filijs diſcolis interfectis, cecidiſſe retrorſum de ſella, in qua ſedebat, & fractis ſubitò ceruicibus obijſſe. Vnde factum fuit, vt neque numerum, neque locum inter Seniores duodecim,ex antiquo Teſtamento coram agno in cælis coronis redimitos, ſtantes, ex Apocalyp. c.4.inuenerit: vtpote qui confracto capite, vbi coronam ad tantum ſpectaculum imponeret,non haberet. Haud diſſimili ratione,quicumque Chriſtianus Princeps, ad quem prædicta modo aliquo ſpectent, facilè in eam poteſt deuenire ſuſpicionem;ne forſan coram agno ęterno abſque Corona compareat,ſi ea ab eius capite ceciderit : ex Thren.cap.5.immò ſi capite confracto, ſui regiminis geſſerit adminiſtrationem: dum Eccleſiæ caput,Petri ſucceſſorem, & Chriſti Vicarium ſummum Pontificem Romanum, dum Eccleſiam ipſam contentioſè contempſerit admonentem, & ei iuſtè iubenti,proteruè aliquando renuerit obedire.

32 Quòd ſi mentem noſtram in ſuperiùs dictis aperuimus, non ſumus illius ſententiæ, vt velimus ad Eccleſiaſticarum perſonarum vitia con-

niueri,

niueri: vel bona Eccleſiaſtica temporalia, liberè (iniquè dixerimus,) diſpenſari: vel Eccleſiaſticos, diuitijs ſtudere augendis, & cum Reipublicæ ſecularis damno procurandis; quæ certè non probamus: & Miniſtrorum Eccleſiæ, ſiquæ ſunt, circa præfata, negligentiæ; vel ſiue commiſſione, ſiue omiſſione, delicta, optamus maximè, corrigi, & emendari: per eos tamen, quibus id muneris de iure incumbit; per Prælatos, & alios Prælatos Eccleſiaſticos; per ſanctas Synodos; per ſacra Concilia; & per Prælatorum Prælatum, ſummum Pontificem: per ipſum, ſcilicet, ſtatum & ordinem Eccleſiaſticum: vt vtriuſque ſtatus ſine præſuppoſito ſtante, ad illius aſſequutionē, fratres adiuti à fratribus, Eccleſiam, quæ ex eis coaleſcit, valeant terribilem, vt caſtrorum aciem ordinatam, & vt ciuitatem inexpugnabilem conſeruare.

Theologia, & Iuris quædā ſpecialis prudentia, pro ſimilibus legibus vel inſtituendis, vel abrogandis, valde notanda. Cap. LXI. §. 1.

IN Reipublicæ, in Regni, vel Prouinciæ, vel Ciuitatis, in Monarchiæ, vel cuiuſq; regiminis forma, vtiliſſimum, &, populorum æquo, & iuſto, commodum ſemper exiſtimauimus ingens futurum; ſi inter tot Principum Conſilia, Conſultationes, Cōgregationes, Senatus, ſeu Plebiſcita, iuxtà cuiuſque loci, Regni, vel Reipublicæ qualitatem, aliquot Conſiliarij à rebus Cōſcientiæ, in Cōſilio, ab ipſa etiam ſic denominato, Principibus aſſiſterent: ſicuti in regno Luſitaniæ nouimus inſtitutum. Hoc enim Conſilium & Reipublicæ multa onera ſubleuaret, & Principibus nedùm viā, ſed etiam campum latum aperiret, ad, ſine inuidia minorum, aut cuiuſcumque ſtatus, & fiſcos augendos, & publicis neceſſitatibus occurrendum. Eſſet etiam rigidum frænum, quo Miniſtrorum efferata potentia iuſtis coërceretur carceribus, limitibus circūſcriberetur æquis; ne Principum abuſa benignitate, & ipſorum Principum imperantium; & ſubditorum obſequentium res audaciſſimè proſterneret, ac peſſumdaret.

2 Eſſet quidem hæc Theologia cæleſtis, eſſet Iuris excellens quædam prudētia, quæ rerum quottidianis inſtans ſucceſſibus, præteritos ſemper attendens, præſentes dirigeret, eos bonos reddendo; futuros malos, quod in ſe eſſet, præueniret. Cùm tamen hoc vel perſuaſu impoſſibile, vel effectu difficile ſit; ſequens Theologia, & Iuris certa, & vera ſemper Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Rerumpublicarum aſſiſtat, oportet, ſublimibus Poteſtatibus, & hæc ſit, [Mors,] eiuſque iugis meditatio. Hanc ſecum, ſcimus, talem doctrinam hominibus importare, quam forſan neque benè valentes didicerunt: neque benè valituros ſperantes addiſcent: eam tamen moribundi, vel re, vel opinione, morte, vltima veritatis magiſtra, inſtante, ſic imbibunt, ſic intelligunt, ſic penetrant; vt Doctorum euadant Doctores: immò ſaltem ſibi docti, ſi ſani, & valen-

tes eorum eſſe diſcipuli recuſarint.

3 Non latuit Diuinum hoc documentum, Stoicum illum Hiſpanum Philoſophum Senecam, lib. 4. de Benefic. cap. 11. quo loco docuit, de pauperum agens ſpecialiter ſubuentione; antè mortis acceſſum, homines, iniquos eſſe iudices, affectibus præpeditos humanis; ſpe, timore, gaudio, dolore; qui mortales huc illuc tranſuerſos agunt, qua temporalia meditantur: quibus, morte inſtante, valere iuſſis, incorruptè de rerum veriſſimis rationibus iudicamus. Hauſit hanc numquam ſatis laudatam doctrinam Seneca ad ſui præceptoris Platonis ſcriptis lib. 1. de Repub. vbi in hunc ferè modum docet. Quando mors imminet, ſtatim timor homines occupat, & de ijs etiam curant, quorum anteà profunda obliuione tenebantur: dum iam ſibi perſuadent, inferorum veras, & certas eſſe pœnas, quas priùs, quaſi fabulas reputabant. Haud ſciuerim, an eas acutiùs videant, ſubtilitate, in tanta ſenectute, corpoream craſſitiem, quæ animorum obſtat perſpicacitati, abſumente: an verò, quia ipſis fiunt proximiores. Diſcutiunt quos læſerunt, quoſuè affecerint iniuria: ſunt veluti pueri infantes, qui euigilantes, timent, & lacrymantur: ſic negligentes, obliuionem, in qua verſabantur, reijciunt, mortis præſentia transformati; & mentis oculis tunc apertis, timor, veluti pueros, eos eſt ſolitus occupare.

4 Hoc argumentum, tam facilè eſſet dilatare, quàm norunt, qui ſacræ Scripturæ, & eius Interpretum inuigilant lectioni: nobis non eſt propoſitum longas texere Homilias: ſit ſat Stoica hæc doctrina, ad eorum Principum, quibus antiquorum Philoſophorum valdè Politicæ placent Deciſiones, geſta, ad ſaniorem reducere mentem, & trutinam iuſtiorem in legibus ferendis, quæ ſtatum poſſint Eccleſiaſticum ſcandalizare. Morte namque, vltima linea rerum, nedum Politicarum cogitationum, ad Legiſlationis conſilium adhibita, credimus, ſi Catholici, ſi pij ſint, nihil fore ab illis admittendum, quod Chriſti IESV Dei & hominis, qui pro vtroque ſtatu, Eccleſiaſtico, ſcilicet, & Seculari, & eius delictis paſſus eſt, oculis valeat diſplicere.

Hæreticos callidè velle Catholicis Prouincijs, & earum Principibus, circà legum, contrà immunitatem Eccleſiaſticam, conditionem, imponere. Cap. LXII. §. 1.

CONSTITVERVNT Hæretici, Diabolico furore arrepti, communi ſententia, in legitimos Dei filios ſæuire; eos propria eijcere, maternaq; domo, & eorũ loco carnalis ancillæ ſubſtituere filios, ſeu nothos; vnde anxiè ſemper rimantur, qua ratione hos alere, & illos miſeranda poſſint, vel inedia omninò necare, vel impia negligentia præterire. Vt autem votorum potiantur,

hoc opportunum, & præſens ſatis eis viſum eſt remedium, vbicumque illis fuit auſcultatum: ſi bona Eccleſiaſtica, quæ maiores noſtri ſancti, & pij alendis pauperibus, & Miniſtris Eccleſiaſticis ſuſtentandis, & cultui Diuino externo conſeruando, reliquerunt; in eorum Miniſtrorum alimoniam conuerterent, qui ante Baal eſſent genua curuaturi. Id, cùm viderent, auctoritate propria obtineri non poſſe, populiſq; futurum graue, & arduum: Principum ſecularium fauorem, & auctoritatem ſunt conati ſibi conciliare. Quod vt faciliùs aſſequerentur, cœperunt apud populos clamare; hanc prærogatiuam, quam veriùs appellaſſent, miniſteriũ, hos redditus Eccleſiaſticos diſpenſandi, non Eccleſiaſticis viris, ſed profanis incũbere Magiſtratibus obeundam. Ceterùm Eccleſiaſticas perſonas, quò Reſp. pacatiùs degat, in ſeculari foro Principũ iudicãdas.

2 Incidit hæc malè ſana Hæreticorum cogitatio, hiſce miſeris, & calamitoſis temporibus; quibus, ſi vnquàm alias, Magiſtratus limitibus vllis ſuam ſepiri poteſtatem difficilè patiuntur: quin de ea amplificãda ſemper ſunt ſoliciti. Hinc multis in locis, vltrò poteſtatem oblatam, inaudita temeritate Eccleſiæ ademptam, & ipſis attributam amplexati, ſibi deberi, quamuis iniquo iure, defendunt, ac retinent. Ne tamen ſiue ex Primatibus, ſiue ex inferioris ordinis hominibus, aliqui huic ſacrilego reclamarent inſultui; Hæretici in Clerum debacchari cœperunt; ipſum rapinarum, malæ fidei, luxus, & criminum aliorum apud populos inſimulantes; ac tamdem ſuis maledictis, & conuitijs grauiſſimam inuidiam Eccleſiaſticis perſonis conflauerunt. Ergo Magiſtratibus, & populis multis in ſuam ſententiam inductis, iam rem intentatam ad exitum perduxerunt; Principibus, & bona omnia Eccleſiarum, & piorum Locorum, quin & omnem in omnium ſtatuum homines iuriſdictionem arrogantes, Miniſtros Eccleſiæ in exiliũ egere; pauperes fame, & nuditate interemere; triſtiſſimis habuere modis eos omnes, qui de eorum malè ſentiebant inſolentia; & quæcumque potuerunt bona Eccleſiaſtica, in ſua priuata commoda abligurienda conuerterunt.

3 Hiſce artibus tam ingentem vtriuſq; Germaniæ partem Hæretici deſtruxerunt, & à fide Catholica dimouerunt. Idem in Anglia, Scotia, Hibernia, alijſq; locis effecere. Vnde exempla numeroſa ſuppetunt; quæ doceant Prouincias Catholicas, hoc hominum genus, & Eccleſiæ, & rebus ipſis Politicis pernicioſiſſimum, vitare, & ſtatum Eccleſiaſticum, quantumuis aliquot ſingulares perſonæ ab orbita ſui perficiendi muneris deuient, reuereri. Satis eſt ergo deſpicabilis, & contemptus Eccleſiaſticus ſtatus, apud Hæreticos, & apud illas Prouincias, quæ ab illis ſe paſſæ ſunt ſeduci; non eſt, quòd Catholici etiam doceant, vel doceri permittant populũ, indignum Eccleſiaſticorũ contemptum. Imperator, Reges, Principes, Reſpublicæ Catholicã Religionẽ profitẽtes, Sacerdotes, Monachos, Prælatos Eccleſiæ tuendos, atque extollendos, ſuſcipere

ebent quod eſt Catholicorũ,& bonorum imperantiũ officium: non autẽ ati, illos ſannis, conuitijs, & libris ſcriptis proſcindi, impeti, derideri.

4 Quòd ſi Chriſti de hoc Domini doctrina, ſi ſanctorum Patrum mo-ita, ſi antiquorum non adeſſent Chriſtianorum inſtituta; debuiſſent, pud Magiſtratus ſeculares, (ad verecũdiam hoc illis dicimus, Paulum nitati) Gentium, & Saracenorum ſat eſſe exempla: apud quos tantùm ommentitij Sacerdotij valuit auctoritas; vt neque Romani ſuos Flami es, neque Apennini Galli ſuos Druidas, neque Chaldæi ſuos Magos, eque Mahumetani ſuos Alfaquinos, æquo animo tuliſſent, improperijs ffici, vel indignis nuncupationibus, à priuatis quibuſcumque, etiam iſtam cauſſam tuentibus, dehoneſtari. Curare maximè debent Impe-ator, Reges, Principes, Reſpublicæ; ne Eccleſiæ Prælati, & Sacerdo-es, & vniuersè, Eccleſiaſticus ſtatus, malam, à quibus bonam ſperabant, neant gratiam; ne ſuccedat tamdem, vt populus, concepta animo ſemel e Eccleſiaſtico ordine ſiniſtra opinione, præſumat ab eius cultu, amo-e, & reuerentia dimoueri.

5 Ceterarum Propoſitionum, quæ contra ſacrorum hominum, & bo-orum immunitatem circumferuntur, confutationem, in tempus com-odius reſeruamus: quamuis, ſi præfata legantur attentè, credimus, as ſufficientiſſimè confutatas.

Tractatus Theologici, de Politia, & Immunitate Eccleſiaſtica, Magiſtri F. Laurentij Ortiz de Ibarrola, & Ayala, Benedictini.

PERORATIO.

EXIGEBAM Tractatum hunc, at quàm exactè, Catholici pietate, & doctrinâ nobiles Lectores iudicent. Quos, per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini, oro, & obſecro; vt quæ breuitati Operis conſulens, vel prætermiſi, vel obiter attigi, ipſi copioſius, & operoſiùs tractent; ad Eccleſiæ initia nitentes, ſeneſcentia eius hæc ſecula reuocare. Iuſſus ſic Moſes Doctor, & Ductor, omnia facere, ſecun-um exemplar in monte ſibi monſtratum; Doctoribus præiuit figura Chriſtianis; vt m doceant, defendant, tueantur doctrinam, quam & Chriſtus Dominus, & Pri-itiuorum cœtus Chriſtianorum docuit: Ductoribus præiuit figura Catholicis; vt am operepræſtent, protegant, & conſeruent. Hierarchia Eccleſiæ, eiuſq; hac viſi-ili perſtante Politia, Hæreticis, ac Infidelibus alijs erit terribilis: immò eos in ſuū ile vel reducet, vel inducet: vt omnis ſpiritus, & velit, & valeat, Dominum Mundi totius & Conditorem, & Inſtauratorem collaudare.

Quæcumque in hoc Tractatu continentur, ſubijcio Cenſuræ S. Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ.

Omnipotenti Deo Trino & Vno, qui donauit cogitare, deſcribere, & in lucem proferre, honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

IN-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX EORVM,

Quæ in quattuor Partibus huius Tractatus, per capita rerum, comprehenduntur.

IN PRIMA PARTE.

SEPTEM Principia, & Prolegomena totius Tractatus.pag.
Quæſtio I. Ad quid ſe extendat Eccleſiaſtica Politia, circa le-ges humanas, & Ciuiles ſecularis Poteſtatis. Vnica Concl.

IN SECVNDA PARTE.

QVAESTIO II. An perſonæ Eccleſiaſticæ ſint immunes, & li-beræ, iure Diuino, à Ciuili Principum laicorum poteſtate, in ijs quæ criminalia, & ciuilia, ſiue quocumq; modo temporalia ſunt? 1
Eius occaſione, primò qualis adminiſtratio cauſſarum, apud Chriſtianos ex Euangelij forma præſcripta fuerit, explicatur. I. Concluſ. 1
Explicatur locus Euangelij, Si peccauerit in te frater tuus, &c. 1
Argumentum graue diluitur. 2
Summorum Pontificum doctrina, pro explicatione, Si peccauerit, &c. 2
Sanctorum Patrum doctrina, pro ead. loci Euangelici explicatione. 2
Explicatio eiuſdem loci, ex Euangelio Lucæ, & Fabiano Papa. 3
Doct. Driedonis doctrina, pro eodem loco, Si peccauerit, &c. 3
Quattuor Dogmata, quæ ex illo loco, Si peccauerit, &c. colliguntur. 3
Pauli Apoſtoli doctrina circa prædicta. 4
Ex eodem Paulo dicta confirmantur. 4
Ex eodem Apoſtolo comprobantur prædicta. 4
Inſignis locus Pauli, pro eadem doctrina. 4
Sanctorum Patrum doctrina, circa locum præfatum Pauli. 5
Parergon, de Eccleſiaſticis Iudicibus, & Conſultoribus. 5
Diluitur quædam obiectio. 6
Eccleſiaſticorum hoc iudiciarium tribunal adhuc oſtenditur. 6
Ex eodem Paulo prædicta roborantur. 6
Locus Euangelij, Si peccauerit, &c. ex Paulo Apoſtolo explicatur. 6
Pro Eccleſiaſticis, circa iudicia ſecularia occupatis, ex officio. 6
Sacerdotes apud Gentiles erant Iudices. 6
Apud Hebræos erant Iudices Sacerdotes. 6
Primum Conſectarium ex prædictis notandum. 6
Obiectioni cuidam reſpondetur. 6
Conſectarium ſecundum notandum. 6
Confirmatur vltimò Concluſio. 6
Argumenta duo ex Euangelio, ſoluuntur. 7

ecunda Concluſio, & eius probatio. 71
Explicatur fundamentaliter Concluſ.ex Petri Primatu. 73
Exſequutio præcepti: Confirma fratres tuos.per Petrum facta theoricè. 77
Exſequutio præcepti. Confirma fratres tuos.per Petrum facta practicè. 80
Maximum exemplum quoddam in Petro, exſequutionis mandati. Confirma fratres tuos. 83
Maximum aliud ſecundum exemplum exſequutionis, per Petrum facta, mandati, Confirma fratres tuos. 86
Quinque Corollaria ex præfatis excerpta. 90
Confirmatio Politiæ Eccleſiaſticæ, ex aliis Scripturæ locis. 94
Quid colligatur ex prædictis: &, circa explicitam à Petro faciendam fratrum confirmationem, SS. Patrum ſententia. 96
Diſſoluitur Argumētum, contra probationem Concluſionis, ſumptam ab illo loco Lucæ. cap.22. Vos autem non ſic, &c. 98
Explicatur adhuc locus Lucæ c.22. pro confirmatione Concluſionis. 100
Probatio præpoſitæ Concluſionis, & eius veritas, Petri ſententia ſecundò confirmatur. 105
Ex Apoſtolo, Concluſio, & eius præfata explicatio, tertiò probatur. 108
Probatur Concluſio quartò, ex lege naturæ, & ſcripta. 109
Confirmatur adhuc quarta probatio Concluſionis, ex lege ſcripta. 111
Iudiciorum qualis fuerit ordo apud Hebræos. 112
Confirmatur adhuc probatio quarta Concluſionis, ex lege natura. 116
Probatur quintò Concluſio, ex communi ſeculorum conſenſu. 116
Sextò probatur Concluſio, ex Chriſti Domini doctrina, apud Matth. 118
Probatur ſeptimò Concluſio, Chriſti Domini facto. 118
Probatur octauò Concluſio, ex Apoſtolo, Epiſt. ad Timoth. 119
Concluſio probatur nonò, ex Apoſtolo, Epiſt. ad Hebræos. 122
Probatur decimò Concluſio, ab effectu. 124
Probatur vndecimò Concluſio, ex vi prioris Concluſionis. 127
Concluſio probatur duodecimò, ab inconuenienti. 128
Probatur decimotertiò Concluſio, ex Chriſti doctrina, Matth. cap.18. Si Eccleſiam non audierit, &c. 129
Ex duobus Notandis collectio valdè attendenda, pro Concluſionis confirmatione. 131
Oppoſitiones contra ſecundam Concluſionem. Primum Argumentum ab exemplo, & facto Salomonis, circà Abiathar Pontificem. 135
Alia exempla, & facta in lege antiqua, contra aſſertum Concluſionis afferuntur, & diſſoluuntur. 138
Pro ſolutione horum argumentorum generali, Notandum. 142
Secundum Argumentum, à termino ſpiritualitatis. 143
Secūda reſponſio, à cōiunctione Politiæ Eccleſiaſticæ cū Hierarchia. 144
Argumentum contra hanc ſolutionem diſſoluitur. 146

Con-

Confirmatur ſecunda Argumenti reſponſio, ex lumine naturæ, & Romanorum antiqua lege, & ab inconuenienti. 146
Confirmantur hæc ſacræ Scripturæ teſtimonijs. 147
Contra Politicorum hæreſim. 148
Tertium Argumentũ, ex loco Pauli ad Rom. c. 13. Omnis anima, &c. 151
Ex Baſilio, ſolutio præfata confirmatur. 152
Primũ Notandũ, circa quæ ſit ſublimioribus Poteſtatibus obediendũ. 153
Secundum Notandum, explicatur, quæ Poteſtas ſit à Deo. 153
II. Reſponſio ad Argumentum 1 ex D. Petro, & SS. Patribus. 154
Tertium Notandum, circa ſtatum Euangelicæ promulgationis. 156
III. Reſponſio ad principale argumentum, ex iuſtitia, & prudentia publicationis Euangelij. 157
Reſpondetur oppoſitioni contra ſolutionem loci Paulini. 157
Quartum Notandum, ſeu IV. ſolutio Argumenti principalis. 160
Explicatur Innocentius cap. Nouerit. de ſent. excom. 161
Explicatur S. Ioannes Chryſoſtomus. 163
Quartum Argumẽtum, à iudicio exercito in Chriſtum coram Pilato. 164
Quintũ Argum. ex appellatione Pauli Apoſtoli ad Cæſarẽ interpoſita. 166
Sextum Argumentum, à varia adminiſtratione huius Politicæ poteſtatis, per ſummos facta Pontifices. 168
Prima pars ſolutionis ad Argumentum. 169
Secunda pars reſponſionis ad Argumentum. 172
Tertia pars reſponſionis ad Argumentum. 173
Quarta pars reſponſionis ad Argumentum. 173
Pro generali reſponſione ad Argumentum, Notandum. 173
Iudicium de Imperatorum, & maximè Iuſtiniani Conſtitutionibus, de rebus ſacris, &c. 175
Notandum, pro vſu Eccleſiaſtica huius immunitatis, &c. 176
Suppoſitum notandum, pro legibus à quacumque Poteſtate ferendis. 177

IN TERTIA PARTE.

QVAESTIO III. An immunitas bonorum Eccleſiaſticorum ad Eccleſias, Loca pia, & Clericos pertinentiũ, quæ quomodocũq; miniſterijs, & vſibus Diuinis deputãtur, ſit ſtatuta de iure Diuino. 178
Prima Concluſio. 178
Probatur primò Concluſio, ex confeſſione ſecularium Principum. 179
Probatur ſecundò Concluſio, ex Lege veteri. 180
Probatur tertiò Concluſio, ex Concilio Lateranen. 180
Octo Notanda, pro quarta probatione Concluſionis. 181
Ex his Notandis Concluſionis colligitur probatio. 193
Oppoſitiones contra Concluſionem. Primum Argumentum, à conceſſione priuilegiorum Principum ſpeciali. 194

Secundum Argumentum, contra immunitatem perſonarum, à ſimili Priuilegiorum conceſsione. 195
Prima Reſponſio ad Argumenta. 195
Primum Notandum, circa Euangelij per orbem plantationem. 196
Colligitur confirmatio II. Concluſionis 2. Partis. 198
Obiectio contra prædicta diluitur. 200
II. Notandum, ſeu ad I. conſequutio. 201
Obiectio contra prædicta ex ipſo Paulo, diſſoluitur. 205
Tertium Notandum, circa ſtatum Chriſtianorum initio Eccleſiæ. 206
II. Reſponſio ad Argumenta. 207
Tertium Argumentum, contra totam Politiam Eccleſiaſticam. 211
Molinæus vrget hoc Argumento, & eius euaſiones, contra Politiam Eccleſiæ, 212
Contra euaſiones Molinæi. 213
Pro explicatione Argumenti, & Eccleſiaſt. immunitatis. Notanda duo de viginti. 214
Animaduerſio pro his, quæ de pœna Anathematis, ſeu ignis gladio, tam hic, quam 2. Parte dicta ſunt. 245
Argumenti concluſio. 245
Secunda Concluſio. 246
Nouem Notanda, pro explicatione Concluſionis. 246
Colligitur Concluſionis integra prima probatio. 262
Decimum Notandum, pro 2. & 3. integra Concluſionis probatione. 263
II. probatio integra Concluſionis. 267
Obiectio quadam ſoluitur. 267
III. probatio integra Concluſionis. 268
Leges de bonorum Eccleſiæ diſpenſatione. 268
Epiſcopus vnde dictus. 270
Primum ex quattuor Corollarijs, quæ colliguntur notanda. 271
Secundum Corollarium. 271
Exempla duo adminiſtrandi Eccleſiæ bona, pro ſequentibus Corollarijs notanda. 273
Tertium Corollarium. 274
Quartum Corollarium. 275
Explicatur vltima pars Concluſionis. 275
Dubia quædam circa prædicta. I. circa Eccleſiæ bona, & maximè immobilia. II. circa bonorum Eccleſiæ acquiſitorum diſpenſationem. III. circa Legiſlationem de bonis Eccleſiæ acquirendis. 276
Dubium I. circa Eccleſiæ bona, & maximè immobilia. 276
Decem Notanda, pro explicatione dubij. 276
Conſectaria decem ex prædictis habita. 285
Dubium II. circa bonorum Eccleſiæ acquiſitorum diſpenſationem. 294

Sup-

Suppoſitum ad ſequentes Conſiderationes . 298
Prima Conſideratio, circa OEconomiam difficilem diuitiarũ Eccleſiæ. 298
Secunda Conſideratio, circa cauſſam Eccleſias locupletandi, & earum bona iuſtè expendendi . 301
Tertia Conſideratio, circa tempus, & modum Eccleſiæ diuitias, &c. pauperibus, &c. erogandi . 304
Quarta Conſideratio, circa, præſenti tempore, Eccleſiaſticorum bonorum diſpenſationem . 313
Quinta Conſideratio, circa ea, quæ ab Eccleſiaſticis præſtanda ſunt, in Principum, ac Rerumpublicarum neceſſitatibus . 316
Argumentum pro cauſſa Laicorum Principum . 319
Reſponſio, & difficultatis reſolutio . 320
Concluſio conſiderationis, cum appendice notando . 325
Sexta Conſideratio, circa Eccleſiæ theſauros: qualiter ſint æraria publica . 326
Dubium tertium, circa Legiſlationem de bonis Eccleſiæ acquirendis. 330
Argumenta pro his legibus inſtituendis . 333
Septem Fundamenta, pro dubij explicatione. 334
Ratio dubitandi, circa leges poſteriores, de bonis Eccleſiæ acquirẽdis. 348
Ratio, & iudicium de his legibus editis . 349
Ratio, & iudicium de legibus ſimilibus edendis . 352
Solutiones ad Argumenta . 352
Conſectarium ex prædictis . 358
Peroratio Tractatus, in communi, de Politia, & Immunitate Eccleſiaſtica . 358

IN QVARTA PARTE.

INTRODVCTIO ad reſpondendum quibuſdam Propoſitionibus Auctoris Anonymi, ſcribentis contra immunitatem Eccleſiaſticam: & Chriſtiana Parænesis ad Poteſtates ſeculares . Cap. I. 363
Occaſione Propoſitionis I. Auctoris Anonymi duæ extremæ vitioſæ ſententiæ, de Principum in Reſpublicas poteſtate, referuntur. Cap. ij. 368
Propoſitio Auctoris Anonymi . 369
De Regum, & Principum ſecularium, ſeu Rerumpublicarum origine . Cap. iij. 373
Propoſitio Anonymi adhuc conuincitur eſſe falſa . Cap. iiij. 379
Reſpondetur obiectionibus Cap. 2. adductis . Cap. v. 381
Chriſti Domini doctrina, prædicta confirmantur . Cap. vi. 386
Prima quæſtio Chriſto propoſita . 386
Sex Documenta notanda . 387
Secunda quæſtio Chriſto Domino propoſita . Cap. vij. 389

Tertia

Tertia quæſtio Chriſto Domino propoſita. Cap. viij. 393
Primum Documentum oriens ex hac Chriſti Domini actione.Cap.ix. 395
Secundum Documentum ex eadem doctrina Chriſti oriens. Cap. x. 396
Tertium Documentum, ex Chriſti D. illa oriens doctrina. Cap.xi. 400
Obiectio quædam ſoluitur. Cap. xij. 403
Corollarium, quod ex dictis colligitur. Cap. xiij. 406
Doctrina Petri Apoſtoli, & ad eius explicationem præludia, pro Anonymi illa Propoſitione hæreſis conuincenda. Cap. xiiij. 407
Obiectio quædam ſoluitur. Cap. xv. 411
Deū immediatè hominibus dominari ſēper voluiſſe declaratur.C.xvi. 412
Quale fuerit, & ſit Chriſti Regnum. Cap. xvij. 418
Petrum,& ex conſequio eius ſucceſſores Pontifices Romanos,habere à Deo immediatè poteſtatem Eccleſiam gubernādi oſtenditur.Cap.xviij. 423
De poteſtate imperantium, ac ſubditorum obedientia,inter homines exercenda. Cap. xix. 427
In omni Magiſtratu, Principatum, & Monarchicum regimen,eſſe optimum, breuiter exponitur. Cap. xx. 433
Vnum Monarcham ſecularem, poſt Adamum, in orbe vniuerſo non fuiſſe:docetur. Cap. xxi. 439
Monarchiam Eccleſiaſticam ab orbe condito, vſque ad Chriſtum extitiſſe oſtenditur. Cap. xxij. 442
De prædictionibus Monarchiæ Eccleſiaſticæ præſentis. Cap. xxiij. 447
De exhibitione præſentis per Chriſtum Eccleſiaſticæ Monarchiæ. Cap. xxiv. 450
Probatur doctrina præcedentis Capitis, ex SS.Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus. Cap. xxv. 453
Petrum Apoſtolum Eccleſiam Romanam fundaſſe, gubernaſſe, ac ſuo ſanguine conſecraſſe demonſtratur. Cap. xxvi. 458
Pontificem Romanum, eſſe B. Petri ſucceſſorem, eamdemque cum illo in Eccleſia vniuerſa ligandi, & ſoluendi habere poteſtatem:probatur. Cap. xxvij. 462
Latinorum SS. Patrum, & Doctorum, de hoc eodem ſententia. Cap. xxviij. 467
Imperatores Chriſtianos, Reges, Principes, & Magiſtratus ſeculares agnouiſſe ſemper Eccleſiæ Romanæ Primatū:deſcribitur. Cap.xix. 470
De Chriſti Regno adhuc, & de Eccleſiæ poteſtate agitur, ex Mat.c.vlt. Cap. xxx. 475
Quam poteſtatem, ſe à Chriſto Domino accepiſſe, intellexerint Apoſtoli: manifeſtatur. Cap. xxxi. 480
Aſſumptum præcedentis Cap.adhuc probatur: & quædam obiectio diſſoluitur. Cap. xxxij. 486
Qualiter Apoſtoli illud Chriſti Domini præceptum: Euntes ergo doce-

te,

te, &c. exſequuti fuerint: explanatur. Cap. xxxiij. 489
Animaduerſio differentiæ legis Scriptæ, & Euangelicæ: & confirmatio prædictorum: & quale Regnū Eccleſia ſit dicendum. Cap. xxxiv. 493
Etiamſi non eſſet ſummus in Eccleſia Pontifex, ſeu Papa, adhuc fore in ea illius poteſtatem ſummam: docetur. Cap. xxxv. 496
Si Pontificia Romana dignitas eſſet ab hominibus inſtituta, adhuc haberet præfatam poteſtatem. Cap. xxxvi. 500
De Politia in Eccleſia inſtitutione, ad Synagogam comparata. Caput. xxxvij. 501
Obiectio de poteſtate ceterorum Apoſtolorum, ad Petri, eiuſq; ſucceſſorum poteſtatem comparata, diſſoluitur. Cap. xxxviij. 506
De exercitio huius poteſtatis Petri, eiuſq; ſucceſſorum, adhuc per comparationem ad Synagogam. Cap. xxxix. 511
Veterum Imperatorum, & Regum Hiſpaniarum ſententia de prædictis: proponitur. Cap. xl. 517
De inſtitutione Imperij, & aliorum Regnorum, per Eccleſiam ſequentibus temporibus. Cap. xli. 521
De Imperatorum, & Regum per Eccleſiam, eiuſque ſummos Pontifices deſtitutione. Cap. xlij. 526
De ſpeciali Eccleſiæ poteſtate, circa Regum Chriſtianorum abdicationem. Cap. xliij. 532
Vt comparetur, circa Regum, &c. poteſtatem, & miniſterium doctrina Catholicorum, & Hæreticorum, horum aliqua placita, & acta narrantur. Cap. xliv. 539
Quædam pecularia de Regnis Angliæ, & Scotiæ, circa prædicta adducuntur. Cap. xlv. 544
Pecularia adhuc alia acta, in Regno Scotiæ; ex libello Proditionis Scoticæ. Cap. xlvi. 548
Catholicorum doctrina, circa Regum miniſterium, & poteſtatem. Cap. xlvij. 554
De Eccleſiaſtica diſciplina, circa conuerſationem cum Hæreticis, & excommunicatis vitandam. Cap. xlviij. 557
Vtrum Princeps, propter Apoſtaſiam à fide, amittat dominium in ſubditos: ita quod ei obedire non teneantur? ex 2. 2. D. Thom. q. 12. Art. ſecundus integer: cum expoſitione Card. Caiet. Cap. xlix. 561
Hanc Eccleſiæ, & Pontificis Romani poteſtatem in beneficium Regum, ac Principum Chriſtianorum cedere: declaratur. Cap. L. 566
De cæleſti protectione Regni Angliæ, & Regum eius reuerentia ad S. Sedem Apoſtolicam, & deuotione ad Monaſticum Ordinem S. P. N. Benedicti. Cap. li. 573
De rebus in Anglia temporibus vltimis geſtis; Et Parænesis ad Regem eius Iacobum, & eius Regna. Cap. lij. 577

Re

Reſpondetur Hæreticorum tacitæ obiectioni : & continuatur Paræneſis ad Regem Angliæ, &c. Cap. liij. 583
Quid ſit Regi Angliæ faciendum pro exſtirpatione hæreſeon ab illis Inſulis : & concluditur Paræneſis ad eum. Cap. liiij. 594
Quattuor Documenta colliguntur ex prædictis de Regno Chriſti, & Eccleſiæ. Cap. lv. 603
Quintum Documentum ſequens ex dictis proponitur. Cap. lvi. 607
Per Parergon, ex iure Canonico, & eius Prudentibus, de poteſtate Pontificis dicta ſuperiùs comprobantur. Cap. lvij. 611
Tria alia Documenta ſequentia ex dictis proponuntur. Cap. lviij. 613
D. Petri Cap. 14. ſupra adducta doctrina vltimò explicatur. Cap. lix. 615
Quid colligebat ex notata propoſitione Anonymus Auctor, & ad illud Reſponſio, per ſex Conſiderationes. Cap. lx. 621
Theologia, & Iuris quædam ſpecialis prudentia, pro ſimilibus legibus, vel inſtituendis, vel abrogandis, valdè notanda. Cap. lxi. 633
Hæreticos callidè velle Catholicis prouincijs, & earum Principibus, circa legum contra Immunitatem Eccleſiaſticam, conditionem, imponere. Cap. lxij. 634
Peroratio Tractatus. 636

ROMAE,
Apud Stephanum Paulinum.
MDCX.

SVPERIORVM PERMISSV.

PRAECIPVE CASTIGANDA.

Fol.	*Lin.*	*Erratum*	*Lege.*
4	40	quoad	quò ad
	42	quoad	quò ad
5	1	quoad	quò ad
8	31	quoad	quò ad
13	17	cuſtodiunt	cuſtodient
		requirunt	requirent
15	30	riguroſo	rigoroſo
19	29	Senatotes	Senatores
23	14	redditæ	reddite
35	36	quamquam	quaquam
	38	optatatum	optatum
44	28	Saphyræ	Sapphiræ
	30	Saphyra	Sapphira
101	24	Chariatſepher	Chariath Sepher
	25	Chariatſepher	Chariath Sepher
118	33	*poſt* caſtigauit	*adde* Ioan.c.2.
121	28	quit	inquit
		Aliegenarum	Alienigenarum
133	8	diſcuſſa	diſciſſa
212	40	quoad	quò ad
221	17	ſuperanda	ſeparanda
235	26	neque	atque
284	3	Berythum	Pellam pro maiore parte
315	12	neque	etiam
324	14	euanuerunt:illis	decreuerunt : locis, & ſubſtantiis nouè acquiſitis, pro maxima parte,
	31	illis	inſtitutis Militaris religionis,
378	13	maiori	meliore
405	9	cuſtodiunt	cuſtodient
	10	requirunt	requirent
	14	variare	variari
442	12	ſextò	ſeptimò
443	25	Sexti	Septimi
481	31	eum	*dele*
492	1	centum	ducentum
493	11	procere,sorat,&c.	proceres,orat,&c.
	16	vſurpata	vſurpatæ
	22	collocarunt	collocauit
532	16	neque	vel
	17	neque	vel
541	23	Vinzeius	Vinzetus
576	42	Fduardus	Henricus
590	22	*poſt* Anglicam	*adde* conſtructam
591	8	111.	21.

Nra uero sent.a ~~nost~~ potestatem quam habent Principes laici in eorum ditione, habuisse immediate ab hoc, nempe ab ipsis met populis. et ut iuridice loquar, iure gentium fuisse inducta dominia et Regna. habetur l. ex hoc iure ff. de iust. et iur. quilibet enim homo naturaliter nascitur liber .... et ab ipsa mundi constitutione nulla inter homines excellentiae distinctio praecesserat: ut D. i. in Auth. Quib. mod. effic. sed cum homines, ut ait Bald. d. l. ex hoc iure, inuicem aduersari, et bellare cepissent, ad divisiones ideo gentium deventum fuit, et necessitate agente, ne minor a maiore pauper a diuite, debilis a fortiore grauaretur, capite indigentium et leges fuere erecti. quod optime cohaeret doctrinae Platonis in Protagora sic dicentis. Congregati homines sibi inuicem nocebant, se inuicem iniurijs, et contumelijs afficiebant: quare dispersi iterum a feris lacerabantur. Necesse igitur fuit, ut congregati, in officio, per unius imperium continerentur. 2o ex Cicer. lib. 3. de Leg. relato a D. Aug. lib. 4. contra Julian. c. 12. An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura, cum summa utilitate infirmorum datum? ~~et non immediate a Deo. nota verba natura. Quod clare explicat nempe~~ Jans. n. ut hic Innoc. 4. cit. potestatem regiminis ipsis hominibus naturaliter dedit: ideoque namque eorum multiplicatione [illegible] c. xi. et 2. voluit [illegible] hominum capere, et congregatimus fieri et inde ut haberent facultatem se gubernandi, leges vivendi constituendi, et vocandi, ordinemque reipub. condendi; sine quibus confusio, hominum congressus fundatus labefactaret; dicente Salomone prov. c. 11. ubi non est Gubernator dissipabitur populus. Neque n. universitas, alia potest esse constare, quam si eiusmodi magnus eius differentiae ordo servetur in c. fin. 89. dist. Quare Deus decernens multiplicationem [et consequentes [illegible]] intelligitur iisdem voluisse dedisse illa media, quae ad illam, requisita sunt et necessaria. inter quae potissimum est cognitio regiminis. Sufficit igitur Deus hominibus [illegible] indulsisse, ut omnia, quae a rei natura oriuntur, qualis est ordo gubernationis ac iurisdictionis, et ad eas nec. facultatis, ac potestatis, ipsi naturaliter fuisse concessa censeantur.

1. Protest. contradicendo est origo principatus, quae a Deo distinguenda non est quam [illegible] principibus. et quod omnis dominia ~~dominia~~ et regna initium ~~[illegible]~~ sumpsisse ex iure gentium, et non a Deo.

Aliqui afferentes [illegible] [illegible] Dei; off. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Sap. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

tempore principes ex quo initium sumsit, tanquam corpus a capite ordo reipub.

colligitur ex c. propter [illegible] off. [illegible] Leg. l. 2. ff. de iurisd. omn. iud.

Institutiones ergo Regnorum ex alicuius humana origine trahun
et ad ius gentium spectant, neque a Deo immediate procedit
ius humanum, haec Provincia, Regnum & hoc vel illo regim
gubernet, Monarchice videlicet, Aristocratice, vel Democrat
Sed hij Duces, Principes, Reges, magistratus, haec vel illa fam
dominentur, sed a populorum electione, & consensu.

Probandum ex Imperat. Justin. ut refert Justinianus Instit. de iur.
gent. et civil. §. Sed et quod Principi. et l. 1. ff. de constit. omnem
auctoritatem a populo dependere ait. Sed et quod Principi plac
legis habet vigorem, quia populus lege regia, quae de eius Imper
lata est, ei, & in eum omnem suam auctoritatem & iurisdictionem transtul

644

Digitized by Google

60

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO ROMA
1971
Digitized by Google